Digitized by Google

XVIII 15.3.
B.7.

Digitized by Google

RERUM GERMANICARUM

TOM. II.

SCRIPTORES GERMANICOS

ab

HENRICO MEIBOMIO

Juniore

è MStis primum publicatos

recenſitosq́, & Notis alicubi illuſtratos

Continens.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
HENRICUS MEIBOMIUS
Junior.

DE LEVOLDO NORTHOVIO ſupra Tom. I. p. 375. ubi ejus *Origines Marcanas* publicavimus, ſatis actum eſt, vita etiam ejus, quantum haberi potuit, concinnata, ut ea hîc repetere, faſtidioſum fuerit. Cum vero *Archiepiſcoporum Colonienſium Catalogus*, ab Eodem confectus, in manus noſtras inciderit, eum quoque publici juris in hoc Tomo facere volui, cum lectu non indignus videatur, ex iis ſcilicet Scriptoribus & Catalogis excerptus, qui ad nos non pervenerunt. Teſtatur autem Nobiliſſimus Vir, ſe eo, qui Hiſtoricum decet, candore egiſſe, & omnia *eo tenore, quo reperit, ſcripſiſſe, nihil addendo, vel corrigendo, vel aliquid immutando.* In pauco igitur numero Scriptorum, qui Archiepiſcoporum Colonienſium res poſteritati narrarunt, hanc ſuccinctam narrationem benevolè excipe, eâque fruere.

LEVOL-

LEVOLDI A NORTHOF

Equitis Marcani, Canonici Leodi-
enſis & Abbatis ſecularis Viſetenſis

ARCHIEPISCOPORUM COLONIENSIUM CATALOGVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Catalogus Archiepiſcoporum COLONIENSIVM.

QUia pauci ſunt, credo, in terra Marcka, qui habeant aliqua ſcripta de geſtis & temporibus Archiepiſcoporum Colobienſium, qui fuerunt pro tempore. Idcirco pro iis, qui libenter multa & diverſa deguſtant legendo, ea quæ de prædictorum Archiepiſcoporum Colonienſium geſtis & temporibus ſcripta inveni, duxi hic ſcribenda, eo tenore, quo reperi; nihil addendo vel corrigendo, vel aliquid immutando.

Pontificum geſta brevitate profatur honeſta
Urbis Agrippinæ, decreto ſingula fine.

Apud Agrippinam, nobilem civitatem Galliæ, primus adeptus eſt Epiſcopatum S. *Maternus*, Trevirorum & Tongrorum pariter Epiſcopus Anno Domini XCIV. Domitiano Imp. regnante: ſeditque Annis XL. & obiit Coloniæ ſub Adriano Imp. Anno Domini CXXIX. Convenientibus autem Trevirenſibus & Tongrenſibus una cum Colonienſibus, orta eſt lis, ubi condendus eſſet, divinoque monitu in navim poſitus, in locum, qui Rodenkirchen appellatur, contra currentem Rheni fluvium miraculoſe dirigitur, ibique à Trevirenſibus ſuſceptus, cum ſanctis Eucherio & Valerio ſociis, Treveri honorifice ſepelitur, qui Treverim eſt delatus juſſu angelico. Deinde usque ad *Effratam* hæreticum nullus Colonienſi Eccleſiæ præfuiſſe invenitur, qui quidem in Catalogo Pontificum Colonienſium non ponitur, quia hæreſin Arrianam fovebat, propter quam etiam in Concilio Agrippinenſi Anno Domini DCCXLVII. ſub Julio Papa à pluribus Galliæ & Germaniæ Epiſcopis eſt depoſitus.

Secundo ergo S. *Severinus* ſubſtitutus repertus Epiſcopus. A S. Materno autem ad S. Severinum computantur Anni CCC. Quare autem idem Epiſcopatus tanto temporis interſtitio vacaverit, variæ habentur conjecturæ. Videlicet quod in paganiſmum gens fuerit relapſa: aut ſi qui fuerint Epiſcopi, ob perſecutionis ſævitiam latenter fuerint: aut certè, ſicut B. Maternus & ſucceſſores Treverenſem, ſic Colonienſem Eccleſiam regebant. De quibus opinionibus, quia nihil certo invenitur, prudens Lector advertat, quid reputet admittendum.

Tertio loco ſucceſſit B. *Trigiſtus*, S. Severini diſcipulus, qui in tranſitu Sanctiſſimi Materni hymnum angelicum cum ipſo Magiſtro audivit. Hic poſtea apud Tungren, quæ & Octavia dicitur, Martyrizatus eſt.

Quarto loco ſucceſſit *Solatius*.

Quinto loco *Sinoneus*.

Sexto loco *Remedinus*.

Septimo S. *Cunibertus*, qui ſedit annis XL. Hic fuit temporibus Heraclii Imp. & ejus filii Conſtantini, ſub Francorum Rege Dagoberto & ejus filio Sigeberto.

Octavus fuit *Bocaldus* ſub Sigeberto.

Nonus *Stephanus* ſub Theoderico Rege Francorum primo.

Decimus

Decimus *Adewicus* ſub eodem.

Undecimus *Giſo*, ſub Glodovæo Rege tertio & Hildeberto ſecundo.

Duodecimus *Anno*, ſub Francorum Rege Dagoberto II. Hic ſepultus eſt apud S. Severinum Coloniæ.

Tertius decimus, *Faramundus*, ſub eodem.

Quartus decimus S. *Agiolfus* ſub Francorum Rege Hilderico. Hunc miſit Carolus Major, avus Caroli Magni, contra impugnatores regni, cauſſa pacis, à quibus crudeliter peremptus, martyrio coronatus, multis claruit miraculis.

Quintus decimus *Reinfridus*, ſub Theoderico VI. & Hilderico II.

Sextus decimus, *Hildegerus*. Hic ſub Pipino Rege, Caroli M. patre, ad bellum contra Saxonas profectus, occiſus eſt in monte, qui Viborch dicitur.

Biblioteca Naz. Roma Vittorio Emanuele

Septimus decimus *Bertholinus*, ſub eodem Pipino ſedit annis X.

Octavus decimus *Richulfus* ſub Carolo Magno ſedit annis XXII.

Nonus decimus *Hildeboldus*, ſub eodem Carolo M. & Rege Lodowico ſedit annis XXXIV. qui & eundem Lodowicum unxit in Regem.

Viceſimus *Hagelbridus*, ſub Lodowico filio Caroli, ſedit annis XXII.

Viceſimus primus *Guntberus*, ſedit ſub Lodowico, ſuperioris Lodowici filio. Hic Lodowicus Imperator, filius Caroli M. habuit filium nomine Lotharium, cui Italiæ regnum commiſit. Qui Lotharius divino amore accenſus, regnum reliquit filio ſuo Lothario, & Prumiæ monachum ſe fecit. Iſte Lotharius, Lotharii filius habuit concubinam, nomine Walburgam, Guntheri Epiſcopi ſororem, quam inſtinctu præfati Epiſcopi Colonienſis uxori ſuæ Thebergæ ſuperinduxit. Ob quam cauſſam idem Epiſcopus Guntherus à Papa excommunicatus eſt, & poenitentia ductus, Romam veniens, minimè reconciliari voluit. Fertur autem divinum officium ſibi iterum uſurpaſſe contumaciter, & propter hoc Zanccis ab Angelis ſacris veſtibus exutus, ante altare occiſus eſt.

Viceſimus ſecundus *Wullibertus*, ſub Carolo minore ſedit annis xx. Hic Eccleſiam S. Petri Coloniæ dedicavit, in qua & ſepultus eſt.

Viceſimus tertius *Hermannus*, quem *Pium* vocant, ſub Arnulpho, Lodowico & Conrado Impp. ſedit annis XXXV. & defunctus eſt in Domo S. Petri.

Viceſimus quartus *Wifridus*, ſub Henrico I. ſedit annis XXIV.

Viceſimus quintus, *Bruno*, ſub Ottone I. ipſius fratre, ſedit annis XII. qui dilectus Deo & hominibus, fortis in bello, magnus in Pontificibus, quaſi Sol effulſit in Eccleſia Colonienſi, in conſpectu Regum & Principum magnificatus. Nam Imperatore fratre ſuo in Italia pro diſponenda Republica moram faciente, Galliæ & Germaniæ tutelam & procurationem ſuſcipiens, eandem prudenter & ſtrenuè adminiſtravit, inſurgentes hoſtes reprimens, diſcordes pacificans; paci potiſſimum ſubditorum, invigilans ac ſaluti. Hujus Archiepiſcopi prudentiam, & geſta præclara, quæ fecerit & quantum domus Dei nitorem, & Sanctorum venerationem dilexerit, in Monaſteriorum quorundam amplificatione & reparatione, licet ſcripta exinde confecta & exiſtentia non panderent, nihilominus vaſalli & miniſteriales eccleſiæ Colonienſis temporali juriſdictione per eum abjecti, ea paſſim memorantes, à generatione in generationem non tacebunt. Hic corpora reliquiarum Sanctorum ſtudioſè ubicumq; collegit. Imperatore fratre ſuo in Italiam eunte, Galliarumque ut præmittitur, procuratione ſibi demandata, terram uſquecunque à latrociniis purgavit, Francis bellum intulit, & Pariſios urbem obſidens rupit & ſpoliavit. Ducem Lotharingiæ, quæ à Rheno ad Moſam extenditur, rebellantem & terram incendiis infeſtantem, cepit, & vinculis injectum, fratris affuturo judicio reſervavit. Quo reverſo, ſolenni Principum habito colloquio, id omnium pariter ſancitum eſt conſilio, ut devicti Ducis monarchia Præſuli Colonienſi, ſuiſque ſucceſſoribus uſu & jure cedat perpetuo, anno ab incarnatione Domini noſtri CCCCIV. ſic quod Duces & Præſules nominentur, judicentque gladio, qui prius unco utebantur baculo. Tuicienſe etiam caſtrum propter rebelles confregit: pontem & porticum Trans Rheni alveum dejecit: quoniam latrones Trans-Rhenenſes ruricolas, de foro Colonienſi negotiandi cauſſa de veſpere redeuntes ibi in ipſo ponte cum rebus & vita in Rhenum projicere conſueverant. Baculum S. Petri, à Treverenſibus perſecutionis tempore cum aliis reliquiis olim

Digitized by Google

olim Metenſibus commiſſum, & Trevirenſibus repetentibus negatum cum catena ejusdem Apoſtoli à Domino Papa ſibi tradita, nec non B. Gregorium ſpoliatum, Coloniæ intulit,& principali ſuæ ſedis Eccleſiæ, videlicet B. Petri, contradidit: quam etiam Eccleſiam uno abſide in utroque latere decenter ampliavit. Corpus etiam B. Evergiſti ad S. Cæciliam Colonienſem reduxit. B. Elichium Monaſterio S. Martini dedit, & S. Patroclum glorioſe intulit Suſatum: Monaſterio etiam & clauſtro ibi fundato multa legans. Iſte etiam Monaſterium S. Pantaleonis in Colonia fundavit, prædiis & poſſeſſionibus fundavit, in quo & ſepultus quieſcit: oſſibus ſuis à Rhemenſi civitate, in qua obiit, honorificè Coloniam reportatis.

Viceſimus Sextus *Volcmarus*, ſub eodem Ottone ſedit annis III.

Viceſimus ſeptimus *Gero*, vir valde religioſus ſub eodem Ottone, & ejus filio Ottone II. ſedit annis VII. qui Abbatiam S. Viti in Gladbach inſtituit. In Domo S. Petri requieſcit.

Viceſimus octavus *Warinus*, ſub Ottone II. ſedit annis IX. Hic Trevirenſibus petentibus partem baculi S. Petri reddidit.

Viceſimus nonus *Evergberus*, de quo dicitur quod prædictum Warinum vivum ſepeliri fecit. Laborabat enim Warinus infirmitate capitis, ita ut aliquibus diebus ſine ſenſu jaceret. Quo facto Romam pœnitens pervenit, quod egerat confeſſus eſt, & Papa pro correctione ei injunxit, ſi quemnam ** ** labefactum ſciret; datis ſubſidiis relevaret. Reverſus Cœnobium S. Martini in Colonia melioravit, fratres illuc adunavit, & ** in perpetuum tradidit. Et iſte ſub Ottone III. ſedit annis XV. In Domo S. Petri ſepultus eſt.

Triceſimus, S. *Heribertus*, ſub Henrico II. ſedit annis XXI. Iſte Baſilicam Tuicii in honorem S. Mariæ inſtituit, ibique ſepultus eſt, & multis enituit miraculis.

Triceſimus primus ſucceſſit *Pelegrinus* ſub Imp. Conrado II. Sedit annis ** Hic Monaſterium in Colonia SS. Apoſtolorum conſtruxit, in quo & quieſcit: & ſufficientiam Canonicorum adunavit.

Triceſimus ſecundus, *Hermannus*, quem *nobilem* vocant, ſub Henrico Imp. III. ſedit annis XX. In Domo S. Petri ſepultus eſt.

Triceſimus tertius *Anno*, flos & nova lux Germaniæ totius, qui cunctos anteceſſores ſuos in augmentatione Colonienſis Eccleſiæ præceſſit. Ante Epiſcopatum Præpoſitus in Goslar. In vita ſua fecit Monaſteria, & in morte ſua operatus eſt mirabilia. Unde & in omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria. Præter innumerabilia beneficia, quæ Epiſcopio contulit, præter plures eccleſias, quas in diverſis locis conſtruxit, præter, quod nullam congregationem in diœceſi ſua dimiſit: quemadmodum Dominus Bruno, qui ſupra nominatus eſt: ampliavit quinque Congregationes, videlicet S. Mariæ ad Gradum, & S. Gregorii Canonicos Eccleſiarum in Monte Syberg & Graſchaph, Monachorum Monaſteria. Item unum Monaſterium in Salavel inſtituit magnificè, & allodium, quod Salavel dicitur, Epiſcopio adjecit. Superſedemus de eo ſingula dicere: quoniam etiam ſi nos tacuerimus, ipſius opera clamabunt. Floruit temporibus Henrici IV. Auguſti. Sedit in Epiſcopatu annis XX. & ſepultus eſt in cœnobio ſuo Syberg: ubi in multis claret miraculis.

Triceſimus quartus, *Hildebaldus*, præfati Imperatoris Capellanus, ſedit annis XV. In Domo S. Petri ſepultus eſt.

Triceſimus quintus, majoris Eccleſiæ Decanus, *Segewinus*, ſedit annis X. ſub eodem Imperatore, & in eadem Domo S. Petri ſepultus requieſcit.

Triceſimus ſextus *Hermannus*, quem *divitem* vocant, ſub præfato Imperatore ſucceſſit. Sedit annis X. & menſibus V. ſepultus in Capitolio Syberg.

Triceſimus ſeptimus *Fredericus*, vir pulcherrimus & magnæ conſtantiæ, adeo ut nec timeret Imperatori reſiſtere, qui magis ad inſtantiam prædicti Imperatoris, quam priorum electorum Epiſcopatum adeptus eſt. Nam uſque ad illud tempus Imperatores baculum & annulum tradebant. Hic contra immanem multitudinem Suevorum & Bavarorum parva manu Andernaci confligens triumphavit. Sedit annis XXXV. ſub Henrico IV. & V. Impp. paucos annos Lotharii Imp. attingens: quem & ipſe unxit in Regem, una cum uxore ſua Richſa. Sepultus eſt in Capitolio Syberg.

Triceſi-

Triceſimus octavus *Bruno*, Præpoſitus S. Gereonis, qui Canonica electione priorum & capitaneorum in Godofrido Zancceníi Præpoſito caſſata, favore Lotharii Regis & malignantium ad ſui perniciem Inconzatus (*forte inthroniſatus*) eſt. Erat miræ facundiæ & ſophiſticæ locutionis: ſed caduco morbo laborabat. Nam in expeditione Italica Lotharium Regem comitatus, apud Barum civitatem Apuliæ præſente Imperatore obiit. Cui Hugo Decanus S. Petri ſucceſſit ibidem, & ab Honorio Papa conſecratus, poſt paucos dies ſpiritum exhalavit, & in eadem urbe cum præfato Brunone tumulatus eſt.

Triceſimus nonus *Arnuldus*, S. Andreæ Præpoſitus ſedit annis X. ſub Conrado Rege. Qui in principio idoneus, poſtea cepit vileſcere, tandem apud Eugenium Papam de Simonia infamatus eſt, & ab officio ſuſpenſus, ſepultus eſt apud S. Andream.

Quadrageſimus *Arnuldus*, S. Petri Præpoſitus & Imperii Cancellarius, vir probitate compoſitus & idoneus conſilio & prudentia violentis reſiſtebat, & eccleſiaſtica jura defendebat. Cum Frederico Imp. Romam profectus eſt. Sedit annis V. ſub eodem Imp. & in eccleſia Rohrdorp, quam ipſe multis ornamentis decoravit, ſepultus eſt.

Quadrageſimus primus, *Fredericus*, S. Gregorii Præpoſitus, filius fratris Brunonis, de quo ſupra dictum eſt, qui magis propinquorum factione, & juniorum Clericorum favore Epiſcopatum adeptus eſt, caſſata Canonica electione facta coram Frederico Imp. in Bunnenſem Præpoſitum Gerhardum. Ab Adriano Papa conſecratus eſt. Dicitur etiam quod per Simoniam intravit. Ab Imperatore cauſſa apud Nirenberg eſt ventilata: deinde ſecundo Ratisbonæ agitata. Ibidem Fredericus ab Imperatore Epiſcopatum ſuſcepit. Poſt biennium cum Imperatore Mediolanum profectus, apud Ticinum, quæ & Papia dicitur, obiit, vix duobus annis Pontificali dignitate potitus. Oſſa ejus Coloniam delata, in Monte S. Mariæ, quem patruus ſuus fundaverat, qui Berge dicitur, condita ſunt: caro ejus & viſcera manſerunt in Lombardia.

Quadrageſimus ſecundus, *Reinoldus*, Hildeshemenſis Præpoſitus, regni Cancellarius, vir omni probitate conſpicuus, nulli Epiſcoporum Colonienſium probitate poſtponendus. In Hildenſem pontem laude dignum & valde neceſſarium in paluſtri tranſitu conſtruxit. Inſuper hoſpitale pro ſuſtentatione pauperum ibidem inſtituit: deinde Cancellarius Imp. Frederici factus cum in obſidione Mediolani cum Imperatore eſſet, in Pontificem à clero & populo Colonienſi electus eſt. Poſt devictum autem Mediolanum tres Magos, qui infantiam Domini myſticis muneribus venerati ſunt, magno labore & periculo Mediolanenſibus abſtulit & ad perpetuam Germaniæ gloriam Coloniam mira inſtantia cum duobus martyribus, Nabore & Felice, tranſvexit. Nec hoc ſine ejus laude profertur, quod cum adhuc in Italia eſſet cum Imperatore, & Pallantinus Comes Conradus, frater Imperatoris Frederici, cum Ludowico Landgravio & Frederico Duce Saxoniæ, Epiſcopatum Colonienſem ad libitum ſuum violenter deprædari vellent, ipſe Reinoldus hoc per nuntios Colonienſibus intimavit, & tantam ſuo nomine multitudinem apud Andernacum tot fortes, tot præclaros nobiles viros, poſtremo talem exercitum adunari fecit, qualem noſtra memoria ex Teutonicis nunquam in acie conſtitiſſe cognovimus. Unde præfati tyranni perterriti, retrò unde venerant abierunt. Tertia jam expeditione cum Imperatore profectus in Italiam, parva manu militum maximas Romanas copias, ad XL. millia, apud Tuſculanum proſtravit, cædit & fugavit. Multa etiam egregie inſerenda digniſſime per omnem Italiam operatus eſt. Ipſe erat laus, decus & pavor Imperatori. Menſe vero Auguſti, peſtilentia in exercitum venit, qua & ipſe, proh dolor! correptus, in aſſumptione beatæ Mariæ obiit, omnibus dilectoribus Colonienſis Eccleſiæ triſtitiam morte ſua relinquens. Fuit in lingua diſcretus & compoſitus, literis ſufficienter inſtructus, animo & vultu imperterritus, Imperio fidelis, Eccleſiæ Colonienſis provector. Nam & Palatium Colonienſe magnis ſumptibus conſtruxit, duas turres in templo S. Petri erexit. Decem marcis Eph. feſtum inſtituit; totidem in cœna Domini ad ſolatium pauperum addidit. Octavas aſſumptionis B. Mariæ celebrari juſſit. Caſtellum Reinecke extrui fecit pro munimine Epiſcopi. Pro his &

aliis

Digitized by Google

aliis ab eo laudabiliter peractis, optamus ut æterna pace in Domino quieſcat. Sedit annis VIII. Et cum jam annis octo Præſul laudabiliter militaſſet, in vigilia Aſſumptionis B. Virginis valida febre correptus, prope Romam obiit: cujus carnes & viſcera ibidem ſepulta ſunt, oſſa vero in Domo S. Petri recondita quieſcunt.

Quadrageſimus tertius, *Philippus* de caſtro Homberg natione, Eccleſiæ S. Petri Decanus & Imperii Cancellarius, vir pulcherrimus atque fortis, prudens & diſcretus, affabilis, magnanimus & ſupra modum liberalis. Iſte adhuc Decanus exiſtens, caſtrum Reinecke, ut ſupra dictum eſt, ex præcepto Reinoldi, de manu valida reædificavit, & præfatos tyrannos fugavit. Factus vero Archiepiſcopus in manu forti Saxoniam intravit, & Aleſenne obſedit, & tota terra Ducis Henrici depopulata cum triumpho & gloria rediit. Ducatum Weſtphaliæ adjecit, vel obtinuit Colonienſibus. Extunc duos Ducatus habuit Eccleſia Colonienſis. Emit præterea S. Petro plurima caſtra. Hic cum Henrico, filio Frederici Imperatoris, quem Aquis unxit in Regem, profectus in Apuliam, obiit Neapoli, cujus oſſa relata ſunt & honorabiliter cum cæteris Epiſcopis juxta Epiſcopum Reinoldum in Domo S. Petri recondita. Sedit annis XXIV. ſub Frederico & Henrico Impp.

Quadrageſimus quartus, *Bruno*, majoris Eccleſiæ Præpoſitus. Hic electione facta in Lotharium Bunnenſem Præpoſitum minis nobilium caſſata, quia idem Lotharius electioni de ſe factæ propter metum renunciavit. Epiſcopus eſt factus, ſicut ſuperius dictum eſt de Frederico, cujus frater erat ſecundum carnem. Iſte debilis & ſenex renuntiavit Epiſcopatui, & in habitu apud Daminberge defunctus eſt, cum ſediſſet ſub Henrico Imperatore anno vix uno.

Quadrageſimus quintus, *Adulphus*, majoris eccleſiæ Præpoſitus, quia filius fratris erat dicti Brunonis, ipſo Brunone adhuc vivente ſucceſſit. Iſte Henrico Imp. mortuo Ottonem Comitem Pictaviæ, ſavente Papa Innocentio, Henrici quondam Ducis Saxoniæ filium, de Pictavia evocavit, & paucis ſibi Epiſcopis vel Principibus aſſentientibus in Regem elegit, & Aquis conſecravit: cæteris Principibus Philippum fratrem Imperatoris in Regem eligentibus. Hinc per totum regnum graves & multiplices guerræ oriuntur. Terra incendiis & rapinis, & maxime Colonienſis Archiepiſcopatus, devaſtantur. Tandem Adulphus Colonienſis Archiepiſcopus, neceſſitate compulſus, & ut aſſerunt, quinque millibus marcarum corruptus, Ottonem deſtruit, & ad Philippum ſe tranſtulit, & inconſulto Papa, contra juſtitiam, Aquis in Regem conſecravit. Unde ipſe ab Innocentio Papa excommunicatus, & Sigfridum Moguntinum Archiepiſcopum & Cameracenſem, à Domino Papa delegatos judices in eccleſia S. Petri in Colonia coram Ottone Rege, & univerſo Clero & populo de dignitate Pontificali deponitur, & ut alius eligatur indicatur. Sedit annis XII.

Quadrageſimus ſextus, *Bruno*, Bunnenſis Præpoſitus, quo ordinato ad jus tantum Adulphi Philippus Rex offenſus cum exercitu Coloniam venit, & eam obſedit, & cum nihil proficeret, Nuſſiam profectus, eam in deditionem accepit, & Adulpho Archiepiſcopo tradidit. Item anno ſequenti Philippus Rex Epiſcopatum Colonienſem devaſtare cœpit. Cum Bruno Archiepiſcopus cum Ottone Rege occurrere ſtatuens, juxta Waſtenberg congreſſi ſunt, ibique victoria Philippo cedente, & Ottone fugato, Bruno Archiepiſcopus capitur, vinculiſque mancipatus per annum in cuſtodia detinetur, quem tamen ille Philippus ad gratiam ſuſcipiens Romam tranſmiſit cum Cardinalibus, quos idem Papa ad videndum Philippum, & ad pacem confirmandum inter ipſum & Ottonem Regem, miſerat. Poſtea occiſo Philippo Rege idem Bruno cum literis à ſede Apoſtolica revertitur, & ab hominibus cum honore ſuſceptus, in brevi defungitur, & in Domo S. Petri cum planctu ſepelitur. Sedit annis tribus.

Quadrageſimus ſeptimus, *Theodoricus*, SS. Apoſtolorum Præpoſitus ſucceſſit. Hic initio ordinationis ſuæ bonus & utilis terræ fuit. Poſtremo contra Clerum agens, inviſus & odibilis cunctis efficitur. Denique Imperatore Ottone excommunicato ab Apoſtolico, idem Theodoricus, eo quod ſibi faveret, infamatus à Sigfrido Legato ſimiliter excommunicatus eſt. Sed cum parvi iſta penderet, & in Cœna Domini divina celebraſſet, & chriſma confeciſſet, ab eodem ſecundum præceptum Apoſtolici officio

Digitized by Google

officio deſtituitur. Unde Romam pro ſatisfactione progreſſus, cum jam per triennium ibi exſulaſſet, nec aliqua in cauſa profeciſſet, Priores Colonienſes ad electionem alterius convenire præcipiuntur. Sedit annis V.

Quadrageſimus octavus, *Engelbertus*, majoris Eccleſiæ Præpoſitus ſucceſſit. Qui cum Epiſcopatum prius confuſum in bonum ſtatum reſtituiſſet, debita anteceſſorum ſuorum facta per totum Epiſcopatum usque ad XXII. marcarum millia collecta perſolvit. Fredericus Rex pro Imperiali conſecratione Romam proficiſcens, procurationem totius regni Teutonici illi commiſit, & filium ſuum Henricum adhuc puerum illi commendavit, quem etiam Aquis unxit in Regem. Tandem pace ubique ſtabilita, à Frederico Comite ab Iſenberg occiditur, & in Eccleſia majori ſepelitur. Sedir annis X. ſub Frederico Imp.

Quadrageſimus nonus, *Henricus*, Bunnenſis Præpoſitus ſucceſſit. Iſte in ultionem ſanguinis, venerabilis Domini Engelberti omnia caſtra Comitis Frederici funditus deſtruxit, & ſuos hæredes in perpetuum exhæreditavit, & ipſum Comitem à quodam milite Balduino de Genefdoloſe captum, duobus millibus marcarum ac amplius redimens, foris muros Coloniæ ante portam S. Severini in quodam monticulo columnam lapideam erigi fecit, in cujus ſummitate dictus Comes rotali pœna plexus, ad miſerabile ſpectaculum cunctis tranſeuntibus poſitus eſt. Duo autem fratres ſupradicti Comitis, ſcilicet Monaſterienſis & Oſnaburgenſis Epiſcopi, hujus ſceleris conſcii, ad inſtantiam memorati Archiepiſcopi depoſiti ſunt. Adeo ſtrenua pro quodam homicidio ibidem perpetrato, facta ſunt judicia, ut & Theodorici de Molengaſſen, dicti ſapientis, ac totius ſuæ parentelæ, ac complicum ſuorum diruerentur poſſeſſiones. At ipſe Theodoricus, qui tum temporis in ipſa civitate erat famoſiſſimus, & potiſſimus, cum omnibus adjutoribus ſuis proſcriptus, civitatem egreſſus eſt. Hæc & alia multa dicto Archiepiſcopo præſidente relatu digna fiebant, quæ tamen ob ipſius nimiam ſimplicitatem, probitati ejus minime attribuebantur.

Quinquageſimus electus eſt *Conradus de Hobſtaden*, S. Mariæ Virginis ad gradus Præpoſitus, vir magnificus, qui ab Eccleſia Romana Privilegium obtinuit, quod quicunque ab Archiepiſcopo Colonienſi in Regem Romanorum eligitur, & ab eodem inungitur & conſecratur Aquisgrani, talis eſſe debet in poſſeſſione, donec ipſe per juſtam ſententiam deponatur. Iſte Conradus Frederico Imperatore, & Conrado Rege filio ejus, ab Innocentio IV. ab Imperio & regno depoſitis, elegit in Regem Landgravium Thuringiæ, cognominatum Ruſpe: quo defuncto elegit alium, Wilhelmum Hollandiæ Comitem, & eum ſolenniter conſecravit. Quo Rege à Phriſonibus miſerabiliter interfecto, idem Præſul elegit Regem tertium, Richardum Comitem Cornubiæ, fratrem Regis Angliæ, virum præ omnibus pecunioſum. Item iſte Præſul Comitatum de Hohſtaden cum omnibus caſtris & terris ſibi attinentibus, quod eidem jure hæreditario competebat, B. Petro Colonienſi tradidit, & Comitatum de Wede eidem Eccleſiæ Colonienſi comparavit. Scabinos Colonienſes omnes, propter multos exceſſus, quosdam relegavit exilio, quosdam diu juxta in civitate tenuit. Cum Limburgenſibus in pace Eccleſia reformata. anno XXV. conſecrationis ſuæ obdormivit in Domino & ſepultus eſt in Eccleſiæ majoris nova Domo, eodem in loco, ubi Præſul ejusdem operis primum poſuerat fundamentum.

Quinquageſimus primus eligitur *Engelbertus de Valckenborch*, Major Præpoſitus, vir utique Pontificalis per omnia, qui una die cum exercitu copioſo ingrediens civitatem, non bono uſus conſilio, Scabinos, quos ſuus prædeceſſor inſtituerat, deſtituit, & quosdam ex illis captivavit, omnes portas civitatis hominibus munivit, de ſuperiore & inferiore portu duo fortiſſima caſtra facere diſpoſuit. Sed communitas populi ſentientes ex hoc ſervilem fieri civitatem, una die omnes portas recuperavit, & antiquos ſcabinos, quos Conradus expulerat & captivaverat, revocavit. Qui Scabini eundem Præſulem poſtea in Pallatio ſuo præſidentem judicem captivarunt. Ipſe liberatus à captivitate civium, cum Wilhelmo Comite Juliacenſi, qui civitati adhæſit in præmiſſis, bellum campeſtre habuit, in quo captus per tres annos cum dimidio vinculis condetentus eſt. Quibus exemptus, cum maxima potentia & ſolennitate Regem elegit & conſecravit, videlicet Dominum Rodolphum de Habsburg, qui digniſſimus inter omnes Imperiali corona, regnum quod diu vacillaverat, magnifice

cœpit reformare. Mortuus eſt autem Engelbertus conſecrationis ſuæ anno XIV. & ſepultus in Eccleſia Bunnenſi, quia diebus illis civitas Colonienſis per tres annos fuit interdicta. Poſt hujus obitum Abbates, Præpoſiti, Decani, Priores convenientes in eadem Eccleſia Bunnenſi die ad eligendum præfixa, dicebant ſe debere electioni Pontificis intereſſe. Sed ſoli Canonici majoris Eccleſiæ, cæteris Prioribus non admiſſis, omnes elegerunt Conradum de Monte, Præpoſitum S. Mariæ ad gradus, defectum ætatis patientem. Solus autem Petrus de Vienna, Majoris Eccleſiæ Præpoſitus elegit Sigfridum de Weſterburg, Præpoſitum Moguntinenſem.

Hoc ſic electo, Dominus Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi Conradum caſſavit, & Eccleſiæ Colonienſi auctoritate Apoſtolica providit de dicto *Sigfrido de Weſterborg* Epiſcopo quinquageſimo ſecundo, qui XX. conſecrationis ſuæ annum agens plurimorum fortunam proſperam & adverſam eſt perpeſſus. Hic prope Wernic in conflictu, quem habuit cum Duce Brabantiæ Johanne, & Comite de Monte, civibusque Colonienſibus, captus eſt à Comite de Monte Adulpho, qui ſubvehi conſuevit in curru. Et apud eundem interfectus eſt nobilis vir, Dominus Henricus de Lucenburg Comes, & alii quam plures nobiles & Barones. Hic Adulphum Comitem de Naſſowe elegit in Regem, & conſecravit in Regem.

Quinquageſimus tertius, Dominus *Wibboldus de Holte*, è Weſtphalia, anno Domini MCCXCVII. in principio Maii, Decanus Colonienſis & Præpoſitus Aquenſis, concorditer electus à Capitulo in Nuſſia, & à Domino Bonifacio Papa confirmatus, rexit Eccleſiam Colonienſem annis VII. & intra guerram, quam cum Everhardo Comite de Marcka habuit, Suſati mortuus eſt, & ſepultus ibidem.

Quinquageſimus quartus, Dominus *Henricus de Virneborch*, Præpoſitus Colonienſis, anno Domini MCCCIV. electus eſt in Colonia. Comparavit Eccleſiæ Colonienſi Hulkerode caſtrum cum ſuis appenditiis terrarum & prædiorum, quod poſtea tamen perdidit. Hic Imperatorem Henricum de Lucenburg elegit in Regem & ſacravit. Qui poſtquam rexit Eccleſiam Colonienſem XXV. annis in pace, defunctus & ſepultus eſt Bunnæ in Eccleſia Martyrum Caſſii & ſociorum ejus.

Quinquageſimus quintus, Dominus *Walramus*, Præpoſitus Leodienſis, frater Marchionis Juliacenſis, ipſo Marchione in Curia apud Papam hoc procurante, ſuccedit. Qui Dominus Walramus Archiepiſcopus de Juliaco Pariſiis moritur anno Domini MCCCXLIX. & in Colonia in majori eccleſia ſepelitur.

Quinquageſimus ſextus, Dominus *Wilhelmus de Genepe*, Canonicus Colonienſis in Archiepiſcopum ſuccedit. Eodem tempore graviſſima incepit mortalitas. Tunc etiam ſecta Flagellatorum (die Geiſſelbröder) diſcurrit.

Explicit Catalogus Archiepiſcoporum Colonienſium.

HEN-

HENRICVS MEIBOMIVS Junior, L.

Succinctam hanc *Levoldi Northovii* narrationem pluribus illuſtrare poſſem, ſi luberet: verum pauca non ſufficiunt, multa autem congerere nec hujus loci, nec inſtituti noſtri eſt. Qui ante centum annos Catalogum Electorum Eccleſiaſticorum, & inter eos primo loco Colonienſium edidit *Petrus Merſſæus Cratepolius Minorita*, in non paucis à Levoldo noſtro diſcrepat, & non tantum alia nomina Archiepiſcoporum exhibet, ſed & alios alicubi interſerit, ut inter *Simoneum* & *Remedinum*, quendam *Carentinum*; inter *Heribertum* vero & *Hermannum*, interponit *Pilligrinum*. Pro *Salatio*, *Solinum*: pro *Adewico*, *Adelwinum*: pro *Reinfrido*, *Rangefridum*; pro *Hildegero*, *Hildebertum*: pro *Hagelbrido*, *Hagebaldum*, quem in Capitularibus Caroli M. & Ludovici Pii ab Anſegiſo & benedicto Levita collectis l.2. c.25. *Hadaboldum* vocari obſervo: pro *Wifrido*, *Witfridum*, qui Dithmaro Merſburgenſi l.2. Chron. p.20. *Wigfridus*: pro *Volckmaro*, *Folckmarum*, quem *Wolmerum* Dithmarus l.2.p.21. vocat: pro *Hildeboldo*, *Hildolphum* nominat *Merſſæus* in ſuo Catalogo. De quo etiam hoc noto, eum *Fridericum* Archiepiſcopum malè facere Daſſilienſem, cùm fuerit de Altena: uti quoq; *Adolphus*, quem Levoldus filium Brunonis facit, à Merſſæo male fra-

ter Brunonis vocatur, cum revera fuerit ex fratre nepos.

Nec præterire poſſum errorem, quo *Bruſchius, Merſſæus*, aliique, *Arnoldum*, ſecundum ejus nominis, qui ſub Conrado Imp. Cancellarium aulicum Imperialem egit, (uti ex variis ejus ſuperſtitibus diplomatibus, quæ ſubſcripſit, patet) è Comitibus de Altena oriundum ſcribunt, cum tamen *Lewoldus Northovius*, neq; in hoc Catalogo, neq; in Marcanis Originibus, quamvis diligentisſimè omnia ad illos Comites pertinentia inveſtigaverit, id non habeat, ut illos potius falli, non ſine cauſa ſuſpicer cum eruditisſimo *Bernhardo Mallincrotio* lib. de Archi-Cancell. & Cancell. S. Imp. Rom. Germ. p. 74. qui plurima ſphalmata in Hiſtoria Archiepiſcoporum Colonienſium reperiri ibidem ſcribit, & p. 77. contra Merſſæum de Anno Inthroniſationis Reinoldi Archiepiſcopi diſputat. Utinam vero Hiſtoria Archiepiſcoporum illorum Geleniana aliquando prodiret in lucem! cum reliqua illius Viri, quæ de magnitudine admiranda urbis Colonienſis, deque Archiepiſcopo Engelberto commentatus eſt, lectu non indigna ſint. Ego interim Catalogum Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, & Electorum Colonienſium, quem *Grombachius* S. J. in ſua *Urſula vindicata* t. 1. l. 1. c. 47. habet, adjicere volui, non quod illum erroribus carere exiſtimem, cum & Traditionibus ſuſpectis nitatur, & ipſe fateatur, ſe vero ſimilia proponere, & talia, à quibus ſibi liceat deinde diſcedere; ſed quòd defectum melioris ſupplere posſit.

1. S. Ma-

1. S. Maternus diſcipulus S. Petri cum 40. ſediſſet annis ſancte obiit circa annum 128. vel 130. 14. Septembr.
2. S. Paulinus Martyr diſcipulus S. Materni: qui videtur in perſecutione Antonini & Lucii Veri circa A. 170. capite malleo contrito triumphaſſe tunc, cum fidem Coloniæ Gentilibus prædicaret: hic alius eſt ab eo qui Conſtantinopoli fuit, ab iconoclaſtis pro fide multis ſeculis poſt trucidatus, & ut quidam putant, etiam tranſlatus Coloniam.
3. Anonymus primus: ad annum fere 200. pertigit; niſi quis hunc malit B. Marcellum nominare Tungrenſium item & Trevirenſium Epiſcopum, nam cum his Colonienſes eum colunt 4. Septemb. non tamen Navitum & Metropolum, quos cum ipſis communes non habuerunt.
4. B. Aquilinus, qui S. Urſulæ ſodalitatem hoſpitio recepit, & reducem è peregrinatione Romana Coloniæ Martyrio coronatam funeravit; deceſſit circa An. 238. teſte S. Eliſabetha c. 21. 29. Jan.
5. Anonymus ſecundus: ſediſſe videtur ad 280. usque. Commendantur à S. Eliſabetha undecim Clerici Colonienſes & in his S. Levvoldus ſubdiaconus repertus eſt, qui funerandis Virginibus operam ſuam impenderunt: horum è numero videtur aliquis ſuffectus Aquilino, ſi Levvoldum eum dicere velis, donec nomen ejus certius exploretur, per me licet.
6. Maternus ſecundus ſub Conſtantino Magno, is circa A. 313. Romano & A. 314. ſubſcripſit Concilio Arelatenſi. Hunc Bucherius cum aliis facit primum Archiepiſcopum Colonienſem, obiit circa A. 315.
7. Euphrata primo Orthodoxus ſubſcripſit Concilio Sardicenſi A. 347. ſequenti anno functus legatione ad Conſtantium Imperatorem: redux lapſus in hæreſin Arianam depoſitus eſt à Concilio Agrippinenſi circa An. 349. anno quarto poſt Conſulatum Albini & Amantii: ut recte primus obſervavit Bucherius.
8. S. Severinus circiter an. 53. præfuit: Burdegalæ mortuus circa a. 403. 23 Oct.
9. S. Evergiſſus Martyr ſub An. 440. 24. Octobr.
10. Solinus ſub Attila, cinxit agrum Urſulanum foſſa circa A. 473. ſeptennio fere poſt defunctus.
11. Simoneus ſub Clodoveo capta à Francis Colonia floruit ad An. usq; 520.
12. Domitianus A. 535. Avernenſi Synodo ſubſcripſit apud Sirmondum & Binium: pervenit ferè ad An. 560. Cognomines habuit plures in Galliis Epiſcopos coævos, hinc error natus, ut à quibusdam ei locus ſedis alterius in ſubſcriptione tribueretur.
13. Carentinus, cujus laudes Venantius celebrat: circa 580. exceſſit.
14. Ebregiſilus, cum eo S. Gregor. Turon. l. 10. c. 15. ſcribit ſe cognoviſſe cauſam Monaſterii Pictavienſis: attigit fere An. 600.
15. Remedius circa A. 620. deceſſiſſe videtur.

16. S. Cunibertus, ſub Dagoberto & Sigeberto, rexit annis 40. ſcripſit Urſulanam hiſtoriam: elevavit caput S. Urſulæ, eo ſuperſtite S. Viventia Pipini filia, S. Gertrudis ſoror tumulata in S. Urſulæ templo, ter ejecta ſublimius obtinuit marmoreum ibi mauſoleum. obiit 12. Nov.

17. Bocaldus ſub Clodoveo 2. & Theodorico ſedit ad An. circiter. 680.

18. Stephanus Theodorico Rege floruit A. 690. 12. Febr.

19. Aldevvinus: hujus in vita S. Sviberti mentio. An. 695.

20. Giſo ad annum 708. pervenit: ejus fere tempore Plectrudis Capitolinum Parrhenonem inchoavit & Urſulanis reliquiis exornavit.

21. Anno primus: meminit ejus Vita S. Suiberti 710. 24. Dec.

22. Pharamundus An. 714.

23. S. Agilolphus primus Martyr. occiſus 9. Jul. An. 716.

24. Raginfredus: A. 745.

25. S. Bonifacius biennio & paulo amplius Archiepiſcopus fuit Colonienſis ſed circa An. 747. factus eſt Moguntinenſis Epiſcopus.

26. Agilolphus ſecundus ſub Zacharia, quem aliqui primum Archiepiſcopum faciunt. An. 750.

27. S. Hildegerus Martyr teſte S. Ludgero: An. 755. aliis 757. aliis ad an. 762. perveniſſe videtur. 8. Aug.

28. Barthelinus. 765. aliis 772. 5. Febr.

29. Richolpus 787.

30. Hildeboldus ſanctitate clarus Carolo Magno à libellis circa an. 821. 3. Sept.

31. Hagebaldus, 851. vel Paulo citius.

32. Guntharius, Eccleſiæ S. Urſulæ lumen donavit perpetuum: an. 870. mortuus, Septennio ante depoſitus, vacante ſede.

33. Willibertus, conſecravit ſummum templum 890. 11. Sept.

34. Hermannus primus tranſtulit Geritzheimenſes Virgines ad S. Urſulam, quam egregia dote auxit, prima tunc loci antiſtita Langsvvinda fuit appellata 923. 11. April.

35. Wichfridus: multis incrementis auxit dotem ejuſdem Baſilicæ 953. 9. Jul.

36. S. Bruno I. Ottonis M. frater: eidem Legatum teſtamento reliquit 965. 11. Octobr.

37. Volmarus 972. 18. Julii.

38 S. Gero miraculis clarus 976. 28. Junii.

39 Warinus novalium decimas contulit Eccleſiæ 985. 21. Sept.

40. Evergerus; 997. 11. Junii.

41. S. Heribertus primus Elector S. Adelheidem ex Urſulana Canonica & præfecta Vilecenſis Monaſterii præfecit Capitolio: Reliquias XI. millium Virginum ſacello & altari S. Stephani intulit 1021. 16. Martii.

42. Pili-

42. Piligrimus auctor fuit Richezæ Reginæ Poloniæ, ut ſe Sanctis Virginibus mancipio conſecraret 1036. 25. Auguſti.

43. Hermannus ſecundus frater Richezæ ſubſcripſit donationi factæ eidem loco 1055. 11. Febr.

44. S. Anno ſecundus nocte frequentare ſolitus Baſilicam Sanctarum Virginum 1076. 4. Decembr.

45. Hildulphus 1079. 20. Julii.

46. Sigvinus: auxit novalium decimis eandem Eccleſiam 1089. 31. Maj.

47. Hermannus tertius 1099. 21. Novembr.

48. Fridericus I. S. Norbertum donavit Urſulanis reliquiis, jura defendit Eccleſiæ 1131. 25. Aug.

49. Bruno II. ex comitibus de Altena Conſecravit altare S. Cordulæ: familiaris SS. Bernardo & Norberto 1137. 29. Maji.

50. Hugo ex Comitibus Spanheimenſibus 1137. decem menſibus præfuit.

51. Arnoldus I. ex Comitibus Geldriæ 1151. 30. April.

52. Arnoldus II. ex Comitibus de Altena 1157. 14. Maji.

53. Fridericus II. 1159. 24. Sept.

54. Reinoldus ex Comitibus de Daſſele tranſtulit SS. Tres Reges Mediolano Coloniam, cum SS. Machabæis, obiit an. 1167. 14. Aug. ejus Soror Gepa antiſtita S. Urſulæ mirifice Collegium ornavit, auxit & dotavit.

55. Philippus ab Heinsberg Agrum Urſulanum incluſit mœnibus urbicis; varia donavit Eccleſiæ a. 1191. 13. Aug.

56. Bruno III. abiit Pontificatu, Monachum induit in Monte veteri, quo tranſtuliſſe videtur mille corpora Urſulana a. 1193. 23. April.

57. Adolphus depoſitus à ſede Apoſtolica an. 1205.

58. Bruno IV. de Seien. an. 1208. 2. Novembr.

59. Theodoricus an. 1214. depoſitus.

60. S. Engelbertus Martyr Comes de Monte an. 1225. 7. Nov. Choro auxit templum Machabæorum: ceſſit Hagenſes Cerocenſuales Collegio S. Urſulæ.

61. Henricus de Molenarck, componit litem inter Urſulanum Collegium & templum Magdalenæum, quod à SS. Machabæis nominavit an. 1237. 26. Mart.

62. Conradus ab Hoenſteden inchoavit ſtructuram ſummi templi, perfecit Eccleſiam S. Cuniberti, multa largitus eſt Urſulano Collegio an. 1261. pridie S. Michaelis 28. Sept.

63. Engelbertus II. a Falckenberg. ejus tempore S. Urſula cum ſodalibus Mauris & Thebæis Coloniam obſidione liberavit. An. 1272. 17. Nov.

64. Sifridus a Weſterburg ſub eo SS. Cordula, Odilia & aliæ Virgines ſæpius viſæ nomina cum ſepulcris indicarunt A. 1298. 25. Martii,

65. Wich-

65. Wichboldus ab Holten obiit 3. April. in vigilia Paſchæ A. 1303. vacavit ſedes fere per annum.
66. Henricus II. Comes a Virnenburg A. 1331. ſecundum Levvoldum circa Epiphaniam. Alii A. 1334. mortuum volunt: ego circa annum 1333. arbitror 7 Jan. ex ſucceſſoris tempore certiore.
67. Walramus Filius Comitis Juliacenſis A. 1349. 14. Aug.
68. Wilhelmus a Gennep A. 1362. 15. Sept. vacavit ſedes menſes 10. nam Joannem Virneburgium A. 1363. electum a laicis, ideoque ab Urbano 5. repudiatum, Epiſcopis non cenſeo adnumerandum.
69. Adolphus Comes a Marcka ex Monaſterienſi Adminiſtratore: poſtea ſe abdicavit A. 1364.
70. Engelbertus III. Comes a Marcka, Adolphi Patruus, ex Epiſcopo Leodienſi: A. 1368. 21. Aug.
71. Cuno a Falckenſtein Archiep. Trevirenſis adminiſtravit biennio ad A. 1370. donec Fridericum ſubſtituiſſet.
72. Fridericus a Sarvverden, Cunonis ex ſorore Nepos, Comes de Moërs rexit annis 44. A. 1414. 8. April.
73. Theodoricus Comes a Moërs 48. præfuit annis A. 1463. idibus Febr.
74. Rupertus filius Comitis Palatini & Ducis Bavariæ A. 1480. 16. Julii.
75. Hermannus IV. Landgravius Haſſiæ A. 1508. 20. Octobr.
76. Philippus II. Comes ab Oberſtein A. 1515. 3. Aug.
77. Hermannus V. Comes de Weda, exauctoratus & depoſitus ob hæreſin Lutheranam ceſſit A. 1547.
78. Adolphus Comes a Schavvenburg interfuit Concil. Trid. A. 1556. 20. ſept.
79. Antonius a Schavvenburg frater Adolphi A. 1558. 18. Junii.
80. Joannes Gebhardus Comes a Mansfeldt A. 1562. 2. Novembr.
81. Fridericus IV. Comes a Weda A. 1567. in Decemb. ultro ſe abdicat: obiit A. 1568.
82. Salentinus Comes ab Iſenburg A. 1577. reſignavit.
83. Gebhardus Truchſes Baro de Walpurg. ob hæreſin depoſitus A. 1583.
84. Erneſtus Bavariæ Dux A. 1612. 17. Febr. vel 17.
85. Ferdinandus Bavariæ Dux.
Epiſcopus 85. Archiepiſcop. ſecundum quoſdam 80. Elector 46. Inſtituit feſtum S. Urſulæ vacivum a laboribus.
86. Maximilianus Henricus Coadjutor Dux Bavariæ.

FINIS.

HEN-

HENRICI WOLTERI,
CANONICI S. ANSCHARII BREMENSIS,

ARCHIEPISCOPATUS BREMENSIS CHRONICON.

HENRICI WOLTERI

CHRONICA BREMENSIS.

QUoniam per ſucceſſionem ætatum & temporum legitimi actus hominum ſæpe cadunt in oblivionem, & ideo ratio ſuggerit, & utilitas expoſcit, ut ſuccurratur his ſalubri remedio ſcripturarum, ad longa tempora ſe protendentium: ut ſic occurratur notitiæ futurorum. Et cùm omne, quod in tempore agitur, mutabilitatem temporum imitetur, adhibenda eſt meritò diſcretio & cautela, ut per hoc, quod pium & memoria dignum agitur, oblivionis jacturâ præcluſâ, occurrat notitiæ poſterorum. Cæterum quia ea, quæ in tempore aguntur, de facili à memoriâ hominum dilabuntur, expedit, ut quæ ritè & laudabiliter geſta ſunt, in ſcripti ſeriem redigantur, ut fragilitati humanæ memoriæ conſulatur, ne ea, quæ geruntur apud homines in tempore, ſimul in oblivionem delabantur cum tempore, conſultum eſt Chronicam provinciæ & diœceſis Bremenſis, & vitam Pontificum, ſecundum ordinem, & ex diſpendioſis dictis & Chronicis antiquis in ſcripturarum compendium redigere, & perenni memoriæ commendare, poſtulans: inquam ego Henricus Wolteri, Canonicus Sancti Anſcharii Bremenſis, ut ſi quæ placita & memoriæ digna invenerint, Deo & Sanctis patribus noſtris grates referant, exhibeantque honorem: me autem hujus compendii collectorem orationibus ſuis caris ſibi habeant recommiſſum: quoniam ſic prudenter hujus vitæ curſus peragitur, cùm ſibi quis utiliter proſpicit in futurum de bonis ſibi collatis à Deo, & talento credito animæ ſuæ ſaluti duxerit providere. Ideoque ſanctiſſimi patris noſtri Willehadi & ſereniſſimi ortum Karoli Magni, primum duxi calamo exarare (quia per hos in has partes omnigenè catholica fides illuxit) vitam & vivendi modum ex authenticis ſcripturis colligendo. Et primò de regum omnium totius Europæ præpotentiſſimo Karolo M.

De S. Karolo & S. Willehado.

ANno Domini ſeptingenteſimo, octuageſimo octavo, Beatus Karolus, qui juxta numerum literarum alphabeti in Almaniæ partibus ad laudem omnipotentis Dei ejusque digniſſimæ genetricis ſolemnes fundavit eccleſias, huic Bremenſi de ſancto Willehado, digniſſimo Chriſti ſacerdote dignè providit. Nam biennio ante Verdenſem fundaverat eccleſiam, ubi præfecit Chriſti ſacerdotem Suibertum, quem à partibus accerſiri fecit Freſonum, de civitate Trajectenſi, quam paullo ante beato commiſit Wilibrodo. Nam idem Karolus Freſonibus quatuor præfecit Epiſcopos & quatuor Comites. Inter quos Antiſtes ſolus unus primò Bremenſis poſtea factus archiepiſcopus, Primas ſeptentrionis & legatus in Perſonâ ſanctiſſimi patris glorioſi Anſcharii. Nam quatuor Freſonibus ſpiritales judices deputati fuerunt, & ſunt Bremenſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis, Trajectenſis, Antiſtites. Quatuor verò ſunt judices ſeculares, ſcilicet Ruſtringiæ, qui nunc de Oldenborg vocabulum accepit, Tecklenborg, Bentheim, & Comes Hollandiæ. Si quid quæſtionis fuerit ortum in Friſiâ, omnes cauſſæ, tam in Spiritualibus, quàm ſecularibus referantur ad eos ſicut fecit Moiſes filiis Iſrael, quibus præfecit Hur & Aaron primò, & poſtea Caleb & Joſue, qui

Duces fuerunt populi. Nam Willehado commiſit Bremenſem, Wilhoni Oſnaburgenſem, Luidgero Monaſterienſem, Willibrordo Trajectenſem eccleſias dignè & laudabiliter gubernandas. Et diviſit in Friſia juriſdictiones, licet Bremenſis majorem haberet partem, puta Ruſtringiam, Wangriam, Oſtringiam, Nordendam, Harlingiam, Meraniam, & partes Auricæ.

Ortus Karoli M. talis fuit: Erat quidam Pipinus rex non habens uxorem, valde luxurioſus. Conſultum eſt ſibi, ut duceret uxorem, ne deficeret regnum ſine herede: annuit conſilio quærens comparem matrimonio. Fama percrebuit de filiâ regis Theodorici, qui fuit rex Suaviæ, Bavariæ & Auſtriæ. Illuc mittuntur legati, cujus Conſenſu regio fiunt ſponſiones pro legitimo matrimonio & gaviſus confecit. Legatis venientibus ad Pipinum, iterum tres natu majores remiſit cum regio apparatu, ut conſcriptis dotalitiis regis filia regi adducatur in Connubium. Dum igitur iſti conſiliarii regis ambaſiatores eſſent in viâ, mutuo loquebantur de interfectione filiæ regis Theodorici, & ut filia unius iſtorum ex ſorte quæſita regi copuletur, quaſi ſit illa, pro quâ miſſi forent. Dicebant igitur: ignorat rex, quæ ſit Theodorici, quæ noſtra: & habebit unam ſicut aliam, & ſic in regno habebimus heredem de ſtirpe noſtrâ, & placuit ſermo omnibus. Et tandem venerunt ad regem Theodoricum, ut eis daretur & exhiberetur puella regis filia cum apparatu & multis comitibus & puellis. Dixerunt tandem nuncii ad regem: non eſt neceſſe, ut aliqui de familiâ veſtrâ nobiſcum vadant, habemus enim familiam ſufficientem: tantum autem nobis tradatur puella iſtâ vice: ſed cum tempus nuptiarum erit, ſignificabimus vobis, & tunc venietis. Rex conſentit, & puella eis ſola traditur. Cùm autem eſſent in viâ, venientes juxta quoddam nemus, ubi nunc eſt civitas, quæ dicitur Karlſtat, dicebant ad invicem: nunc eſt tempus, ut interficiamus puellam. Et duxerunt eam longius à viâ ad interiora ſilvæ, ut interficerent eam. Dicebat alter: abſit, ut puellam noſtræ fidei commiſſam interficiamus. Duo ex eis conſtanter ſteterunt in necem virginis, ſed tertius dixit: quiſquis eam interficiet, hodie me cum illâ interficiet, & ſtatim eam inter crura ſua ſuſcepit, & gladio evaginato eam defendit. Illi videntes conſtantiam illius & timentes eum interficere, eo quod ita nobilis & potens erat, ſicut aliquis ipſorum, & ſi interficerent eum, oporteret eos eſſe exſules, cogitabant eam ſolam in ſilvam relinquere, certi quod nunquam poſſet de ſilva exire, & quòd etiam facilè moreretur, vel à feris devoraretur: & ſic de habito conſilio ſola relinquitur. Illa ſicut parvula vix XII. annorum, flens, ejulans, & orans, neſcit quid faciat. Cùm autem eſſet circà ſolis occaſum audivit longè à ſe ſonitum, quaſi ſecantis ligna, & æſtimans aliquem hominem ibi eſſe, declinat illuc, & cernens virum, ſedit flens prope eum: qui cùm vidiſſet puellam nobiliſſimis ornatam veſtibus, mirabatur valde: & quæſivit ab eâ, quæ eſſet, & unde veniſſet. Illa tacuit, quia intellexit minimè quid loqueretur. Dùm autem vir ille ceſſaſſet ab opere, & iret ad hoſpitium ſuum puella ſequebatur & intravit ſecum. Ille molendinarius hoc videns recepit eam, & valde caritativè pertractat eam, adjungens eam filiæ ſuæ, quæ ejusdem fere erat ætatis, tam in lecto, quam in menſâ, & quaſi filiam dilexit in omnibus: illa tamen ut ancillam ſe exhibuit. Illo etenim tempore de ſcrinio ſuo, quod circa ſe habuit, aliqua rara clenodia edidit de ſerico, & ad vendendum ad civitatem miſit, & in hujusmodi filiam villici edocuit, unde ſe humiliter nutrivit, & precium expenſarum ſoluit. Interim de filiabus una conſiliariorum regi copulatur, ac ſi ſit filia regis Theodorici, unde rex genuit filios & filias. Poſtea accidit ut Pipinus circa partes illas venaretur, ubi idem molendinarius reſedit. Cùm verò rex deviaſſet à ſuis & ſolus eſſet, caſu circa noctem ad domum illius venit, & petiit hoſpitium: qui receptus eſt, diſſimulans ſe eſſe regem. Et cùm intraſſet, puella illa ſolvit calcaria, ligat equum, lavat ocreas, mundat etiam & pedes regis: cepit gladium & ſervavit: coxit etiam panem ſubcinericium & ad menſam ei ſervivit & lectum ſtravit. Poſtremò ipſe rex quæſivit à molendinario, an iſtæ duæ puellæ eſſent filiæ ejus? reſpondit ita. Et rex, da mihi in hac nocte unam ex eis, quia homo præpotens ſum, te & ipſas ditare poſſum: hoc audiens ille, regis Theodorici filiam ſperans ditari ſibi tradidit in lectum. Illa tamen gemens & anxia de concubitu flevit amarè, quam rex multis blanditiis conſolatur, ſed non recepit conſolationem. Puella ipſa nocte concepit à rege. Manè autem rex ait molendinario, ut curam gerat

 illius

illius & nullum ſentiat defectum, & dedit ei pecuniam, quam tunc habuit. Addidit etiam rex: Quòd ſi pareret puellam, ipſe veniret cum fuſo & colo: ſi verò maſculum cum arcu & ſagittâ. Annuit pauper & Rex regreditur ad fines ſuos. Et tempore partus completo ſedit rex cùm conjuge ſuâ in menſâ & ruſticus venit cum arcu & ſagittâ: Scyphum in menſâ coram reginâ & fudit ſuper veſtes ejus. Unde ipſa indignata ait: Amovete iſtum Karl, nunquam formoſus * eſt. Imperator intelligens quid faceret ruſticus, ait: Karolus vocabitur. Et juſſit miniſtris, ut ruſticum ſecum locarent, & bene tractarent, & poſt menſam locutus eſt ſecum & recognovit, quòd pulcriorem puerum, quàm unquam homo vidit, puella ediderit, & gaviſus eſt rex, & dedit ei pecuniam: addidit, quòd filium nominaret Karolum, & quam citò loqui poſſet, adduceret ei. Et mirabatur uxor & milites, quòd rex ſolus loqueretur cum ruſtico. Cùm autem puer creviſſet & ambulare poſſet, molendinarius emit ei veſtes & produxit in curiam: & rex adjunxit eum filiis ſuis, quaſi ejuſdem ſtaturæ & ætatis, & educari fecit, ut filios ſuos legitimos: Quod odio habuit regina: unde accidit, quòd filii eum tanquam illegitimum ſpernentes graviter percuſſerunt: ſed Karolus repercuſſit & non ſuſtinuit ipſorum inſolentiam, quia repræſentabat in omnibus æque nobilem proſapiam. Et tempore procedente fortior illis factus & procerior, & inde factus regi carior, confratribus vindictam fecit. Quod mater videns & dolens filios legitimos ſuperari à Karolo, dixit regi, non poſſum ſufferre, quòd adulterinus ſuperet legitimos, ſed adhibebo medelam, quia faciam eum alibi nutriri. Rex autem à muliere victus miſit Karolum ad curiam regis Theodorici, rogans ut enutriat amore ejus filium iſtum Karolum de latere procreatum: Quod & ipſe gaudens fecit. Karolus autem & ætate profecit ac animi virtute: & ſæpe intravit ad molendinarium viſitare matrem ſuam, & quoties reſpexit eundem flevit amare nec cauſſam filio quærenti indicat. Rex autem Theodoricus propter affectum, quem ad Pipinum habuit, voluit eum militem facere, ſed ipſe noluit ab alio niſi à patre. Contigit poſtea, ut Karolus iret viſitare matrem ſuam, & dum reſpiceret, cum fleret amare, ut ſemper conſueverat, ille quæſivit cauſſam fletus: ſed ipſa noluit indicare: tandem vix precibus & minis obtinuit, & mater cum multo fletu & gemitu dixit: Ego ſum filia regis Theodorici deſponſata Pipino: & per ordinem dixit, quomodò illi tres conſiliarii cum eâ rem geſſiſſent per omnia enarravit. Ille conſolatus eſt matrem ſuam dicens, quòd res bonam obtinerent finem, & ſtatim perrexit ad curiam regis Theodorici, & dixit reginæ, quòd filia ſua uxor regis Pipini graviter infirmaretur, & quòd ſtatim veniat, ſi velit eam videre vivam. Illa mox cum apparatu equitum & curruum vadit ad curiam regis. Et dum aulam ingreditur, aſſurgit ei regina ignorans, quòd ipſa ſit uxor regis Theodorici, & neſciens ad quid venerit. Regina verò videns, quòd ipſa Domina non ſit filia ſua, amens corruit in terram, & quaſi ſpiritum exhalavit, quam famuli levantes vix refecerunt. Cùm autem modicum convaluiſſet, dixit à Syncope, heu, heu, Rex, ubi eſt filia mea, quam vobis miſi & deſponſavi? Interea Karolus habuit ibi matrem ſuam aſportatam, & hanc oſtendit reginæ dicens, quòd eam reſpiceret, ſi aliquo modo agnoſceret. Et ipſa ſtatim eam cognoſcens dixit: hæc eſt filia mea: & fama innotuit regi Pipino. Et Karolus recitavit patri regi totique curiæ, quid factum ſit de matre ſuâ. Unde omnes conſenſerunt, quòd morti traderetur adultera cum filiis ſuis, & etiam illi, qui conſilium dederant: ſed mater Karoli ſupplicavit pro milite, qui eam defenſaverat, ut non interficeretur ab aliis. Ipſâ autem nocte accepit rex matrem Karoli in uxorem, & Karolum ſtatim fecit militem & regem Franciæ, & fecit nuptias in gloriâ & ſolemnitate, ſicut decet regem. Hic Karolus multa fecit bella: noviſſimè cum Danis, Saxonibus, Ungariis & Hiſpanis bellum habuiſſe dicitur.

* fructuoſus

Fundata ergo Bremenſi eccleſia à beato Karolo Magno, Chriſtianiſſimo rege Francorum & Imperatore Romanorum, anno ut ſupra Indictione XII. XXI. anno regni Karoli, qui Saxonum gentem ferro perdomitam duxit ad fidem: nam XXXIII. annis cum Saxonibus bellum geſſit: in quibus XXXIII. annis in diœceſi Bremenſi demoratus eſt Beatus Willehadus ſacerdos, vocatus tamen Epiſcopus. Nam ſecutus fuit devotiſſimum virum Dei Bonifacium de Angliâ, qui & fuit monachus ordinis S. Benedicti de eodem regno, &, ut dicitur, cognatus S. Willehadi, qui tunc proximè ante aduentum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tum ejus ad Friſiam cum ſancto Silalio & Adelario Epiſcopis ibidem in Friſiâ puta in pago Dokinkerka intronisaverunt: licet modicum antea à Sergio Papâ archiepiſcopus factus ſit Moguntinus, qui & Haſſiam, Turingiam, Suaviam, Franciam & multam partem Saxoniæ verbo Dei convertit ad fidem & ſacro baptiſmate purificavit. Hic & Friſonibus primò verbum Dei ſeminavit. Cujus veſtigia paſtor noſter Willehadus ſectatus in Friſiam venit & multa inibi exercuit pietatis opera (de quibus beatus Anſcharius in lib. de miraculis ejus & vita) ac poſteris magnalia reliquit. Refertur namque, quòd ad petitionem Karoli M. regis Francorum ad Friſiam venerit Bonifacius primò & factus archiepiſcopus: accerſivit idem multos literatos viros & dehinc Willehadum. Et ille fuit primus, qui Saxonum gentem verſus ſeptentrionem & mare & Nordalbingos baptiſavit & in fide inſtruxit. Hic multa millia Saxonum ad fidem convertit. Hic etiam veniens de regno Angliæ ex Northumbris deſiderans martyrium ſicut quartus poſt eum beatus Dei confeſſor S. Anſcharius in ſcriptis poſteris reliquit in hujus rei monumentum quod hic habere volo pro inſertis. Et poſtea factus Epiſcopus rexit eccleſiam duobus annis, tribus menſibus & XX. diebus. Et prius præſuit prædicando ut ſacerdos, vocatus tamen, ut diximus, Epiſcopus XXXV. annis poſt martyrium S. Bonifacii Epiſcopi, qui in Dockum martyriſatus linguâ capitis amputatâ ſonuit Chriſtum, & ibi fluxerunt de terrâ fontes, unde ſanantur ægroti à febribus & aliis infirmitatibus, plenus dierum & grandævus. Et beatus Willehadus moritur in Blexem in Ruſtria & corpus ejus delatum eſt ad eccleſiam Bremenſem per Weſeram non ad ejus capellam ſed ſancti Petri eccleſiam majorem, quam ipſe cum Karolo conſtruxerat & vocatur templum miræ pulcritudinis, & ibi eſt ſepultus primò. Sed ſucceſſor ejus ſanctus, licet non canoniſatus, Willericus, ſuſtulit corpus ejus à majori eccleſiâ, & ad pauxillum oratorium, quod fundavit ad Auſtrum, propter ferocitatem piratarum & barbarorum ac Regis Angliæ, qui audiens ejus mirabilia corpus ejus rapere nitebatur, ſepelivit. Sic quoque ſuccedentibus miraculis oratorium egregium deſuper ædificatum eſt. Nam & ſanctus Karolus corpora diverſa diverſis tribuit eccleſiis. Et cùm corpus S. Alexandri portaretur in Wildeshuſen per Weſtvaliam cœcus quidam mendicus meritis ſancti Alexandri in Wildeshuſen unum oculum recepit & monitu illius S. martyris juſſus venire Bremam ſecundum meruit recipere, ut ſcribit de eo beatus Anſcharius. Niſi enim ibi corpus beati viri abſconditum fuiſſet, propter maxima opera Chriſti noſter ſecundum procul dubio delatus fuiſſet. In iſto loco quievit corpus ejus LXX. annis, usque ad tempora S. Anſcharii quarti ſucceſſoris ejus, qui conceſſu Apoſtolicæ ſedis ſanctum Dei fecit canoniſari & in catalogo ſanctorum aſcribi, ac conſtituit diem ejus celebrem tam in choro, quam in foro per provinciam ſuam. Sed & juſſu regis Ludovici Imperatoris in aliis diœceſibus, puta Verdenſi & cæteris ſub feſto recepta eſt. Et dies obitus ejus VI. Idus Novembris ipſo die quatuor coronatorum: ſed ordinationis ejus eſt tertio Idus Julii: de quo nota verſus:

Anglia quem genuit Wilehadum Brema recepit
De Karoli manibus caſtrum tenet hoc Wilehadus.

Et Cæſar dedit ei privilegia tàm pro eccleſia quàm pro loco, quem libertavit ad preces ipſius ſancti Willehadi & literis regiâ bulla clauſis & ſignatis munivit.

Privilegium S. Karoli ſuper fundatione eccleſiæ ſic incipit. Karolus divinâ providentiâ & miſeratione ordinante Rex. Cum Domini noſtri JEſu Chriſti virtute favente bellorum victoriâ nuper potiti fuerimus, gratiarum in immenſum actione in ipſo & non in nobis gloriamur & pacem in provinciâ & proſperitatem, in futuro autem pro meritis nobis donari ſupernæ mercedis perpetuitatem non diffidimus. Quapropter ſit notum omnibus Chriſti fidelibus in Chriſto quòd Saxones, qui hactenus Deo & nobis ob ſuæ pertinaciam perfidiæ ſemper cervice indomabili & rebelles obſecundare detrectaverunt. Nos tandem virtute Chriſti propitiante bellorum inſtantiâ vicimus & ad baptiſmi gratiam perduximus, & gentes, quæ dominum gloriæ non noverunt, & regna quæ Dominum nondum invocaverunt, in lege Domini meditari die ac nocte adjudicavimus, & qui huc usque jugum Chriſti ferre minimè contendebant, Domino noſtro JEſu Chriſto & ſacerdotibus ejus omni jumentorum ſuorum & fructuum terræ

& omnis

& omnis agriculturæ decimas ac nutrituræ ſimul in unum divites & pauperes ſecundum Canonicam aſſertionem & legalem cautionem conſtricti de cæturo perſolvant. Terram autem ipſorum ſecundum antiquorum Romanorum morem in provincias redigentes & in Epiſcopatus certo termino diſterminantes, quandam aquilonarem illius partem Domino noſtro JEſu Chriſto & ſanctiſſimæ ejus genetrici obtulimus, & in loco Phardum vocato, ſuper Alleram fluvium, in pago, qui dicitur Sturmi, eccleſiam & cathedram Epiſcopalem ſtatuimus & Maguntinenſis eccleſiæ Archiepiſcopatui interventu Lullonis illius metropolis eccleſiæ Epiſcopi eam ſubjecimus. Aliam verò in loco, qui Brema dicitur ſuper Weſſeram fluvium etiam nobiliorem cathedram ſtatuimus Epiſcopalem & Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopatui ſubdidimus & ad ſtructuram ejus ducentos manſos & quicquid ad eos purè, legitimè & de jure pertinere videtur cum domibus, ædificiis, campis, pratis, ſilvis cultis & incultis, aquis aquarumve decurſibus, viis & inviis, exitibus & regreſſibus obtulimus. Locum verò eccleſiæ conſtitutæ in monte martyrum cum omnibus attinentiis & totum pagum ſeu ſuburbium locique proprietatem ex integro damus ſupra & infra uſque in Aleram & infra mare barbarum: rurſusque hujus diœceſis incolas divites ac pauperes decimas eiſdem eccleſiis earumque diſpenſatoribus perſolvere noſtræ regiæ majeſtatis præcepto firmiter jubemus & jubendo præcipimus & legali ſanctione confirmamus & conſenſum Papæ Adriani & poſtea Leonis Papæ, nec non Archiepiſcoporum Maguntinenſis & Colonienſis, de conſilio alioqui noſtri confeſſoris; ſupra memoratas eccleſias cum omnibus appendiciis & decimis SS. Mariæ & Sancto Petro, Guiberto unam & Willehado alteram ſanctæ converſationis viris & immortalis memoriæ coram Deo & apud homines commiſimus. Quos quidem in agro Dei dignè laborantes primum eiſdem eccleſiis bonos milites JEſu Chriſti præfecimus, ut populo adhuc rudi verbi Dei ſemina meſſem deinceps latura ſecundum diſpenſatam ſibi ſapientiam tanquam fideles ſervi & prudentes in domo Domini adminiſtrent & eccleſiam regant & plantent & ope defendant donec optimus Deus incrementum det, &c.

Unus verò Korn[illegible]karius Epiſcopus ſtatim à diœceſi repulſus cum uxore Pipini in caſtro Keiſerswerde reſedit: ſecundus verò in Wigmodia & Friſia ac Saxonia perpeſſus martyriſatus & quamplurimi de ſuis martyrium exſpectarunt.

Hildeboldus autem tunc Archiepiſcopus Colonienſis ejus cooperator effectus adfuit Wormatiæ cum Lullone Maguntinenſi, quando pater noſter fuit ordinatus Wigmodiorum Epiſcopus, Leringorum, Ruſtringorum, Wangriorum, Aſtringiorum &c. Amelharus etiam adfuit Trevirenſis. Eodem tempore beatus Ægidius abbas per partes Italiæ venit in civitatem Arligens, ibi liberavit quendam à dæmonio. Ideo Karolus eundem exorari fecit, & magnâ reverentiâ tenuit: cui etiam ſe in oratione commiſit: qui & unum grande peccatum fecit, quod non audebat confiteri. Beatus igitur Ægidius in canone Miſſæ orans pro rege miſſam recepit à Deo per angelum cartam habentem peccatum regis, quod poſtea deletum eſt. Et inde Karolus promeruit ſanitatem & Dei miſericordiam: & fuit peccatum illud Sodomiticum, quod Deus precibus beati Ægidii ſibi indulſit.

WILLERICUS ſecundus fuit poſt Willehadum & diſcipulus ejus ac Canonicus in Eccleſiâ Bremenſi, Vir clarus & literatus, moribus ſanctis & bonâ famâ & fortis Chriſti miles. Cui Karolus dedit regalia, & Leo Papa confirmationem conſenſu Hildeboldi Archiepiſcopi Colonienſis & rexit Eccleſiam L. annis. Ejus tempore XII. annis vix paſſi ſunt Saxones regi ab Epiſcopis, & maximè Nordalbingii. Et ideo [illegible]us Imperator X. millia hominum cum parvulis & mulieribus ab utraque parte Albiæ traduxit in Franciam. Nam Saxones XXXIII. annis fatigati bellis vix ſubjici nitebantur ſacerdotibus Chriſti, niſi lucidò coacti: de quo bello Francorum dilucide habet hiſtoria. Hoc in tempore Karolus pergit in Slavos, qui dicuntur Wilri & vi[illegible] in brevi potitus conſtrui fecit Eccleſiam Hamburgenſem pro Danis & Slavis & Nordalbingis, ut & ipſi doceri poſſent in fide Chriſti: ſed occupatio regni impedimentum, quòd non factus fuit in tam citò Epiſcopus: ſed Eccleſiam conſtructam co[illegible] duobus Epiſcopis puta Willerico Bremenſi & Helingando Verdenſi. Nam Karolus M. interim præpeditus duobus annis poſt intravit cum exercitu inſtructo regnum Ungarorum & vaſtavit illud. Et priùs Anno Domini DCCLXXVII. Karolus

rolus Hiſpaniam intravit & Hiſpanos devicit, ubi Rolandus major domus & Dux Vinulorum, id eſt, Bavariæ proditione Gomelionis Comitis interfectus eſt miſerè. Princeps verò Wandalorum, id eſt, Slavorum prope Hamborg nondum renatus baptiſmate infeſtat Eccleſiam.

Item Anno DCCLXXVIII. Karolus in Saxoniam redit & Saxonia capta eſt ſecundò: ſed priùs converſa fuit per eum gladio victa, Anno DCCXXVI. Et tunc obiit Godefridus rex Daniæ cum quo tempore Adriani Papæ apud Danos Karolus bellum grande & durum fecit, & ſucceſſor ejus Hommingus ſe Karolo ſubdidit qui reſignat ipſam partem regni prope Albiam ab hinc usque in Oderam fluvium, quem accepit pro termino regni ſui, ut fundaret Eccleſiæ Archiepiſcopatum Eccleſiæ Hamburgenſis pro toto Septentrione. Anno autem XXV. Epiſcopi Willerici mortuus eſt Karolus M. Anno videlicet Domini DCCCXIIII. & ſucceſſit ei in regno Ludevicus filius ejus, tempore Leonis PP. quem Romani amputatâ linguâ & erutis oculis expulere, cujus inſolentias Anno DCCXCIX. factas ſtatim poſt Karolus cum Friſonibus & primoribus aliis regni ſui ſatis aſperè vindicaverat. Poſt mortem Karoli Ludevicus Imp. cujus voluntate fit commiſſio provinciæ Willerico & Heligando Epiſcopis, donec aliter diſponitur. Nam XXXIII. Anno Willerici Epiſcopi fundat Ludevicus monaſterium novæ Corbejæ in Saxonia de antiquâ Franciâ & miſſum eſt ei corpus S. Viti martyris cum quo de regno Franciæ venit regnum Romanorum cum auctoritate electionis ad Saxones quaſi jure hereditario. Et dictus Imperat r congregat ibi religioſos ordinis S. Benedicti regulam ſectantes, ab antiquâ Corbejâ inter quos erat B. Anſcharius, licet adhuc valde juvenis.

Iſte Willericus fundavit antea capellam S. Willehadi in Bremâ & alia oratoria in circuitu diœceſis & fuit caſtus & pudicus, ſobrius & clarus ſicut pater & prædeceſſor ejus & vocatur à poſteris etiam ſanctus, licet non ſit canoniſatus. Ipſe etiam prædicavit populo ſuæ diœceſis verbum Dei. Congregavit etiam clerum in Eccleſiam ſuam & acquiſivit prædia multa ſibi & ſuis pro ſufficientiâ victus & veſtitus. Quodam enim tempore profectus cum Ludevico Imp. in Franciam obtinuit ſancti Materniani Epiſcopi corpus precatu Cæſaris ab Ebone Archiepiſcopo Remorum, & traduxit in Eccleſiam ſuam conſentiente Papâ Leone.

Eodem tempore Raginfridus & Herioldus vel Aroldus fecerunt fœdus cum Cæſare: poſtea verò cum idem VVillericus Eccleſiæ Bremenſi L. annis laudabiliter præfuiſſet plenus dierum moritur in Bremâ & in medio Eccleſiæ tunc exſiſtentis ſepelitur.

Illo tempore Rudolfus Dux Burgundiæ habens ſub ſe quaſi Italiam vocatus Rex, habuit lanceam Domini quam tenuit Conſtantinus Helenæ Filius, cum quâ mira fecit & victus tradidit Cæſari. Tunc Aroldus rex Danorum à filiis Godefridi à regno pulſus ivit ad Cæſarem Ludevicum pro adjutorio Maguntiam & Baptiſatus cum fratre Horico & magnâ Danorum multitudine. Et tunc aſtitit ſibi Anſcharius, qui eum in fide inſtruxit, & verbum vitæ tribus regnis docuit, & poſtea ad fidem convertit.

LUDERICUS tertius fuit Epiſcopus Bremenſis & præfuit IIX. annis. Refert ſcriptura eum fuiſſe arrogantem: & in tertio ejus anno obiit Cæſar Ludevicus. Sunt qui ſcribunt eum fuiſſe ſuperbum, id venit ex eo, quod quodam tempore B. Anſcharium Danis tunc ut Sacerdotem prædicantem & aliis regnis ſemel venientem ad ſe in Bremam deſpexit & à ſe expulit & à civitate ſuâ, & non ex demeritis: ſed quia audivit nimiam claram famam ſuam & doctrinam atque miracula ejus, & ideo deſpexit illum, quaſi ſibi diſſimilem. Cum proborum & improborum nulla ſit [illegible]cordia juxta illud Boëthii. Itaque nihil eſt quod admireris, ſi in hac vitâ ſancti [illegible] circumfluis agitentur procellis, quibus propoſitum eſt peſſimos deſpicere. E[illegible]: Eſt laus ſumma bonos deſpici à malis. Et ideo quia multa clara & laudabilia de ſancto Anſchario audivit, quæ in ſe non habuit, timens ne ſanctis ſermonibus ejus, quibus tanta regna auſus eſt allicere, alliceret & diœceſin ſuam, eundem pati non potuit ſed deſpexit & amovit.

Poſt hæc moritur Ludericus idem Epiſcopus & in Eccleſiâ S. Petri Bremæ ſepelitur IX. Kal. Septembr. Et tunc vacat Eccleſia Bremenſis multis annis abſque Epiſcopo:

ſcopo: quia multi cum B. Anſchario pro unione Eccleſiarum Bremenſis & Hamburgenſis coram rege & Papâ in legatione ad gentes conſilia habuerunt, ne periret eadem legatio piè concepta. Nam Hamburgenſes ex vicinitate barbarorum luporum patent aggreſſibus: cumque Archiepiſcopus locum ſubſiſtendi ibidem non haberet, B. Anſcharius, qui ibidem à Ludevico in Archiepiſcopum Septentrionis promotus, à Gregorio II. confirmatus accepto pallio conſecratus eſt Archiepiſcopus. Nam tempore Eugenii primi prædicavit & conſilium de ſe procurante rege & imperatore fuit: ſed Gregorius ſecundus illi pallium dedit. Nicolaus vero II. Eccleſias Bremenſem & Hamburgenſem univit. Inter hæc omnia vacat ſedes Bremenſis, donec hæc omnia completa fuere. Verſus.

Hic Ludericus vir gratus & ipſe pudicus
Sed gnarus & ſanctus fuit ipſe per omnia tantus.

ANSCHARIUS quartus Epiſcopus promovente Ludevico Cæſare Hamburgenſem regere cœpit Eccleſiam conſtitutus legatus natus cum ſuis ſucceſſoribus in tribus regnis & inſulis totius Septentrionis & orientis. Qui prius fuit XVI. Archiepiſcopus Hamburgenſis Eccleſiæ & primas in finibus omnibus, conſecratus à Gregorio ſecundo, qui ei pallium dedit: poſtea verò XVIII. annos præfuit ſimul Eccleſiis Hamburgenſi & Bremenſi factâ conjunctione in Concilio generali, per Nicolaum Papam primum. Cujus vitam deſcripſit diſcipulus ejus beatus Rembertus fideliſſimè: Et de eo ſunt quædam metra reciproca à quodam Eccleſiæ Canonico dilucidè facta, continentia ſeriem totam vitæ ejus. Ædificavit Eccleſiam Sleſvicenſem, Ripenſem, Revelenſem, Upſalienſem, Lundenſem, Roſchildenſem in tribus regnis: & convertit Danos, Sveones, & Norwegenſes, Iſlandiam, Gronlandiam, & Scritofiniam, Slaviam, Stormariam & omnem generaliter Nordalbingiam; baptiſavit & convertit reges multos in iſtis regnis. Item ædificavit Eccleſiam conventualem in Rameslo mirificè ut ejus tenet hiſtoria: poſtea clauſtrum monialium in Berſen ordinis S. Benedicti, cujus ipſe olim erat monachus & monachicum geſtabat habitum & totam regulam adimplevit. Hic poſt ordinationem ſuam meruit accipere precatu regis à venerabili Ebone Remenſi Epiſcopo corpora SS. Sixti & Sinicii, & beati Sixti caput ſemper in collo geſtavit quando fuit in legatione ad gentes: & ideo in collo ejus ante pectus ejus caput S. Sixti depingitur. Poſt hoc hoſpitale conſtruxit in Bremâ ſufficientibus redditibus: poſtea tamen temporibus ſucceſſorum ſuorum diruitur. Pro monaſterio S. Paulli dotando & erigendo in emendam decollationis Trutberti Comitis Stotelenſis, poſtea idem pius pater Anſcharius **** ſui pro officio pulſus campanarum in decorem feſtorum: & fieri fecit ſeptem campanas pro diſtinctione ſolemnitatum Eccleſiæ ſuæ. Et fecit præbendas XII. pauperum ſacerdotum, quorum præbendæ poſtea tamen creverunt, quòd poſtea per Hardewicum ſecundum in collegiatam eccleſiam Bremenſem recipere meruerunt: & alia multa fecit, quæ nec lingua ſufficit exprimere, nec calamus exarare. Hic fecit canoniſari B. Willehadum, cujus vitam claro ſtylo conſcripſit, & miracula annotavit, quorum codices adhuc habentur in Bremâ. Similiter qui multa decupierit videre recurrat ad Papalia privilegia Gregorii II. & Eugenii I. & Nicolai I. ac ad gratioſas regum & Impp. literas. Sedit autem B. Anſcharius XXXIV. annis omni virtute politus, ſcientia ornatus, viſionibus cœlicis præditus, miraculorum operatione præclarus & poſt mira ſanctitatis opera, cum optimus Deus eum vocare vellet de hoc ſeculo dyſenteriâ correptus interiit & ſepultus eſt in Eccleſiâ majori in Bremâ ante altare Mariæ virginis ſequenti die Purificationis, & poſt per B. Reimbertum admittente Dn. Apoſtolico elevatus & in catalogo ſanctorum aſcriptus, ſequenti die nativitatis S. Mariæ: de quo tractatus nobilis cujus initium: *Invictiſſimo creatori* &c. apud nos dicitur continere, ſed valde rarus ſit. Verum diverſa ſcribuntur mirabilia, quæ ipſo die elevationis facta fuere: de quibus hic ſuperſedeo. Hunc Papa ſanctiſſimus Nicolaus canoniſavit, præſente Luderico & multorum Epiſcoporum Synodo non modico habito conſilio. Inde in Francia, ſcilicet Remis ejus feſta depoſitionis & elevationis celebrantur diebus uti ſupra, & per tria regna, Anno DCCC. LXV.

REIMBERTUS Archiepiſcopus V. etiam Sanctus, ipſo depoſitionis S. Anſcharii in Archiepiſcopum eſt electus, quod Spiritu Prophetico B. Anſcharius ſibi in Turholt

Digitized by Google

holt Franciæ conſtituit & monachum fecit & ibidem in cellâ in monaſterio Turholt literis inſtrui fecit, & Spiritu cognovit ſuum fore ſucceſſorem. Qui omni ſanctitate, etiam ut pater ejus repletus Spiritu ſancto plus edoctus in brevi profecit & tam humanis quam divinis ſcientiis claruit & vicarius ſancti Petri, ac patris Anſcharii cooperator fuit. Ejus vitam Adalgarius ejus ſucceſſor claro ſtylo ſcripſit. Hic Corbejæ profeſſus obedientiam fecit volente Anſchario & ſic duo lumina Anſcharius & Rembertus totum ordinem illuminaverunt. Nam abbas Corbejenſis dedit B. Remberto ſocium videl. Adalgarium ut in regulâ S. Benedicti & vitâ eundem legitimè informaret, & Comes peregrinationis ejus fieret. Qui etiam ſucceſſor ejus, ut poſtea dicam, factus cœleſtem ut creditur promeruit vitam. Hic baculum accepit à Ludevico Cæſare: pallium à Nicolao PP. I. conſecratus à Moguntino Archiepiſcopo & claruit ſignis & virtutibus in legatione ad gentes, dæmones ab obſeſſis corporibus pellendo, tempeſtates amovendo, cœcos illuminando & leproſos mundando. Unde de eo Adalgarius in hiſtoriâ dicit metricè:

Bremenſis civis languens, ſed & advena quivis,
*Aſſequitur plenamque **** iſte medelam.*
Dat claudis greſſum, ſalvat quoque Dæmone preſſum,
Dum mare perſulcans prece placans æquoris undas
Captum ſolvit equo reddit ſua lumina cœco.

Unde legitur, quod nec cathenæ ſibi reſtiterunt, ſed ad ejus imperium & orationem diruptæ ſunt, ut eſt de moniali in ejus vitâ: item tempeſtates maris ſedavit, ut legitur in legendâ. Poſt mortem verò Ludovici Cæſaris temporibus ejus gentes barbarorum cum Duce Normannorum vaſtant totam Saxoniam & Weſtvaliam & omnes partes Rheni uſque in Friſiam, ubi omnes orante S. Reimberto elevâtis manibus ſunt devicti. Quorum Dux & princeps erat Ortwich, & meritis S. Reimberti unâ horâ de barbaris proſtrati fuere X. millia armatorum, CCCLXXVII. gentilium & barbarorum in uno loco: alii autem per ſe necati: alii verò prope eundem locum ſcilicet Norda profugi facti in mare ſe præcipitaverunt & dignam receperunt dante Deo & oratione S. Remberti mercedem & vindictam. Nam in exitu Coloniam incendebant, & multas civitates, caſtra, villas & opida in circuitu circumquaque, donec venientes Nordam diſperſi interirent, & tota regio Almanorum per S. Reimbertum libera redderetur. Et ideo meritò Adalgarius ejus feſtum quaſi Apoſtolicum inſtituit & ſolemniter coli præcepit. Nam & iſti ſancti Patres Willehadus, Anſcharius, & Reimbertus meritò ad nos dicere potuerunt: Etſi aliis non ſumus Apoſtoli, tamen vobis ſumus, ſcilicet Bremenſibus, Hamburgenſibus, Lubecenſibus, Wismarienſibus, Roſtochienſibus, Sundenſibus, ac omni Septentrioni & tribus regnis eo quod trium gentes regnorum per eosdem ad fidem ſint converſæ per B. præcipuè Anſcharium qui tanquam matutina ſtella fulſit in ſeculo, & adhuc rutilat in mundo clariſſimè. Nam miraculum victoriæ contra Normannos oſtendit veſtigium montis, ubi oravit pater ſanctus iſto in duro lapide nudis geniculationibus cum extenſione brachiorum more Moiſi, quando orationibus ſuis devicit Amalech; ſic hoc apud ſanctum Dei factum eſt. Meritò ergo eum in feſtivitate ſuâ collaudemus, ut victores per eundem mereamur exiſtere & omnes, qui eum invocaverunt præſidia optata meruerunt de cœlo. Nam hoc revelatum eſt perſæpe ſanctis viris, ut, qui eum in terris habent interceſſorem, victores exiſtere in bellis juſtis mereantur & corporibus illis ſalus erit & hos Deo ſemper ſuis commendat orationibus. Hic fuit cum Moiſe mitiſſimus: cum Paullo in tribulationibus ſemper victorioſus, beneficus dando pauperibus, quod & patet in hoſpitali leproſorum & ibidem multis claruit miraculis tangendo infirmos & ſanando. Etiam animam cujusdam Anfridi eripuit abſtinentiâ ſuâ de igne purgatorio XL. dies jejunando in pane & aquâ. Semper oravit, & quippiam fecit boni operis, aut celebravit, aut prædicavit: Tandem paralyſi & ejus ſpecie podagrâ & ſyncope cum B. Gregorio plectitur, & tertio Idus Junii depoſitis omnibus ritè reddidit Deo Spiritum, Anno Domini DCCCLXXXVIII. Indict. VI. & celebratur ejus dies ipſo die Barnabæ: elevatus eſt autem ſequenti die Blaſii & Anſcharii ſepultus eſt ad orientem extra Eccleſiam Petri: ſed poſtea per ſucceſſorem ejus viſis miraculis capella S. Michaëlis ſupra tumbam ejus eſt fabricata, ut quædam viſio de ſe revelata manifeſtat.

[illegible]ſtat. Huic Papa Nicolaus dedit confirmationem, Ludewicus regalia cum quibus [illegible] dat ſuos miniſteriales & nobiles in introitu ſuo, & ſui ſucceſſores & libertatem [illegible] in indictione quibuscunque. Nam ſicut Karolus dedit Willehado judicia [illegible] & monetas ac foreſta, manſus & terram, quæ ſuo commiſit balivo: Sic tempore Anſcharii filius ejus Ludewicus hoc confirmavit & poſtea tempore Reimberti & ſub aureo typario iterum dando multa hæc eadem confirmavit. Hic fecit Eccleſiam conventualem in Bucka in ſolitudine, & traduxit eò corpus S. Materniani Archiepiſcopi & una cum Ludewico Imp. multis decimis, manſis, caſtris, prædiis, poſſeſſionibus, ad ſimilitudinem Eccleſiæ Hildenſemenſis, Spirenſis & Bavenbergenſis ampliatis egregie reditibus fundavit & omnia neceſſaria inſtituit tam in amictu, quam victu, & dedit ad eam tantos reditus Præpoſito, quantos Karolus pater ejus dedit Verdenſi Epiſcopo, ſicut etiam antea fecerat tempore Anſcharii abbatiſſæ in Barſen. Dedit enim fere ad iſta duo monaſteria totam terram Saxonum antiquorum, quæ modò dicitur Comitatus Brockhuſen & in Hoja uſque in Werminowa. Dedit & caſtrum Hodenberge capitulo & caſtrum Benckenmolen Præpoſito.

ADALGARIUS VI. & tertius Archiepiſcopus ſequebatur Reimbertum à monaſterio S. Viti novæ Corbejæ, vir induſtrioſus & omnibus etiam bene gratus & acceptus omni genti. Hic rexit eccleſiam XXI. annis. Multa de eo inveniuntur in hiſtoriâ Reimberti. Regalia accepit à rege Arnulfo, ſed pallium à Papâ Stephano. Hic etiam perſecutiones ſuſtinuit gentium barbararum, dummodo omnes ferè terram devaſtaverunt, adhuc tamen non ceſſavit prædicare verbum Dei in legatione ſua tribus regnis. Poſtea cum multa mira in converſione gentis barbaricæ egiſſet correptus infirmitate obiit VI. Idus Maji, & ſepultus eſt prope tumbam S. Reimberti, cujus extitit ſucceſſor fide & opere. Hic etiam ſanctus, licet non canoniſatus & fecit mirabilia in vitâ ſuâ & ideo in libris antiquis pro ſancto ſemper ſcribitur & dogmatiſavit quia plenus bonis operibus ad Chriſtum migravit recipiendo premium pro quo in mundo dietim laboravit.

HOGERUS VII. Archiepiſcopus, quartus Bremenſis ſedit VII. annis: accepit pallium à Sergio PP. & confirmationem, & regalia à juniore Ludewico fratre Lotharii. Hic etiam erat monachus de nobili proſapiâ ortus Corbejenſis monaſterii profeſſus regulam B. Benedicti, & iterum conceſſus Adalgario tempore invalitudinis ſuæ in auxilium. In antiquis libris de ipſo ſic legitur verſificè:

Sanctus & Hojerus electus ſeptimus Heros.

Item.

Hic eſt Hojerus Chriſti quoque aſſecla verus
Clarus honeſtate ſanctus nempe probitate.

Dicunt etiam Chronicæ authenticæ, quod valde ſtrenuè prædicabat: & in ſuo tempore finitur progenies Karoli M. & ſceptrum venit ad alienos. Illo etiam tempore Hamburgum deſtruebatur à Wandalis id eſt Slavis & Brema ab Ungaris vaſtabatur ex integro. Hic obiit & ſepultus fuit circa prædeceſſorem ſuum in capella S. Michaelis prope eccleſiam S. Petri: poſtea verò poſt C. & XX. annos, dummodo capella iſta debuit innovari, nihil inventum fuit de ejus corpore niſi cruces pallii ſui & crines ejus: propter nimiam ejus ſanctitatem credunt multi quòd translatus ſit corporaliter in cœleſtem Paradiſum. Hic etiam ſanctus prædicatur & colitur à multis.

REINWARDUS VIII. Archiepiſcopus V. ſedit anno uno, de cujus vita pauca ſcripta reperta ſunt. In hujus tempore refertur Bremæ magnum contigiſſe miraculum. Nam tunc Ungari iterum ſuccendebant eccleſiam S. Petri cum capellâ & S. Viti eccleſiam quam conſtrui fecit S. Anſcharius, ſed poſtea mutato nomine dicta eſt beatæ [illegible] eccleſia. Et ipſi Ungari interfecerunt ſacerdotes in eccleſiâ ante altare, & alios [illegible]nque inveniebant ſive clericos, ſive laicos ſive pueros ſive mulieres omnes [illegible] gladii interfecerunt qui non aufugiebant: imagines conculcabant, & cruces [illegible]bant & incendebant. Sed Deus cujus paſſio ibi irriſa fuit hoc nequaquam [illegible] inultum abire. Nam aëris tempeſtate percuſſi & igne incenſo exagitati à [illegible] multi ſuffocati ſunt & combuſti in eccleſiâ & extra: alii non ſuccenſi ſubmerſi ſunt in [illegible]eſera: alii ſunt à civibus & incolis interemti, ſic quod pauci abſceſſerunt abs-

que ultione divinâ. Poſt hoc obiit Archiepiſcopus III. Kal. Octob. & ſepultus eſt in
capella S. Michaëlis
UNNO IX. Archiepiſcopus ſedit XVIII. annis. Dicitur quòd defuncto Reinwar-
do epiſcopo, quòd tunc electus fuit Leidradus, qui tunc fuit Præpoſitus Bremenſis,
& illius capellanus fuit Unno, & cum veniſſet ad curiam Regis ut haberet gratiam &
præſentationem ejus, ſive baculum: Cæſar Conradus vidit poſt eum ejus capella-
num bonæ indolis Unnonem, ſtatimque ſprevit Leidradum præpoſitum, quaſi de-
ſpectum & non concordantem moribus ſuis, ac dedit diœceſin Unnoni capellano: &
Præpoſito verecundia maxima & opprobrium Deo volente inditum fuit. Ibi dedit ei
baculum paſtoralem Imperator Conradus, & Papa Johannes X. pallium dedit & con-
firmavit. Ipſe fuit valde ſanctus & in ſanctitate caſtus, humilis, juſtus, pius, ſo-
brius: qui rectè vivendi ſemper normam tenuit more prædeceſſorum ſuorum. Ipſe
etiam valde carus fuit Conrado & Henrico Impp. ut ſcribitur de eo in verſu:

Principibus notus Unno fuit ordine nonus.
Principibus notus Unno fuit ordine nonus.

Ipſe etiam circuit limites provinciæ ſuæ & regna Aquilonis prædicando & viſitando
clerum & populum. Sequebantur etiam eundem ex devotione multi Canonici ec-
cleſiæ Bremenſis uſque in carcerem & mortem promti ad interitum cùm in patre vi-
derent exardeſcere tantum amorem Chriſti & eccleſiæ quod libenter vellet mori pro
Chriſti nomine. Poſtea dum veniret quodam tempore ad partes Danorum conver-
tit & baptiſavit regem Haraldum cum maximâ turbâ Danorum: cujus auxilio circuit
omnes inſulas maritimas circa regna iſta in periculoſiſſimis locis ſituata ad prædican-
dum verbum Dei & fidem Chriſti plenius perſuadendo & quos ſancti patres Anſcha-
rius & Reimbertus ad fidem converterant plus ſolidando & confortando. Redemit
etiam ibidem multos captivos de vinculis, minis & miraculorum oſtenſione. Poſtea
venit in Sueciam & invenit aliquos à B. Anſchario ad fidem Chriſti converſos & bapti-
ſatos: aliquos etiam renegatos reperit Chriſtianos, quos prædicando denuo conver-
tit & in fide ſolidavit. Deinde venit in Birkam magno labore: nam Birka eſt in me-
dio Sueciæ, ubi poſt mortem S. Anſcharii in annis LXX. nemo verbum vitæ prædica-
vit: & quos ibi beatus Anſcharius inſtruxerat & Gaudbertus & ante ſui nepotes & Nit-
hardum cum ſuis occiſus eſt vivente ſancto Anſchario & alii exſiliati. Sed B. Reim-
bertus poſtea ibi venit, & populum inſtruxit: ſed poſtea nemo auſus fuit locum iſtum
prædicando ingredi & fidem Chriſti perſuadere. Sed veniente Unno evangeliſta
Chriſti ejus doctrinam ibi patefecit. Et cum conſummaſſet non valens reverti in Bre-
mam infirmitate correptus obiit circa Birkam, cujus anima pie creditur in requie ſu-
pernâ opulenta cum cæteris ſanctis. Ejus corpus in Birkâ à diſcipulis ſepultum di-
gnis exſequiis celebratur: caput ad Bremam honorificè detulerunt & ante altare ſepe-
lierunt in eccleſiâ Bremenſi majori. Obiit circa medium Septembris. Ille grandis
confeſſor Chriſti dedit poſtea ſuis exemplum, quòd nulla pericula terræ aut maris de-
bent eos à legatione injunctâ pro vocatione gentium & adipiſcendâ cœleſti gloria ſe-
parare.

ADALDAGUS X. Archiepiſcopus, Bremenſis & Hamburgenſis eccleſiarum
miniſter, legatus etiam ſedis Apoſtolicæ in partibus Septentrionis per tria regna &
in inſulis & locis aliis Aquilonaribus & orientalibus qualitercunque nominatis. Et
primas hic fuit eccleſiæ annis LIIII. Et ille eſt, qui auxit commune bonum: fuit
enim nobilis parentelæ & juvenis annis pulcer facie pulcrior ſapientiâ & moribus. Ele-
ctus fuit de choro & eccleſia & numero Canonicorum Hildenſemenſis eccleſiæ. Et
factus fuit diſcipulus Adelwardi Epiſcopi Verdenſis. Vita probata fuit & optima fa-
ma fidem habuit: in palatio Imperatoris Romanorum valde notus, qui etiam in do-
ctrina & miraculorum operatione operator extitit valde carus. Et prædicavit Sla-
vis. Maximè etiam laudatus fuit idem Epiſcopus ab Epiſcopo Adelwardo in curiâ
regis. Accepit ferulam paſtoralem ab Ottone M. & pallium à Papa Leone VII. & ipſe
primò poſt magnas oppreſſiones quietavit & libertavit diœceſin ſuam auxilio Cæſaris
Ottonis. Tunc floruit B. Batwardus Epiſcopus Hildenſemenſis, cujus autem ipſe
erat in majori eccleſia Canonicus. Ipſe etiam obtinuit confirmationem omnium li-
bertatum eccleſiæ ſuæ à Papa Leone & à Cæſare Ottone, & maximè omnium privi-
legiorum

legiorum datorum eccleſiæ prædeceſſoribus ſuis à Gregorio, Sergio, Nicolao I. Eugenio, & aliis Apoſtolicis & maximè pro Bremenſi eccleſiâ. Tunc primò idem Archiepiſcopus inſtituit in Daciâ ſuffraganeos (licet Anſcharius prius in Sueciâ, Islandiâ, Gronlandiâ & Norwegiâ) unum in Sleſuick, ſecundum in Ripen; tertium in Arhuſen. Nam totum ejus ſtudium fuit in vocatione gentium, conſtitutione eccleſiarum & ſalvatione animarum. Eo tempore fuit Adaldagus circa Cæſarem quinque annis in Italiâ & procuravit eccleſiæ Bremenſi ſuper privilegiis deſuper confectis. Tunc vocari fecit clerus & populus Archiepiſcopum ſuum Adaldagum ad eccleſiam Bremenſem nunciis & literis quia ejus præſentiâ deſolati diutius carere non poterant. Veniente verò ipſo utriusque ſexus virorum & mulierum turba ei trium dierum itinere obviam venit cum clero & populo non ſolùm intra limites ſed extra cum hymnis & canticis dicentes & cantantes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et tunc portavit ſecum Archiepiſcopus Benedictum Papam qui minus juſte à Cæſare Ottone de Papatu pulſus fuit: quem ipſe cum magno honore in Hamburgenſi tenuit eccleſiâ donec ibidem moreretur. De quo dicitur, quòd fecerit id quod communiter legitur: Dulce nomen Chriſti & laudabile nomen glorioſiſſimæ virginis Mariæ & laudabilia nomina omnium ſanctorum ſint Benedicta & glorificata per infinita ſæcula ſeculorum, Amen. Ad quam oratiunculam maximas dedit indulgentias legenti & audienti. Ipſe etiam Otto tunc fundavit eccleſiam Magdeburgenſem & detruſiſſe voluit Papam in exſilium, ſed Epiſcopus Adaldagus collegit eum & ſecum portavit cum VII. Epiſcopis puta Halverſtadenſe, Hildenesheimenſe, Oſnaburgenſe, Mindenſe, Monaſterienſe, Paderbornenſe & Trajectenſe ac duobus Ducibus & XIII. Comitibus in Wandalis infra miſſarum ſolemnia in longâ pace & treugâ ſecum in eccleſia occiſis. Nam Papam dicti de Wenden / Stargarden / Stettin & Magnopoli miſſam celebrantem in ore gladii occiderunt, ceteros verò jugulaverunt & martyres fecerunt, ipſo die Petri ad vincula. Quidam verò referunt Papam obiiſſe IIII. Non. Julii: ſed melius & clarius die Kalend. Auguſti juxta Chronica Saxon. Multi etiam volentes corpora Epiſcoporum ſuorum cum cæteris nobilibus deferre ad proprias terras venientes prope Ebbekeſtorpe nec multitudine equorum aut boum amoveri poterant de loco, ibidemque ſepulti ſunt quam plurimi. Ubi ipſo die Petri rivus olei effluere videtur de terrâ. In capellâ vero manſit corpus Theodorici Mindenſis, Udonis Monaſterienſis, & N. Paderbornenſis ac N. Trajectenſis Epiſcoporum, cum eorum comitibus, capellanis & militibus locum iſtum ſanctimonialium ſanctificantes cum gloria ubi in eorum memoriam capella eſt conſtructa. Alia corpora manſerunt in eccleſia Hamburgenſi ſub choro in cryptâ cum Papâ Benedicto XII. tumulata. In cujus Papæ locum Otto per violentiam poſuit Gregorium prius dictum Brunonem. Hic etiam Adaldagus tempore interfectionis prædicavit ſubditis ſuis in diœceſi & abſens fuit, aliâs cum aliis interemtus fuiſſet ab illis crudeliſſimis eccleſiæ inimicis, qui & in Bremâ vindicati ſunt. Nam dicti de Wenden, Stargarden & Stettin, & cæteri cum eis principes ac nobiles ad terrorem Chriſtianorum capita ſanctorum in haſtis & lanceis ſecum aſportaverunt & ad pinnas caſtrorum capita martyrum affixerunt: quæ capita nec avis, aut nix, vel imber fœdare potuit. Et proxima nocte in die Nativitatis Chriſti defuncti dudum canticum *Gloria in excelſis Deo* altâ voce & celeri voce cantaverunt, unde multi converſi ſacrum baptiſma acceperunt. Alii obſtinati de medio in brevi ſumti ſunt & necati & à feroci marte in nihilum redacti. Hic etiam cum rediret de Româ venit ad clauſtrum S. Reimberti ad Buckam in ſolitudine & ſecum corpora diverſa diverſorum ſanctorum de Roma & partibus Italiæ detulit, videlicet Quiriaci martyris, Cæſarii Diaconi, Victoris & Coronæ, Cancianorum, Felicis & Feliciani, Coſmæ & Damiani martyrum, ſtipatus multitudine Epiſcoporum & principum comitum & baronum & militum & profeſta eorum videlicet candelarum inſtituit, & reliquias eorum diſtri[illegible]. Nam partem de Cancianis dedit eccleſiæ Hildenesheimenſi, ubi fuit & ipſe præpoſitus commendatus. Feliciani corpus dedit cognato ſuo Mindenſi Epiſcopo. [illegible]um vero corpus Quiriaci monitu primo ſecundo & tertio cum decimis abſtractis [illegible] didit eccleſiæ Buccenſi. Et ulterius eundo corpus Victoris in Berſen, alia verò [illegible]ra Bremæ collocavit in gloriâ. Hæc omnia etiam in privilegiis deſuper datis plenariè continentur, cujus tenor ſe habet in hæc verba: In nomine S. & individuæ

Trinitatis: Nos Adeldagus divinâ providentiâ ſanctæ Romanæ eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis legatus, univerſarum ſeptentrionalium partium Archiepiſcopus, Hamburgenſis & Bremenſis eccleſiarum miniſter indignus; univerſis fidem tenentibus ſalutem & benedictionem ſempiternam. Noverint univerſi fideles tam præſentes quàm futuri, quatenus ſecundum ardentiſſimam voluntatem nobis cœlitus inſpiratam pro auctoritate noſtræ Bremenſis eccleſiæ in Romanâ curiâ apud ſanctiſſimum Patrem Dominum noſtrum Leonem VII. tunc apoſtolicæ ſedis apicem gubernantem aliquandiu laboraremus & receptâ literâ ab eodem domino noſtro Papâ deductis nobiſcum reliquiis plurimorum Sanctorum videl. Quiriaci, Cæſarii, Victoris & Coronæ Cancianorum, Felicis & Feliciani, Coſmæ & Damiani ac Secundi ducis legionis Thebæorum per Longobardorum & Francorum partes proſperè tranſivimus, & ad terminos eccleſiæ noſtræ in Bucca pervenimus. In quo loco clerus & populus cum ingenti gaudio, ſicut decuit nos recepit: ibique locavimus reliquias S. Felicis Pontificis & martyris & aliorum quorundam ſanctorum. Et tunc fratres ejusdem Buccenſis eccleſiæ lacrymabiliter conquerebantur, quod tempore abſentiæ noſtræ quædam decimæ & quædam prædia & alia quædam bona mobilia & immobilia ipſius eccleſiæ per quosdam malignos nobiles milites & vaſallos circumjacentes eſſent eis violenter ablata, petentes humiliter ſuper his & aliis neceſſitatibus ipſis ſubveniri. Nos verò ipſorum triſtitiis compatientes decimas infra ſcriptas videlicet, Mertvelde, Winberge, Weringen, Meiniſen, Holthuſen, Magelſen, Rethuſen, Hadendorpe, Hadermiſſen &c. cum quibusdam prædiis & manſis S. Materniano ad uſus fratrum reſtitui procuravimus; omnesque auferentes, eas banno noſtro & anathemate cenſuimus ſubjacere. Et inter cætera præficimus eis Luderingum de Hodenberge advocatum ut ipſe neminem comprimat, nec injuſtè gravet. Et ſi gravaverit quempiam de villicis dictorum dominorum quòd poteſtatem habeant Decanus & Præpoſitus dictæ eccleſiæ Buccenſis amovere eum & ſtatuere alium, quemcunque voluerint & auctoritate apoſtolicæ ſedis & legationis noſtræ damus dictæ eccleſiæ Præpoſito & Decano auctoritatem excommunicandi anathemiſandi juxta proceſſum dicti privilegii eis conceſſi & apud eos clauſi &c. Et ſtatim poſt venit nuncius Romanorum ad revocationem Benedicti XI. in exſilium quaſi relegati, & per Epiſcopum Adaldagum collecti ſunt: ſed tunc diem ipſe clauſerat extremum. Et in literis vocationis ſuæ tetigerunt, quòd eundem Benedictum cum Ottone concordare niterentur. Tunc Adaldagus fundavit monaſterium monialium in Heslinge in honore S. Viti & congregavit ibidem Conventum pudicarum virginum & eſt idem monaſterium quod modo in Kymena vel in Tzeven ſitum eſt. Et paſtor noſter inclinavit ad dictum monaſterium virginem quandam Wendelgardin & Haddanem patrem ejus, qui & omne patrimonium ad hoc obtulerunt in honorem Dei & ſancti Viti martyris. Fundavit etiam conventualem eccleſiam in Repesholte in Aſtringâ in honore S. Mauritii & Thebeorum martyrum. Item augmentavit hoſpitale in Bremâ S. Anſcharii multis reditibus pro XXX. pauperibus exceptis hoſpitibus dietim colligendis. In iſtis diebus Otto M. fundat eccleſiam Magdeburgenſem metropolitanam & poſuit eam caput Wandalorum, id eſt, Slavorum. Et ibi præfecit quendam Albertum ſanctum virum in Archiepiſcopum cum ſubſidio & licentiâ Papæ Leonis VII. cui idem dedit pallium & ſecundum locum poſt Bremenſem Archiepiſcopum. In ultimis diebus Adaldagi deſtructa fuit iteratò Chriſtianitas in Daciâ & omnes abnegabant fidem Chriſti exceptis paucis. Unde Archiepiſcopus noſter affectus mœrore maximo cecidit in infirmitatem & IIII. Kal. Maii Indict. I. anno Pontif. ſui LIIII. Chriſt. DCCC LXXXVIII. Et ſepultus eſt ad caput ſui prædeceſſoris. Hic etiam clarus miraculis requieſcit exſpectans adventum ſummi judicii.

LIBENTIUS XI. Archiepiſcopus Bremenſis & Hamburgenſis VIII. ſedit annis XXV. Accepit pallium à Johanne Papâ XV. & regalia ab Ottone III. Et fuit primus, qui à propriis ſuffraganeis ſuis conſecratus fuit. Fuit excellentis ſcripturæ & doctor ac profeſſor ſacræ Theologiæ omni virtute præclarus & moribus ornatus. Secutus fuit ſuum prædeceſſorem quondam ex partibus Italiæ & ſolus dignus fuit de Canonicis ſedere in cathedrâ ſenioris, & habere nomen Archiepiſcopi. Fuit caſtus & pudicus qui nunquam vel raro à fratribus ſe conſpici fecit. Erat etiam mirè abſtinens,

quòd

quod etiam pallidam geſtabat faciem & macilentam: fuit maximæ humilitatis & dilectionis & tantæ auſteræ vitæ, ut fratres quaſi in monaſterio, ſub obedientiâ vitam ducere viderentur. Præterea ſobrius, pacificus, quietus, & maximam habens curam eccleſiæ & animarum ſibi commiſſarum per diœceſin & provinciam & ſtudium ſuum totum verſabatur pro lucrandis Deo animabus. Et ſub regula B. Anſcharii fratres ſuos canonicos vivere coëgit: quotidie etiam in hoſpitali pauperibus ſervivit, quorum etiam præbendas augmentavit; & illud committens nepoti ſuo viſitavit Tranſalbianos. Et perfecit onus prædicationis more prædeceſſorum ſuorum in legatione ad gentes. Miſit etiam plurima donaria regibus Sueciæ & Norwegiæ, ut pacificaret eos & maximum fecit laborem pro ſedando lites: & maximè ut reinflammaret fidem Chriſti olim ibidem cœptam: & rex Sueciæ reſtitit Archiepiſcopo, ſed plagatus & captus à Wandalis, id eſt, Slavis maximâ pecunia eſt liberatus, Archiepiſcopo ſuffragante. In illo tempore nobilis Comes Palatinus Stadenſis fundavit Canoniam in Harſevelde. Henricus præpotentiſſimus civis in Roſſevelde præpoſituram ibidem ſecularium ſacerdotum favore Libentii Archiepiſcopi, qui & dedicavit eandem eccleſiam; ad quam poſtea temporibus Liemari introducti ſunt monachi ordinis S. Benedicti. Illa omnia facta ſunt in ultimis temporibus dicti Libentii, ſub duce Berno filio Hermanni, ex quo Slavorum populus graviter punitus fuit. Illo tempore Libentii Brema muro muniri cœpit. In illo tempore lis Bernarii Epiſcopi Verdenſis cum Libentio de eccleſiâ Rameslagenſi coram Papâ terminata fuit. Tunc etiam Slavi graviter graſſati ſunt iterum, clerum & eccleſiam tranſalbinam totaliter occiderunt & in captivitatem duxerunt cum Chriſtianis. Obiit Libentius & ſepultus eſt in choro ante gradus ſanctuarii & ſanctus habitus eſt, anno M XIII. Indict. II. pridie Non. Januarii.

UNWANUS XII. Archiepiſcopus IX. ſedit XV. annis. Accepit pallium à Benedicto Papâ & regalia à Cæſare Henrico. Iſte primò traduxit congregationem cleri ſui ad regulam canonicalem: nam antea permixti erant monachi & canonici, & habitabant in ambitu in cellis ſuis. Hic etiam proſecutus fuit cum Simoniâ & ideo reliquit Cæſari tertiam partem, quia dives & nobilis fuit ac pecunioſus, & Eccleſiæ ſuæ tertiam & parentibus tertiam reliquit partem. Ipſe etiam Unwanus de XII. domibus gentilium ubi offerrebant & offerre ſoliti erant in diœceſi ſua XII. fecit eccleſias & gentiliſſimum deſtruxit & fecit caſam S. Viti conſtrui ex illa ante Bremam & tunc combuſta eſt capella S. Willehadi, quam ipſe fecit noviter conſtrui. Illo tempore agmeres circa Bremam aggregati ſunt contra Ducem Bernhardum, qui & Cæſari repugnabat, & ideò Eccleſias offenſas habuit, quæ inter patronatus imperii fuere in Alemanniâ eò quòd Karolus eas fundavit pro parte maximâ, aut ampliavit. Deſtruxit idem Bernhardus multas Eccleſias in Saxoniâ & fuit ſemper controverſia inter Ducem Bernhardum & Archiepiſcopum, quia Cæſari repugnabat, cui Epiſcopus conjunctus erat. Iſte Epiſcopus belligeravit pro Eccleſiâ ſuâ cum iſto Duce multis annis: nam idem Bernhardus Dux ad gentilitatem homines nitebatur reducere & ideo viciniores Eccleſias Verdenſem, Mindenſem, Hildenſemenſem & Halverſtadenſem cum Paderbornenſe maximè gravabat: ſed Bremenſem plus, eò quod cæteris Eccleſiis erat vicinior: & poſtea Hamburgenſem, quæ remotior ab Imperio & confinis Danorum erat, funditus delere nitebatur: ſed non prævaluit iniquitas. Ejus Ducis multus & offenſam cum manſuetudine vicit Unwanus Archiepiſcopus, quod deſtitit perſequi Eccleſiam Dei: & ideo paſtor noſter Ducem cum Cæſare pacificavit, & Dux reddidit abſtracta Eccleſiis Bremenſi & Hamburgenſi. Tunc innovavit Epiſcopus eccleſiam & civitatem Hamburgenſem & poſuit ibi in Eccleſia XII. canonicos, qui in ſingulis diebus divina tenerent & celebrarent ac populos ab infidelitate prædicando revocarent & converſum baptiſarent. Ipſe etiam ordinavit in Slavoniâ poſt mortem S. Reimberti ſapientem virum Bennonem, qui de Canonicis Hamburgenſibus fuit, & prædicavit Slavonibus verbum Dei in Eccleſiâ Oldenborg circa Lubeck. Ipſe etiam Archiepiſcopus collegit longo tempore ſapienter theſaurum Eccleſiæ & reſervavit ac ſi in muris concluſiſſet etiam ad utilitatem Eccleſiæ ſuæ & maximè pro reſiſtentiâ regum indomitorum Septentrionis, ut eos ſubderet Deo & Eccleſiæ. Cujus etiam temporibus filius regis Daciæ ſuperavit regem Angliæ, qui dicebatur Adelrad & poſſe-

Digitized by Google

& poſſedit multis annis ambo regna. Et deduxit ſecum multos Epiſcopos ex Angliâ in Daciam ex quibus poſuit Bernhardum in Schone, Gerhardum * in Sialandiam, Reinerum in Fune. Et hoc diſplicuit Archiepiſcopo Unwano, & captivavit Gerhardum cum veniret de Angliâ & conſecratus fuit ab Elnodo Archiepiſcopo in Angliâ & promiſit Gerhardus de Norwegia ſatisfacere & fidelis eſſe & obediens Eccleſiæ Bremenſi & poſt factus fuit fideliſſimus & ſecretiſſimus amicus Archiepiſcopi Unwani cum quo & miſſum fecit regi Knut in Dacia collaudans eum de victoriâ in regno Angliæ habitâ ſed increpat eum de negocio Epiſcoporum traductorum ab Angliâ in Daciam, quæ ſibi eſt ac legationi ſuæ ac provinciæ ſuæ, ſicut olim fuit. Et totum bene accepit rex & devictus ab Archiepiſcopo promiſit ſibi literatoriè, quòd libentius juxta conſilium Bremenſis Archiepiſcopi ordinata ſua faceret quàm ſedis Apoſtolicæ & Romanum regnum ab olim ſibi & ſuis delegaverat, & ipſe ex parte Eccleſiæ quaſi jure hereditario poſſideret. Item ipſis temporibus viguit pax Chriſti Eccleſiæ inter Danos, Slavos & Nordalbingos; & Unwanus Archiepiſcopus ædificat noviter Eccleſiam Hamburgenſem pluries deſtructam à Wandalis, & Duce Saxoniæ hinc inde: & collegit iterum clerum, & introduxit cives, quia plenum dominium erat Archiepiſcopi donatione regis: ſed ipſe Dux Bernhardus pluries ibidem confluxit, & ibi habitavit quaſi anno dimidio. Et idem archiepiſcopus invitat Knut regem Daciæ colloqui pro fœdere inter ipſos & Slavos ſicut Fronen & Fredericum: etiam dignè accepit nuncios, qui iverunt Norwegiam novellum populum fortificare in fide Chriſtiana. Sic Unwanus cum Epiſcopis ſuffraganeis intus & extra cum prædicatione ſuâ & doctrinâ ſatisfecit. Obiit VI. Kal. Febr. Indict. XII. & ſepultus juxta prædeceſſores ſuos.

*alii Gerbrandum.

LIBENTIUS II. Archiepiſcopus X. Bremenſis & Hamburgenſis ſedit annis IV. Hic fuit nepos primi Libentii, & ſubſidio ac favore Giſlæ Imperatricis accepit regalia à Cæſare Conrado, & Pallium à Papâ Johanne XIX. Erat enim homo ſimplex, & multum timens Deum, & recedens à malo: & fuit affabilis omnibus, & dilexit clerum ſpecialiter, & pauperes habuit præ oculis. Fecit etiam XXX. prandia & convivia canonicorum, & redemit ab incolis impignorata vada Weſſeræ. Hic etiam perfecit omnes prædeceſſorum ſuorum defectus circa Eccleſiam ſuam. Tunc fuit tanta cariſtia, quod nemo hominum meminerit unquam ſimilem fuiſſe. Bonus fuit Præpoſitus antea, ſed optimus Archiepiſcopus. Hic prædicavit etiam regnis & gentibus & ſpecialem habuit familiaritatem cum rege Knut, & ſubſtituit ſub Epiſcopo in Selandiá Gerbrando Avoconem & conſecravit ipſum ſimiliter: & Meinherum in Oldenborg in Slaviâ & Turgaven aſſeclam ſuum in Rameslo, & Goſſeſchalum in Epiſcopum ibidem. In illis temporibus fuit S. Turgot cum Archiepiſcopo Bremenſi & laboravit prædicando, ſed tandem percuſſus lepra exſpectavit diem ſuum cum multâ patientiâ, tandem aſſumptus feliciter ſepultus eſt in baſilicâ S. Petri. Erant etiam Archiepiſcopo ſuffraganei Odiker & Sigafridus de Svecia, Rodolfus Normannorum Epiſcopus, ſtrenui prædicatores viſitantes Archiepiſcopum & dominum ſuum in Bremâ, ut referrent, quæ perfeciſſent in gentium vocatione, quos Archiepiſcopus honorabiliter remiſit ad loca. In illis temporibus Dux Bernhardus & Theotmarus fater ejus multa bona fecerunt Eccleſiæ & dederunt totum theſaurum Deo in eadem Eccleſiâ & S. Willehado. Et hoc venit ex inductione Eminæ ancillæ Chriſti, quæ valdè dilexit Eccleſiam Bremenſem. Nam & ipſa Emina quaſi omne patrimonium ſuum dedit Bremenſi Eccleſiæ & paſcua extra Bremam, unde nec bufo, nec aſylus, nec alii nocivi vermes reptantes aut volantes apparere poterunt meritis S. Eminæ viduæ in æternum. Et eſt ſepulta in Eccleſiâ Bremenſi in parte auſtrali ſub flavo quodam quadrato lapide erecto in ſignum ſanctitatis ejus, ne etiam pedibus conculcetur, nec etiam aliqualiter poſtea tangatur. Poſtquam autem prædicta S. Emina ſic bene fecit Eccleſiæ de bonis & prædiis ſuis Libentius infirmatur in ſolemnitate B. Bartholomei Apoſtoli & duas celebravit miſſas & finito Pſalterio in eodem die juxta conſuetudinem ſuam, feliciter obdormivit in Domino, menſe Aug. Tunc in eodem anno contigit chorea in Saxoniâ in monaſterio S. Magni poſt matutinas à XV. viris & tribus mulieribus incipientibus in cœmiterio ibidem: & dummodo presbyter primam miſſam celebrat nec ceſſabant à choreâ nec à cantu inani presbyter egreſſus Eccleſiam dixit monens eos, ut ceſſarent, reſponderunt ſe id non facturos. Nomen

men presbyteri erat Egbertus, qui dixit: Velit Deus, quòd ſic integro anno choriſetis. Ipſi autem trudebant eum & ulterius cantaverunt. Una mulier fuit unius ſacerdotis filia vocata Merſindis, & pater ejus dixit filio ſuo Johanni, quòd traheret per brachium eam de chorea: & extraxit ejus brachium de corpore & non exivit ſanguis, & ipſa ulterius cantavit & choriſavit cum aliis. Primò ſaltabant in terram usque ad genua, deinde usque ad nates & ſic totum annum complebant nec pluvia nec nix tetigit eos nec comederunt. Tectum erat factum ſuper eos quod ventus & tempeſtas deſtruxit: calceamenta & veſtes eorum non veteraſcebant nec ungues nec crines eis crevere. Finito Annò abſorpti fuerunt à terrâ usque ad latera. Tunc venit in die nativitatis Chriſti Epiſcopus Colonienſis & oravit pro eis, & abſolvit eos à ſententiâ ſacerdotis & à vinclo quo tenebantur manibus, & portavit eos ante altare S. Magni. Ibi irruit in eos ſomnus & dormierunt tres dies & tres noctes ſine intermiſſione. Unus de eis dictus Johannes cum filiâ ſacerdotis & aliis duabus mulieribus ceciderunt ad genua Archiepiſcopi & ſtatim emiſerunt Spiritum. Aliqui poſt reſuſcitationem à ſomno evigilabant & ſe levaverunt & iverunt domum & cibum ſumſerunt: ſed in ſignum miraculi usque ad diem mortis non ſunt à tremore corporis liberati. Unus ex illis vocatus Othericus dixit id miraculum multis. Aliqui de illis emendarunt tamen vitam ſuam, quod ex gratia Dei cum miraculis receſſerunt ex hoc ſeculo & ſalvati ſunt.

HERMANNUS XIV. Archiepiſcopus XI. ſedit quaſi tribus annis. Hic accepit regalia à Cæſare Conrado & pallium à Papa Benedicto juniore: & fuit electus ab Eccleſiâ Halverſtadenſi ubi erat præpoſitus & fuit magnæ ſimplicitatis, ſaltem columbinæ & paucæ ſapientiæ ſerpentinæ & inde facilè decipiebatur à ſervis ſuis. Raro viſitabat eccleſias ſuas & venit ſemel in Hamborg cum magno exercitu & deprædavit eam & diœceſin ſuam ac ſi non eſſent ſui & receſſit inde quaſi à terrâ ſalſuginis. Ipſe fuit ſequax incantationis & ænigmatum. Unus dictus Macco fuit Archiepiſcopi vicedominus & habuit nobiles in capellanos ſcilicet Theodoricum & Suidgerum. Iſte Suidgerus venit de Epiſcopatu Babebergenſi. Subdiaconus Archiepiſcopi vocabatur Albertus & poſtea factus Archiepiſcopus Bremenſis. Ille etiam Hermannus ſuppeditavit & deſtruxit quicquid in ſua diœceſi bonum ordinatum invenit: & induxit in Bremam Guidonem cantorem, qui ſcripſit Muſicam & fecit codicem qui dicitur codex Guidonis. Cujus informatione Guidonis ipſe cantum & harmoniam eccleſiæ ſuæ artificialiter ordinavit: quod unum erat de potioribus factis ſuis. Poſt hoc oratorium Michaelis rupit unde accepit tria corpora anteceſſorum ſuorum ſcilicet Adaldagi, Hogeri & Reinwardi & fecit ea includi coram tribunali in majori Eccleſiâ. Iſte etiam Hermannus voluit claudere muro civitatem Bremenſem & vix jactis fundamentis obiit IV. Kal. Octobr. corpus ejus ſepultum eſt in medio chori. Hic pœnitentiam egit de ſpolio eccleſiæ ſuæ, & multa reddidit Eccleſiæ in fine vitæ ſuæ: ideo Dei gloriam promeruit, Anno MXXXV.

BESELINUS, aliâs Alabrandus, XV. Archiepiſcopus XII. ſedit X. annis. Electus fuit & poſtulatus de eccleſiâ Colonienſi nobilis natus & ſincerus ac omni virtute ornatus: nobilis genere ſed nobilior moribus, præpoſitus Eccleſiæ Colonienſis, carus Deo & hominibus. Conradus Cæſar dedit ſibi regalia & Papa Benedictus miſit ei pallium. Hic etiam conſecratus à ſuffraganeis ſuis & à VII. Epiſcopis Saxoniæ introductus in ſedem Hamburgenſem cum magnâ gloriâ. Hic pius pater fuit omnibus ita affabilis & benignus ſicuti eum habere deſiderabant: & ſpecialiter dilexit clerum. Hic pati non potuit quodcunque maledictionis verbum. Innovavit clauſtrum & fecit primo canonicis menſam & præbenda fuit modica: impoſuit cuilibet canonico triticeum panem omni die ex decimis ad id aſſignatis per eundem datis ultra convivia XXX. Libentii. Et Dominicis diebus aſſignavit unicuique duplicem mellitæ copiam. Etiam diſpoſuit de certis bonis dari fratribus vina contra naturam Saxoniæ, quod etiam in diebus ſuis perfecit. Dum autem ſic eis providit de menſâ & prandiis, operam adhibuit in conſtituendo clauſtro & fecit ædificia lapidea quaſi omnia, quæ prius lignea fuerant & diſpoſuit in quadrato cum cameris & habitationibus decenter juxta ritum Eccleſiæ Colonienſis ſatis pulcræ. Deinde conſtruxit muros civitatis Bremenſis quorum fundamentum prædeceſſor ſuus vix complevit, & dum hujuſmodi omnia perfecit, anhelat

belat tandem ad Eccleſiam Hamburgenſem qualiter eam etiam in ſtructuris innovaret & ædificiis, ubi Unwanus & Dux Bernhardus ædificabant egregium monaſterium poſt cædem Slavorum ſed totum erat ligneum. Sed Beſelinus Archiepiſcopus primò Eccleſiam de quadratis lapidibus ædificabat ibidem. Fecit etiam ibidem lapideam domum cum turribus & propugnaculis bene cuſtoditam: & ob amorem ejus conſtrui fecit Dux ibidem etiam domum juxta domum & aulam Archiepiſcopi quaſi ſimilis diſpoſitionis & fortitudinis, licet non ita magna. Illo tempore juxta conſuetudinem fuit Archiepiſcopus diligens in prædicando & ordinavit de capellanis ſuis Rodolphum in Slesvick & Abelinum in Slavaniam Oldenburg: Wal de choro Bremenſi ad Eccleſiam Ripenſem. In diebus illis fuit apud Nordalbingos & regna Dacorum & Sveciæ magna pax & tranquillitas. Principes Slavoniæ Anatrog ac Gneus & Ratibor venerunt cum pace ad civitatem Hamburgenſem, & fuerunt cum Archiepiſcopo & Duce Bernhardo Saxoniæ Principe. Sic quod Archiepiſcopus pro fide Chriſtianâ, & Dux in plebe multum laborabant & clero, qui regulatus ibidem fuit, & ſatis in numero, niſi principum avaritia hoc impediiſſet multorum. In illis diebus venerabilis in Chriſto pater & Dominus Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis innovavit querelam contra Archiepiſcopum Bremenſem, ſed ſapientia Beſelini prævaluit, & in negociis eum mutum fecit & Coloniæ eum menſe integro tenuit in expenſis. In illis temporibus rex Norwegiæ Swein dictus volens in Angliam, relicto illo regno depopulando venit in terram Hadeleriæ navigio, & ibi captus fuit à militibus Archiepiſcopi Beſelini & præſentatus Archiepiſcopo. Honorificè excepit ipſum & duxit in Bremam civitatem ſuam, & dedit ei munera & amicitiam fecit, & cum pace remiſit eum ad regnum ſuum. Dum autem reverſus fuit in regnum, dixit ſuis de regalibus induviis & apparatu Archiepiſcopi Bremenſis Beſelini, & de theſauro Eccleſiæ Bremenſis & laude, ac omnia valdè excellenter laudavit in formâ corporis & elegantiâ ac liberalitate. Et exinde fuit ipſe à Duce Bernhardo & Theotmaro fratre ejus multum honoratus: & leniit cum ſapientiâ ſuperbiam Udonis marchionis. In diebus illis venerunt piratæ in Weſſeram fluvium usque in Leſmoniam & deprædarunt terram circumquaque, & fugati tandem à Bremenſibus ſunt, & qui remanſerunt capti & necati. In illis diebus regnavit etiam Rex Magnus Olavi filius in Daciâ & Norwegiâ, cui obviam venit Archiepiſcopus Beſelinus in civitatem Slesvicenſem ad colloquendum & tractandum cum eo & Archiepiſcopus habuit in exercitu & expeditione ſuâ Ducem Saxoniæ Bernhardum & Theotmarum Epiſcopum Hildeſienſem & Rodolfum ſuffraganeum in Slesvick, & tractatur quòd Rex det ſororem ſuam Ordulfo filio Ducis Bernhardi de Saxoniâ. In diebus illis Emina grandæva & nobilis vidua obiit, relicta quondam Comitis Ludgeri & ſoror Epiſcopi Meinwardi Paderbornenſis, quæ XL. annos vidua ſedit & habuit maximum theſaurum, quem dedit pauperibus & Eccleſiæ Bremenſi, & corpus quieſcit in Eccleſiâ Bremenſi, ut dictum eſt. Ipſa legavit Eccleſiæ magna & nobilia bona & dedit Imperatori bona in Leſmona pro quibus Imperatrix Giſla venit tunc temporis Bremam, & fecit multa bona Canonicis & fratribus: & ipſa venit cum Archiepiſcopo Beſelino ad Leſmonam. In ultimo ferè anno Beſelini periit igne Eccleſia S. Petri cum clauſtro & tota ſtructurâ Bremenſi, & nil de antiquis ſtructuris manſit incombuſtum ac inconſumtum. Ibi etiam periit theſaurus Eccleſiæ, libri, calices, clenodia, cappæ, caſulæ & cetera indumenta, demto calice S. Willehadi caſulâ ejus cum baculo ac ceteris per cum portatis ac ceteris ſancti Anſcharii & Reimberti Pontificum. Poſt hoc diſperſi ſunt Canonici & fratres extra clauſtrum & eccleſiam & dimiſerunt regulam ex integro, eò quod locum ſubſiſtendi non haberent & aditum licet dicta regula primum fuiſſet totaliter tenta. Nota quod à tempore Willehadi usque Beſelini, quo Eccleſia ſic periit, fuerunt CC. & LXXVII. Anni. 3. Idus Septembris periit tali incendio. Illo anno Archiepiſcopus iter arripuit in Friſiam, ſed audito tam grandi incendio, regreſſus in civitatem Bremenſem fecit fieri fundamentum Eccleſiæ juxta typum Eccleſiæ Colonienſis ſequenti anno, & etiam juxta Colonienſis Eccleſiæ magnitudinem, & ſi diutius vixiſſet totum opus perfeciſſet. Nam ſenex fuit & grandævus, & omnem diligentiam fecit in ſtructurâ templi & in æſtate iſtâ fecit fieri fundamentum & parietes ut ad altitudinem ſtaturæ humanæ. Poſt hoc in jejunio deſcendit Beſelinus de equo

de equo & à Schermbeke ivit pedeſter ad Eccleſiam Bremenſem cum lacrimis & primam habens Eccleſiam ſemper præ oculis & ſanctas reliquias & indulgentias feria quarta ante diem Jovis. Et iſte Beſelinus alio nomine dictus fuit Alabrandus & ivit nudis pedibus diſcalceatus licet tunc fuiſſet febrili peſte gravatus & poſtea ſe fecit duci ad Eccleſiam Buccenſem navigio, ut ibi Deo ſerviret, quia Eccleſia nondum erat reſtaurata & in Bucca vixit VII. diebus & ibi obiit XVII. Kal. Maji Ind. XI. & corpus ejus fuit deductum ad civitatem Bremam cum maximo luctu, & in medio novæ baſilicæ ſepultum, quam ipſe inchoaverat, Anno MXLIII.

ADALBERTUS vel ALBERTUS, XVI. Archiepiſcopus fuit nepos Cæſaris Henrici, & ſedit XXX. annis. Accepit regalia à Cæſare Henrico, & pallium à Papa Benedicto. Conſecratus fuit Aquiſgrani in eccleſiâ B. Virginis, ubi Imperator cum ſuis principibus & ceteris præſens fuit: ubi etiam XII. epiſcopi fuere præſentes. Hic nobilis natus, quia Dux Bavariæ natus, & ante electionem fuit Præpoſitus majoris eccleſiæ Halberſtadenſis. Fuit enim acutus ſenſibus & bonæ memoriæ, & eloquentiam habuit optimam. Etiam fuit pudicus, ſobrius, caſtus, pulcer, & largus. Habuit id Philoſophici in Ethicis pro regulâ: perfectius eſt dare, quàm accipere, ideo libentius dabat, quàm accepit. Ille etiam maximam Chriſti ſervis exhibuit humanitatem: XXX. pauperibus ſæpiſſimè lavit pedes, & pavit ſuo cibo, & lavando eos genua ſua flectebat mandatum Chriſti ſervando, ut quemadmodum ego feci ita & vos faciatis. Coram principibus terræ & ſui ſimilibus noluit ſe humiliare ſed coram pauperibus Chriſti recogitans illud: quod uni ex minimis meis feciſtis &c. Et illud: Pauperis in ſpecie cum Chriſtus venerit ad te Impertire ſibi quod dedit ipſe tibi. In primo anno dum conſecratus fuit & vidit quod opus idem maximis expenſis perfici deberet, effecit dirui muros civitatis & perfecit templum S. Petri & integrum clauſtrum cum abſidis ſicut modò ſtat, & fecit etiam ſolotenus deſtrui turrim templi cum ſeptem cameris, & fecit etiam clauſtrum, quod de ſectis lapidibus conſtructum erat ſolotenus dirui, ac ſi melius reædificare conaretur, & intendebat fratribus refectorium, dormitorium & alia loca neceſſaria conſtruendi de lapidibus ſectis & nullius plus egebat, quàm calce & lapidibus pro ſtructura, & quod prædeceſſor ſuus inchoaverat juxta ſchema & diſpoſitionem eccleſiæ Colonienſis, hoc ipſe perficere voluit juxta eccleſiam Beneventanam. In annis Domini MXLVI. Cæſar Henricus perrexit in Italiam, & fuit à Romanis pacificè receptus & depoſuit tres Antipapas ſcilicet Benedictum, Gratianum & Sylveſtrum, & fecit Papam Suidgerum ſecundum Epiſcopum Bavenbergenſem, à quo ipſe & uxor ſua benedicti fuere in die nativitatis Chriſti & exaltati in Cæſaria benedictione. In eodem concilio, quo dicti tres Papæ deponebantur aderat etiam Adelbertus Epiſcopus, ex cujus rogatu Papa Suidgerus, qui tunc Clemens appellabatur, innovavit & confirmavit privilegia omnia eccleſiæ ſanctæ Bremenſis & Hamburgenſis, quæ data fuerunt à prædeceſſoribus ſuis eisdem eccleſiis ſacroſanctis. Anno MXLIX. qui fuit annus Adelberti Archiepiſcopi VII. conſtructa fuit ſumma ara eccleſiæ Bremenſis & dedicata in honore ſanctæ Dei genetricis & ad partem auſtralem in honore S. Petri ſecundum altare conſtrui fecit & conſecrari, in cujus honore etiam antiqua baſilica facta fuit. Ex multis incidentibus Archiepiſcopo Adelberto manſit opus incompletum uſque ad XXIV. annum ſui Pontificatus: poſt hoc fuerunt parietes dealbati, tunc fuit crypta occidentalis conſecrata & dedicata in honore S Andreæ. Et dum idem Archiepiſcopus vidit quod Dux eccleſiam nitebatur ſuppeditare, quam prædeceſſor ſuus Adaldagus dedicarat maximo labore niſus intendebat eccleſiam liberare, ſic quod nec Dux nec Comes aliquid juris in ea ſibi poſſet vendicare. Pro quo fuit Archiepiſcopus eis odio & vocabant eum traditorem & exploratorem totius terræ. Tunc divertit ſe epiſcopus ad Imperatorem pro ſubſidio, & fecit maximos circa Henricum Imp. labores tam in Ungaria quàm in Italia & aliis regnis & maximè in negocio Imperatoris. Tunc etiam fuere tranſlata corpora SS. Benedicti & Scholaſticæ de monte Caſſino & ibi liberabatur Cæſar Henricus de morbo calculi. Tunc factæ ſunt & fundatæ per eundem Henricum eccleſiæ diverſæ puta Merſeburgenſis, Nuenburgenſis, Miſnenſis & antea Babenbergenſis ubi & idem cum conthorali ſua Kunigundâ ſepultus quieſcit. Hic etiam calicem B. Laurentio obtulit, ut habetur in legenda S. Laurentii. Sed de ortu Henrici Imp. hic convenit aliquid interſerere.

(E) 2

terſerere. Fuit enim Comes quidam Egghardus in caſtro Eggerkeſten in principio Thuringiæ juxta Erfordiam ad quatuor milliaria. Huic Comiti multum adverſabatur Imperator Conradus & tantum, ut vitam ejus quæreret, nec unquam potuit invenire gratiam in conſpectu ejus. Tunc Comes videns, quod difficile eſſet, imo impoſſibile reſiſtere Imperatori, omnia ſua occultè vendidit quæ habere potuit, & acceptâ pecuniâ cum conthorali ſua receſſit in quoddam nemus non longè a terrâ ſuâ, & ibi juſſit facere carbones & tempore procedente cum curru ſuo producere ad forum vicinæ civitatis & fuit multis annis ignotus omnino hominibus. Poſt pauxillum temporis contigit Imperatorem venire ad locum iſtum cum eſſet in venatione & devians à ſuis ſervis venit ad domum illius, qui optimè cognovit ipſum eſſe Imperatorem, ſed Imperator non novit eum. Sed hilariter ipſe miniſtrat & abundanter, quia abundabat in occulto, licet non in manifeſto, ſed pauper videbatur. Mane autem facto cum Imperator recederet dixit hoſpiti ſuo, ſcis quem hoſpitatus es? qui dixit, neſcio & ipſe, ego ſum Imperator pro hoſpitio quod mihi dediſti, ditabo filium tuum: quando creverit & ſequi poterit in curiam meam mittas eum mihi. Habuit enim tunc filium parvulum, nomine Henricus, qui ei natus fuerat in nemore. Cùm puer eſſet annorum XVIII. pater providens ei in equo & veſtibus miſit eum ad curiam Imperatoris, & dum eſſet in via latrones abſtulerunt ei equum & veſtes. Dum autem ſic ſpoliatus eſſet non audebat redire ad patrem & caſu venit Maguntiam aſſocians ſe Archiepiſcopi coquis ligna cædebat & aſportabat & alia fecit coquinæ neceſſaria quæ poterat, & ita ſapienter & ſerviliter ſe habebat, quod camerarii Archiepiſcopi eum in ſocietate ſua acciperent & in eodem officio ita honeſtè & laudabiliter ſe regebat, quod ab omnibus amabatur, & tandem factus eſt procurator totius Archiepiſcopalis curiæ Maguntiæ. Contigit poſtea, quòd Imperator veniens de Longobardiâ veniret juxta Maguntiam,
*Lege *invitat in civitatem.* quem epiſcopus invitatem *ſuam, dicens procuratori quòd laute honeſtè & abundanter provideat Cæſari cum omnibus ſuis, quod & factum eſt. Imperator vero videns procuratoris induſtriam, rogat epiſcopum ut permittat, ut habeat ſecum procuratorem ſuum Henricum, quod & epiſcopus conſenſit invitus. Ille ita diligenter ſervivit Cæſari, quod eum fecit militem & poſtea ſuum Conſiliarium quod videntes alii milites & conſiliarii Imperatoris indignati ſunt dicentes eſſe magnum Cæſaris periculum, quòd hominem alienum & omnino ignotum præ omnibus aliis audiret & in conſiliis ſequeretur, addentes quòd poſſit eum tradere in manibus inimicorum. Idem procurator ivit cum Cæſare in Tuſciam, & ibi priores iterum locuti de ſuo Conſiliario. Imperator ergo ex inſtantia ſuorum conſiliariorum, principum, nobilium & ſatraparum, licet invitus, conſenſit ut dimitteret eum. Et cum hoc ex honeſtate non poſſet, ex conſilio conſiliariorum ſuorum ſcripſit literas ad uxorem ſuam quæ tunc erat in Teutoniæ opido Goslariâ, & illas procuratori dedit deferendas in hunc modum: Cariſſima conjunx has cum acceperis literas latorem præſentium Henricum meum procuratorem ſtatim interficere facias & hoc volo omnibus modis impleri. Procurator neſciens quid deferret, ſtatim ut miſſus fuit ab Imperatore perrexit, arripiens iter, & cum perveniſſet in Teutoniam advenit ei capellanus Archiepiſcopi Maguntini, qui noverat eum, dum eſſet procurator Archiepiſcopi, benigneque recepit eum. Timens autem, quòd aliquas literas deferret contra Archiepiſcopum Maguntinum dominum ſuum, quia aliqualiter cum Cæſare diſcordabat pro quo negocio & ipſe ire intendebat ad Cæſarem. Cùm autem ſimul eſſent procurator Imperatoris & capellanus Archiepiſcopi, idem capellanus inebriat eundem occultè auferens literas dum dormiret, & legens invenit eundem probum Henricum debere jugulari & interfici. Propter antiquam ergo familiaritatem ſtatim reginæ & Imperatrici in hunc modum; Cum has literas receperis, cariſſima uxor, ſcias, quòd volo omnibus modis, ut latori præſenti Henrico, meo procuratori, non tardes filiam noſtram copulari in uxorem, & hoc tibi præcipimus ſub obtentu gratiæ noſtræ. Feliciter vale. Illa hujuſmodi legi faciens non auſa prætcrire mandatum Cæſaris domini ſui, ſtatim convocavit, quos habere potuit, principes, epiſcopos vicinos, comites & nobiles, & de conſilio ipſorum dat Henrico filiam ſuam in uxorem juxta remiſſa ſcripta, & celebrantur nuptiæ ſolemniter, Henricus admiratus vehementer unde ſibi tanta gratia proveniſſet, omnino ignorans quod contra literas factum eſſet & cum perveniſſet ad

lectum

lectum puellæ dixit: Ego ſum pauper homo & ignobilis & non ſum te dignus, ſed ſcias quia voveo Deo caſtitatem meam. Quo audito illa gaudens: & ego ſimiliter voveo & vovi. Non longe poſtea venit iſta fama ad Imperatorem, qui multum indignatus & admirans vocavit ſcriptorem ſuum & quæſivit quid ſcripſiſſet uxori ſuæ. Et reſpondit: ego quod juſſiſti mihi ſcripſi, ſcilicet ut procurator veſter interficeretur. Imperator autem diſſimulans iram & cogitans quod hoc eſſet à Deo reverſus eſt in Teutoniam & vocans ad ſe Archiepiſcopum Maguntinum dixit: neſcimus quis homo iſte ſit, qui habet filiam noſtram & unde ſit & quis ſit, ſed cautè quærite ab eo, ut vobis dicat, unde ſit & quis ſit, aut ſaltem amicos ſuos, ut ſi forte aliquos habet, eos poſſimus honorare. Archiepiſcopus accedens ad Henricum cautè quæſivit ſicut Cæſar ſibi commiſerat. At ille reſpondit: Domine, pauper homo ſum, patrem habeo, qui moratur in ſylva proxima & eſt carbonarius, ſi vultis, interrogate eum ſi aliquam habeo parentelam neſcio. Archiepiſcopus equitavit in ſylvam & quæſivit ab ipſo carbonario, quis eſſet: non enim cognovit eum, quod ex longo tempore fuit alienatus ab eo: fuit enim frater carnalis Archiepiſcopi. Reſpondit iſte qui fecit carbones, per barbam iſtam canam frater tuus ſum Eggehardus Comes. Et Archiepiſcopus ſupra modum gaviſus dixit ei fortunam, quæ acciderat filio ſuo Henrico. Et rediens ad Imperatorem dixit, quòd Henricus de genere ſuo eſſet filius fratris ſui Comitis Eggehardi, qui adhuc viveret vocatus de Eggerkeſteen. Imperator ergo gaviſus, quòd tam nobilem haberet generum, fecit ad ſe vocari Eggehardum, & dedit ei gratiam ſuam, & omnia bona, quæ ei abſtulerat, reddidit & adduxit: & tunc fecit Cæſar dominum Henricum regem, qui & poſtea ſucceſſit ei in Imperio, & factus eſt Imperator. Uxor verò illius vocabatur Kunegundis, quæ poſtea canonizata eſt una cum domino ſuo Henrico, & ambo ſepulti ſunt in Eccleſiâ cathedrali Babebergenſi, quam & ipſe cum ceteris multis Eccleſiis fundaverat in honorem Dei. Fundavit etiam aliam Eccleſiam in Teutonia in honorem S. Laurentii & ibi maximum legavit cum certis clenodiis calicem ad modum magnæ ollæ cum duabus auriculis. Sed cum in pudicitiâ viveret cum uxore, quod Diabolus oderat, ut in ejus legendâ, in deceſſu & obitu hoc peccatum oppoſuit, ſed merito B. Laurentii liberatus fuit. Contulit etiam eccleſiæ Bremenſi foreſta in Ambria & terra Saxonum antiquorum, ſcilicet Friſonum, Widam & Eternebrock & foreſtum circa Heslingam quod Conradus Imp. dederat Adelberto Bremenſi Archiepiſcopo. Hic etiam diſtinxit terminos diœceſis & Udonis Comitis à Winenome flumine fluente in Weſſeram usq; in mare Barbarum ad inſulam ſanctarum virginum Urſulæ & ſodalium, dictam Hilgelandt, ab utraque parte Wariæ & altera parte Nordalbingorum ab utraque parte Albiæ usque ad mare Oceanum & Balteum ſimiliter, & à parte Udonis Comitis in Aldenam fluvium verſus Laringos, nam adhuc deciſiones terrarum Friſiæ ſpectabant ad Imperium, quibus præfecti erant quatuor epiſcopi & quatuor Comites. Et Comites iſti de antiqua fuerunt proſapia Romanorum per Karolum ſecundo, & primò per Julium Cæſarem translegati gentilitatis tempore ſicut poſtea tempore Karoli in Chriſtianiſmo. Et licet idem Henricus multa & miranda exercuit in ſeculo circa converſiones infidelium & conſtitutiones Eccleſiarum, morbo tamen calculi laboravit, quia virgo & purus, unde per tranſlationem Benedicti eripitur. Hic convertit Ungariam & Stephano regi ſororem ſuam copulavit in matrimonium. Ipſe eſt canoniſatus: ejus feſtum occurrit ſequenti die ordinationis Willehadi. Uxor ejus Kunigundis ſimiliter, cujus feſtum eſt ſequente die aſſumtionis S. Mariæ. Et alia regina Radegundis etiam canoniſatur, cujus feſtivitas occurrit in ſequentem diem Scholaſticæ virginis, in cujus honorem beatiſſimus in Chriſto pater & Dominus Adelbertus Archiepiſcopus, ut poſtea referemus de anno Domini MLVII. ædificat & conſecrat propriam Eccleſiam in Ambria in loco Wivelſtede ſub invocatione Joannis Baptiſtæ, in cujus honore etiam & capella ante caſtrum Twiſchena tempore Egilmari extitit, poſtea dedicatur. Et Eccleſia manſit de collatione Archiepiſcopi, capella vero de jure patronatus Comitum de Brochuſen qui fuerunt ab olim de genealogia Comitum Ruſtringiæ, Ambriæ & Stedingiæ Hunonis & Guillæ. Quia & idem Egilmarus filius ſororis Hunonis extitit Comitis, qui ab eodem Henrico Imperatore in Goslariam evocatus non venit. Accuſatus autem apud eum more Friſonum, ſecundò vocatus ſecum deferre debuit contra leonem fortiſſimum

 per

per coæquevum ſuum filium pugnaturus quia Cæſaris Henrici imperium contumaciter contemſit. Non enim ex contumacia fecit generoſus Huno, ſed quod intentus divinis ad curiam Cæſaris Henrici venire cum paribus curiæ non potuit, quia Deo fidenter tunc militavit, quia poſt reſedit circa Eccleſiam S. Viti in Jadele in terrâ Ruſtriæ, ubi tunc fuit nobilium manſio unde tandem cum ſuis profligatus, expulſus & proſcriptus venit de Ruſtria in Ambriam, & ibi anno MLIX. monaſterium ſanctarum virginum in honore S. Odolrici Epiſcopi Auguſtenſis tunc defuncti & canoniſati fabricavit, & per Adelbertum Archiepiſcopum Bremenſem & Hamburgenſem conſecrari procuravit. Poſtea verò potitus victoriâ per Fridericum filium ſuum omnia legans ſanctæ Dei genitrici collegium Canonicorum primò inſtituit, in quo & poſtea monaſticum ordinem S. Benedicti propter Deo devotius ſervire introduxit & ibidem totum patrimonium ſuum legavit, & imaginem Chriſtiferæ deforis fieri præcepit, & illam ſibi dignè deſponſavit. Sed antea modico tempore videlicet ML. dum Archiepiſcopus Bremenſis Adelbertus venit de partibus Italiæ tunc Cæſar antedictum Henricum ſecum duxit in Bremam, ut videret Leſmonam & ut ibi cum rege Danorum pro regni negotio tractaret; & ut videret de fidelitate Ducum Saxoniæ. Nam tunc Ducatus alli, qui jam ſunt, in Brunſuick, & in Magnopoli adhuc non erant: ſed Ducatus Luneburgenſis erat Comitatus modicum ante tempora Adelberti. Nam & ante tempora Karoli Ducatus Saxoniæ erat regnum ſub Wedekindo, qui victus fuit in Bremâ ultimo in monte, ubi nunc eſt Eccleſia S. Petri. Sed etiam victus fuit in Wildeshuſen, & ſemel ante Oſnaburgum in Oſlingo, & modicum pòſt circa Mindam, & ibi concordarunt Cæſar & Rex, & vocatum eſt caſtrum meum & tuum, in Saxonico *Min unde din*, modò vocatur Minda. Ibi etiam Adaldagus antè dedit corpus S. Feliciani martyris: unde canit Eccleſia:

Minda Deo plaude laudes, & patria gaude:
Te quia ditavit ſummè Deus, atque beavit,
Hunc per patronum tibi dans venerabile donum.

Et ut dictum eſt tempore Adelberti Cæſar venit Bremam & receptus eſt laudabiliter, & magnis muneribus & benivolentiis benivolenter eſt tractatus, ſicut decuit. Et ibi Friſiam dedit Eccleſiæ Bremenſi, ſcilicet Herlingam, Nordendi & partes Auriæ, Wangam, Aſtargo & Ruſtriam, à quibus partibus Huno Comes, & filius ejus & tota ſoboles erant profugati, qui nomine Imperii iſtas terras poſſederunt à Romanis. Ab iſtâ patriâ peramplius facti ſunt exſules, & colla Archiepiſcopo Bremenſi Adelberto magno ſubdiderunt. Et ſic ſereniſſimus Imperator Friſiam iſtam dedit Eccleſiæ Bremenſi. Poſtea Cæſar venit in Leſmonam terram Wigmodiæ, & ibi cum expeditione fuit inangulatus prope Belecht, ſed Archiepiſcopus Adelbertus Cæſarem cum ſuis manu forti defendit: & propterea Comes fuit à Cæſare poſitus ad reviſionem juris, To rechte ſat wart de Greue. Et dum idem Comes per duellum vellet ſe expurgare, ipſemet ab uno ſubditorum ſuorum fuit interfectus. Et iſtius Comitis Theotmari frater & filii, quos habebat, in Adelbertum Archiepiſcopum exagitati exarſerunt in eundem, & impoſuerunt Archiepiſcopo, quòd reus eſſet mortis Theotmari Comitis, quod non fuit verum. Et perſecuti fuerunt Epiſcopum multis diebus, & non ſolum ipſum, ſed & Eccleſiam & provinciam ſuam. Et fecerunt Epiſcopo omnem diſplicentiam, & quando pax inter eos vel treuga fuerat, ſubditi Comitis ſemper recordati fuere prioris invidiæ. Et ut idem Archiepiſcopus Adelbertus ſimilem faceret ſuam civitatem Bremenſem & Eccleſiam ceteris, tunc ipſe fundavit de bonis ſuis acquiſitis duas Præpoſituras, unam S. Willehadi, ubi quievit corpus ejus, & inde ſublatum eſt. Secundam S. Stephani cui ſemper diligenter ſervivit. Et conſtruxit Eccleſias & erexit à fundamentis. Idem fecit poſtea ad S. Paulum, antequam per longa tempora monachos ſucceſſor Adalberti ibidem introduceret de ordine S. Benedicti. Et hanc Præpoſituram & ſecularium collegium ſacerdotum fecit de bonis hoſpitalis S. Anſcharii, à prædeceſſoribus ſuis fundati & maxima ac infinita prædia accepit de hoſpitali pro iſtâ Eccleſia S. Paulli: ſed reliquit aliqua pro ſufficientia pauperum competenti. Quartam voluit feciſſe circa Staden, & dicunt quidam, quòd fuit in Herſevelde uſque ad tempora ſucceſſoris Liemari, qui ibi primò monachatum introduxit & Papa inducto monachatu pro ſe retinuit eandem & exemit. Quintam præpoſitu-

ram

ram fecit in Leſmonâ de bonis, quæ ab Imperatore recepit & Imperatrice, ac propriis ſumtibus quædam emit & comparavit. Sextam fecit ultra Albiam in Sulichborch vel Sullenberg. Septimam incepit fabricare & fundare in Aſpice in diœceſi Mindenſi in Ruma quodam ſuper montem ibidem. Octavam fecit in abbatiâ quadam Torſicana ſuper aquam quæ Sala dicitur, quam etiam abbatiam parentes Archiepiſcopi Adelberti fundarunt de propriis reditibus. Etiam incepit multa laudabilia opera in aliis civitatibus, quæ in temporibus ſuis perierunt & ſucceſſorum ſuorum. Ipſe etiam, quia regibus & Cæſaribus valde familiaris erat, ſemper ſcripta amicitiæ direxit ad eos. Similiter ad reges Daciæ, Sueciæ & Norwegiæ literas miſit & epiſtolas pro amicitiâ habendâ, & omnes partes Aquilonis qualitercunque nominatas, quarum fuit primas & Patriarcha ac Apoſtolicæ ſedis legatus, monens homines & reges ſeptentrionis, & maximè Epiſcopos ſuffraganeos ſuos, ut monerent populum, ut fortiter ſtarent pro fide Chriſti cœptâ, & per anteceſſores ſuos laborioſe plantata: Et quòd bis in anno reges, Duces, Comites, Barones, nobiles, milites & militares, una cum Epiſcopis, abbatibus, prioribus, Præpoſitis, Decanis & Eccleſiarum rectoribus ſanctam Synodum ſuam pro fidei obſervatione & animatione viſitarent, quod & fecerunt, & ideo adhuc in hodiernum diem cum Synodus ſumma Archiepiſcopalium tenetur, quæritur pro cauſſa & ibidem invenitur. Cum quæritur qui evocandi ſint ad Synodum Archiepiſcopalem Bremenſem, reſpondetur: reges, Duces, Comites, ut præfatum, & totum inductum eſt pro obſervanda fide Chriſtianâ. Ipſe etiam Prælatos multos fecit, & Prælaturas diverſas in Eccleſiâ Bremenſi, & prælatos vocavit oculos ſuos: nam Prælatus eſt Archiepiſcopi oculus, ut in juriſdictione ſibi commiſsâ ſub Archiepiſcopo audeat de fide plantatâ ut in ſegetem uberem creſcat & delicta corrigat, & quæ corrigere non poterit, archiepiſcopo intimet. In illo tempore Danorum rex Sven dum quatuor regna haberet ſcilicet Daciam, Sveciam, Norwegiam & Angliam ſub ſe oblitus eſt domini Dei creatoris ſui & accepit matrem ſuam de Svecia reginam in uxorem: & dum hoc Adelbertus Archiepiſcopus comperiſſet, miſit ſtatim legatos ſuos ad regem Sven cum Epiſtolis & literis ſuis eum increpans, primò monens dulciter, poſtea minans ut debuit, addendo pro tam grandi malo in dictione legationis ſuæ facto, & impetiit increpando eundem pro peccato & taliter minatus eſt: Scias o rex, regem cœli ſuper omnes timendum qui & te poſt ſe regnare ad breve tempus permiſit in terris. Vide quia mortalis & pulvis & cinis, hodie rex & vilis materia cras mitteris in ſtercora, & pro delicto ſepelieris & deduceris in inferna. Reſipiſce & age pœnitentiam: ſi quo minus venerit ille, qui noſcit abſcondita cordium, & movebit candelabrum tuum, & eris quaſi non fueris. Et niſi continuò reſipiſcas, vibrabo Eccleſiæ gladium contra te nihilominus te & matrem, cum quâ contra Eccleſiæ prohibita commiſceris excommunicando & anathemiſando & in animâ gravi vulnere & verbere percutiendo & vulnerando. Sed ſi omnis paternâ tuâ, ut tradis potentiâ, quæ eſt vera impotentia, nobis reſtiteris, Apoſtolica ſeveritas quæ quòd nobis vices ſuas in Septentrione & Orientis partibus commiſit his in terris per nos taliter imploretur, quod de tam ſcelerato delicto vix commodum reportabis & crux Chriſti victorialis contra te vibretur & eadem prædicetur & ideo revolve mente hoc & reſipiſſe, quia niſi continuò feceris, à Chriſti corpore & Eccleſiæ ſuæ tanquam putridum membrum abſcinderis & amputaberis. Si pœnitere volueris feliciter valeas, ſin autem non cum Judâ damnato portionem accipies & vindictam. Cum autem rex Sven hujusmodi percepiſſet & legiſſet, iratus contra legatum & Archiepiſcopum Dominum ſuum Adelbertum prorupit: Si hoc fecerit Archiepiſcopus continuo civitatem ſuam Hamborg rogi flammis concremabo cum omnibus prædiis intus & extrà devaſtando & Eccleſias deſtruendo. Sed Archiepiſcopus omnia geſta & facta per regem tandem ſcripſit Papæ Clementi, quaſi cariſſimo & optime noto prius in Bavenbergâ, ubi Epiſcopus exſtiterat, & Cæſari Henrico nepoti ſuo, qui & illuc literas miſerat. Et ſic rex matrem ſuam dimiſit à ſe, cum quâ antea concubuit, & pœnitentiam vovit, quam ex timore & non amore fecit. Poſtea cœpit Henricus Imp. civitatem conſtruere Goſlarienſem ex parvo molendino & domo venationis ſuæ & confirmavit illic Comitem de Wernigerode in piſcatorem ſuum in partibus Saxoniæ, Comitem de Spegelberg in

in venatorem, & fecit ibidem officia cætera. Et comites hujuſmodi ex tali officio receperunt clypeos: nam Comes de Wernigerode pro ſigno recepit piſces in clypeo: Comes alius cervum cum cornibus in ſignum ſui officii. Comes de Anholt qui & de genealogia ex una parte Ducum erat Saxoniæ,& de marchionibus Brandenburgenſibus diviſo clypeo factus eſt venator avium in ſylvis & compitis pro coquina regis & de cæteris ſimiliter. Comes verò Ambriæ & Ruſtriæ, qui jacuit inter maritima loca ut factor pontis regalis & magiſter ſtructuræ & carpentarius quinque aſſes recepit ſub partitione glauci & rubei. Unde & Comites de Brockhuſen ex diviſione terrarum facti quatuor aſſeres & pecias receperunt in albo & rubro. Dum autem Cæſar Henricus ædificaſſet civitatem Goslarienſem ſicut modò ſtat cum palatio ex conſilio Archiepiſcopi Adelberti fecit ibi duo collegia. Unum dedit Archiepiſcopo Adelberto domino noſtro in ſempiternum ad regendum & ſucceſſores, quia ſibi ſemper indiviſus fuit comes peregrinationis & laboris, ac conſiliorum ſuorum cooperator in omni labore. Et idem archiepiſcopus tanta excrcuit juxta Cæſarem, quæ ſi vellemus ſcribere, deficeret carta,& manus vix ſufficeret ſcribere & lingua depromere. Adelbertus Epiſcopus venit in Norwegiam & ibidem fuit invitatus à rege Aroldo ad prandium & venit etiam in Norwegiam & invenit ibidem in uno loco tumulatum corpus defuncti quod quievit ibidem LX. annis, & incinerari non potuit quia in excommunicatione fuit, ſed Archiepiſcopus eum abſolvit & ſic ut cinis decidit & pulvis. Homo idem fuit olim excommunicatus à Libentio noſtro Archiepiſcopo Bremenſi pro opere piratico, qui marinus erat latrunculus, ſicut hoc Adelwardo oſtenſum fuit in quadam viſione. Eodem tempore Adalberti Saxones congregaverunt exercitum magnum & ſubjugaverunt populum Licicienſem & ſubdiderunt iſtum populum ſedi Apoſtolicæ & receperunt obſides. Ab iſto tempore Eccleſia Bremenſis valde fuit ſuppeditata, quia tunc Archiepiſcopus Adalbertus fuit in regni negociis cum imperatore Henrico valde occupatus. Eodem tempore Archiepiſcopus Adelbertus Bremenſis & Anno Archiepiſcopus Colonienſis facti ſunt Imperii Conſiliarii à principibus terrarum & maximè electoribus aliis, & in conſiliis eorum ſtetit reſpublica. Tunc meritò potuit dici illud Platonicum allatum à Boëthio in I de conſolat. Beatas forè reſpublicas ſi eas ſtudioſè rexerint ſapientes.

Anno Domini MLVII. Idem Archiepiſcopus Adelbertus in terrâ Amirorum ſeu Ambriæ primam Eccleſiam fundavit in honore omnipotentis Dei & genetricis ejus ſub invocatione ſanctorum Joannis Baptiſtæ & Radegundis reginæ ut aliqualiter prætactum eſt. Et ad iſtam Eccleſiam ſpectabat tota Ambria cum villis adjacentibus prope Hatten: nondum in Oldenborg & Hatten Eccleſiæ fuerunt: ſed capellanus Archiepiſcopi Adelberti quandam Eccleſiam fundavit in Ganderkeſerde, qui ab Ecceſia illa dicebatur dominus in Ganderkeſerde, ex qua factæ ſunt poſtmodo capellæ in Haſpergen & Harpſtede ad S. Willehadi præpoſituram cum Eccleſiâ Teriveſtede, quæ eſt poſt Eccleſiam S. Willehadi & dat VIII. groſſos boni numiſmatis pro cathedratico. Poſtea verò de anno Domini MLIX. vir præclaræ nobilitatis Huno cum uxore ſuâ Guillâ veniens de partibus Ruſtriæ in parochia S. Viti in Jadele, & filio ſuo Friderico, & filio ſororis ſuæ Egilmaro exſiliatus de Ruſtriâ cœpit habitare in Ambria, quæ tunc etiam pene fuit circumdata aqua & ceſpite, ad honorem omnipotentis Dei ejusque genetricis ſub invocatione S. Odolrici Epiſcopi monaſterium in Ambriâ in loco cui nomen Radeſtad cœpit ædificare, anno ut ſuprà Indict. XII. III. Idus Septembr. quod & reverendiſſimus Pontifex Adelbertus ad preces ejus benigne perſonaliter cum cæteris Epiſcopis & ſuffraganeis conſecravit, addens indulgentiarum cumulum non modicum. Ubi Comes Huno & heredes ſui Archiepiſcopo obedientiam exhibuerunt & ſuis poſteris canonicè in perpetuum ſubſtituendis & regulariter. Ibi & magnæ nobilitatis vir Huno Comes ſibi & uxori cryptam inſtituit, ut ſemotis ſecularibus negociis Deo liberius vacarent. Et poſt contigit, ut curiam quandam Cæſar Romanus in Goslariâ celebraret cum regni primoribus principibus & tribunis, ubi convocavit quoslibet præpotentes nobiles & Comites totius regni & præfectos Almanorum: Ibi ad curiam prædictam, quia Deo ſervivit, nobilis Huno non venit. Quapropter & idem Cæſar habito colloquio cum præſentibus dictus Huno Comes tanquam contumax coram eo ab æmulis ſuis fuit accuſatus, quod ad

Cæſaris

Cæſaris mandatum venire illuc contemſiſſet. Evocatur ergo literatorie per regium edictum & ſignificatur rurſus, quòd more pugilum pugnaturus in duello ſecum ducat nobilem pugilem, qui cum ſuo pugile forti leone pro hujusmodi rebellione dimicaret. Generoſus Comes Huno nequiens Cæſarem procraſtinare & ulterius differre edictum cum unico filio ſuo Friderico diſpoſitis omnibus neceſſariis illuc ſe traduxit, ut decuit, ibique filio Hunonis præcipitur ut cum leone in curiâ muro circumquaque circumdatâ eſuriente & fremente dimicaret. Introducitur Fridericus, & de caveâ ſua leo emittitur; ſtat Comitis filius fidens in Domino ejus venit plus valere prudentiam quàm fortitudinem & elegantiam, votum vovit & ſolvit Deo ejusque genitrici, & habito manipulo quem ſecum ad ſimilitudinem armati hominis habuerat, leoni primò projecit, arma enim pinguedine arvinâ extiterunt antea madefacta, & leo credens hominem allectus pinguedine arvina huc & illuc hujusmodi manipulum armatum projecit & ſe elaborabat in eo; quo viſo Comes de miſericordiâ ſperans Dei ejusque genitricis, quæ non deſerit ſperantes in ſe, ſed omnibus invocantibus ſemper præſto eſt, confirmatus in mente, divinâ ope acceſſit & leonem ferocem gladio ſuo interfecit, & ſic à læſione à duello Comitis filius, Deo volente, revertitur incolumis. Purgatâ ergo nobilis Comitis taliter contumaciâ per pugilem fortem Dei auxilio ſurrexit Imperator cum eum ſuperſtitem vidit & utrisque brachiis eundem amplexatus eſt & cingulo militari ſtatim ſuccinxit, annulum tradidit & plurima tribuit bona pro triumpho, quæ imperio pertinebant, & maximè bona circa Zozatiam & Trotmaniam ſcilicet Huninchove, Betinchuſen, Leſrinckhuſen, Bedincdorff, Smarlake, Merdige, Iſerlo, Aperne, Winſtete, Windichhuſen, Brockhuſen, Harinckdorff, Verder, Aſterbergen, Bunkenhuſen, cum Eccleſiis & appendiciis earum & cum omnibus miniſterialibus & vaſallis & cum omni proprietate, prout ad Imperium integraliter pertinebant in autoritate ulterius dandi & diſtribuendi ut ea poſſideat in perpetuum pleno jure. Contulit etiam & Comitiam ſuam Ambriæ & Ruſtriæ & Stedingiæ, quam antea ab Imperio ut advocatus habuerat, in feudum, poſtea in perpetuam liberam & de omni jure infeudationis Imperii Romani ipſum feudum excluſit & exemit. Dehinc in reditu idem Comes & filius ejus Fridericus monaſterium, prout Dei genitrici voverant, conſtruere inceperunt, & ideò primò collegium clericorum inſtituerunt & præpoſituram ſub Præpoſito S. Willehadi, cui prædia & poſſeſſiones de ſuo dominio in parte largientes tam in Friſiâ, puta Ruſtriâ, Ambria & Stedingiâ, ſed nondum ad ſtatus perfectionem perduxerunt. Et numerus ſacerdotum ſecularium ibidem erat duodenarius juxta numerum Apoſtolorum, ut Præpoſitus tertius decimus eſſet ſub vice Chriſti Archiepiſcopus Adelbertus & poſtea ejus ſucceſſores Canonicè ſubſtituti in perpetuum. Et tunc nobilis Comes Huno viam carnis univerſæ ingreditur & indicto monaſterio & collegio clericorum ante altare S. Joannis Baptiſtæ dignis exſequiis ſepelitur: ad cujus etiam ſepulcrum, ut refertur, ægri veniunt & ſanantur. Obiit autem ipſo die Commemorationis animarum ſequenti die omnium ſanctorum, quæ erat tunc Cæſarii, cujus corpus eſt in Bremâ. Guilla verò Comitiſſa monaſterium intrat ſororum & monialium in Eccleſia S. Odolrici & ibi deificè converſa obedientiam regularem bene & optimè ſeruat & poſt pauxillum temporis moritur & juxta maritum ſuum ſepelitur. Obiit autem ipſo die octavarum omnium Sanctorum, in die B. Willehadi Epiſcopi. Plena operibus bonis & eleemoſynis migravit ad Chriſtum, quem hîc ſedulò dilexit. Ipſa etiam ædificavit Eccleſiam in Guilſtede prope Werniam. Canonici autem Eccleſiæ S. Mariæ in Raſtede mira tunc in ejus tumba & miracula facta teſtati ſunt, & non modica. Feliciter igitur ibi pauſando exſpectat futurum judicem. Mortuis autem parentibus Comitis Friderici videns ſe ſolum ſuperſtitem cum à multis induceretur, ut acciperet uxorem, juſſit ſibi produci virginis imaginem & eam ſibi in heredem fecit & ſibi deſponſavit, quaſi tribus ſtadiis retro Eccleſiam ad occidentem & ibi apparuit ei angelus, qui & chirothecam cum annulo detulit pro arrha ut videbatur cantando, Gloria in excelſis Deo & repræſentat virginis imaginem quæ adhuc inconvulſa cuſtodit & dedit totam Comitiam collegio. Tandem canonicos ejusdem Eccleſiæ, conſecrante Archiepiſcopo Adelberto monachos S. Benedicti ordinis fieri procuravit, ut Deo inibi ſub regulari obſervantia devotius famularentur. Et illorum religioſorum quidam de Jadele, quidam de diœceſi Bremenſi, quidam de Coloniâ ve-

nerant, ut dictos novellos in regulâ de Canonicis factos monachos S. Benedicti perfectius ibi regulari fundarent vitâ, & hoc fuit in ultimis diebus Adelberti. Secundo enim conſtructionis anno, quando adhuc erat collegium ſacerdotum & canonicorum ſcilicet Anno MLVIII. Tunc tyranniſat Araldus rex Norwegiæ ſuper omnes tyrannos in malitiâ. Ipſe enim tun- in Norwegiâ multas deſtruxit Eccleſias, & multos fecit martyres: nam Chriſtianos, quos invenire poterat necavit: ipſe enim interfecit fratrem ſuum Olaum & fecit martyrem ad cujus ſepulcrum portata ſunt diverſa aurea & argentea clenodia. Ipſe accipiens hujusmodi theſaurum diſperſit in manu ſua, & apprehendit clenodia & ſigna pendentia ante ſepulcrum fratis ſui B. Oſvaldi & violenter laceravit rabido more ac fregit. Cujus ſancti martyris vitam hîc habere volo pro inſertis. Theſaurum etiam inventum dedit militibus ſuis pro quo & Archiepiſcopus Bremenſis & Hamburgenſis Adelbertus magnus eum graviter increpat, prædicens ſibi Dei vindictam adfuturam. Et miſit ad eum legatos ſuos notabiles cum literis, & monuit eum, ut hujusmodi Eccleſiæ theſaurum ad manus laicorum non deportaret, ſed relinqueret Eccleſiæ in laudem ſui redemtoris. In iſtis temporibus Hamborg habuit pacem & tota Slavia fuit quaſi plena ſacerdotibus & Chriſtianis, & multæ Eccleſiæ deſtructæ erant illo tempore, ſed redintegratæ & multæ de novo reædificatæ fuerunt. Anno Domini MLXII. obiit Dux Bernhardus Saxoniæ & Slavorum, qui viriliter præfuit illis diebus à tempore Libentii Archiepiſcopi ſenioris XL. annis. Hæredes illius puta Ardolfus & Hermannus filii ejus inter ſe diviſerunt terras reminiſcentes antiqui odii, & rancorum, quos pater eorum habuerat contra Eccleſiam Bremenſem. Nam vivente eorum patre Duce Bernhardo incepit Ardolfus cum magno exercitu perſequi Eccleſiam Bremenſem & diœceſin, immo ubi potuit provinciam integram, & maximè in partibus Friſiæ, quam Henricus Imperator benigniſſimus dedit magno Adelberto Archiepiſcopo Bremenſi. Et ipſe certo fecit exoculari de diœceſi Bremenſi, & fecit nuncios ſibi ab Archiepiſcopo directos necari, & quosdam decollari. Ultimò verò fecit gravius perſequi & Eccleſiam ac ſubditos per rapinam incendium & interfectiones non modicas, & deſtrui quantum potuit manu forti. De hoc conqueſtus fuit Archiepiſcopus in curiâ Papæ & Cæſaris, & per illos deriſus fuit in curia Cæſaris à Duce & à filiis ejus dicentibus, quòd ſe defenderent. Sed rex ſibi piiſſimum præbens affectum ſemper adhæſit. Sic etiam elegit Hermannum Comitem in judicem, ut duos fratres filios Ducis Bernhardi componere & dijudicare poſſet ex mandato regis, quia Cæſar multis præpeditus tunc hujusmodi cognitioni intendere non potuit. Tunc Adelbertus Archiepiſcopus Bremenſis invitatus à Cæſare proficiſcitur cum magno exercitu in Ungariam ſicut princeps militiæ & militum & Cæſar commiſit Annoni Archiepiſcopo Colonienſi cauſſas omnes & ſingulas ſuæ curiæ regalis, & tunc rex repoſuit Salomonem in regnum Ungariæ, quem Ungari inde depulerant. Tunc etiam oblitus eſt Hermannus Comes beneficentiæ à Dn. Adelberto ſibi factæ, & converſus in furiam venit contra Bremenſem civitatem cum exercitu magno & deſtruxit quicquid invenire potuit: ſed cavebat Eccleſiis, quos nec deprædatus eſt, nec incendit: & deſtruxit omnia caſtra, munitiones & opida, quæ Archiepiſcopus fundaverat per diœceſin ſuam in diverſis locis. In illis diebus Adelbertus in curiâ regis conqueſtus eſt de hoc coram rege Romanorum: Audiens hoc rex citat Comitem Hermannum, & vicit in cauſſa Archiepiſcopus & depulſus eſt dictus Comes Hermannus, ſed anno elapſo rex fecit Comiti gratiam & abſolvit eum. Poſt hoc venerunt Comes Hermannus & Dux Ardolfus frater ſuus ad regem & Archiepiſcopum ut ſatisfacerent Eccleſiæ Bremenſi pro injuſtitiâ factâ & malitiâ, & dederunt Eccleſiæ L. curias & villicationes. Et tunc fuit pax optima in terrâ omni. Tunc etiam pœnituit regem damni Eccleſiæ Bremenſis & deſtructionis eorum. Propterea miſit Eccleſiæ Bremenſi multa digna & cara clenodia centum videlicet aurea pallia & ſagas deauratas, thuribulum & librum auro & argento circumductum. Sed dices, quæ ſunt hujusmodi in numero, pondere & menſurâ ac nomine clenodia miſſa à Cæſare? Dico reſpondendo, quod iſta munera regalia miſſa in ſubſidium Eccleſiæ Bremenſi fuerint tres aurei calices à decem talentis Lubecenſis auri, argenteum chriſmale, unus deauratus argenteus clypeus, novem regalia dorſalia propriè Rugglaken/ & vaſa aurea & argentea, pſalterium aureis literis ſcriptum, thuribulum & candelabra

argentea,

Digitized by Google

argentea, XXXV. caſulas, XXX. cappas & XX. dalmaticas & unum plenarium, cujus tabula habuit IX. talenta auri Lubecenſis & alia multa clenodia. In his diebus monaſteria in Laureſſe & Corbeia nova ſubjecta ſunt Eccleſiæ Bremenſi & Archiepiſcopo, pro quibus Archiepiſcopus Adelbertus diu laboraverat. Tunc etiam rex Romanorum legavit Eccleſiæ Bremenſi Leſmonam, quæ C. manſos habuit in bonis. Etiam dedit Eccleſiæ Bremenſi terram Hadeleriæ pro quâ Adelbertus reginæ Agnetæ dedit DCCCC. Lub. talenta auri. Etiam fecit idem Epiſcopus, quod omnia jura & jurisdictiones venerunt ad Eccleſiam Bremenſem, ſicut ſunt in aliis Eccleſiis majoribus bene ordinatis & antiquioribus, puta Colonienſi, Trevirenſi, & Maguntienſi. Et acquiſivit & comparavit idem Archiepiſcopus Comiciam de Fivelgo in Friſiâ à rege Roman. quæ antea erat Ducis Godefridi, & Engelbertus poſtea poſſedit. Et dicitur, quòd de illa Comicia & dominio reditus annuatim fuerint mille argenti libræ, de quibus Egilbertus ducentas libras ſolvit, qui fuit miles Eccleſiæ. Comiciam obtinuit idem Adelbertus dum vixit decem annis. Alia Comicia, ſive comitatus, fuit Udonis marchionis diſperſus per totam diœceſin Bremenſem hinc & inde & plus circa Albiam, pro quâ idem Archiepiſcopus annuatim dedit mille libras argenti. Hujusmodi ſummas tamen Archiepiſcopus habere & acquirere non potuit de reditibus Eccleſiæ, ſed de altaribus, imaginibus, ſcriniis & coronis aureis & argenteis in majori parte acquirebat. Et alia clenodia propterea deſtruxit, ut talia regalia prædicta haberet, & bene fecit. Tunc etiam deſtructa fuerunt clenodia, quæ dilectrix Chriſti Emma, quæ & Emigundis obtulerat; de quibus prius fecimus mentionem. Dum autem aurifaber iſta confregerat, [illegible] conflandum in ignem poſuerat, ipſe aurifaber vocem audivit, quaſi unius pueri ſingultum emittentis miſerabiliter. Et ſunt theſauri ſuppeditati, qui ab olim Eccleſiæ Bremenſi fuerant legati ex magnâ humilitate & miſericordiâ, maximisque parti laboribus. Ab ultimo quaſi dimidia pecunia vix fuit de clenodiis congregata, & lapides precioſi inde extracti dabantur levibus mulierculis. Ab illo die receſſit omnis fortuna ab eccleſia Bremenſi in oblationibus & auro. Et idem Archiepiſcopus Adelbertus & ſui canonici ſpreti & deſperati ab omni populo, licet hæc eadem feciſſent ritè pro Eccleſiâ, & hujusmodi non curavit Archiepiſcopus. Tunc etiam Comiciam emit in Emisgao, pro qua promiſit regi Romanor. dare mille libras argenti, quaſi ab hujusmodi antedictis clenodiis ſumturus. Anno MLXVI. dedit ſe iteratò Adelbertus ad regis curiam factusque eſt Conſiliarius regis & obtinuit ſolus ibi primatum & ſolemnia capitolii: ſed hoc non habuit abſque invidiâ principum. Tunc conſpirabant inſimul electores Imperii. contra Archiepiſcopum, & venerunt ubi rex præſens fuit, & expulerunt Adelbertum Archiepiſcopum de curiâ regis, quaſi jaculatorem & deceptorem. Quod dum audirent Ardolfus & filius ejus Magnus & Hermannus, quod Archiepiſcopus Albertus à Senatu fuiſſet pulſus lætati ſunt inſipientes in corde ſuo, & cogitabant quomodo eundem Archiepiſcopum pellerent à diœceſi ſuâ. Et dum in ipſo noſter principatus haberet, ſedit in ſede Bremenſi à ſuis inimicis undique circumſeptus. Tunc Ducis Ardolfi filius Magnus impatientior fuit inter omnes plus minando litem Eccleſiæ & Archiepiſcopo gaudente dicens, quod veniſſet placidum tempus perſequendi Eccleſiam Bremenſem & Archiepiſcopum. Et lærabatur quòd poſſet punire & corrigere Eccleſiam Bremenſem. Poſt hoc fuit Archiepiſcopus circumſeptus à Duce Magno, & Epiſcopus venit ſecretè in Goslariam ad monaſterium regale donatione ſibi datum & manſit ibi dimidio anno circa monaſterium ſuum ſibi & Eccleſiæ incorporatum: tunc caſtra ſua lucrata ſunt ab inimicis. Tandem fecit Archiepiſcopus pacem cum Duce Magno, & dedit ei de bonis Eccleſiæ plus-quàm ducentas curias: cum iſtis donis non obtinuit Archiepiſcopus plus, quàm quod non fuit expulſus de Epiſcopatu ſuo, & nihil ſervitii habuit, quàm quòd dominus vocatus fuit. In diebus illis Gotſchalcus princeps Slavorum interfectus occubuit quos ad fidem convertere nitebatur. Etiam abbas Anſverus venerabilis cum XXIIX. fratribus à Slavis prope Raceborg lapidati ſunt ad mortem ipſo die diviſionis Apoſtolorum, quorum feſtum celebrat Eccleſia Racepoli ipſo die Arnulfi propter alia feſta intervenientia in eadem Eccleſiâ. Et de illis martyribus ſic canit Eccleſia: Pro nomine Chriſti dignè inventi ſunt iſti hic pati cum conſortibus, quos triumphans in patriâ nunc poſſidet Eccleſia augentes cœlum ſortibus. Et illos mar-

 tyres

Digitized by Google

tyres Adelbertus fecit canoniſari per quendam ſuffraganeum in Raceborg annuente ſibi apoſtolico & ſacro approbante Concilio. Et canoniſatione completâ Epiſcopus Raceburgenſis miſit brachium ſancti Anſueri abbatis ad monaſterium B. Mariæ virginis extra muros Stadenſes. Tunc deſtruxerunt Slavi cum armis & igne totam diœceſin Hamburgenſem, & Stormari & Holſati fuerunt omnes à Slavis interfecti & captivati: & caſtrum Hamburgenſe ex integro deletum fuit, & res Eccleſiæ fractæ fuerunt in ſcandalum & opprobrium Chriſtianorum & ſalvatoris Jeſu Chriſti. Etiam tunc tota Sleſuicenſis civitas deſtructa fuit, quod quidam fecit, qui habuit ſororem Gotſchalci & dum reverſus fuit, etiam interfectus exſtitit. Et ſic prolapſi fuere omnes Wandali & Slavi extra fidem, & interfecerunt omnes fideles Chriſti in iſtis finibus, quos apprehendere potuerunt. Tum etiam Dux Ardolſus litigat bene XII. annis cum Slavonibus & nunquam victor extitit. Dum verò Archiepiſcopus expulſus fuit & Gotſchalcus Dux mortuus in octavo anno regni Cæſaris Henrici in XXII. anno Archiepiſcopi Adelberti. Ex illo anno vacavit ſedes Epiſcopalis in Oldenborg Slavorum: nec tunc adhuc incepit Oldenborg Ammirorum, ſed ſub Henrico Duce Saxoniæ & Bavariæ, & Oldenborg Slavorum olim jam dicitur Lubeck & Epiſcopatus Oldenborgenſis vacabat LXXXIIII. annis. Et ſciendum quod Karolus M. primus duxit Slavos ad fidem, & poſtea Otto tertius ſecundò, & iterum Gotſchalcus tertiò. Et iſtam malitiam in terris ſignificavit Cometa in primo anno circa Paſcha. In eodem anno fuit maxima ſtrages hominum facta à rege Wilhelmo in Angliâ. Anno MLXXVII. congregati ſunt ſexcenti homines de Holſaria & ultra & receperunt ſe cum habitatione in Hartesbergenſibus montibus ſic dictis, ubi & in hodiernum habitant diem, qui ex eis ſunt progeniti: & hoc fecerunt propter anguſtias perſecutorum ibidem à Wandalis & Slavonibus. In eodem tempore ſedit Archiepiſcopus Adelbertus infra ſepta murorum Bremenſium, quia tunc ex invidiâ de curia regis pulſus fuit, & à Conſilio regis depoſitus & ſuis ſpoliatus. Et dum nil haberet, mutuat de ſpoliis pauperum & de bonis ſanctæ Congregationis in iſto ſeptennio quo vixit, tunc Archiepiſcopo dabantur eleemoſynæ pauperum ab hoſpitali in Bremâ, & fuerunt tunc cara tempora & hoſpitale fuit abundans divitiis, & tanta tunc fuit fames in mundo & præſertim in diœceſi Bremenſi, quòd propter cariſtiam annonæ homines mortui & inedia conſumti jacuerunt in plateis civitatis Bremenſis, & inventi ſunt multi mortui. Legitur quòd in iſta cariſtia homines mortui adjudicati de patibulo ſint ad comeſtionem depoſiti & alia mira facta ſunt, quia mures, catti & canes comeſti ſunt, & precio caro emebantur. Tunc ultimo anno LXXIIX. fuit Archiepiſcopus Adelbertus e converſo in priorem ſtatum repoſitus poſt triennium depulſionis ejus, & cogitavit, quomodo ulterius ſapienter circa principes ambularet, quòd non exacerbaret eos ſicut prius. Et idem fecit primò cum Archiepiſcopo Colonienſi Annone & poſtea cum aliis, qui peccavere in eo, vel ipſe in eos. Tunc acquiſivit ibi Pliſnam, Dusborg, Groningin & Sinticum. Et habuit in manibus ſuis Præpoſituram Wildeshuſam & Præpoſituram in Roſſevelde prope Herſevelde circa Hamborg. Et inſtituit in Archiepiſcopatu ſuo XII. Epiſcopatus, quos diviſit de Archiepiſcopatu exceptis ſuffraganeis, quos in Daciâ, Sueciâ, Norwegiâ, Livoniâ, Stridendia, Islandia, Grondia ac aliis terris habuit præcipuè in Slavoniâ & Saxoniâ & aliis populis ad Archiepiſcopalem Eccleſiam Bremenſem & Hamburgenſem. Et primus Epiſcopatus fuit in Palmen, ſecundus in Hilgenſtad, tertius in Raceborg, quartus in Oldenborg, & modò in Lubeke, quintus in Magnopoli & dicebatur Magnopel & nunc Suerin, ſextus in Staden ad ſanctum Georgium ſive Willehadum, ſeptimus in Leſmona, ubi erat quædam Præpoſitura, octavus in Wildeshuſen, nonus in Brema, decimus in Verden, undecimus in Rameslo, duodecimus in Friſiâ, pro quo erat Eccleſia capitalis in Repesholte S. Stephani egregio fundata. Et ipſam Verdenſem diviſit in duas, quarum una pars ad eandem, reliqua ad Eccleſiam S. Sixti & Sinicii in Rameslo ſpectaret. Et epiſcopatum Verdenſem habuit in manibus. Et totum ſic diſponere non dubitavit, quia jam mentem Papæ & Cæſaris ad hoc inclinaverat, & domini Maguntini; nam ipſe tunc proviſor extitit Eccleſiæ Verdenſis. Sed in Hamborg voluit ordinare patriarchatum, ut ſederet ibi tanquam rex in ſuo regno, & haberet, in quovis regno metropolitanum & ſic haberet tres Archiepiſcopatus ſub ſe in Daciâ, Suecia & Norwegiâ, & ultra iſtos tres Archiepiſco-

chiepiſcopos haberet duodecim cooperatores & ſuffraganeos ut patriarcha. Quod totum Clemens Papa nepos ejus & conſanguineus una cum Cæſare benivolè annuebat & conceſſit. Poſtea Archiepiſcopus recepit bona, quæ Dux Magnus habuit ab Eccleſiâ interim quod Archiepiſcopus fuit ex diœceſi ſuâ & deſolata fuit. Et tunc defecit conſilio & ſubſidio Archiepiſcopus Adelbertus recuperando bona Eccleſiæ ſuæ: & tunc in his occupatus quandoque per diem dormivit, & per noctem in cogitationibus ſuis laborans & vigilans, quandoque noctes & dies duxit inſomnes. Ultimo dum reverſus fuerat ad ſtatum in diœceſi ſuâ, tunc dixit in introitu ſuo verbum unum, quod utique ſi non dixiſſet melius fuiſſet, dicens quòd prædeceſſores ſui Archiepiſcopi nubili fuiſſent & ignobiles, & ipſe ſolus præcelleret, & eſſet nobilis de genere Ducum & Principum, & eſſet ditior omnibus ante eum. Tunc venit ſibi quadam nocte viſio una, quia videbatur, quòd duceretur ad conventum in Eccleſiam Bremenſem, & quòd miſſa debuit celebrari & circa celebrantem ſtetiſſent XIIII. prædeceſſores ſui, & proximior ante illum celebrabat miſſam. Et dum lectum fuit evangelium converſus ſacerdos celebrans & Epiſcopus venit ad offertorium, & venit ad Adelbertum, qui ſtetit in ultimo & noviſſimo loco choro, & minaciter eum inſpexit, & offertorium ejus disjecit & intulit: tu nobilis homo, tu non poteris habere partem cum humilibus, & receſſit iſto verbo ab eo. Ab illâ horâ fecit magnam pœnitentiam pro verbis iſtis, & habuit prædeceſſores ſuos in magno honore. Et dejuravit maximis ſuſpiriis ſe eſſe indignum ſocietate iſtorum ſanctorum patrum. Et ſtatim inſtituit, quòd fratribus canonſcis ſuis plena convivia fieri deberent in omnibus anniverſariis prædeceſſorum ſuorum ex curiâ Bramſtede & reliquit multa ſigna pœnitentiæ, ſic quòd poſt diem deſtructionis Eccleſiæ & depulſionis ſuæ nunquam lætus effectus eſt & nunquam audire voluit & raro riſit: nunquam ivit ad convivia, nec ad curiam regis juxta temporum qualitatem. Et ſemper ploravit, quando recordatus eſt deſtructionis Eccleſiæ ſuæ, & quando aſpexit, qui fecerant illud. In die natali dum Dux Magnus præſens fuit, & plures hoſpites cum Archiepiſcopo eſſent tunc fecerunt multos jocos & tumultus poſt prandium quod Adelberto Archiepiſcopo valde diſplicuit, & mandavit fratribus qui aderant quòd cantarent illam antiphonam: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. quæ canebatur olim in initio quadrageſimæ in depoſitione Alleluja. Dumque laici amplius inaniter ſe haberent & clamarent, tunc fecit cantari in latino: Suſtinuimus pacem & non venit, quæſivimus bona & ecce turbatio. Tertiò dum adhuc ulularent laici valde iratus eſt & juſſit deponi menſam & per ſe incepit cantare: Converte, Domine, captivitatem noſtram, reſpondente choro, ſicut torrens in Auſtro. Et ſic fugit Archiepiſcopus in ſuum oratorium & concluſit ſe intra & flevit amarè. Et hujuſmodi multas cum ſuſpiriis & fletu habuit pœnitentias ut conſtaret eum comparem eſſe prioribus Pontificibus, quod in luctu & fletu hujuſmodi callem vitæ tranſigeret, Sic quod pluries monachus fieri petiit, quorum vita ſecundum monachorum tunc valdè formata fuit, & ignea in acie Dei & proximi. Etiam deſideravit in legatione & prædicatione apud Barbaros vitam finire in Slavoniâ, & qui receſſerant à fide Chriſti & ſuo tempore vel in Sueciâ, vel in Islandiâ aut Gronlandia ſive Scridefindia pro Chriſti fide mori. Ultimò verò tactus infirmitate dyſenteriæ & fluxu ſanguinis medicabatur à quodam medico de quo infrà: in illâ infirmitate de levi cecidit in majorem. In illo tempore viſus viſitare regem in Goslariâ cecidit de caballo & cœpit pœnitere & flevit iterum amarè, & promiſit Deo, ſanctæ Dei genitrici & S. Petro ſuisque prædeceſſoribus ſe meliorare velle vitam ſuam & ſtatim reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati. Nam legitur quòd in iſta nocte SS. Coſmas & Damianus cum ſanctis Willehado, Anſchario & Remberto eum reſtituerunt incolumem, & levi eorum tactu & collocutione receſſit morbus, ut ſibi videbatur & verum fuit. Nam evigilando rem geſtam ita eſſe cognovit, & ideo ſanctos iſtos in majori habuit reverentiâ, & ſupervixit tribus annis juxta numerum ternarium Pontificum, qui ſibi apparuerunt, quorum quilibet ſibi annum indulſit & duo medici hominem ſanum reddidere in animâ & corpore. Tunc cœpit multa perficere, ſed omnia non ſunt conſummata ab eo promiſſa propter brevitatem temporis hujus. In his diebus venit ibi quædam mulier, quæ cum ſpiritu quodam futura vaticinare præſcivit phytonico modo, ergo dicitur pythoniſſa. Illa manifeſtè omnibus retulit, quod Archiepiſcopus Adelbertus

tus in termino mori deberet, niſi converteretur, ut promiſiſſet: hoc idem fatebantur & medici. Tunc cum Archiepiſcopo fuerunt Nathebaldus & alii falſi prophetæ, qui dixerunt, quòd tam diu vivere deberet, quòd omnes inimicos ſuos poneret in ſcabellum pedum ſuorum: & illis plus credidit. Tunc etiam viſæ ſunt Bremæ cruces Eccleſiæ ſudare ſanguinem: Canes & porci immundaverunt in tantum Eccleſiam Bremenſem, quòd vix à ſummo altari depelli poterant. Videbantur etiam lupi innaturales in ſuburbiis horribiliter ululantes: & ivit fama, quòd totum fuit propter Archiepiſcopum, eo quòd clenodia ſic denudaſſet pro gloriâ ſuâ. Sed certè iſte pater & dominus hujuſmodi fecit in meliorationem redituum Eccleſiæ, & libenter melioraſſet, ſi diutius vixiſſet. Nam Eccleſiam ut modò ſtat taliter perfecit. Quatuordecim autem diebus ante obitum ſuum fuit Goslariæ, & noluit amplius per potiones & minutiones detineri & fuit gravatus cum ſanguineo fluxu ventris, & fuit conſumtus uſque ad oſſa & curem, & tractavit Rempublicam uſque in finem vitæ ſuæ. Et ibi ſcilicet in regis curiâ fuerunt Epiſcopi multi, multi presbyteri, Weſſelus Archiepiſcopus Magdeburgenſis & alii fratres, rogantes quod poſſent in loco ægritudinis reverendiſſimum Adelbertum Archiepiſcopum viſitare, quos fecit excludi foribus. Et dixit quòd indignus eſſet viſitatione eorum propter infirmitatem, quâ gravatus eſſet: Sed regi Henrico permiſit acceſſum in ſecreto, & illi commiſit in fine Eccleſiam ſuam. Adamericus medicus ſuus nunciat ſibi, quòd in triduo deberet mori Archiepiſcopus Adelbertus. Iſtud patefecit ultrò Archiepiſcopus Nathebaldo, qui etiam vaticinatus eſt, quòd ſomnium habebat circa ſe, quod in Brema deberet vitam concludere in anno MLXXII. Dum ſperavit adhuc ad vitam Archiepiſcopus feria VI. in meridie cum fratres ſediſſent ad menſam Archiepiſcopus ſolus in ſecretario ſuo ſeu in cubiculo jacens in grabato emiſit ſpiritum XVI. Kal. Aprilis. Indictione X. anno ut ſuprà. Volentes autem fratres cum rege videre de inventario Archiepiſcopi invenerunt libros notabiles juris & legum ac paginæ ſacræ ſimiliter & orationum & theſaurum reliquiarum & clenodia diverſa & veſtes ſacras. De theſauro autem ſuo nihil fuit inventum, vel ſecretè ablatum, vel nihil ibi habitum tum temporis: quæ omnia Cæſar accepit cum miniſtris. Similiter & idem Archiepiſcopus habuit manum B. Jacobi, quam prædeceſſor ſuus de Italiâ ſecum duxit: & hanc Archiepiſcopus Adelbertus ſemper apud ſe habuit: nam & ejus apoſtolus fuiſſe narratur. Corpus autem domini Archiepiſcopi cum magno labore transvectum fuit à Goslariâ in Bremam, quia & ibidem elegit locum ſuæ ſepulturæ & hoc fuit decimo die poſt obitum ejus poſtquam conditum fuit: & iſta transvectio & præſentatio in Bremâ fuit in die annunciationis Mariæ, & fuit corpus ejus ſepultum in novo choro ab ipſo fundato. Et dicunt aliqui, quòd interim, quòd ſolus jacuit, tunc peregit magnam pœnitentiam pro peccatis ſuis. Et ideo tunc Solus eſſe voluit, ne ab inſtantiâ impediretur: & maximè doluit, quòd tempus inutiliter conſumſiſſet, & pro ſe majora bona facere potuiſſet pro animæ propriæ ſuæ ſalute, quàm feciſſet, licet ſatis pro republicâ elaboraſſet cum lance juſtitiæ. Et nota quòd Archiepiſcopus Bremenſem honoravit Eccleſiam ſanctam valde & dilexit eam & ideo diu antea deſideravit ſepeliri in eâ etiam ſi in Italiæ partibus defunctus fuiſſet, ſe deportari ad eam affirmavit in vitâ & mortis articulo. Nam & ipſe à Dn. Clemente Papâ (qui antea Epiſcopus Bambergenſis Swiderus dictus) optimè noto ejusque privilegio obtinuit annum in Eccleſiâ Jubileum & remiſſionem peccatorum omnium pro omnibus, qui coram quinquaginta altaribus Eccleſiæ Bremenſis nudis genubus *Pater noſter* & *Ave Maria* contriti & confeſſi, vel in propoſito confitendi devotè dicerent. Et alia multa, puta partem tertiam remiſſionis omnium peccatorum omnibus ibidem pœnitentibus ſub ſpecie veniæ ibidem confluentibus miſericorditer idem Papa precibus ſuis victus conceſſit, ut refertur. Et ideo ad eandem Eccleſiam ſacroſanctam ſuæ elegit locum ſepulturæ poſcens miſericordiam à Deo ſibi fieri. Non eſt dubium, quin & idem Archipontifex cum Deo & ſanctis ſuis coruſcet in æternum, qui & ſuam reſpexit pœnitentiam ſeram & veram, & lumen gloriæ contulit pro muneribus & labore.

LIEMARUS XVII. Archiepiſcopus XIV. de Bavaria electus annis ſedit XXX. in ſede Archiepiſcopali, & fuit ortus de miniſterialibus ſereniſſimi Dn. Henrici Imp. de nobili etiam proſapiâ vir literatus & prudens. Ipſe accepit Archiepiſcopatum à Cæ-

ſare

ſare Henrico abſque electione capituli Bremenſis, & accepit pallium à Papâ Alexandro, & à ſuis ſuffraganeis fuit conſecratus. Ipſe etiam carus fuit Cæſari Henrico circa quem etiam militavit Anno MLXXXI. Tunc Cæſar Henricus venit Romam, & in expeditione ſuâ habuit Liemarum Archiepiſcopum Bremenſem in conſiliarium & ſatis fideliſſimum. Tunc reſtitit ſibi Papa Hildebrandus, qui ſucceſſit Alexandro & ille Hillebrandus junctus cum Romanis reſtitit cum eis Cæſari. Et tunc Cæſar ſeras & vectes ferreos confregit ante monaſterium S. Petri Romæ. Unde cum maximo labore à Romanis fuit infeſtatus & cum pauco populo operatus eſt magnalia Cæſar iſte. Tunc anno Domini MLXXXIII. Incepit ordo Carthuſienſium & confirmabatur præſente præſule noſtro, & multa mira iſtius ordinis tunc facta ſunt, quæ apud eundem ordinem manent inconvulſa. Poſtea anno MLXXXVIII. tunc Cæſar fecit nuptias Coloniæ & accepit in conjugem viduam Udonis marchionis, qui fuit Comes Stadenſis & dominii prope Bremam. Poſtea obſedit Cæſar Henricus caſtrum Gelichen in Hartone, ſed marchio Adelbertus depulit Cæſarem inde cum maximâ poteſtate. Et ibidem interfectus fuit Borchardus Epiſcopus de Lozana qui regalem lanceam portabat. Et ibidem etiam captus fuit Liemarus Archiepiſcopus Bremenſis in expeditione Cæſaris, quem captivavit Comes Luderus, qui poſtea in regem Romanum electus fuit & Cæſarem. Et Liemarus dedit pro liberatione ſuâ advocatiam Bremenſem & ultra CCC. marcas argenti puri, & ſic reverſus eſt in diœceſin ſuam. Hic Liemarus funditus deſtruxit baſilicam, quam Adelbertus ædificare cœpit, & erexit à fundamentis, ſicut adhuc videtur. In his diebus obiit Anſelmus Epiſcopus Cantuarienſis Angliæ primas vir clarus & Theologiæ profeſſor celebris toti mundo. Et tunc facta fuit magna eclipſis ſolis IX. Kal. Octobris horâ tertiâ diei, & videbatur Draco volans quædam horribilis impreſſio de qua in meteoris recitat princeps Philoſophorum & ſequebatur magna peſtilentia. Anno MXCVIII. XII. Kal. Aprilis tunc incepit primò ordo S. Bernhardi in Ciſtertio, & tunc floruit ille dignus Dei confeſſor S. Bernhardus celebris etiam toti orbi & generationibus ſeculorum. Poſtea anno Dei MC. venerunt primò monachi ordinis S. Benedicti in Harſevelde, ubi priùs longè antea erat Eccleſia cum Præpoſiturâ Canonicorum ſecularium. Sequenti anno videlicet MCI. obiit Archiepiſcopus Liemarus XVI. Kalend. Junii.

HIMBERTUS XVIII. Archiepiſcopus XV. ſedit tribus annis & obiit Anno MCIV. Et poſtea Anno MCXI. Papa & Cæſar cum principibus concordabant inire paſſagium ad terram ſanctam Jeroſolymis cum rege Franciæ & cum omnibus principibus ſpiritualibus & ſecularibus totius Chriſtianitatis ſecundum conſilium Ducis Godefridi de Bullion, & per terram & maria lucrandi eandem. Et Papa cum Imperatore conſtituit Reges Archiepiſcopos, Duces, Epiſcopos, Comites & Barones ad certam quotam Armigerorum. Tunc Archiepiſcopus Bremenſis cum ſibi ſubjectis Comitibus de Oldenborg, & Stotle, & Baronibus de Liderſa taxabantur ad magnam congregationem armigerorum, tam equeſtrium, quam navigantium per terras & maria peditum & equitum. Et tunc primò fundatum fuit cum auxilio Cæſaris Henrici & heredum Comitis Hunonis caſtrum Oldenborg Ammirorum temporibus Liemari Archiepiſcopi cum maximâ potentiâ & gloriâ adjuvante Archiepiſcopo Bremenſe propter inſultus Freſonum in terram ſuam, & maximè in Ambriam, Stedingiam ac totam Laringiam in depulſionem Comitis. Tunc etiam ad terram ſanctam ſe præpararunt quidam conſules & cives Bremenſes pro amore Dei & Eccleſiæ propriis ſumtibus & expenſis, Dn. Luderus de Verdâ conſul Bremenſis, Dn. Garberus de Wagâ, & Dn. Luderus de Linka, conſules; Johannes Junckhals, Gerhardus Friſonis Dethmarus Rigundes, Albertus Hilwardi, Hermannus de Hare, Gerhardus filius, Johannes Albertus, Bernhardus Nackeveddele, Gerhardus citra curiam, Henricus de Tivecâ, Henricus Brunshanen, Sifridus Willeldes, & Johannes Wolimanni cives Bremenſes, quorum pauperior habuit annuatim in Bremâ ex reditibus CC. marcas Bremenſes, optimæ & gravis tunc valentis. Et ibi navigio venerunt ad terram ſanctam, & ibi inſignia militaria pro civitate Bremenſi, puta varium & aurum deferre à Cæſare promeruerunt, pro eorum meritis & conſtantiâ, & reverſi ſunt omnes, demtis duobus, de terrâ ſanctâ, ſcilicet Gerhardo Freſe & Alberto circalibram. Et ſciendum, quòd Duces Godefridus & Balduinus de Ballion terram ſanctam

ctam ucrati ſunt, ut per ſcripta authentica Regum in Chronicis manifeſtè habetur. Et poſſederunt terram ſanctam cum Chriſtianis, & manſit in manibus Chriſtianorum ad LXXX. annos, antequam iteratò deveniret ad Turcas & Saracenos, id eſt, gentiles. Et ſciendum, quòd eſt civitas dicta Alcayra, ubi reſidet Soldanus, qui eſt abnegatus ſemper, & peſſimus Chriſtianus, & conſtituitur vel creatur à rege Turcorum, qui in Latino dicitur Teucrorum: nam Teucer dicitur Turcus, & Teucri ſunt Turci. Et illa civitas Alcayra eſt populoſa valdè, & itinere VI. dierum: ibi reſidet Soldanus pro victoriâ terræ ſanctæ. Etiam eſt in terrâ ſanctâ alia civitas, quæ dicitur Abneka, ubi colitur Machimet ipſe dæmonio plenus à Saracenis pro deo, de quo vide libro de terrâ ſanctâ. Anno Domini MCXII. quidam Princeps Wandalorum & Slavorum nomine Crito vaſtavit totam Nordalbingiam & occidit Chriſtianos & deſtruxit eccleſias & incendit. Et ipſe ædificavit tunc caſtrum inter Travennam & Wakenze, & perſecutus eſt idem Crito peſſimus tyrannus longo poſt tempore Eccleſiam Dei, & fidem Chriſti deſtruere nitebatur: ſed ibi exigente ejus malitiâ interfectus eſt in perſecutione Chriſtianorum. Uxor ſua dicta Slavina accepit poſt mortem ejus virum nomine Henricum filium Gotſchalci Principis terræ & Ducis Saxoniæ. Videntes autem Slavi, quod iterum Chriſtiani haberent dominium, nitebantur eum depellere & occidere. Et ideo factus fuit vir ſui avunculi Ducis Magni Saxoniæ, cui fecit homagium, ut ipſe eum haberet defenſorem. Nam & illi duo videlicet Henricus & Magnus nati fuerunt de duabus filiabus regis Daciæ, & ſic Dux juvit eum, etiam in ejus auxilio fuerunt Holſati & Stormanni. Et ipſe tunc fuit Dux Magnopolenſis & Detmarſi ſequebantur eum, quia erat de dominio Udonis marchionis Stadenſis, unde etiam ortum habuit Gotſchalcus idem & Henricus: nam & filii ejus referuntur. Et bellum habuit contra Wandalos, id eſt, Slavos circa Simerowe in campo ubi ceciderunt innumerabiles Slavorum, & ſic tenuerunt Principem Henricum pro domino. Poſt pauca obiit Dux Saxoniæ Magnus in eodem anno. Tunc venit ad regnum Romanum Henricus quintus ex nomine, poſt patrem ſuum Henricum quartum, quem expulit filius à regno. Idem Cæſar Henricus dedit tunc Ducatum Saxoniæ Comiti Ludero, qui poſt eum factus Cæſar Romanus, quia Magnus obiit ſine herede. Eodem anno iterum Slavi venerunt in Hamborg pro rapinâ & hos inſequebatur Comes Gotfridus dominus iſtius terræ & fuit à Slavis interfectus. Tunc Dux Luderus dedit illam Comitiam Stormariorum ſeniori Adolfo Comiti de Schowenborg, quia feudum eſt Ducum Saxoniæ. Et ipſe tunc optimè concordabat cum Principe Henrico de Wenden, id eſt, Slavorum. Et ille Princeps Henricus iteratò cœpit reædificare Eccleſias in terrâ ſua, quæ erant prius deſtructæ per ſuos. Et tunc in totâ Nordalbingiâ non manſerant ab inſolentiis Wandalorum aliquæ Eccleſiæ niſi in Hamburg & Lubeke. Sed quare in Lubeke? quia ibi Henricus de Wenden ſæpiſſimè morabatur, & caſtrum inſtituit, & ibi etiam primò cœpit ædificare civitatem circa Svantowe, ubi adhuc locus vocatur Oldelubeke. In Chronica tamen Slavorum reperitur, quod civitas illa Lubeke à Slavo quodam Lubbemer nomen accepit. Sed de illo non ſcribit M. Helemboldus in Chronicâ ſuâ. Sed ad illum portum venerunt multi negociatores propter optimum portum & fuit inſtaurata temporibus Henrici regis à divitibus hominibus in brevi tempore. Poſtea venerunt amici Critonis in Travenam cum multis navibus catervatim irruentes & aſcenderunt caſtrum & civitatem Lubecenſem. Cum verò Henricus rex vidiſſet periculum imminens civitati & caſtro in eadem nocte receſſit inde cum duobus fidelibus ſuis, & cum Holſatis, & Stormariis & Detmarſis & Nordalbingis venit illuc & Rujanos ac Slavos multos occidit: quidam ſubmerſi ſunt in Travenâ, quidam capti, quidam truncati. Et de mortuis quaſi mons magnus collectus eſt, & dicitur Rovenberg. Poſt hæc compulit idem dominus Rujanos propriè die Rugen & alios Slavos, quòd darent ei tributum annuatim, & manſit rex eorum usque ad Poloniæ regnum. Circa ſua tempora in Anno Domini MCXIIX. floruit bonus homo Otto Epiſcopus Babenbergenſis, qui convertit Ducem Wenceslaum & terram Pomeriæ, propriè die Pommern/ ad fidem catholicam. Et ipſe fundavit Epiſcopatum in Uneſen. Hoc totum factum eſt in temporibus Himberti Archiepiſcopi ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ, cui idem Otto multotiens ſervierat.

FRIDE-

FRIDERICUS XIX. Archiepiſcopus XVI. ſedit IIX. annis in ſede Bremenſi. Tunc Luderus Dux Saxoniæ conſtruxit caſtrum Vordis Anno MCXXII. & hoc caſtrum cum Comitatu Stadenſi venit ad Eccleſiam & diœceſim Bremenſem poſtea. Ille Archiepiſcopus Fridericus obiit Anno MCXXIV. III. Kal. Februarii. In eodem anno conqueſtus eſt Egilmarus Comes junior in Oldenborch Ammirorum, filius Rixedis filiæ Idæ de Elſtorpe, quæ morabatur in Elſulete terræ Stedingiæ, contra Principes Stadenſes Udonem marchionem & Henricum filium ejus, qui eandem hereditatem poſſidebant: ſed Frideri[illegible] Comes impetitionem delevit. Et iſte Fridericus filius Hunonis fuit Comitis; & obiit ipſo die Scholaſticæ virginis. Et nota quod ipſa nobilis Domina Ida fuit nata de Sveviâ, & morabatur in villâ Elſulete, & habuit ibi hereditatem & bona, quæ adhuc bona Dominæ Idæ dicuntur, propriè Frawen Jden Gutt. Ipſa fuit filia fratris Cæſaris Henrici III. & Papæ Leonis ſororis filia; & accepit in matrimonium virum ſuum legitimum magnæ nobilitatis, Lippoldum filium Dominæ Gliſmodis & peperit Odam ſanctimonialem in Rentelen, quæ poſtea ſumta de monaſterio & data regi Ruſſorum in matrimonium peperit ei filium Warteslaw. Sed rege iſto mortuo Domina Oda fodit infinitam pecuniam in diverſis locis & finibus, & venit cum filio ſuo Warteslaw & auro plurimo ac theſauro in Saxoniam. Et fecit occidi illos, qui foderant theſaurum in terram ne publicaretur. Ipſa etiam in diverſis locis Eccleſiæ Elſulete in muris & ſub terrâ in angulis & latebris occultavit theſaurum infinitum. Et ergo ſi à fundamentis deſtrueretur iſta Eccleſia & in alium fundaretur locum theſaurus haberetur in promptu. Poſt hæc filius Idæ Warteslaw de regali ſtirpe natus & regis filius revocatur in Ruſſiam & regnavit multis annis poſt patrem ſuum ibidem ut bonus Catholicus & Chriſtianiſſimus, & multas Eccleſias ibidem conſtruxit, & nobilitavit proſapiam Comitum Ruſtringiæ dictorum de Oldenborg Ammirorum. Patet ergo, quòd hujusmodi Comites ſunt de proſapiâ generoſi & incliti, de regnm ramis procreati claritudinem ſuam ex nobilium Romanorum ſanguine meritorum ſuorum claritudine ditaverunt. Poſtea Anno Domini MCXXIV. tunc fundata fuit in Holſatiâ Faldera (poſtea dicebatur Niemuniter) & jam jacet in Bardesholme per translationem idem monaſterium & Præpoſitura. Et ibi canonicatus regularis eccleſiæ Bremenſis fuit introductus, & inceperunt de licentiâ ſedis Apoſtolicæ, de conſenſu etiam Archiepiſcopi Friderici fieri Canonici ſeculares. Secundo anno poſt ſcil. anno MCXXV. miſit Fridericus Archiepiſcopus Bremenſis etiam Apoſtolicæ ſedis legatus probum virum ſacerdotem Dei Vicelinum ad Falderam in monaſterium ut reſpiceret illud & regeret. Tunc impetravit Vicelinus circa regem Henricum dominum Slavorum, ut poſſet in regno ſuo Slavis prædicare verbum Dei & fidem Chriſti. Et rex conceſſit animo libenti, & dedit ei & ſuis presbyteris ſecum exiſtentibus Eccleſiam ante caſtrum Lubeke circa aquam ſupra montem, ut ibi poſſet recurſum habere ſecurum cum pro defenſione contra incurſus barbarorum ſeu Slavorum toties relapſorum quotiescunque in terris iſtis prædicâſſent, inibi confluxerunt. Cum autem Vicelinus cum fratribus dicti monaſterii & ſibi adhærentibus & civitas Lubeke cœpit meliorari, tunc obiit nobilis & inclitus Princeps Henricus rex Slavorum, qui & Slavoniæ rex appellabatur & reliquit duos filios. Anno Domini MCXXVI. tunc etiam obiit Henricus V. Cæſar Romanorum, & ſepultus fuit in Eccleſia Spirenſi. In his diebus venit Dux Saxoniæ in regnum, & fecit in diebus ſuis pacem multam in finibus, in quibus rebellio litis antea vigilabat. Et Papa Innocentius conſecravit illum in Cæſarem cum regina Richsâ. Et idem Cæſar bene concordavit cum eccleſiâ Bremenſi. Tunc Fridericus Archiepiſcopus cum rege profectus eſt ad concilium generale in Franciam, quod Remis celebratum eſt: ubi ſecum fuit venerabilis Bernhardus Hildeſienſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui ibidem S. Godehardum etiam olim Hildeſienſem Epiſcopum canonizari procuravit Anno MCXXVIII. & tunc in honorem ejus monaſterium S. Godehardi extra muros fundavit inſtinctu diverſorum miraculorum. Tunc etiam Rujani lucrati ſunt caſtrum Lubeke, & depopulaverunt terram iſtam provinciæ Bremenſis circa Oldenborg Slavorum, & tandem ceperunt civitatem Lubecenſem. Et ibi nitebantur occidere Vicelinum cum fratribus, qui vix tamen Deo volente cum fratribus evaſit in nemora & ſilvas, & tandem rediit in Falderam monaſterium ſibi ab Archiepiſcopo commiſſum, in Anno Domini MCXXX.

Digitized by Google

Tunc S. Kanutus rex Daniæ interfectus fuit à rege Magno: in cujus regis vindictam ſanguinis plurima mala Dani perpeſſi ſunt usque in præſens in preſſuris bellorum. Et cum rex Romanorum & regina mortem ejus perceperunt, tantum dolorem inde habuerunt, quòd claſſe & equitatu totum regnum Romanum contra Daciam & Magnum eorum Principem ad Danorum partes irent pro vindicta ſanguinis S. Kanuti martyriſati. Sed pro illo rex Daciæ Magnus dedit Cæſari maximum theſaurum & tributum. Hoc totum factum eſt temporibus Archiepiſcopi Bremenſis Friderici, & Papæ Innocentii.

ADELBERO XX. Archiepiſcopus XVII. ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ ſedit XXIV. annis. Tunc intoxicatus fuit veneno Marchio Henricus puer adhuc, qui natus fuit Comes Stadenſis, & ex eodem Comitatu tunc ſcribebatur Marchio. Tunc Comitis Palatini Stadenſis Domini fuit albus Leo cum bipartitâ caudâ in clypeo rubco ſicut defert rex Bohemiæ. Defuncto autem puero Henrico, tunc Comes Fridericus obtinuit comitatum & Marchiam Stadenſem à Dn. Archiepiſcopo Adalberone cum pecuniâ in feudum, quàm prius tenebat in ſervitium. Tunc ſcilicet Anno Domini MCXXXIII. Archiepiſcopus Adelbero venit ad Trans-albianos & in Themarsgoam, id eſt, Dethmarſiam cum Vicelino: tunc invitarunt eum fratres in Falderâ, ut traderet eis Vicelinum virum ſanctum & juſtum ac pium, barbárorum durum malleum, ut præeſſet iſti monaſterio. Tunc idem Archiepiſcopus piè motus accepit ſuum Vicelinum presbyterum, per manum ſuam ad manum & tradidit eum fratribus & commiſit eum Marchrado viro potenti. Et ſic primò factus eſt Præpoſitus monaſterii, & prædicavit ibidem multis annis verbum Dei & reduxit multos ad pœnitentiam in barbaris. Anno MCXXXIV navigabant Slavi in Selandiam & deſtruxerunt Roſchildenſem Eccleſiam & depopulaverunt iſtam terram circumquaque. Poſt hoc proclamari fecit Rex Romanorum in civitate Hamburgenſi, & ibi congregati ſunt multi Principes & nobiles. Et ibi venit Rex Magnus de Daciâ & accepit in pheudum regnum ſuum à Cæſare & fecit ſibi homagium. In Anno MCXXXV. Comes Fridericus marchio Stadenſis mortuus eſt; & ſequenti anno venit Cæſar Lotharius in Herſevelde & abſtulit inde DC. marcas argenti, quas Comes Fridericus B. Virgini ad monaſterium Stadenſe legaverat, & dedit genero ſuo Duci Henrico Ducatum Saxoniæ. In Anno Domini MCXXXIX. obiit Henricus Dux Saxoniæ & Bavariæ, qui & dedit præpoſito & monialibus in diœceſi Bremenſi magna prædia & libertates. Idem fuit adjutor Comitum in Oldenborg ad ædificationem caſtri ibidem, & ut dicitur ipſe ædificavit arcus rotundos cum turri rotunda, ſed Comites elevatos cum turri quadratâ. Anno Domini MCXLII fratres Dudo, Adeko & Richertus conſtruxerunt unam novam ligneam Eccleſiam ante opidum Stadis, quam Eccleſiam Adelbero Archiepiſcopus libertavit VI. Kal. Novemb. Et abbas Conradus de Herſevelde miſit ibi honorabilem virum Adalwardum pro abbate Elverum & Gotſchalcum cum aliis fratribus. Illa capella dedicata fuit in honore S. & individuæ Trinitatis, Chriſtophori, Petri & Pauli, Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, Viti, Coſmæ & Damiani martyrum. Et Archiepiſcopus ſanxivit, quod iſti tres fratres volentes cum uxoribus ſuis & totâ proſapiâ & familia poſſent perpetuò ibi communicare corpore Chriſti & habere ibi ſepulturam. Item voluit idem Archiepiſcopus, quòd omnes villici & cultores agrorum ejusdem Eccleſiæ liberi eſſe deberent ab omni cenſu civitatis vel villæ, & quòd eſſent liberi ab omni advocatiâ Anno MCXLIV. Tunc interfectus eſt junior Rudolfus Stadenſis in Detmarſiâ in ſuo Comitatu, & frater ſuus Hardvicus major Præpoſitus Bremenſis dedit omnem hereditatem ſuam Eccleſiæ Bremenſi, quod ſibi ab Eccleſiâ conferretur ad vitam. Et ſic fuit introductus idem Hardvicus præpoſitus major. Et ſic Fridericus Comes Palatinus ſororius ſuus additus fuit ſibi à Cæſare, quòd judicaret in ſummis cauſſis ut balivus Eccleſiæ & præfectus in marchiâ Stadenſi, quia ibidem Hartvicus clericus fuit, qui ſanguinis judicium tenere non potuit. Tunc Dux Saxoniæ fuit puer, & per tutores ſuos conquerebatur regi & omnibus Principibus, quod Archiepiſcopus Adelbero Bremenſis promiſiſſet matri ſuæ, ſcilicet Ducis Saxoniæ, quod defuncto Rudolfo marchione Stadenſi idem Archiepiſcopus cum eadem Comiciâ inpheodare vellet Ducem Saxoniæ. Et facti ſunt dies placiti deſuper, & convenerunt Archiepiſcopus Adelbero ex una, &

Dux

Dux cum ſuis ab alterâ parte in Rameslo: & ibi tantum diſcrepabant, quòd Archiepiſcopus captus fuit & ductus in Luneborg ad exactionandum eum. Et cum vidiſſent eum immobilem precibus, minis, aut tormentis miſerunt eum abire. Et quia minus juſtè ceperant eum cum quibusdam nobilibus ſibi adhærentibus, & Archiepiſcopus captus fuit ab Hermanno de Luchowe, & crediderunt miniſteriales Ducis quod Duci præſentaretur, quia crediderunt eum velle interficere: & portatus fuit marchioni Brandenburgenſi & liberatus eſt. In illo etiam anno incepit ordo Canonicorum regularium, qui dicitur Præmonſtratenſis in loco Franciæ, qui dicitur Præmonſtriæ, & licet aliquot annis fuit antea, tamen tunc primum fuit confirmatus. In temporibus Henrici II. Cæſaris morabatur Dn. Henricus Kale Comes Stadenſis in caſtro Harſevelde, ipſe fuit bonus & mitis, & habuit uxorem quæ dicebatur Hildegardis, & habuerunt ſimul unum filium, qui erat Canonicus Hildeſienſis. Ille etiam interfuit tractatibus Epiſcopi Bremenſis cum ſuis & etiam tunc captus fuit à miniſtris Ducis Saxoniæ, & à clero eſt redemtus à captivitate. Iſte inſtituit antea clauſtrum clericorum in Harſevelde è caſtro priùs ab Archiepiſcopo Libentio & Duce Bernhardo, qui erat Dux Saxoniæ, deſtructo. Ille emit ſe tribus vicibus cum terrâ & bonis aliis, & dedit totum Eccleſiæ, ac ſi in judicio condemnatus eſſet. Iſte Henricus Calvus habuit duos etiam filios, ſcilicet Comitem Sigfridum, qui ædificavit civitatem Stadis. Hic cum fratre ſuo eſt à piratis captus & caſtrum eorum perditum. Frater ejus, cum piratæ eum per fluvium Swinge duxerunt, cathenatus fuit pedibus in navi, & unus ſic projecit eum in navim piſcatorum, & abductus & liberatus fuit. Sed barbari & Dani cum piratis amputarunt Comiti Friderico manus, & aliis captivis multas pœnas intulerunt. Mutilatus autem frater Sigfridi multum vindicavit hujusmodi fratris ſui mutilationem & damna. Et duxit uxorem filiam Ducis Bavariæ, & peperit filium, quem vocavit Sifridum nomine fratris ſui. Poſt hoc data fuit Comicia Stadenſis Eccleſiæ Bremenſi, & ab illa accipiebatur in feudum. Adelbero, Archiepiſcopus Bremenſis & Hamburgenſis Eccleſiarum, conſtituit primum abbatem Stadenſem Adelwardum ad S. Virginem Mariam, cum abbate Harſenveldenſe 1. Kal. Julii, Anno Domini MCXLIIX. obiit Archiepiſcopus S. Bremenſis Eccleſiæ Adelbero in Bremâ.

HARTWICUS XXI. Archiepiſcopus XVIII. antea fuit Archipræpoſitus & filius Rudolfi marchionis Stadenſis, & hic ſedit XX. annis. Anno Domini MCLIIII. tunc melioravit ſe civitas Lubecenſis & crevit in divitiis: propterea dixit Dux Henricus ad Comitem Adolfum, quod civitas ſua Bardewick valdè deficere inciperet & annihilari: & quòd negociatores quærerent in Lubeck nundinas; & quòd Salina in Luneburg valde deficeret propter ſalinam ſuam in Oldeslo. Propterea rogat Comitem, ut dimitteret ſibi dimidium à civitate Lubecenſi, & dimidium à ſalina Oldeslo. Et cum Comes renuiſſet ſæpius, tunc Dux inhibuit nundinas in Lubeke, & deſtrui fecit Salinam in Oldenslo, & multi inde lætati ſunt. Anno MCLVII. tunc Lubicenſis civitas igne periit, & tunc negociatores nolebant iteratò ibi ædificare propter prohibitionem nundinarum per Ducem Saxoniæ. Et petierunt Ducem ut eis daret alium pacificum locum ad ædificandum & habitandum, & miſit eos non longè inde in Raceborg circa Wakenſen, & ſic ædificabant ibi civitatem dictam Lawenſtad à Duce Henrico, qui cognominabatur Leo: & ibi non poterant magnæ naves applicare, nec poterant civitatem fortificare præ incurſibus gentilium & barbarorum. Et ideo negociatores inviti erant ibi manere quod conqueſti fuere Duci tam diu, quòd ipſe Comiti Adolfo tam carè ſatisfaceret, quòd dimitteret illi locum & caſtrum Lubeck ſic quòd ipſe & omnes ſui heredes amplius non haberent intereſſe. Et ſic dimiſit eis prata ex omni parte circumquaque, per quæ Travena ſuo more ſolitus fuit diluviare, id eſt, creſcere & decreſcere. Et dimiſit etiam paſcua in territorio ſuo pro bobus, vaccis & jumentis iſtorum de Lubeke de mane ad veſperam exeundo & redeundo: & dedit eis libertatem in ſilvis & foreſtis pro ædificiis & igne, ad ſecandum & deducendum, & antiquam libertatem loci Comes Adolfus dedit Duci Saxoniæ, & tunc Dux fecit deperire civitatem Leonis, & cœpit iterum ædificare Lubeck inter Travenam & Wakenſe, ubi ab iſto tempore usque in præſens ſtat augmentata. Et tunc Dux Henricus omnem dedit libertatem ad iſtum locum ex integro, quam Comes Adolfus donaverat pleno ju-

re. Tunc ſcripſit Dux Henricus Danis, Sueonibus, Norwegis, Gothis, Ruſſis, quod ipſi Travenam & civitatem Lubecenſem abſque telonio liberè & quietè petere poſſent cum bonis ſuis, ad terram ſuam ad aquas ubique in Dominio ſuo ad applicandum ibidem, aut inhabitandum & commanendum ac recedendum quando & quoties vellent. Et inde homines diverſorum regnorum lætificati ædificabant magna ædificia & fortificabant cum portis & muris & circumvallabant ubi poterant locum iſtum, & poſuerunt ibi monetam. Anno MCLIX. primò in Livonia cœpit ordo Teutonicorum, & fuerunt cives Bremenſes promotores & fundatores: unde & Bremenſes habent ſpeciales libertates perpetuo tempore quod ipſi poſſint pallium album ordinis portare, ac ſi ſint ordinis milites & militares, quòd nullæ aliæ civitates facere poſſunt præter Lubecenſes. Et in regula iſtius ordinis continetur ſpecialis memoria Bremenſis civitatis, pro quâ orare debent perpetuè. Poſt hoc princeps Slavorum conſiderans ſibi Lubeke fore periculoſum caſtrum, miſit ibi duos filios ſuos Primislaum & Werteslaum cum populo nimio contra Lubeck, ut caperent per tradimenta civitatem, quia Ducem Saxoniæ Henricum non curavit. Et cum impetu volens irruere in civitatem, quidam ſacerdos ante valuam ſpaciando legens horas ſuas nomine Echelo reſtitit pontem attrahendo clamans cum ſuis ſignum inimicorum donec ſibi cives venirent in adjutorium, & ſic civitas remanſit in libertate. Poſtea anno Domini MCLXIII. tunc in Mediolano Corpora trium Magorum accepta fuere & data à Cæſare Reinaldo Colonienſi Archiepiſcopo, ubi adhuc pauſant. Tunc etiam Dux Henricus dedit civitati Lubecenſi omnes villas & omnia prædia circa Harinbeke & Infra, inter civitatem & rivulum, cum paſcuis, pratis, agris cultis & incultis. Et Dux poſuit in civitate monetam & teloneum, & bis in hebdomadâ habere nundinas, videlicet, feriâ ſecunda & feria quinta ſicut in Bremâ omni die feſtivo excepto. Antea enim erant in Lubeke Satrapæ propriè Burmeiſters & judicia ſicut in villis: ſed tunc poſtea inſtituit VI. conſules bonæ vitæ & laudatæ famæ, qui alios XII. ad ſe vocare deberent & eligere, & illi juxta neceſſitatem civitatis & reipublicæ in communi bono præeſſent, & deſuper Dux dedit privilegium perpetuo duraturum. Anno Domini MCLXIIII, venit Hardwicus Archiepiſcopus Bremenſis ad preces Ducis Henrici in Lubeck, ubi & optimè Dux excepit eum gaudens cum Epiſcopo Geroldo Lubicenſi tunc dicto de Oldenborg in Slaviâ & Comite Adolfo cum maximo honore & conſecravit ibi novam Dei domum & Eccleſiam cathedralem Bremenſis Eccleſiæ ſuffraganeam; & ibi congregati erant multi principes & domini. Poſtea Comes Chriſtianus de Oldenborg Ammirorum factus eſt inimicus Ducis Henrici, & poſtea redit Comes Bremam & Dux ſequebatur eum ante civitatem Bremenſem: Sed Chriſtianus comes de Oldenborg ſtrenuè defendebat, & ibi jacuerunt Dux & Comes cum expeditione hinc & inde quatuor diebus. Quinto die voluit Chriſtianus finem liti imponere, ut ſimul confluerent ad bellandum pro victoriâ Chriſtianus & Henricus, ſed Dux receſſit. Poſtea redit Dux cum majore potentiâ; & Chriſtianus ſeſe recepit in Oldenborg, & non hæſitans fortificavit caſtrum ſuum in Oldenburg. Et Dux Henricus cepit civitatem Oldenborg Ammirorum quæ adhuc non habuit libertatem. Et ipſe Dux obtinuit civitatem, donec ipſe humiliatus foret à Cæſare. Volens enim Imperator vindicare pudorem ſuum in Duce Henrico humiliat eum privans clypeo, gloria & caſtris, & obedientiâ ſuorum, & dedit ſuis miniſterialibus & advocatis prædia & caſtra, quæ à Duce habuerunt. Et tandem eundem Ducem cedere oportebat propter metum Cæſaris, qui graviter contra eundem Ducem iraſcebatur, & ſic obtinuit Chriſtianus Comitatum ſuum. In iſto tempore dedicat Hartwicus monaſterium Beatæ virginis Stadæ VI. Kal. Apr. Eodem tempore Archiepiſcopus Hartwicus fuit in Hamborg & cibari fecit caſtra ſua Harborg & Friborg. Nam & Dux Henricus tunc cepit civitatem Stade, ſed manere ibidem non potuit: & ideo Archiepiſcopus Bremenſis Ducis melius non tractavit coram cæſare, ſed ſecretè deſtructionem ejus. Libenter tunc Dux ſi indignationem regis Romani non habuiſſet cepiſſet totum Comitatum Stadenſem & retinuiſſet vi. Et ideo inclinatus ſibi malè Archiepiſcopus, cujus ab antea extitit patrimonium Eccleſiæ, tamen Bremenſi ſinceriter à Cæſare collatum, & ab amicis Hartwici reſignatum pleno jure, unde doluit Dux. Tunc Archiepiſcopus Hartwicus cum Conrado Epiſcopo Hildeſienſi venit Magdeburg, & cum Archiepiſcopo Wichmanno biennio manſerunt. In

iſto

illo tempore Dux cepit caſtrum Wiburg & deſtruxit ſolo tenus. Diſcuſſa autem controverſia iſta Archiepiſcopus Bremenſis rediit in Hamborg cum Conrado Epiſcopo Hildeſienſi in pontificatum ſuum & obiit MCLXIIX.

BALDEWINUS XXII. Archiepiſcopus XIX. fuit antea Præpoſitus Halberſtadenſis, & Dux Henricus voluit eundem habuiſſe in capellanum ſuum, & precibus multis inſtitit ut haberet eum in Conſiliis ſuis, ſed quia carus omnibus habebatur electus & poſtulatus eſt in Archiepiſcopum Bremenſem. Hunc Cæſar accerſivit, & precibus ejus Papa Paſchalis dedit ei pallium & confirmavit ipſum, & idem Fridericus Cæſar dedit ei baculum paſtoralem, & conſecratus eſt In Archiepiſcopum à ſuffraganeis ſuis. Et tunc Dux Henricus obtinuit caſtrum Stade & Comiciam, quia Baldewinus ſibi carus fuit, & de Ducatu ſuo natus. In eo anno primò fuit diſcrepantia electionis in Eccleſiâ Bremenſi & capitulo. Aliqui elegerunt Sifridum filium marchionis Alberti: alii elegerunt Ocbertum Archidiaconum Bremenſem, & inde maximus fuit rumor in Bremâ. Iſto tempore Cæſar ſolitus fuit reſidere in Babenberge, & depoſiti ſunt ambo, ſcilicet Sigfridus & Ocbertus; & electus fuit antedictus Baldewinus, & ex diſcrepantiâ electionis evenit, quòd Dux Saxoniæ in Comicia pacificè reſedit, ut idem Baldewinus electus adhæſionem principum obtineret. Ecce quantum malum ex diſcrepantia tali incepit. Eodem tempore Conradus Lubecenſis Epiſcopus rediit in Eccleſiam & ſedem ſuam. Anno Domini MCLXX. tunc baptiſatus fuit Ghermer dominus & princeps Rujanorum cum populo ſuo. Tunc venit primo conventus in Doberan ordinis Ciſtercienſis. Anno MCLXXI. martyriſatur S. Thomas Cantuarienſis in Angliâ Archiepiſcopus & primas ibidem ordinis S. Benedicti: Sed in primatu uſus eſt rocketo & ſuppellicio, & iſtius ſuppellicium in quo interfectus eſt, jam eſt in Hilbergâ ordinis Præmonſtratenſis in terra antiquorum Saxonum in diœceſi Bremenſi. Et ut ſcias interſectores S. Thomæ nota verſus ſequentes:

*Richardus Brito nec non *** Hugo*
Wilhelmus Turſi Reinwardus filius Urſi
Thomam martyrium fecere ſubire beatum.

Anno MCLXXV. bellum ortum eſt inter Cæſarem Fridericum & Venetos. Eodem tempore Epiſcopus Henricus Lubecenſis induxit Ducem ad fundandam Eccleſiam conventualem ordinis S. Benedicti ſub invocatione S. Joannis Evangeliſtæ. Et monachi venerunt de S. Ægidii monaſterio de Brunſuick, & præfecit abbatem primum nomine Arnoldus. Et Dux dedit ei libertates plutimas & reditus. Tunc Imperator Fridericus celebrat multas curias unam poſt alteram in Saxoniâ. Anno MCLXXIIX. Dux Henricus fecit incendi civitatem Halverſtadenſem & ibi Odelricus Epiſcopus & multi miniſteriales fuerunt capti & gravatæ ſunt fines terrarum undique. Tunc Chriſtianus Epiſcopus Maguntinus fuit Cancellarius Imperatoris & legatus Apoſtolicæ ſedis & venit cum incolis Brabantiæ per Longobardiam & Tuſciam, & perſecutus eſt Bononienſes. Et ſedit equeſter armatus: in capite ejus ſtetit galea deaurata, & in manu tenebat clavam triangulam ſive tridentem tenebat, & per ſe IX. interfecit in belli ingreſſu. Hoc vidit de eo Henricus Scholaſticus Bremenſis, qui XXXV. annis protonotarius ejus fuit. Et dum Paſchalis Papa ſtrenuitatem videret Archiepiſcopi Chriſtiani ſic ſcripſit ei: Chriſtianiſſimo legato apoſtolicæ ſedis Chriſtiano, Cæſaris Cancellario, Eccleſiæ Romanæ fideliſſimo filio, Archiepiſcopo Maguntino &c. Sequenti die victoriæ idem Archiepiſcopus celebravit Miſſam pro hujuſmodi victoriâ, & habuit ſecum CCC. apoſtatas & milites, & quaſi tot ſanctimoniales cantantes Gaudeamus omnes in Domino. Iſte Archiepiſcopus natione Thuringus ſapiens & eloquens, largus, nobilis & in multis linguis edoctus ſcilicet Latinâ, Teutonicâ, Romanâ, Chaldaica, Græcâ, Apulicâ & Longobardicâ quaſi eſſent maternæ linguæ. Eidem Archiepiſcopo non reſtitit civitas aliqua: & dixit idem Henricus Scholaſticus, quod meretrices & aſini habuiſſent in curiâ ſuâ majores expenſas, quàm tota curia regis. Etiam clerici & milites in expeditione ſuâ tenebant duo caſtra munita. Iſte etiam Chriſtianus coangustabat & circumdabat civitatem Anconam, & tali inediâ preſſit eos quod calceos proprios & corium de clypeis comedebant. Etiam preſſit Ferrariam & Ravennam. In illo tempore incenſa eſt terra circa Bremam in æſtate fervidâ &

ſiccâ quaſi integro mente, & poſtea ceſſavit per ſe. Anno MCLXXIIX. Archiepiſcopus Bremenſis Baldewinus obiit ſepultus in Eccleſiâ Bremenſi in medio.

SIFRIDUS. XXIII. Archiepiſcopus XX. ſedit quaſi V. annis & fuit filius Alberti marchionis electus anno MCLXXIX. & antea fuit Epiſcopus Brandenburgenſis XV. annos. Et eodem anno fuit concilium Lateranenſe celebratum ab Alexandro Papâ XX. anno Pontificatus ſui. Tunc Joannes & Calixtus ceſſerunt Papatui & à ſchiſmate, & Joannes factus eſt Epiſcopus Beneventanus. Et Archiepiſcopi depoſuerunt pallia ſchiſmaticorum antipaparum, Chriſtianus Maguntinus & Philippus Colonienſis acceperunt nova pallia à Cardinali Hyacintho, & ſpreverunt ſchiſma Octaviani, Widonis & Joannis, & unusquisque ſic juravit: Ego ejuro & ſperno omnem infidelitatem & hæreſin, erigentem ſe contra ſanctam Eccleſiam Romanam, & præſertim ſchiſma Octaviani, Widonis & Joannis &c. Volo legatos Romanæ Eccleſiæ honorare & ſalve conducere & in expenſis minare, ſic me Deus adjuvet & ſancta Dei Evangelia. Cum iſtis verbis dabantur eis pallia: In nomine patris, filil & Spiritus Sancti, & in honore Dei genitricis Mariæ & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, & Domini Alexandri Papæ, tradimus tibi pallium ſumtum de beatiſſimo corpore Petri apoſtoli, ut eo utaris in conſectione Sacramentorum & corporis & ſanguinis Domini, & conſecratione Eccleſiarum & chriſmatis, & ordinatione clericorum & celebratione Synodorum ſecundum Eccleſiæ tuæ conſuetudinem, Amen. Eodem tempore alius venerabilis nomine Bertoldus laboravit pro Eccleſiâ Bremenſi ſed Sifridus electus & confirmatus obtinuit, & Imperator dedit ei baculum & regalia in Geilenhauſen. Anno MCLXXXIII. aliqui de capitulo Bremenſi ſcilicet Didericus Decanus Hartwicus theſaurarius, dictus de Lyd, qui poſtea effectus eſt Archiepiſcopus, Sigebodo cellerarius, qui poſtea factus eſt abbas S. Pauli extra muros, Hermannus Præpoſitus Buccenſis, Eilo Præpoſitus S. Willehadi, & alii quos Archiepiſcopus ſublimaverat conjurarunt conſpirando contra Archiepiſcopum & miſerunt in curiam Romanam contra eum unum canonicum, cui nomen Henricus cognomine Dobelſtein quia egregius taxillator fuit. Ille ſcivit mirabiliter devotus apparere, ubi non erat notus: Sed Henricus Scholaſticus Bremenſis venit contra eum, & excuſavit Archiepiſcopum plenarie, & ſic Sifridus manſit Archiepiſcopus. Eodem anno Cæſar venit Erfordiam & curiam ibidem celebravit cum mulris principibus pro facienda pace inter principes terrarum: & dum Cæſar ſtaret cum ſuis in quadam curiâ in quodam lobio, propriè up einer Leuen / & cum occurſus fieret populorum ad videndum Cæſarem & principes, trabes fractæ ſunt & inferius erat latrina. Tunc ceciderunt cum lobio in latrinam in qua octo principes ſubmerſi ſunt & multi Barones & Comites ante regem & plures quam C. milites, & nullus Epiſcoporum vel clericorum cecidit, nec Cæſar. Cæſar rapiens feneſtram evaſit. Comes Henricus de Swarzenborg profundius cecidit, quia jurare ſolitus fuit, ſi hoc egero ſubmergar in latrinâ: & ita evenit. Hic Archiepiſcopus moritur ſepultus in Eccleſiâ aquilonari.

HARTWICUS II. XXIIII. Archiepiſcopus XXI. electus concorditer de Eccleſiâ Bremenſi, cui conſonabat capitulum Hamburgenſe & S. Willehadi Bremenſe, quod fuit ſatis novum. Et laici concurrerunt omnes in admiſſionem electionis ejus concordi voce & cum jubilo, quia pius erat & omni virtute præclarus, ſapiens & juſtus diligens ſemper æquitatem. Anno MCLXXXIV. IIX. Kalend. Febr. Cæſar dedit ei regalia ipſo die Petri ad cathedram, & Lucius Papa tertius dedit ſibi pallium & confirmavit eum ad preces Cæſaris. Anno MCLXXXV. Cæſar fecit curiam in Maguntiâ, quam celebravit cum principibus, & ibi fecit milites duos filios regem Henricum & Fridericum Ducem Suavorum. Ab illâ curiâ rediit ad partes Dux Saxoniæ Henricus, & dicebatur Henricus Dux Brunſuicenſis, & non amplius Dux Saxoniæ, propter fugam à Mediolano tali nomine ſpoliatus. Nam & rex Angliæ, qui ſolitus erat in clypeo militari ferre quinque aureos leones, vel leopardos: tres retinuit ſibi, dans Duci Henrico duos, & taliter Dux fuit tunc bene receptus, quia ſatisfecit regi & ſedi Apoſtolicæ. Iſta curia fuit ita celebriter celebrata, quòd nunquam poſtea audita eſt tam egregiè celebrata curia. Ibi enim fuere XL. millia militum. Anno MCLXXXVI. fundatur in diœceſi Lubecenſi monaſterium Reinevelde. Cæterum anno Domini MCLXXXVII. Hartwicus Archiepiſcopus Bremenſis Eccleſiæ fundavit & dotavit, ac

per

perſe conſecravit collegium S. Anſcharii in honore ſalvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejusque matris Mariæ virginis, ſub invocatione Beati Anſcharii Archiepiſcopi die Kalendar. Maii. Item fundat idem altare ſub choro in cryptâ Bremenſi. Et ſequenti anno idem Epiſcopus emit unum locum dictum Walda cum omnibus ſuis attinentiis pro centum & quadraginta marcis, utibi conſtrueretur monaſterium monialium Ciſterciense in honore Dei genitricis, quod modo translatum eſt, & vocatum per Gerhardum ſecundum & ſuos ſequentes in valle liliorum. Eodem anno in die Odelrici lucrati ſunt Sarraceni Jeruſalem & terram ſanctam, & interfecerunt omnes Chriſtianos, quotquot ibidem invenerunt. Cum hoc pervenit ad aures Papæ Urbani, tantum doluit, quod inde in morbum cecidit, & brevi mortuus fuit ex mœrore. In anno Domini MCLXXXIX. In nocte Simonis & Judæ tunc Henricus Leo Dux Brunſuicenſis cepit civitatem Bardewicenſem, & incendit ac funditus deſtruxit demtis Eccleſiis: & ſua antea erat. Poſtea autem anno Domini MCXCIII. lucrati ſunt Chriſtiani Ptolemaidem civitatem, quæ etiam dicebatur Accaron, & eſt ultra mare verſus terram ſanctam. Et rex Richardus de Angliâ debuit redire ad partes navigio & habuit periculum navis & ſecretè venit per terram, & Wiennæ publicatur & ibi captus fuit & præſentatus Cæſari, & liberatur magnâ gazâ. In anno Domini MCXCIIX. obiit Papa Celeſtinus & eum ſequitur Innocentius, qui ſedit XVIII. annis. In illo tempore Hartwicus Archiepiſcopus Bremenſis venit in terram ſanctam & adiit Jeruſalem: in reditu venit Venetias & navigio rediit Bremam portans ſecum reliquias S. Annæ matris Mariæ, & gladium S. Petri, quo abſcidit Malcho auriculam dextram. In anno Domini MCXCIX. miſit rex Knutus à Dacia fratrem ſuum Waldemarum cum forti comitivâ ad Hamborg & Stade & voluit circumvallare civitates iſtas contra Archiepiſcopum Hartwicum. Sed Archiepiſcopus & Adolfus Comes cum adjutorio Ottonis marchionis viriliter reſtiterunt, & ſic receſſit à tergo rex Daciæ ab Eidorâ flumine. In illo tempore transverberabatur cultro Decanus Bremenſis à fabro in Dickhuſen Friſiæ, & in eadem nocte obiit Bertoldus Epiſcopus Livoniæ, qui etiam interfectus fuit: & Albertus quidam Canonicus Bremenſis electus fuit in locum ejus in Livoniâ. Iſte Albertus ædificavit civitatem Rigenſem cum Bremenſibus & etiam paganis. In anno Domini MCC. ædificabantur in Bremâ lapideæ cameræ magnæ pro incurſibus civium inter ſe & pro incendio, & etiam ut divites in bona cuſtodiâ quieſcere poſſent ab inſultu inimicorum & à ſeditionibus civium. Et quando civis unus colaphum fecit alteri tunc deſtruebatur domus percutientis usque ad cameram, & infra annum non potuit reædificare domum ſuam. In eodem anno incepit ordo Minorum & viguit B. Franciſcus. In anno MCCIII. perdidit Dominus Hartwicus civitatem Stadenſem inſultu regis Ottonis & Archiepiſcopus captus fuit. in eodem anno Stedingi oppoſuerunt ſe Archiepiſcopo & capitulo ejus: reſtiterunt etiam principibus circumquaque vicinis, & Archiepiſcopus fecit expeditionem contra Stedingos, ſed parum lucratus eſt. In anno MCCVII. cepit Archiepiſcopus Stedingos XX. ſed accepit ab eis theſaurum, ut non deleret iſta vice eos, & eodem anno obiit Archiepiſcopus Indict. X. III. Non. Novembr. & ſepultus eſt in Eccleſiâ Bremenſi, ſed poſtea tamen translatus eſt in Eccleſiam S. Anſcharii ante altare magnum, & multa ſuſtinuit pro bono Eccleſiæ Bremenſis.

WOLDEMARUS XXV. Archiepiſcopus XXII. fuit electus & poſtulatus de Eccleſiâ Sleſvicenſi ad Archiepiſcopatum in Bremâ Anno Domini MCCVIII. Et pro eo fuere miſſi nobiles legati cum Canonicis aliquibus valde ſolemniter, ſimiliter & pro eo ad curiam Romanam, ſed quia idem Woldemarus absque licentiâ ſedis Apoſtolicæ receſſit de diœceſi ſuâ, Papa privavit eum utraque Eccleſiâ ſcilicet ſuâ & glorioſa Bremenſi per eundem obtinendâ. Sed æquè bene venit, & ſedem Bremenſem poſſedit cum favore aliquorum contra ſedem Apoſtolicam. Idem Woldemarus bello graſſatus civitatem Stadenſem cepit, & lucratus eſt cum Stedingis & viris certis, & dum eam cepit, depopulatus eſt & ſpoliavit funditus omnibus bonis in die Dominicâ, quæ fuit dies inventionis S. Stephani protomartyris. In illo tempore facta eſt tempeſtas grandis à ventis & tonitru in aëre, ex quibus etiam turres opidi Stadenſis ruerunt. In Anno MCCIX. tunc Papa confirmavit regulam mendicantium S. patris Franciſci & eodem anno venit congregatio monachorum primo de

Dargun

Digitized by Google

Dargun ex clauſtro Dobberan. Poſtea venit Fridericus Rex de Apulia cum multis bonis, cui venit obviam Otto Imperator, & cum venit Friſag, ubi fuit bellum, cives interfecerunt multos de ſuis, & ipſe vix evaſit. Circa id tempus Rex Daciæ habuit legatos ad Papam, ut ipſe deponeret Woldemarum ab Archiepiſcopatu Bremenſi, quam tenuit frivolè, & hoc fecit Papa, & dedit Epiſcopatum Gerhardo Epiſcopo Oſnaburgenſi, & ita depoſitus eſt.

GERHARDUS XXVI. Archiepiſcopus XXIII. prius Epiſcopus Oſnaburgenſis, factus eſt Archiepiſcopus Bremenſis Anno Domini MCCXI. & hoc à Papâ, ſed Dux Bernhardus reduxit cum magnâ potentiâ Woldemarum ad ſedem Bremenſem contra mandatum Papæ, ac ſi ex juſſu Imperatoris Ottonis hoc faceret. Et tunc fuit in civitate Bremenſi interdictum propter eum. Stedingi autem fortificabant caſtrum Monſowe & deſtruxerunt Sehuſen, & circumvallabant caſtrum Hagehne. Comes Henricus de Hojâ captivavit multos Stedingos & interfecit ex inſtinctu Woldemari, & iſti Stedingi deſtruxerunt terram rapinis & incendiis circumquaque.

Anno MCCXIII. tunc Archiepiſcopus Gerhardus primus ædificavit caſtrum Sluttere, nec tunc adhuc erat caſtrum Delmenhorſt, cujus prædium eſt Eccleſiæ feudum: de quo poſtea eodem anno Stedingi deſtruxerunt caſtrum Stotle, eodem tempore cepit Cæſar cum fratre ſuo & cum Marchione Brandenburgenſi, & cum Epiſcopo Woldemaro civitatem Hamburgenſem cum pace & quiete & manſit ibi Woldemarus in tædium Gerhardi certis annis & dilapidavit prædium Eccleſiæ, monetam & advocatiam. Anno Domini MCCXV. tunc venit Rex Daciæ navigio in Albiam fluvium ſeptus multitudine navium & voluit capere & ſubjugare Stadenſe oppidum: ſed Comes Palatinus Stadenſis Henricus, qui habuit ab Eccleſiâ in feudum, prout Dux Henricus reſtitit eisdem. Et venit idem Rex contra Hamborg & ædificavit caſtrum ſuper Albiam infra Hamborg. Et Comes Albertus ædificavit aliud caſtrum ſupra civitatem ad littus Albiæ, & ſic ſe dederunt cives Hamburgenſes ad manus ejus. Ultimò venerunt Stedingi cum Bremenſibus poſtquam expulerunt Woldemarum & introduxerunt Gerhardum primum in ſedem Bremenſem pacificè. Propterea venit Cæſar cum fratre ſuo, & deſtruxerunt rapinis & incendiis quaſi totam provinciam Bremenſem, & idem Woldemarus frater fuit regis Daciæ ut refertur. Eodem anno navigio venit Rex Daciæ Stadium & depopulatus eſt fines ejus rapinis & incendiis iterum pro Waldemaro depoſito, & venit iterum trans Albiam & ædificavit ibi duo caſtra ante Hamborg. Eodem tempore acceperunt Bremenſes Ducem Henricum pro defenſione contra Waldemarum & regem Daciæ: tunc dederunt Bremenſes cum Archiepiſcopo Gerhardo civitatem Hamburgenſem Comiti Alberto, & tunc venit Archiepiſcopus cum Alberto Comite ante Stade & ædificarunt caſtrum Svingeborg & ibi venit Dux Henricus expugnando, & facta eſt concordia, quod Archiepiſcopus cum Comite dederat caſtrum. Anno MCCXVI. confirmavit Papa Honorius ordinem prædicatorum S. Patris Dominici. In eodem anno factum eſt diluvium magnum, quod ſubmerſæ ſunt terræ maritimæ ubique & circa Bremam & in partibus adjacentibus viginti millia hominum perierunt aquis Diluvii iſtius. In illo tempore Papa Innocentius celebravit magnum Concilium in urbe Româ, ubi omnes Epiſcopi, abbates & prælati de Saxoniâ & Alemaniâ fuerunt congregati, & etiam ab Italiâ. Anno Domini MCCXVII. citatus fuit Archiepiſcopus Gerhardus ad civitatem Frankenvord pro pace faciendâ inter eum & Ducem à Cæſare, ſed eodem anno Archiepiſcopus obiit, & tenuit Eccleſiam Bremenſem octo annis, & ſepultus eſt in Eccleſiâ Bremenſi.

GERHARDUS XXVII. Archiepiſcopus XXIV. prius Præpoſitus Paderbornenſis, filius Bernhardi Comitis de Lippiâ, cujus pater etiam abbas deinde Epiſcopus factus eſt. Nam & Comes Bernhardus clericus notabilis mortuâ uxore legitimâ, quam duxit virginem, intravit religionem pro melioratione vitæ ſuæ cœlibem actitando vitam. Promerentibus igitur meritis ſuis eligitur in Epiſcopum. Iſte Gerhardus fuit etiam Canonicus Bremenſis & concorditer fuit electus in Archiepiſcopum. In introitu ſuo obſedit caſtrum Otterberge, & lucratus eſt à Comite Bernhardo de Wölpia. Tunc electus fuit Henricus abbas S. Pauli Beallenſee. Pòſt hoc pacificatum fuit magnum & longum litigium quod habebant Bremenſes cum Duce Brunſvi-

censi,

cenſi taliter, quòd Dux miniſteriales ſuos & ſuam proprietatem, quam habuit in Comitiâ Stadenſi dedit Eccleſiæ Bremenſi ex integro. Eo anno Comes Albertus ex parte regis Daciæ ædificavit caſtrum Travemunde cum firmâ turri. Et idem Rex fecit muro cingi caſtrum & civitatem Lubecenſem, & ab ipſo rege quædam platea ibidem vocatur die Köningſtrate. In eodem tempore Rex Woldemarus fuit Slesvick & ibidem fecit conſecrari filium ſuum Woldemarum in regem & coronari ab Epiſcopo Slesvicenſi, & ipſe fuit Rex tertius nomine Woldemarus. Infra idem tempus lucrati ſunt miniſteriales Bremenſes caſtrum Vörde à Duce Brunſvicenſi & taliter. Fuit quidam villicus in diœceſi cum ſua domo intra Stadium, cui nomen Otbertus, qui virtute ſuâ dixit ſe facere mirabilia, & vulgus credidit eum ſanctum, & decepit multos virtute Diabolicâ; & curavit per incantationes & verba deceptoria ſanctificavit ægrotos, & multi veniebant ad eum, & fama ejus in omni terrâ perſonuit, carmina elogica vulgo Loiſen fuerunt de eo facta & cantata in viis pro eo quærendo offerenda deducta non modica. Et inde Lucrum maximum habuit advocatus Henrici Ducis Brunſvicenſis, cujus nomen Henricus de Oſtinckhuſen, & ille defendebat iſtam deceptionem. Hujus rei intuitu quaſi quæreretur à miniſterialibus tanquam peregrinis, & cum quæſitum fuiſſet, quonam vellent, reſponderunt quod ad S. Otbertum pro ſubſidio de longinquis venirent; & auditum haberent, ſi qui de balneo ejus biberent à languore ſanarentur in quacunque infirmitate. Et ſic multi venere Vörden unus poſt alium cum calliditate ſuâ in opidum, & cautè incedendo ceperunt caſtrum à miniſtris Ducis Brunſvicenſis, & ſic iteratò caſtrum venit ad diœceſin Bremenſem, quod ejus ex prædio ante fuerat cum Comicia Stadenſi. Et tunc fuit truſa Otberti deſtructa. De iſto Otberto adhuc proverbium dicitur; illud juvat ſicut benedictio Otberti. Anno MCCXX. tunc Papa Honorius conſecravit Fridericum Romæ in Cæſarem & filius ejus Henricus in Alemannorum ibidem conſecratur regem. Eodem anno incepit Gerhardus de Lippiâ Archiepiſcopus Bremenſis civile bellum cum civitate Bremenſi & voluit eam ab antiquis privilegiis ſibi plus ſubdere, & telonia & exactiones ad fiſcum ſuum, à quibus liberati erant à temporibus Willehadi & Karoli Magni, & ſic exortum eſt bellum, nam Epiſcopus voluit habere telonea ab omnibus negociatoribus per fluvium Weſere venientibus verſus Bremam, & ad id habuit Archiepiſcopus caſtrum Wittenborg, ubi fecit cathenas per Weſeram. Sed per magnas naves, propriè Coggen, Bremenſes duas fregere cathenas, & pala extraxerunt. Et quidam miles hoc videns cum Epiſcopo in caſtro, conſuluit ei ut cum civibus iniret pacem, & taliter concluſum eſt, ut civitas Bremenſis fundaret Archiepiſcopo & Eccleſiæ caſtrum Languedel, & iſto ædificato egregie deberet dari Archiepiſcopo & tunc Epiſcopus deberet deſtruere caſtrum Wittenborg. Et ideo illud caſtrum dicebatur tali nomine, quaſi Lange wedder / id eſt, redde econverſò tu Dux Brunſvicenſis, quod Eccleſiæ abſtuliſti: vel quaſi pro alio caſtro datum Archiepiſcopo. Tunc fuerunt bona tempora Bremæ, quòd pro unâ tunnâ tenuis potus dabatur pinguis vacca: agnus pinguis pro VI. gravibus: XII. ova pro denario Bremenſi. Et in inſulâ ante Weſeram dictâ des Freſen Werder / ſemper habebatur copia advectorum pinguium jumentorum pro levi precio. Caſtrum autem Langwedel factum eſt Anno MCCXXI. & tunc Dominicâ Judicâ compoſita eſt concordia cum conſulatu & Archiepiſcopo, & tota completio caſtri facta fuit Anno MCCXXII. Et tunc Archiepiſcopus Gerhardus privilegia civitatis confirmavit, ut qui cives deberent eſſe ubique liberi à teloneò, ſicut antea. Etiam promiſit ſi Bremenſibus civibus damna contingerent de caſtro Langwedel, tunc deberent illius Archiepiſcopi temporibus liberius eſſe ab homagio ſuo iſtâ vice. Et à deſtructione caſtri Wittenborg melioratæ ſunt plateæ civitatis Bremenſis, quæ antea erant ligneæ, prout in longâ plateâ & alibi. Poſtea fecit Archiepiſcopus Gerhardus unionem inter regem & ſeipſum & Comitem Adolfum taliter, quòd filius regis dictus Abel in matrimonium accepit filiam Comitis Adolfi, & ſic diſcuſſum eſt bellum iſtud. Poſtea ante feſtum Pentecoſtes miſit Dux Luneburgenſis miniſteriales ſuos & incendit terram uſque ad Bremam, quia in adjutorium fuit Stedingis propter odium, quod habuit ad Gerhardum Archiepiſcopum. Poſtea venit Dux per ſe ante Stadium ac deprædavit & incendit quicquid reperit in finibus iſtis. Infra idem tempus venerunt peregrini Bremam contra Stedin-

gos & ceperunt tam navigio quàm pedeſtri exercitu Oſterſtad / ſequenti die Joannis & Pauli martyrum, & conſumſerunt terram rapinis & incendiis, & interfecerunt omnes in ore gladii pro nomine Chriſti, quia crux prædicata erat ſuper Stedingos inimicos crucis Chriſti. Interfecti ibidem erant CCCC. viri demtis parvulis & mulieribus, & qui capti vivi miſſi ſunt in ignem pro hæreſi. Paulo poſt Stedingi interfecerunt Comitem Borchardum de Oldenborg & ducentos validos viros cum eo. Poſt hoc venit Archiepiſcopus in Stedingiam cum multis navibus, & fodit aggeres ad introducendas aquas, tunc perdidit Archiepiſcopus multos de ſuis. Tunc deſtructum eſt Harborg, quod erat Archiepiſcopi per Ducem Luneburgenſem pro ſubſidio Stedingorum: ſed Papa Ducem compeſcuit, aliàs etiam crucem contra eum prædicaſſet. Illo Anno MCCXXIV. Philippus erat Rex Franciæ, & intravit Rex Ludowicus Franciam & tenuit. Poſtea in vigilia S. Thomæ venit Archiepiſcopus cum ſuo avunculo Comite Adolſo juniore trans Albiam ante Itzeho, & ſubjecit Comiti totam terram. In Anno MCCXXV. ipſo die Dionyſii ordo prædicatorum intravit Bremam, & fuit tanta cariſtia, quantam nemo meminerat unquam. Et eodem anno in carnisprivio venit Comes Adolſus contra Hamborg & bellavit contra caſtrum Comitis Alberti ibidem ædificatum. Tunc cives Hamburgenſes dederunt Comiti Adolſo civitatem ex conſilio Archiepiſcopi, quia nepos ejus erat. Dummodo vero Lubecenſes quod fines iſti receſſerunt à Danis ad Imperium, quæſiverunt ſapienti conſilio modum veniendi iterato ad Imperium. Tribus annis ante hoc tempus habuit S. Franciſcus Concilium ordinis ſui cum fratribus in Hildenſem & ibi perſonaliter fuit. Anno MCCXXVI. obiit S. Franciſcus in Italia in Aſſiſio de cujus ſanctâ vitâ tota Chriſtianitas fructum accepit. Tunc Coloniæ rotatus fuit Comes Fridericus de Iſenberg dictus de Altenâ propterea, quòd Archiepiſcopum Colonienſem Engelbertum interfecerat, cujus ipſe ſubditus & conſanguineus fuit. Eodem anno mortuus fuit Dux Henricus de Brunſvick & Comes Palatinus absque herede. Tunc Cæſar dedit Archiepiſcopo Bremenſi Comitatum & civitatem Stadis. Hic poſſumus mirabile audire. Otto Epiſcopus Trajectenſis conſecravit patrem ſuum in Epiſcopum de Aldenſee, & poſt idem pater cum eodem filio conſecraverunt alium fratrem in Archiepiſcopum Bremenſem. In eodem tempore recepit Archiepiſcopus Hamborg caſtrum cum adjacentibus villis & advocatiis ſuis. Poſt hoc in diebus natalitiis Chriſti navigio venit Archiepiſcopus cum fratre ſuo Hermanno de Lippiâ ad Stedingiam & egit bellum cum Stedingis & interfectus fuit Hermannus Comes de Lippiâ ſolus & ideo illâ vice ceſſit bellum, & receſſit expeditio absque lucro à terrâ illâ. Tunc idem Archiepiſcopus cœpit ædificare caſtrum Sluttere contra Stedingos, ſed in brevi deſtruxerunt iteratò. Anno MCCXXXI. obiit nobilis & ſancta vidua Eliſabeth Thuringiæ & Haſſiæ Domina Lantgravia filia regis Ungariæ & jacet ſepulta in Marborg & elevata eſt de ſepulcro & ante elevationem ejus Papa dedit mandatum Epiſcopo Hildeſienſi, Conrado abbati S. Georgii, abbati Harſevelde diœceſis Verdenſis de probatione miraculorum, & quòd deberent citare teſtes de probatione, & accepta ſibi remittere ſub ſigillis, quod & factum eſt. Eodem tempore erant multi hæretici in Italiâ & Germaniâ & aliis regionibus & tunc multi eorum à quodam fratre minore igne combuſti ſunt ex inquiſitione hæreticæ pravitatis. Et iſte frater dicebatur Conradus & fuit pœnitentiarius Dn. Eliſabeth & fecit eam ſanctè, piè & juſtè vivere in hoc ſeculo & in manus ejus fecit pro tertia regulam obedientiam ſalvo jure maritali. Anno MCCXXXIV. iterum reædificat Archiepiſcopus Bremenſis Sluttere contra Stedingos & iterum Stedingi deſtruxerunt, tunc crux in omnibus finibus prædicata fuit contra Stedingos. Tunc Comes Borchardus Oldenburgenſis à Stedingis interemtus fuit, & dimiſit heredem Henricum Bogener. Cum eodem Comite interfecti fuere CC. viri. Poſt hoc venerunt Dux Henricus qui Brabantiam tenebat, & Fridericus Comes Hollandiæ & Comes de Clivis, & cum eis multa caterva nobilium virorum & præpararunt ſe viriliter contra Stedingos. Et peregrini ibi collecti pro ſubſidio erant numero quadraginta millia virorum. Et venerunt in Stedingiam tertiâ die poſt Urbani VI. Kal. Junii ſabbato contra inimicos crucis Chriſti & Eccleſiæ ſanctæ. Illi enim fuerunt ſectatores hæreſium, adorarunt Aſmodeum, id eſt diabolum, & fregerunt Eccleſiæ libertatem: Sicut Papæ ab Archiepiſcopo Gerhardo, & Epiſcopo Min-

denſi,

denſi, Lubecenſi, & Ratzeburgenſi & cæteris comprovincialibus manifeſtatum extitit. Et eodem die victi ſunt: ſed ante victoriam poſuerunt Idolum Aſmodei ad occidentem, & in contemtum Dei adoraverunt. Et indulgentiæ erant ſicut ad terram ſanctam, & ideo nobiles confluxerunt innumeri. Et blaſphemaverunt nomen Dei, præſertim iſti Bokeke de Bardenflete, Dammo de Huntorpe, Detwerdus de Dike, & alii multi peſſimi. Et in meridie venerunt peregrini per Otmundam fluvium, & fecerunt pontem de navibus & ſapienter diſponebant acies militares. Stedingi non hæſitantes ut rabidi canes irruere in populum incongruum Ducis Brabantiæ, Comitis Hollandiæ, & Comitis Cliviæ, in Oldenſele verò erant congregati: ſed Principes ſe viriliter defendebant. Tunc venit Comes de Clivis ad latus & ſeparavit acies. Clerus autem ſtans à longè exſpectans de fine cecinit: *Mediâ vitâ*, & alia cantica pro victoriâ de cœlo: & Da pacem Domine in diebus noſtris &c. petentes pro victoriâ indefeſsè. Et non longè poſt victi ſunt Stedingi eodem die in ore gladii, & ſuppeditati calcibus eorum, & ſic eos vicit manus Chriſti. Et interfecti fuere de Stedingis ſex millia hominum in brevi tempore, & multi fugam cepere ac ſubmerſi ſunt in Weſſeram & in foveas hinc & inde. Et omnes qui evaſerunt diſperſi ſunt in quatuor partibus mundi, & ſic receperunt mercedem malitiæ ſuæ cum damno & ſcandalo. Et ibi interfectus fuit Comes Henricus de Oldenborg & cum eo IX. peregrini, & rebellio Stedingorum fuit in toto ad XX. annos à Principio rebellionis eorundem uſque in finem. Et Comes Hollandiæ dum voluit redire in patriam in torneamento in Noviomago interfectus fuit. Unde de Stedingis nota verſus:

Stedingi ſexto Junii cecidere Kalendas,
M. duo CC. quartus ter denus tunc fuit annus,
Anno Gerhardi quinto decimoque ſecundi.

In eo tempore fundata fuit diœceſis Oſelienſis prope Oſele, & in Oſterlant. In anno Domini MCCXXXV. circumdedit Dux Otto de Brunſuick civitatem Bremenſem cum magno exercitu circa feſtum B. Martini Epiſcopi, & rapinam fecit & exactionem, & receſſit cauſa hyemis urgentis. Eodem anno fecit Dux Ludowicus de Bavariâ decollari uxorem ſuam legitimam pro criminibus ſibi falſo impoſitis. In eodem anno nobiles de Bederkeſa intraverunt terram Wortſatiæ cum magno exercitu & ibi multi eorum interfecti ſunt. Tunc Dux Brunſuicenſis contrarius fuit Bremenſi Archiepiſcopo & obtinuit Comitatum Stadenſem manu forti. Eodem tempore fuit tanta cariſtia in Livoniâ, quod homines ſe comederunt mutuo, & cadavera de patibulis. In anno MCCXLVII. Senuit Gerhardus Archiepiſcopus Bremenſis, tunc quaſi X. annis portabatur in curru, & ponitur de loco in locum: Sic de conſenſu capitularium & miniſterialium & civitatibus ſuſcepit in adminiſtratorem & auxiliatorem fratrem ſuum Simonem Epiſcopum Paderbornenſem, qui præfuit Eccleſiæ ſeptennio. Iſte Simon fuit valdè bellicoſus, ſed raro obtinuit victoriam in bello. Idem Simon fuit etiam adminiſtrator Eccleſiæ Colonienſis modicum antea. Iſte Simon convenit Albertum Ducem Brunſuicenſem, quòd veniſſet contra promiſſa & legata patris ſui, & factâ die placiti & treugarum receſſit iterum à diœceſi Bremenſi & comitia, & fecit reædificari caſtrum Horborg & tradidit Archiepiſcopo Bremenſi. Et nota quòd eidem Gerhardo Archiepiſcopo quidam vir obviavit dum adhuc fuit Præpoſitus, & Canonicus Paderbornenſis & dixit ſibi: nota diem, iterum quando finietur annus eodem anno eris eligendus in Præpoſitum Paderbornenſem & cùm habueris Præpoſituram ibi, dabis mihi duas marcas, & ut dixit ille ſic evenit ſibi. Anno illo finito venit iterum & dixit: Illo anno finito eris Archiepiſcopus Bremenſis & quando id factum fuerit dabis mihi quinque marcas. Et hoc iterum factum fuit. Poſtea rediit poſt biennium, & dixit, duo facta prædixi tibi, quòd fieri deberent & completa jam ſunt: tertium dicam tibi, dicam abſque precio: tu vives Archiepiſcopus XL. annos, & ultra nec diem, nec annum. Et hoc etiam factum fuit, quia electus fuit anno Domini MCCXVII. & obiit anno Domini MCCLVII. in die Panthaleonis plenus dierum. Et hic fecit ædificari caſtrum Hilligenberge in honore S. Thomæ & ditavit ſufficientibus reditibus incorporando Eccleſiam parochialem proximam ſcilicet Vilſen, pro quâ dedit Scholaſtico Eccleſiam in Beverſtede. Hic obiit in caſtro Vorden & ſepultus eſt

in Bremâ cum exequiis ſolemnibus. Et bene præfuit Eccleſiæ Bremenſi iſtis XL. annis & multa reſtauravit.

HILDEBOLDUS XXIIX. Archiepiſcopus XXV. fuit priùs Archidiaconus Ruſtringiæ filius generoſi Comitis de Brockhuſen, & dapifer Archiepiſcopi Bremenſis ex feudo & homagio Comitiæ olim. Hic etiam Hildeboldus à majori parte capituli electus ivit Romam & Papa dedit ſibi pallium, & in curiâ conſecratus fuit & lætè rediit ad Eccleſiam. Alia pars puta Scholaſticus, Cantor, Theſaurarius & Eccleſiæ Hamburgenſis elegerunt Simonem Epiſcopum Paderbornenſem, & adhæſit ſibi Comes Hollandiæ, ſed poſtea evanuerunt ab eo & receſſit adhæſio lite veniente. Aliqui autem elegerunt Gerhardum de Lippiâ juniorem, & talem elegerunt Decanus & capitulum S. Willehadi cum paucis Canonicis de gremio majoris Eccleſiæ. Epiſcopus Simon obtinuit caſtrum Langewedel, & circumdedit illud Archiepiſcopus & redemit cum CCCC. marcis & ab eo, & à militibus, qui illud poſſederunt. Poſtea fecit Simon epiſcopus conſpirationem cum Stedingis & fecit Bremenſibus multa mala. Poſtea circumvallavit Wildeshuſen, & ibi incepit bellum à Comite Henrico Bogener de Oldeborg veniente in Mundale, & ibi interfecti ſunt multi de familiâ ex expeditione Simonis, & tunc ex ſcandalo Simon receſſit & factus eſt monachus. Poſtea Hilleboldus conſiliatus ivit Romam pro confirmatione, & obtinuit voluntatem ſuam & rediit ad partes in Bremam & ibi receptus eſt. Poſtea venit diſcordia inter Hilleboldum & cives, quia idem Archiepiſcopus ædificavit caſtrum in Werſulere firmius quàm antea unde exortum fuit iterum dirum bellum, rapina & ſpolium incendia & interfectiones à Friſonibus, & duravit multis annis. Tandem fecit pacem cum civibus & Friſonibus dans Friſonibus magnam pecuniam pro amicis eorum interfectis. Anno MCCLVIII. incendio periit Brema iterum. Iſte Hildeboldus ampliavit reditus in prædiis & caſtris, & acquiſivit S. Petro Wildeshuſen opidum cum caſtro & villis ac advocatiâ adjacenti usque in Viſickbeke, & hoc fecit cum ſapientiâ à Comitibus de Oldenborg, à quibus pater ſuus originem duxit. Iſte Archiepiſcopus accepit copiam auri & cepit civitatem Sleſuicenſem pro rege Daciæ. Ille, ut dicitur, primus fuit, qui ſtipendia accepit, pro ducendo exercitu. Valde magnanimus & glorioſus fuit, quia cum duo Duces Brunſuicenſes, ſcilicet Albertus & Joannes fratres cum exercitu magno iviſſent per pontem Alræ circa Verdam ad nocendum Eccleſiæ Bremenſi, Hildeboldus cum ſuis venit illis obviam & Duces receſſerunt tunc timore grandi. Anno Domini MCCLXXIII. obiit Hildeboldus Archiepiſcopus, qui XVIII. annis rexit Eccleſiam Bremenſem & tribus menſibus, & ſepultus eſt ibidem in Eccleſiâ majori. Reliquit capitulo magnum theſaurum, ſed valde rarum fuit, quòd non accepit doctrinam à plurimis preſſuris bellorum cum incolis & exteris.

GISELBERTUS XXIX. & Archiepiſcopus XXVI. fuit nobilis de Brunckhorſt & fuit filius materteræ Hildeboldi Archiepiſcopi, canonicè & concorditer electus. Per ſe equitavit Romam & Gregorius X. dedit ſibi pallium in Concilio Lugdunenſi, & ibi fuit rex Romanorum cum omnibus Prælatis præſens & ibi tractatum fuit de ſubſidio terræ ſanctæ, & inſtituta fuit ibi decima omni anno per univerſum. Et ab eodem Gregorio idem Giſelbertus conſecratus eſt in ſacerdotem & poſtea Epiſcopum, & confirmatus ab eo rediit Bremam, & ibi glorioſè & honeſtè introductus eſt. Regalia ſua meruit à Rudolfo rege Roman. Hic poſtea ſubjugavit Kedingos ſapienter, quia torneamentum & curiam fecit in Stadio, & ſic ivit in Kedingiam cum nobilibus & militibus improviſe & multos occidit, & aliquos captivavit animo potenti & manu forti, quia fortuna ſibi arriſit, & fuit fortunatus usque in fine vitæ ſuæ. Hic dilexit cives Bremenſes, & pacificavit omnes ſeditiones civium & controverſias: & ideo à nobilibus & miniſterialibus vocatus vulgi Epiſcopus & Karelorum. Sed hoc poſtea verſum fuit: nam cùm Archiepiſcopus in bonâ feriâ in die Jovis conſecraſſet chriſma & officium compleſſet, tunc manſit in palatio ſuo Bremæ, & unus miniſterialium vulneravit unum aurifabrum, & dum hoc Bremenſi conſulatui innotuit, furioſè communitas irruit, & intus incenderunt palatium Epiſcopi, & intraverunt cum potentiâ & captivaverunt ſervum, & ceperunt ac ſpoliaverunt clenodia Archiepiſcopi, quamvis Archiepiſcopus promiſiſſet ſatisfactionem pro ſervo ſuo. Eodem die Giſelbertus Archiepiſcopus cum indignatione receſſit à civitate Bremenſi, & adhæſit poſtea mi-

licibus & miniſterialibus ſuis, & non civitatibus. Sed pro hoc ſatisfecerunt poſtea Archiepiſcopo, quòd tam viri quàm mulieres nudis pedibus obviam venerunt Archiepiſcopo & maxima dona dederunt, cum crucibus & vexillis antequam intrare voluit civitatem ipſam. Poſt hæc orta ſunt Bremenſibus mala tam à principibus, quàm aliis civitatibus, quia defenſionem Archiepiſcopi non meruerunt. Etiam inter ſe diſcordabant Bremenſes, quòd ditiores cives civitatis depulſi fuere, qui cum auxilio miniſterialium Eccleſiæ venere ante Bremam & fecerunt multa mala cum ſpolio & incendio. Friſones etiam & Ruſtringii ſpoliaverunt civitatem navibus & interfecerunt eorum cives. Anno Domini MCCLXXVII. Civitas Lubecenſis periit incendio & tunc facta eſt ipſa civitas lapidea, quæ priùs lignea fuit. Etiam obiit tunc Chriſtianus Comes apud S. Stephanum in Brema, & delatum eſt corpus ejus in monaſterium S. Mariæ in Huda. Iſte Comes Chriſtianus de Oldenborg fuit conſanguineus Giſelberti Archiepiſcopi, & fuit in juventute ſua Scholaſticus Bremenſis, & ideo valde familiaris loco & incolis, & dilexit valde clerum. Iſto tempore fuit grandis cariſtia: plauſtrum enim ſiliginis ſolvit XII. marcas, ſed nemo periit cariſtiâ in mortem. Anno Domini MCCLXXXV. IIX. Idus Maii iterum periit civitas Bremenſis incendio, & eodem anno dedicata fuit Eccleſia Prædicatorum in Bremâ ab ipſo Epiſcopo Giſelberto & per ejus Suffraganeum Henricum Paviſianenſem. Iſte Archiepiſcopus fuit audax contra inimicos, & humilis circa amicos: cognatis ſuis in multis benefecit. Habuit vitam activam in temporalibus, quòd parum curavit de contemplativâ & ſpirituali, licet optimè legit horas, & divina fecerit omni die, ſed raró per ſe conſecravit. Optimè rexit diœceſin & defendit ut pugil fortiter cum Judâ Machabeo paratus cum ſuis in mortem ire & in carcerem, ut ſalvaret ſibi commiſſos. Hic ædificavit multa ædificia caſtrorum, & emit multa prædia. Ipſe ædificavit caſtrum Tedinchuſen: civitatem Buxtehude novam fecit, & ædificavit caſtrum Ottersberge, & turrim in caſtro Vorde. Etiam caſtrum in Rempempe pro certis bonis mutuatis cum Henrico de Bramſtede circa Albiam. Item ædificavit aulam Epiſcopalem, dictam des Biſchoppes Huß in Bremâ & Stadio. Item ædificavit Langwedel melius, quàm antea. Etiam tranſtulit clauſtrum Metelen in Wolda & melioravit reditus. Et ædificavit altare novum in medio Eccleſiæ Bremenſis pro memoriâ prædeceſſorum ſuorum, circa ſepulcrum eorundem & ditavit reditibus ſufficientibus: fecitque ibidem memoriam ſuorum prædeceſſorum, parentum & amicorum. Et hujuſmodi reditus annuatim fecit cum Ottone, qui habuit caſtrum in Bremâ, quod debuit ſolvere ſub maximis pœnis canonicis & vicariis in ſummo. Et iſte Otto fuit Comes de Oldeborch & fuit potens & dives & fuit nepos Dominorum Hildeboldi & Giſelberti Archiepiſcoporum antedictorum. Eodem tempore obiit Henricus Comes de Hoja, & dimiſit XXV. filios legitimos unde nullus venit ad 50. annos. Dominus Archiepiſcopus Giſelbertus in ultimis temporibus patiebatur calculum & alios morbos & ductus fuit curru in infirmitate ſua & ſenio. Tunc cœperunt reſiſtere Archiepiſcopo Stedingii cum iſtis de ſeptem parochiis ultra Albiam. Et convocavit exercitum cum Duce Saxoniæ Luneborg & comite Holſatiæ & miniſterialibus Bremenſibus, & venit contra eos cum dictis principibus Stadam, & multos occiderunt, & plures captivarunt, & deſtruxerunt terram rapinis & incendiis. Tunc doluit Archiepiſcopus pro interfectione & depopulatione terræ, & fecit pro eo magnam pœnitentiam ſicut teſtati ſunt, qui in fine vitæ circa eum adfuerunt. Hic Giſelbertus ſedit XXXIII. annis, tribus menſibus & tribus diebus & obiit Vordæ anno Domini M. CCC. VI. ſepultus Bremæ in medio Eccleſiæ. Et anno MCCCII. tunc Baſilius cantor Bremenſis fecit depingi dependentia vela in medio Eccleſiæ Bremenſis.

HENRICUS DE GOLTERNE XXX. Archiepiſcopus XXVII. Fuit concorditer electus in Archiepiſcopum à capitulo Bremenſi anno MCCCVI. & fuit antea Decanus Bremenſis: fuitque natus à miniſterialibus & militaribus valde pacificus, moralis in moribus, tritus in ſententiis & dapſilis in expoſitione. Iſte gravatus ſenio miſit Cantorem Bremenſem cum aliis Canonicis ad urbem Romam pro pallio & confirmatione, & interim ipſe venit Stadam, & dum redire deberet correptus febribus obiit Vordæ & ſepultus eſt Bremæ circa Hildeboldum cujus fuit capellanus. Idem Henricus electus ſedit quatuor menſibus. Cantor Bre-

menſis obiit in viâ, dum redire debuit habita confirmatione; cæteri redierunt Bremam.

FLORENTIUS XXXI. Archiepiſcopus XXIIX. de Brunckhorſt dictus, Scholaſticus Bremenſis à parte capituli electus. Alii elegerunt Bernhardum filium Comitis de Wolpia Præpoſitum Magdeburgenſem & Bremenſem. Majores & ſapientiores noluerunt in tantâ partialitate eligere propter mala, quæ inde oriri poſſent imposterum in deprædatione Eccleſiæ. Cives Bremenſes adhæſerunt Præpoſito: & miniſteriales adhæſerunt Scholaſtico. Et ambo multis divitiis adierunt Romã collectâ gazâ, & Papa cum curiâ ſuâ fuit tunc Pictavis. Ibi ſedit Papa Clemens V. olim Archiepiſcopus Burdegalenſis. Ambo manſerunt in curiâ pro confirmatione obtinendâ. Sed Florentio Papa dedit pallium & confirmavit ipſum: & tunc ceſſit voluntariè Bernhardus Comes de Wolpiâ. Anno Domini MCCCVII. venerunt duo cives altercantes ſuper prioritate Bremenſis & Lubecenſis civitatum, & Brema antelationem obtinuit. Iſte Florentius obiit in Bremâ ſepultus. Poſt illum venit quidam JONAS de Succiâ, qui hic apud nos dicebatur Johannes.

JONAS ſive JOHANNES XXXII. Archiepiſcopus XXIX. accepit Archiepiſcopatum Bremenſem à ſede apoſtolicâ: antea fuit Epiſcopus Lundenſis in Daciâ, & prius fuit Præpoſitus Roſſchildenſis. Pater ejus miles, & mater de genere regum Danorum. Et cùm venit ad diœceſin Bremenſem vocatus eſt Johannes, & fuit Doctor Decretorum, & in multis regnis non habuit ſimilem in artibus liberalibus. Papa Nicolaus IV. confirmavit eum ad diœceſin Lundenſem, & inbeneficiavit multos clericos valde dignos. Et hoc indignè tulit rex Daciæ, quia ſtatum clericalem valdè odit, & contrarius fuit electo. Cum verò Archiepiſcopus corripuiſſet deſuper regem Daciæ ſuper tali tyrannisiâ, quòd non deceret regem: tunc rex fecit eum captivari & detineri in carcere & conſtringi cathenis. Et Epiſcopus fuit patiens & venerabilis, & fecit regem excommunicari cum ſuis, & interdici totum regnum. Et rex tenuit eum biennio ſatis ſtrenuè. Tunc Cœleſtinus fuit Papa Romanus & ſcripſit ad regem & excommunicavit eum, ſed rex non curavit ad feſtucam: nec curavit regem cœli, nec curavit honorem proprium, ſeu animam propriam. Sed amici adjecerunt ſibi funes in turrim ut ſe liberaret de turri, & cum favore cuſtodum evaſit Regem in ejus ſcandalum. Tunc idem rex Henricus nomine deſtruxit & devaſtavit omnia, quæ erant Epiſcopi Lundenſis, & depulit omnes Epiſcopos, qui ibi erant de partibus Franciæ & multos ſacerdotes exiliavit in ſolitudinem. Propterea Epiſcopus Johannes ivit Romam, & ibi fuit benignè receptus à Cœleſtino Papâ quaſi ovis, quæ benignè depilaſſet lanam ſuam & nuda evaſiſſet & dejecta fuiſſet pro juſtitiâ. Poſtea venit Bonifacius VIII. qui valde tunc mirabatur de conſtantiâ Johannis, & dixit quod nunquam vidiſſet ſibi ſimilem de forti & conſtanti animo, ſic quòd nec de horribili perſecutione inimicorum ſuorum mollificabatur. Henricus rex Daciæ miſit ad curiam magiſtros Pariſienſes nobiles & ſapientiſſimos, & ſpecialiter unum Pariſienſem magiſtrum cui nomen erat Martinus de Dacia, qui & compilavit modos ſignificandi, qui dicuntur Modi Martini: & iſti modi antiquo tempore communes erant. Huic Martino rex dedit magna munera, præbendas & prælaturas, & cum aliis ivit Romam contra Johannem Epiſcopum. Et Rex dedit eis clenodia pro curis, & procurarent contra dictum Epiſcopum pro rege, & quod non retinerent pecuniam nec bona, ſed quod lucrarentur cauſſam contra Johannem. Et venerunt ad curiam ante Papam & ibi fuit cauſſa propoſita & diſputavit pars contra partem in negocio Johannis Epiſcopi. Sed Johannes Epiſcopus obtinuit unam ſententiam contra regem Henricum pro offenſa & damnis ſibi illatis. Et tunc poſitum fuit interdictum Papale per totam Daciam, & duravit VI. annis. Tunc rex laboravit & promeruit gratiam a Domino Apoſtolico, & hoc per magna munera & dona. Et Papa rogavit Johannem ut dimitteret diœceſin quia non poſſet ibi bene eam habere ſecuram vitam, ipſe eum vellet facere majorem Prælatum Archiepiſcopum quando ſibi occurreret. Et Papa promiſit, quod rex Daciæ deberet ſibi expagare XL. millia marcarum & cum illo cauſſa ſopita & terminata. Tunc venit Johannes Epiſcopus Pariſius & ibi emit reditus. Et Epiſcopus Iſernus præfuit Eccleſiæ Lundenſi. Et obiit Papa Bonifacius & novus Papa Benedictus XI. accerſivit Johannem Epiſcopum & dedit ei Eccleſiam Rigenſem, ſed ipſe

debuit

debuit reſignare Eccleſiam Lundenſem: ſed hoc noluit facere, quod Papa valde indigne tulit & dimiſit eum ulterius exſpectare. Poſteà Clemens V. fit Papa, ille fuit ſapiens & nobilis, & tunc vacabat Eccleſia Bremenſis, quæ primatum tenuit per tria regna quia obiit tunc Florentius de Brunckhorſt, cui dederat Papa contra Præpoſitum Bernhardum de Wolpiâ & propter famam Johannis & bona opera Eccleſiam dedit illi Bremenſem. Ex illo idem Epiſcopus lætificatus valde accepto pallio a Clemente V. venit in Bremenſem provinciam cum humilitate, & venit in Huda & manſit ibi cum conventu, donec Prælati, miniſteriales & conſules ac cives Bremenſes inducerent eum in Eccleſiam ſibi commiſſam. Et ſtatim fecerunt ſibi homagium, & bona receperunt in pheudum. Et habuit plenariam obedientiam in ſpiritualibus & temporalibus. Et venit ut ſtrenuus Chriſti miles & paſtor bonus gregis Dominici, & ipſe accepit caritativum ſubſidium. Et contradixit ſibi Præpoſitus Hamburgenſis primo & cum clero ſuo reſtitit ſibi. Et Archiepiſcopus excommunicavit Præpoſitum & ſuos: & Præpoſitus appellavit ad curiam. Et talis mos contrarietatis & rebellionis ſemper fuit Hamburgenſium ſicut adhuc: & contrarietas venit ab eo, quòd capitulum Bremenſe primò conſenſit, & Hamburgenſes non erant pro conſenſu evocati & ideo appellarunt, quia æque glorioſi eſſe intendebant cum capitulo Bremenſi. Eodem anno poſtulavit Archiepiſcopus Johannes caſtrum Vorde ab Henrico de Borch, qui fuit peſſimus tyrannus & reſtitit Archiepiſcopo, nec dedit ſibi caſtrum. Fuit idem Henricus perſecutor clericorum, & deſolator clauſtrorum, & ideo non curavit Epiſcopum. Et fuit deflorator clauſtralium, & captivavit monachos, canonicos & ſacerdotes: deſolavit militares, terram & homines, quaſi deſperatos, & multos occidit in aquâ, igne, gladio & nive, in cippis ſuis, & cathenis, & fuit fortis in multis malis, & neminem curavit. Tandem Archiepiſcopus expulit eum de caſtro, & mandavit ſervare pacem, ſed fregit pacem reſidens in proprio caſtro. Ibi venit Archiepiſcopus cum Duce Luneburgenſi & Epiſcopo Verdenſi, & captivavit eum & caſtrum deſtruxit, quod vocabatur die Dannenzee / & Archiepiſcopus miſit eum in carcerem. Item cepit Horneborch & deſtruxit propter eundem. Et Henricus de Borch ſedit in turri Vorden incippatus. Et tunc fuit tranquillitas in diœceſi Bremenſi multis annis & laudabant Chriſtum, quod dejectus eſſet iſte tyrannus Henricus, qui contra Chriſtum & ejus Eccleſiam diu graſſabatur. Et clerus cantavit, Te Deum laudamus. Poſtea venerunt literæ à Papâ Romano, quòd Johannes Archiepiſcopus deberet viſitare Papam & terminare unam cauſſam, quæ erat inter Rigenſes, & Magiſtrum Teutonicorum. Et cum eſſet in viâ, tunc Papa remandavit ſibi, quòd cauſſa eſſet terminata. Super quo miniſteriales & populus lætificabantur. Poſtea conſulatus fecit murum contra Eccleſiam ſeu foſſam ante civitatem, & hoc non fuit cum conſenſu Archiepiſcopi. Ipſe movit lites civitati & voluit deſtruere murum iſtum, & reſtitit conſulatus. Et ergo pro eo ivit Viennam ubi Papa fuit & proponebat Archiepiſcopus cauſſam in Conſiſtorio ſuo, & cauſſa non fuit terminata, ſed ſedi Apoſtolicæ fuit commiſſa juxta honorabilem ritum. Poſt hoc poſuit Archiepiſcopus Johannes Borchardum Grolle, qui fuit Præpoſitus Ruſtringiæ & Johannem Parvulum, qui magnus fuit Juriſta ad vicarios in ſpiritualibus. Et iſti rexerunt diœceſin Bremenſem, & viſitabant ſpirituales per totam provinciam, & mandata eorum tenebantur cum diligentiâ. Poſtea venit Archiepiſcopus Bremenſis de curia Papæ, & venit Vordam, & tunc fuit in diœceſi quidam malus dictus Otto Scacke rebellis ſibi & Eccleſiæ, quia tenuit latrunculos & peſſimos quosque raptores & terræ deſtructores. Et ideo dedit Horneborch amicis Henrici de Borch, qui fuerunt contra fidem Chriſti. Illi incenderunt Vordam, & pudoroſè ſe demonſtrabant, de quo non eſt dicendum per ſingula. Tunc venit Bremam ut pace frueretur, & poſuit Martinum de Huda in advocatum in Langewedel, & bellum habuit contra Comitem de Hoja pro caſtro Tedinchuſen, quòd erat diœceſis Bremenſis, & citavit eum ad curiam. In eodem tempore captivavit Archiepiſcopus unum ſacerdotem in Brema contra capitulum & conſules, & contra omnes cives Bremenſes; & duxit ligatum usque Langewedel, & graviter fuit contra capitulum, & voluit Dædalem & Borchardum Grollen depellere à capitulo Eccleſiæ Bremenſis. Et multos cives Bremenſes conſtituit absque pace, propterea quòd interfecerunt unum presbyterum manifeſtè,

Digitized by Google

& pro hujuſmodi volebat ſibi ſatisfeciſſe, ſed ſprevit emendam volens graviter vindicare. Omnes ergo tandem conqueſti ſunt ſuper Archiepiſcopo & perſecuti ſunt eum ubique. Et tunc Archiepiſcopus impignoravit Langewedel pro magnâ ſumma & centum armigeros accepit ſuper ſumtus & ſtipendia, ſed defecit in cibariis & frumentis ac ſeipſum exterminavit. Et inde venit Nordam in Friſiâ, poſtea in Wildeshuſen, & ibidem non invenit fortunam, ſed captivatus fuit à quodam qui dicebatur Otto de Oyta, qui ſtrenuè eum tenuit. Et omne fuit ſibi in offenſam, quòd erat in Wildeshuſen & miniſteriales ſui receſſerunt ab eo. Et poſtea nemo timuit eum & ſuam dignitatem. Sic ex dolore rediit in Friſiam. Poſtea venit Henricus de Borch de turri Vordenſi in contemtum Archiepiſcopi à Scholaſtico Bremenſi Dn. Johanne de Lunenborch, qui fuit filius Ducis ibidem, qui tunc fuit protector & adminiſtrator poſitus Eccleſiæ Bremenſis à capitulo abſente Archiepiſcopo. Ille eundem tyrannum cepit ſibi in ſocium pro perſecutione aliorum, ut ſic poſſet venire ad Pontificatum: & hoc fuit valde contra Johannem Archiepiſcopum. Sed Dux Johannes intromiſit ſe tunc de terris & caſtris diœceſis Bremenſis & non curavit Archiepiſcopum. Poſtea captivavit ſacerdotem, qui tulit mandata Archiepiſcopi Johannis, & eum interfecit in vinculis Vordæ. Et hoc non fuit vindicatum, nec ab Archiepiſcopo neque à Bremenſibus. Poſtea rediit Archiepiſcopus Johannes Romam & citari fecit Dn. Johannem Luneburgenſem Scholaſticum Bremenſem, & omnes perſecutores ſuos per diœceſin Bremenſem, & qualiter ipſi contigit longum eſſet ſcribere. Tunc Romæ Papa fuit Johannes, ante quem prædicavit Johannes Archiepiſcopus noſter Johannes, & Papa laudavit eum dicens, quòd eſſet vir eminentiſſimæ literaturæ & caput Alemannorum. Et fuit juſtus: nam cum quodam tempore advocatus ſuus in Langewedel captivaſſet unum vectorem, pro eo, quòd currus cecidit, venit ante eum cum captivo exponens factum. Et dixit Archiepiſcopus, quid enim mali fecit? deberemus habere malos pontes & vias ac ſi ſic caderent ſi reciperemus eorum bona valde ditaremur: ſed non eſt rectum, æquum & juſtum: redde ſibi ſua, & repenſa ſibi damna: quia hoc eſt juris. Perſequi debemus inimicos noſtros non innocuos. Et allegavit iſtum verſum: Perſequar inimicos, & non convertar donec deficiant. Ultimò obiit idem Archiepiſcopus Pariſiis & dicitur quod dereliquerit XIV. millia florenor. Rhenens: & fuit XX. annis Archiepiſcopus in Bremâ. Anno MCCCXXVII. tunc inceptus fuit murus prope S. Stephanum, qui dicitur Nova-civitas. Anno Domini MCCCXI. manifeſtavit ſe S. Victor in Eccleſia Bremenſi Dn. Hermanno Borch Decano, ipſo die Victoris, qui & ſtetit ut miles circa fontem baptiſmatis. Et juſſit Camerario, ut invitaret eum militem ad prandium, qui reſpondit ſe eum non videre. Deinde dixit Diacono & Subdiacono, num viderent iſtum glorioſum militem ibi ſtantem, & dixerunt quod non. Procedens autem de loco ſtationis proceſſionis ad locum militis circa gradus baptiſterii loquebatur illi invitans eum ad prandium ſic dicens, ſtrenue miles ſupplico vobis, ut hodie præbendam S. Petri mecum comedatis. Reſpondit miles S. Victor, quòd non poſſet facere. Tunc rogavit eum Decanus humiliter ut revelaret ſibi quis eſſet, reſpondit ſibi: Ego ſum Victor miles Chriſti, cui hodie hîc ſolemniter ſervitis, & ſum protector ipſius loci in perpetuum. Audiente hoc Decano, quòd erat S. Victor, procidit ad pedes ejus & ſic evanuit, & tunc vidit eum tota proceſſio clericorum: & Decanus totum fecit ſolemniter publicari. In Anno Domini MCCCXVI. fuit iterum cariſtia magna, ut modius ſiliginis ſolveret XXIV. gr. & Decanus dedit multa pauperibus, & tandem quaſi conſumtis omnibus vidit paupertatem omnium juſſitque largiſſimè dari: & ſic cum ea quaſi omnia conſumta fuiſſent dixit ſervis: Colligite cum ſcombis omnia & date frumenta & farinam. Et cum dicerent ibi nihil eſſe, acceſſit cum ſervo & invenit omnia repleta per gratiam Dei, acſi lobium cadere deberet. Et tunc dedit largiſſimè, & frumentum non eſt imminutum ex Dei dono. Et ſic magnâ devotione cœpit Decanus flere & dixit: Date jam largiſſimè pro regno cœlorum.

BORCHARDUS GRELLE XXXIII. Archiepiſcopus XXX. electus fuit Canonicè tempore Johannis XXII. Papæ, Anno Domini MCCCXXVII. & fuit in XI. Anno Papæ Johannis ipſo die Hieronymi. Et ipſe fuit antea Subdiaconus Ruſtringiæ, cui dabatur diœceſis Bremenſis tali modo, quia devoluta fuit ſedi Apoſtolicæ per

mortem

mortem Johannis Archiepiſcopi, & quia tunc adhuc nemo inſtitit. Ideo unanimi conſenſu cleri & plebis mittitur perſonaliter ad ſedem Apoſtolicam pro Eccleſia Bremenſi impetrandâ. Ipſe enim fuit homo pulcer & literatus & bonæ vitæ natus de civitate Bremenſi de divitibus parentibus & morigeratus homo nobilis plus virtute quàm parentibus. Fuit etiam humilis, beneficus, & largus, probus & affabilis, ac omni honeſtate præclarus. Et ſic Deus vocavit eum ad bonam fortunam, & accivit eum ad ſtatum felicem. Unde verſus:

Hic eſt Borchardus redolens vere quaſi nardus
Floruit in mundo ſimilis vix orbe rotundo.
Non nobilis genere ſed nobilior probitate.

Habuit unum fratrem cui nomen Focko Grellen qui dives fuit bonis & Dei gratiâ, & ſimiliter omnibus amabilis. Pro Borchardo Principes cum capitulo ac conſules & tota communitas ſcripſerunt Papæ ad promovendum eundem in Archiepiſcopum. Et cum Papa vidiſſet perſonam ejus ſapientiam & humilitatem, tunc benignè providit ſibi de Eccleſia Bremenſi, & dedit ſibi pallium & confirmavit eum in Archiepiſcopum benevolè. Et cum placuit divinæ bonitati, ut reliquiæ SS. Coſmæ & Damiani publicarentur toti mundo de muro, ubi antiquitus pro inſultibus Barbarorum erant incluſæ, & maximè per Cæſarem Ottonem, qui fuit natus Dux Brunſvicenſis, & Duce Henrico ibidem pro quorum inſultibus aliæ reliquiæ tunc ibidem abſconditæ fuerant, ſed quando placuit divinæ bonitati ſunt publicatæ. Hujusmodi reliquiæ Coſmæ & Damiani maximo miraculo publicabantur Archiepiſcopo Burchardo. Nam cum ſemel in feſto Paſchæ aſcendere voluit chorum ad Auſtrum, tunc murus crepuit medius, & ſonitum maximum fecit, & inde proceſſit odor ſuaviſſimus, quod nemo unquam odoravit. Statim cum ſibi hoc ſignum apparuit, locutus eſt cum capitulo, & concordavit cum eis, quod à futuro feſto Pentecoſtes ulterius per annum, Anno Domini MCCCXXXV. de iſto loco vellet elevare ſeu transferre reliquias SS. Coſmæ & Damiani, qui etiam ſibi per viſum apparuerunt. Et hoc fecit in regnis & provinciis circumquaque publicari. Et fecit omnes ſuffraganeos invitari ad iſtam ſolemnitatem, Duces, Comites, Barones milites & militares in propinquis terminis & regnis, & omnes virgines tam intus, quàm extra cum quibus tum conſilium maximum habuit, & tenuit maximam curiam quaſi regalem ante curiam ſuam in curiâ domus Dei cum nobili apparatu, & ibi fuit triduo tripudium. Et feriâ ſecundâ Pentecoſtes dum ipſe elevavit vel transtulit reliquias SS. Coſmæ & Damiani cum Epiſcopis Suffraganeis & abbatibus multis Miſſa finita ante prandium fecit XII. ante aulam ſuam in honore Dei & ſolemnitate ſanctorum de optimis ſuis miniſterialibus Eccleſiæ ſtare. Et concurſus, qui ibi tunc fuit, nemo meminit. Nam Dn. Henricus Doveldei proconſul ſtetit in uno magno dolio braxatorio, quaſi de plauſtro integro: ex illo offerebatur cum auro, argento, pecuniâ & argenteis muneribus. Finitis diebus Pentecoſtes & ſolemnitate tunc Archiepiſcopus fecit vocari camerarium ſuum & petiit, quòd ſibi de offertis dare vellent ad expenſas ſuas magnas, quas pro Eccleſiâ fecit. Et dederunt ſibi ter mille marcas benevolè. Reliquum ceſſit ad ſtructuram, & inde facta eſt magna campana. Et tunc nobilis Baro de Deipholte fuit de familiâ Dn. Archiepiſcopi. Iſte Archiepiſcopus libenter cantavit Miſſam in Eccleſiâ ſuâ, & in clauſtris, & perſonaliter more prædeceſſorum ſuorum prædicavit. Ille habuit circa ſe cancellarium magiſtrum Franconem Eccleſiæ ſuæ Meſchedenſis Scholaſticum virum literatiſſimum, qui fecit unum librum de proceſſu judicis in cauſſâ ſibi commiſſâ ex parte monialium de auctoritate S. Baptiſtæ & Evangeliſtæ altercantium. Et fecit unam ſequentiam de nativitate Domini. Iſte Pontifex domuit Ruſtringos cum civitate negociatoribus infeſtos & ſubdidit eos in perpetuum. Item ſuo tempore per traditionem Eccleſia Bremenſis amiſit Tedinghuſen, & hoc cepit Henricus Comes de Brockhuſen. Dn. Liborius miles frater Archiepiſcopi tenuit Wildeshuſen & Haghene contra velle ſuum. Poſtea obiit Focco Grelle frater ſuus, qui erat quaſi arcarius Archiepiſcopi. Fratre defuncto obiit Archiepiſcopus in maximo dolore in Bremâ, & polluit in omni ſanctitate in Eccleſia Bremenſi Anno MCCCXLIV. pridie aſſumtionis Mariæ, & ſepultus eſt in Eccleſiâ Bremenſi.

OTTO DE OLDENBORCH XXXIV. Archiepiſcopus XXXI. natus nobilis Comes, qui prius fuit Archidiaconus Bremenſis, & antea Præpoſitus S. Anſcharii in Bremâ: & illi dabatur diœceſis Anno MCCCXLV. Fuit tunc valde confectus ſenio, nec potuit amplius equitare, & ideo optavit de conſilio capituli Mauricium de Oldenborch Decanum poſt ſe electum patruum ſuum in adminiſtratorem Eccleſiæ Bremenſis, & iſte equitavit ad curiam pro confirmatione. Anno Domini MCCCXLVII. tunc conſulatus Bremenſis captus fuit trans Albiam pro conſilio in Lubeck à quodam Krumdick pro quodam litone cive Bremenſe: ſed Lubecenſes liberaverunt eos eodem anno cum civitatibus. Eodem anno deſtruebatur caſale in Bremâ, unde inſolentiæ non paucæ contigerant, & interfectiones non modicæ & rapinæ & fuit quaſi domus fortis in curiâ Conradi de Gropeling ubi confluxerant violenti interfectores pro nefariis: & dicebatur caſale à casâ. Ad iſtam domum venit tota communitas. Cum vix deſtruxit iſtam tunc obiit Archiepiſcopus & ſepultus eſt in medio majoris Eccleſiæ. Mauricius autem intromiſit ſe de Archiepiſcopatu, & tenuit caſtra, ſed non obtinuit confirmationem, ut patebit infra.

GODFRIDUS Comes de Arnsberge XXXV. Archiepiſcopus XXXII. antea fuit Epiſcopus Oſnaburgenſis, & poſtulatus in Archiepiſcopum Bremenſem Anno Domini MCCCXLIX. Tunc incepit bellum civile inter Mauricium & Gotfridum ambos origine Comites, unus Oldenborgenſis, alter de Arensberge fuit. Et materia litis fuit propter diœceſin Bremenſem. Dn. Mauricius electus fuit de capitulo, ſed Papa dedit Archiepiſcopatum Gotfrido, & ambo litigabant altrinſecus, & unusquiſque eorum attraxit ſibi civitatem, & ideo modicum exſpectabant in lite & pauſabant. Et ideo conſulatus ſuperſedit de adhæſione neutrius. Ultimò tamen invenerunt finem illum conſulatus & communitas Bremenſis contra Mauricium, qui habuit omnem munitionem & caſtra præter Tedinchuſen, quod vicit Comes Gerhardus de Hoja ab Henrico Comite de Brockhuſen cui impignoratum fuit à diœceſi Bremenſi. Sed res poſt longas altercationes & lites ſic compoſita eſt, quod Gotfridus manſit archiepiſcopus & deberet ſervire Deo, ſed Dn. Mauricius deberet retinere caſtra & manere adminiſtrator ejus in temporalibus ex integro, & providere Gotfrido. Sed ut hoc obtineret, duxit exercitum ante Bremam idem Mauricius, in quo exercitu habuit DCCCC. milites & famulos cum Dominis iſtis, Comite de Marchiâ, & Comite de Stelnfordiâ, Epiſcopo Paderbornenſe & Comite de Oldenborch cum aliis ſuis amicis & dominis circumquaque, & fecit ibi mira ante Bremam, & in paſcuis interfecit multos cives. Et eodem anno erat tanta peſtilentia in Bremâ, quod potuiſſet civitatem cepiſſe ſi voluiſſet. Sed Dn. Mauricius allegavit illud: Afflicto non eſt danda afflictio, & receſſit. Et audiens conſulatus tantam benevolentiam, intromiſit ſe de priore compoſitione, & hoc fuit Anno MCCCL. Poſtea venit ad valuam Orientalem & fecit in milites Conradum Comitem de Oldenborch, Comitem Engelbertum de Marchiâ, Dn. Ottonem de Line, Dn. Henricum de Itzendorp, & Dn. Martinum de Huda & ignem fecit copioſum de omnibus ædificiis ante Bremam, & præſertim cepit caſtrum Borg & deſtruxit, & incendit pontem ibidem & cepiſſet civitatem Bremenſem ſi non fuiſſet peſtilentia, ut dictum eſt, & deſtruxit omnia usque ad Leſmonam. Ergo amplius res diſcuſſa eſt, & communitas adhæſit Mauricio & concordia Dominorum eſt facta. Poſtea Comes de Hoja vicit Bremenſes ſolo auxilio Dei, non potentia propter nimias eorum inſolentias. Et tunc Mauricius manu forti redemit Langewedel, & caſtrum Tedinghuſen à Comite de Hoja, qui hoc cepit à Comite Henrico de Brockhuſen, qui habuit hoc in pignus à diœceſi & capitulo, & tunc fuit incaſtellata Eccleſia Lullenhus. Et omnes incaſtellatores mortui ſunt in integro anno miſere. Idem Archiepiſcopus tunc mortuus eſt, & ſepultus in Eccleſia Bremenſi.

ALBERTUS Dux Brunſvicenſis XXXVI. Archiepiſcopus XXXIII. qui conſilio Comitis Gerhardi de Hoja inductus fuit in Eccleſiam Bremenſem & promotus, quia ipſe fuit in gravi lite cum civitate, & timuit ſe deficere, & dominum ſuum ita ordinavit, ut pater ſuus, ſcilicet Magnus pro filio ſuo ibi promovendo laboraret per preces aliorum Principum & dominorum, ac intentaret minas, ut ſic promoveretur. Ipſe enim Mauricius fortiter infeſtavit Comitem de Hojâ, & multoties vicit & de-

& depopulatus eſt dominium ſuum, & quia vicit Hoja pluries. Et Comes tenuit Gotfridum Archiepiſcopum, qui tunc cum Mauricio ſtetit in malis punctis, ſed tenuit eum propterea, quia dedit ei Tedinckhuſen. Et ille Archiepiſcopus fuit ſenex & impotens, & ideo magnum libenter habuiſſent Principem pro defenſione majori, & ut refrenaret potentiam illius Mauricii Decani, qui ſimul diœceſin adminiſtrabat. Et ſic petiit Comes de Hojâ, quod Dux Magnus lites moveret civitati Bremenſi, & diffidationis mitteret literas, hoc deſerviret, quod alias ibidem degere non poſſet, quoniam idem Mauricius eum à Comitia expelleret, & amicitia fuit, quod idem Gotfridus hoc in compoſitione, quod filius ejus peteretur in Archiepiſcopum Bremenſem fieret, qui & tunc habuit conſenſum Gotfridi & biennio fuit hoc in curiâ Romanâ practicatum. Et Mauricius etiam inſtitit, ſed procuratores prævaluerunt & Albertus obtinuit Epiſcopatum. Anno MCCCLXI. venit Dux Magnus cum filio ſuo Alberto habitâ confirmatione & pallio à Papâ ſuper Bremenſem Eccleſiam, ſed Mauricius reſtitit ſibi fortiter, quia habuit caſtra. Et venit cum fortitudine Ducum, Comitum & Baronum ante Vordis & obſedit caſtrum, ubi erat Mauricius. Ibi nobilis Baro de Werberge interemtus eſt cum aliis multis: quo facto concordarunt in hunc modum, quod Mauricius temporibus vitæ ſuæ obtinere deberet Hagehne cum omni advocatiâ & reditibus, & ſic deberet cedere in integro. Et ſic ceſſit à diœceſi & manſit Decanus, & Albertus Dux pro Archiepiſcopo intrat. Poſt hoc Anno Domini MCCCLXII. incendit Archiepiſcopus Albertus Hallerlant, & venit cum omni expeditione ante Bremam, & fecit ſibi conſulatus homagium. Anno MCCCLXV. pulſi ſunt iterum quidam de Bremâ, inter quos unus erat nomine Wildehoen pellifex cum cæteris: & inde ſurrexit ſeditio in civitate, quorum unus fuit Holleman, qui poſtea ante caſtrum ſuum fuit ſuſpenſus, & intraverunt per legias quidem per Weſeram alii equeſtres in nocte per pontem, alii per valuas & convenerunt in forum. Tunc clamavit Holleman, cui eſt dilectio libertatis veniat ad nos, & multos decepit. Archiepiſcopus autem Albertus fuit Dux eorum & hoc factum fuit Anno MCCCLXVI. Sed Comes Chriſtianus de Delmenhorſt & Conradus de Oldenborg poſt multos liberaverunt civitatem, quia ſecretè cum ſuis contra Archiepiſcopum venerunt eis in adjutorium. Et hoc fuit Sabbato ante Petri & Pauli: pro quo adhuc tenetur feſtum reexpugnationis in honore S. Mariæ. Poſtea Anno Domini MCCCLXVIII. in feſto Praxedis pro multis inſolentiis compeſcendis venerunt in Blexen navigio, Dn. Mauricius de Oldenborg Decanus, Domicellus Gerhardus fratris ejus filius, & Domicellus Chriſtianus patruus ejus Comites de Oldenborg, & Conradus Comitis Henrici filius de Brockhuſen cum ſeptingentis militibus & multis civibus Bremenſibus abſque equis, & omnes ibidem à Friſonibus interfecti ſunt, præter Everhardum de Elmelo. Et tenetur quod totum fuit ex vindictâ, quia Friſones ſpoponderunt ſatisfacere pro delictis. Et dummodo eos non volebant capere ad gratiam clamabant ad cœlum pro adjutorio & Deus liberavit eos.

M ter CCC LXVIII. quondam cum ſcripta fuere,
Oldenborgenſes Comites cecidere per enſes
Friſonicæ gentis hoſtiliter hunc ferientis:
Quo ruit armatus ſimul ipſorum Comitatus.
Hujus & obnixè miſerere, JEſu crucifixe,
Praxedis in feſto cædis hujus memor eſto.

Anno MCCCLXX. in die Margaretæ fuit grande Diluvium & tunc ſolvit modius filiginis duodecim groſſos. Anno Domini MCCCLXXIV. die Valentini in carnis privio iterum fuit diluvium grande & tota terra erat plena aquis ut magnæ naves pertranſire poſſent. Tunc primo cereviſia Hamburgenſis ferebatur in Friſiam. Anno MCCCLXXV. impoſitum fuit Archiepiſcopo Alberto, quod eſſet hermaphroditus & hoc fecit Dn. Joannes de Treſtervlere Decanus Bremenſis, & aliqui de capitulo. Et ille idem Decanus poſtea factus fuit Epiſcopus Verdenſis. Et fuit fama divulgata per diœceſin & fuit diſcuſſum & non erat verum. Eodem anno fuit una peſtilentia, quæ duravit biennium. Poſtea Archiepiſcopum voluit captivaſſe Decanum ſed ille aufugit in caſtrum Mideborg, & poſtea res per capitulum & amicos deciſa eſt, & iſtam determinationem diffinivit Comes Chriſtianus de Oldenborg, Domini Conradi

radi Comitis frater in hunc qui ſequitur modum, videlicet quod Dn. Joannes de Tzeſtervlete rogare deberet Archiepiſcopum cum centum militaribus ſi deliquiſſet in eodem remitteretur ſibi propter Deum, & cum ipſo eſt res diſcuſſa. Anno MCCCLXXIX. tunc quidam vaſalli de caſtro Drakenborg pro rapina venerunt ad advocatiam Langwedel, ſed ferè permanſerunt captivi. Poſtea Comes Conradus fecit de parochiali Eccleſia in Oldenborg collegium canonicorum & frater ejus Chriſtianus fecit domum S. Joannis ante caſtrum. Et inſtituit duos Fridericum Haneman, & Dominum Joannem dictum Minsheren Sohne & manſit multos annos apud ordinem ad tempora Theodori Comitis & Chriſtiani filiorum ejus, & tunc per negligentiam venit ad ſeculares. Nam ante commendas duas habuerunt diverſi, unus dictus Joannes de Wardenborg ſecularis tamen, quoad aliam præbendam in eadem capellâ aut domo genuit quidam religioſus de ordine prædicatorum in Bremâ nomine Herbordus Neotepago, qui & terminarius ibi exſtitit, & confeſſor dicti Comitis, & poſt eum alius ſacerdos dictus Gotfridus Nopernagel. Et poſt illos omnes venit Dominus Henricus Wolteri canonicus Eccleſiæ S. Anſcharii Bremenſis, allectus precibus ad idem beneficium retinendum, nec ordo quicquam impetiit nec diligentiam fecit quovis modo. Sed idem Henricus Wolteri canonicus propter conſcientiam ſuam ſubmiſit ſe ordini, ne hujuſmodi fundatoris propoſitum in eo videretur deperire. Et de gratiâ ordinis puta commendatoris in Lage, circa to Borden Oſnaburgenſis diœceſis à venerabili Hermanno de Brockhuſen hujusmodi capellam gubernandam perpetuè & ſuis dominis & omnium conſenſu accepit ſub eorum ſigillis & inſtrumentis publicis, quæ adhuc manent inconvulſa. Et dicta capella habet XIII. ſolidorum gravium reditus, quos legavit dictus Comes Chriſtianus in domo Hobbeken in Manſingen juxta privilegium deſuper confectum à tempore primæ fundationis. Item quartale terræ in Tellen Lintle / quod colebat Wilke Raſcke, ſuper quo etiam notabile eſt privilegium in tali domo curiæ in prædiis Friderici & Ottonis de Reken. Helmericus verò & Joannes de Fikenſolte prope Oldenborg dimidium florenum Rinenſem ad vina & oblatas pro ſacrificio juxta privilegium deſuper confectum. Item in bonis Ton Hönen dimidium florenum de rivo, quiemtus eſt pro VI. florenis ab Heimone de Parſenberge juxta ſimile privilegium, quod habetur inconvulſum. Anno Domini MCCCLXXXIV. facta fuit pax inter Bremenſes & Edonem Wimmeken de rapinis & damnis factis & fuit bona pax in Friſia per Weſeram. Et Bremenſes infeſtabant Hajonem Huſeken, & ceperunt Stadland ſcilicet Didonis terram & primò venerunt Bremenſes cum multis in Eſemiſſe & deleverunt turrim & ceperunt terram ***** & poſtea in Upruſtringen idem fecerunt. Anno Domini MCCCLXXXVIII. fuerunt multi capti & interfecti in agreſſione belli prope Winſen circa Alram in Ducatu Lunæburgenſi, & ibi occubuit Henricus Comes de Brockhuſen, & vacavit dominium, quod tunc Hojenſes impetraverunt. Anno Domini MCCCXCV. tunc filuerunt Papæ ratione indulgentiæ in Bremâ, in die SS. Petri & Apoſtoli à pœna & culpâ & fuit ad octo dies continuè, & manſit octo annis, tunc revocatur à Papâ eodem. Et tunc monſtrabantur reliquiæ de loco apto inter duas turres. Eodem anno obiit reverendiſſimus pater Albertus Archiepiſcopus, & ſedit annis XXXIII. & ſepultus eſt in Bremâ.

OTTO SECUNDUS XXXVII. Archiepiſcopus XXXIIII. Dux Brunſuicenſis & ante Verdenſis Epiſcopus, Ducis Magni filius & ab aliquibus poſtulatus & electus fuit. Alii elegerunt Præpoſitum Bremenſem, qui etiam fuit Præpoſitus Tzevenſis: ſed Otto obtinuit, quia ſui legati prius venerunt Romam, quàm alterius. Pallium dedit ei Bonifacius IX. ſed regalia Rex Robertus. Et idem Otto fuit fratruelis Domini Alberti Archiepiſcopi Bremenſis, & fuit devotus princeps, famæ bonæ, & laudabilis vitæ, & converſationis honeſtæ. Imo erat omni virtute politus: nobilis genere ſed nobilior moribus, & iſte ſe optimè habuit cum clero & populo ſuo: ſed in ultimo anno modicum à civitate Bremenſi diſcordabat, ad inſtinctum Domini Joannis Slamſtorp Archidiaconi Hadeleriæ. Ipſe enim in primo anno introitus ſui circumſedit caſtrum Ottersberg cum fratre ſuo Duce Henrico & Comite Ottone de Hoja. Et ibi reſedit quidam miles miniſterialis nomine Joannes Cluver, qui aliquibus diebus per vim tenuit ſed poſtea dedit. Anno Domini MCCCXCIX. Tabula argentea fuit in-

cepta,

cepta, quæ adhuc ſtat ſuper altare majus in Bremenſi Eccleſia. Item Structuarius Joannes Hemclinck incepit ſcrinium deauratum Coſmæ & Damiani. Eodem anno Bremenſes cum Oldenburgenſibus ceperunt Butjaden, quæ eſt terra Upruſtriæ cum multis armatis & exercitu gentis armorum, & deſtruxerunt turres, & ſpoliaverunt Eccleſias incaſtellatas. Anno Domini MCCCCI. fuerunt Bremenſes & Comes Otto de Helmenhorſt & Joannes nobilis de Depholte in Friſiâ & deſtruxerunt Blexen & Waddenſen. Anno MCCCCIV. ipsâ die Dominicâ Adolfus Dux Sleſuicenſis interfectus fuit in Dithmarſiâ cum ſuis miniſterialibus. Anno Domini MCCCCV. Archiepiſcopus Bremenſis cœpit ædificare caſtrum Niehus, & anno Pontificatus ſui XII. viſus eſt grandis Cometa in partibus occidentis. Sedit enim idem Pontifex XII. annis. Obiit die Commemorationis S. Pauli anno Domini MCCCCVI. in majori Eccleſia circa patruum ſuum à parte dextrâ ſepultus.

JOANNES SLAMSTORP XXXIIX. Archiepiſcopus XXXV. Præpoſitus Hadeleriæ à Canonicis ritè & canonicè electus & omnes populi conſenſerunt in ipſum. & ad petitiones principum capituli & communitatis Papa Gregorius dedit ei pallium & confirmationem, & rex Romanorum Rupertus dedit ei regalia. Et ratio quod unanimis vox corcordavit in eum fuit, quia quaſi in reticulo tenuit omnes miniſteriales cum dictamine juris patriæ, quibus ſemper in jure aſtitit: capitulum attraxit, quod neminem unquam de illis offendit. Et licet tenax erat, tamen affabilis & ſervilis & ideo conſonam vocem omnium promeruit. Servilis fuit ſemper tam in clericis, quàm in laicis, ac ſi unus eſſet ex illis, juxta illud: ducente conſtituunt noli extolli, ſed eſto quaſi unus ex illis. Poſtea idem Archiepiſcopus litem habuit cum civitate ſuper caſtro Bedersâ & ipſe obtinuit triumphum: nam prædeceſſor ſuus Otto ædificaverat ibi propugnaculum quod dicitur Berchfrede, quod ſtetit in Zerberch, quam deſtruxit, & Joannes poſtea ædificavit majorem domum, & eſt de feudo Eccleſiæ Bremenſis, ſed illud quod Dux ibi habet, hoc venit ex parte unius miniſterialis Bremenſis dicti Lappen, qui hoc perdidit, quia Duci Saxoniæ infeſtus fuit, & eum in carnis privio ſpoliavit. Alia etiam multa feuda fuerunt, quæ ſunt in numero IX. ad feudum Domini Bremenſis, quæ de progenie Baronum de Bederkes & militum domino vendiderunt, quod autem per mortem vacaverint Eccleſiæ. Sed Bremenſes ſicut ab antiquo plus alienis inclinati quam ſuis, ſibi locari fecerunt acquiſitam partem Ducis, & ſolum unum beneficium urbis non curando de Archiepiſcopo, & ideo controverſia fuit inter eos: ipſi enim gloriantur de forcipe Jonæ, ſed iſta noluit Joannes præcidi libenter cum ruſticitate participaverunt, ſed mala prement eos pluries. Nam Dido Lullonis Omken filius cum filiis ſuis Didone & Gerhardo reſtitit eis, & quæſiverunt auxilium Archiepiſcopi, qui tamen per Bremenſes capti rotati ſunt ante Bremam. Et ad illos exterminandos conceſſit, demtis ſuis miniſterialibus Bremenſibus, Bremenſibus de Holſatia quinquaginta armigerorum & exercitum ſuæ diœceſis maximum. Cum tali exercitu gentis armorum venerunt in Friſiam, & ædificarunt caſtrum Fredeborg, anno Domini MCCCCVI. in medio æſtatis. Et ibi Deus miniſtravit tantam copiam piſcium, quòd à piſcibus XIV. diebus abſque aliquo cibo omnibus innumerabilis exercitus poſſet confoveri, ſed recedente exercitu gentis armorum receſſit tanta copia piſcium. Poſtea ipſe Archiepiſcopus introduxit comites de Oldenborg Tidericum & Chriſtianum, & ſuggeſſit, quòd jam offenderent Bremenſes, quia ipſi eſſent offendendi, & ipſe non eſſet eis in adjutorium. Et anno Domini MCCCCVII. miſit literas diffidationis ipſo die Bartholomæi Chriſtianus ad Bremam & in Fredeborg, & ſequenti die venit in Grönlant, & vaſtavit ibidem. Et conqueſti ſunt Bremenſes Archiepiſcopo, & dixit quòd de illo malè eſſet contentus, ſed ſecus habuit in mente: verbo doluit, ſed corde lætabatur. Et dixit quod ſcriberet Comiti, an poſſet habere potentiam eorum ad faciendam juſtitiam, ſi autem hoc negarent, tunc vellet eos una cum eis diffidare. Sed hoc procraſtinatum fuit, donec multa & magna facta fuiſſent damna. Ipſe tamen per adhæſionem civitatis inangulatus & defenſionem produxit unam literam, quod in jure deciſionis haberet in mandatis, quod Comites ſemper ſtare vellent ejus dictamini: & addidit, ex quo ſtare volunt noſtro dictamini, ut dicunt, nos non diffidabimus eos, nec poſſumus, quia ſunt ſubditi noſtri ſicut vos: & volumus facere dies placiti inter vos & ipſos. Sed Bremenſes noluerunt, ac rabi-

 dorum

dorum more canum miſerunt literas diffidatorias ad ambos Comites, Tidericum & Chriſtianum, & cum hoc Mauricium de Oldenborg & diffidaverunt totum dominium in Oldenborg. Tunc ipſo die Nicolai incenderunt, quicquid dominium habuit circa decurſum Weſeræ. Poſtea confœderant ſe conſulatus cum Comitibus de Hoja & Delmenhorſt, & deſtruxerunt trans Hundam Stedingiam usque **** & incenderunt Omſtede & ſi tanta glacies non fuiſſet depuliſſent omnia jumenta terræ, ſed ceperunt captivos innumerabiles. Poſtea circa feſtum Purificationis cum C. armigeris fuit Chriſtianus Comes in partibus Friſiæ: ſed Bremenſes venerunt infra Goldeswerden, & cum Oldenborgenſes appropinquaſſent, & vidiſſent expeditionem Bremenſium nimis populoſam, fugam ceperunt Oldenborgenſes cum Comite. Et quidam Liborius Bardewiſch vexillum projecit in arundines & voluit abſcedere nec potuit: & ibi ceperunt Chriſtianum Comitem cum multis & fortiter ligaverunt ipſum: non enim habuit plures in exercitu, quam C. armigeros, & multo plures ipſi Bremenſes. Duxerunt ergo eum cum multis ligatum in equo ad Bremam & in ciſta incluſerunt eum in Hurleberge & fuit ipſo die Purificationis Mariæ. Et idem Chriſtianus dedit pro liberatione ſua in pignus terram Worden cum omnibus attinentiis ſpectantibus ad dominium ſuum in Wigmodia puta Lee & Zanſtede, & facta eſt pax inter Comites Oldenborgenſes & Bremenſes amiſsâ victoriâ à Comitibus. Quia dicitur communiter:

Non bene pugnavit, qui flens à lite receſſit.

Poſtea ædificavit Epiſcopus Joannes contra Wurſatos ſubditos ſuos caſtrum Stintborg: ſed civitas reſtitit ſibi, quod in privilegiis haberetur, quòd ampliùs circa Weſeram non debet caſtrum ædificari ab Hoja usque in mare barbarum niſi hoc eſſet de unanimi Conſenſu Archiepiſcopi, capituli, & conſulatus Bremenſis, & præſertim per tria milliaria. Et ideo jurant Archiepiſcopi in ingreſſu, quod caſtrum Sike & Harpſtede pro poſſe velint deſtruere, quod à porta ſint in confinio infra tria milliaria, & in dominio & fundo Eccleſiæ Bremenſis Anno MCCCCVIII. ipſo die Teclæ fuit maximum bellum civitatis Ludeke contra dominum proprium, & interfecta fuere triginta ſex millia ſolum de civibus præterquam de expeditione & exercitu Dominorum & principum: & fuit dies Dominica infra duodecimam & tertiam ſuper villam Clich inter Ludeke & Tungren, & propter Epiſcopatum illud factum eſt. Ibi fuerunt in exercitu illuſtres principes & Domini, Dux Burgundiæ, Dux Bavariæ, Comes Hollandiæ & Zelandiæ & Hennegowe cum exercitibus eorum dominis & amicis ex unâ parte: ex aliâ parte nobilis dominus de Perwis cujus junior filius electus fuit in epiſcopum Leodienſem ad locum Joannis de Bavariâ, qui ante electus fuit in Epiſcopum Leodienſem & civitatem Leodienſem & totam diœceſin ex alterâ parte: ſic quod hujusmodi ambæ partes congreſſionem fecerunt & litem in prædictum locum ex propoſito. Et dicti principes habebant multos Comites, Barones, milites, militares, in exercitu eorum: & ſuper hoc DC. ſagittarios de Angliâ. Et alia pars habuit etiam multos Comites, Barones, milites, militares cum opidanis & villicis circumquaque: ſic quod Leodienſes aliquos ita durè preſſerunt, quòd multi mortui ſunt ex preſſurâ & ſuffocatione, de quibus non eſt certus numerus ſignatus. Sed poſtea dum accrevit eis victoria, tunc interfecti ſunt ex aliâ parte ſcilicet iſtius de Parwis triginta ſex millia virorum, & ſexcenti ex ſolâ civitate, ut præmiſſum eſt, & de Hoige, demtis aliis, qui erant ex parvis civitatibus & de villis diœceſis Leodienſis, qui venere ad congreſſionem tempore belli. In iſto tempore fuit Dn. Joannes Dux Bavariæ frater Comitis de Hollandiâ, qui ante ipſum de Perwis electus fuit in Epiſcopum Leodienſem, & factum fuit ei homagium in diœceſi: ex quo ortum habuit bellum à clero & civitate à primo. Et iſte fuit cum amicis ſuis in Maſtrecht & in Trajecta ſuperiori & nil ſcivit de bello: ſed cum veniſſet ſibi nuncium hujus belli, profectus illuc cum ſuis poſtquam de veſpere veniſſent literæ ad eum de hujuſmodi congreſſione & feriâ ſecundâ proximâ venit ibidem cum potentiâ forti & lætitiâ, & venit ubi jacuerunt de parte adverſâ interfecti. Ubi dominis ſuis & amicis ſuis gratias egit, quòd vitam, honorem & bona pro ſe poſuerunt. Sequenti Sabbato venit contra Leodium civitatem ante portam S. Walburgis & ibi ante eum interfectus fuit nobilis de Rutzenvort aliàs dictus de Aimunt. Unum militem & L. militares decollari fecit idem Dominus

Joannes

Joannes de Bavaria, quod feciſſent contra epm, qui tamen ſibi antea fecerunt homagium. Et rurſus ingreſſus eſt civitatem Leodienſem cum multitudine gravi, & poſuit ibi advocatos & officiales ſuos, & unum den groten Menger principalem & illi plus credidit: & iſte interfici fecit & projici in Moſam ligatis manibus & pedibus DCC. homines utriusque ſexus. Et fecit capitulum ſuum proceſſionaliter ire ſecum ad valvam Moſæ & ibi cum almucis & ſuppelliciis, ligatis manibus infra ſuppelliciis projici fecit in Moſam: & XL. alios ſpoliari fecit eorum beneficiis: & unum proconſulem ibidem fecit dividi in quatuor partes, & poni in quatuor rotas in quatuor partibus ante civitatem: & omnes adhærentes dicto de Perwis fecit vinculari & ad unguem exactionari ad ſummum. Poſtea fecit LXX. viros rotari quia in nocte muros aſcenderint ad tradendum, quos ſenior filius de Perwis illuc miſit, ſed ipſe manſit extra cum amicis ſuis. Sed pater ejus dictus de Perwis, & filius ejus junior, qui fuit electus in Epiſcopum, manſit in bello, & interfecti ſunt cum illis de Leodio. Refertur etiam, quod Leodienſes jactando dixiſſent quod credibilius eſſet quod Pontomæquor pons lapideus ſic dictus lapideus & fortiſſimus ſe verteret, & inferiorem lapidem verteret ultra Moſam, quàm hoc eſſet poſſibile, quod ipſi reacciperent Joannem de Bavariâ in Epiſcopum Leodienſem quod contigit facto bello, de alto conſilio Dei vertit ſe pons lapideus, de maximis lapidibus conſtructus & ferro onuſtatus & fortificatus, & inferior lapis ſupra, & ſupremi lapides ſteterunt infrà videntibus cunctis. Sic cognoverunt Leodienſes ſe peccaſſe, & redditus fuit ipſis modicum antea Joannes Bavariæ Dux electus Epiſcopus in Eccleſiam ſuam, licet Papa alteri de Perwis dediſſet confirmationem, quamvis malè: ſed ſummus Papa juvit Joannem, reſiſtente tamen ejus vicario: nam ad Rom. IX. dicitur: quis conſiliarius ejus fuit? Ecce quantum miraculum! Poſtea anno Domini MCCCCXII. in profeſto S. Ceciliæ dummodo ſopori ſe dediſſent homines oritur ventus maximus, cui ſimilem nemo novit, & fecit maximam jacturam in domibus, ſilvis & navibus, quod non poteſt effari: unde eſt verſus

Chorus Ceciliæ ſternebat robora multa.

in quo colligitur inſertus numerus annorum, quando fuit iſta tempeſtas. Hic præbet pacem de quinque damnis factis Bremenſibus in LXIII. annis, & major jactura fuit, quàm valor totius civitatis, quia dicit propheta: diſſipa gentes, quæ bella volunt. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Nam hujusmodi jacturæ civitatis oriebantur ex ſuperbiâ & divitiis civium Bremenſium. Prima fuit quando Gotſchalcus de Vreſe cum aliis multis expulſus fuit Anno MCCCIII. ſicut præmittitur antea. Secunda fuit incendium civitatis maximum per parochiam S. Mariæ, S. Anſcharii & aliarum & quaſi ex integro & fuit Anno MCCCXL. Tertia jactura fuit bellum Dn. Mauricii Decani cum civitate Bremenſi Anno MCCCLXX. Quarta fuit perditio triumphi à Gerhardo Comite de Hoja, Anno MCCCLXXVI. Quinta fuit traditio civitatis facta MCCCLXVI. quæ omnia perpeſſi ſunt eorum irrefragabili ſuperbiâ. Sed ſextum damnum acceſſit tempore Nicolai Archiepiſcopi in expulſione civitatis, ſed ibi tamen plus lucrati ſunt, quam perdiderunt, etiam Anno MCCCLXVI. Poſtmodum acceſſit damnum Didonis Lubben, & ſuorum filiorum Didonis & Geroldi, qui tamen Dido fuit infeudatus conſulatus & Archiepiſcopi, qui & Didoni terram illam commiſerunt, quam lucrati fuerunt ab Hajone Huſſeken, ſicut clare patet, quia Ruſtringi infeſtabant Didonem volentes eum delere cum ſuis ſed Bremenſes reſtiterunt, & in terra eum obtinuerunt, & adverſarios depulerunt, & terram totam ſibi ſubjugaverunt. Poſtea verò idem Dido cum filiis ſuis rapinas fecit in fluvio Weſeræ & intulit injurias civitati videns ſe evaſiſſe & triumphum retinere, & jacturas permaximas, & pro eo diffidarunt cum Didone & cum filiis ſuis ſupradictos, Anno Domini MCCCCXIV. & cum CCC. armigeris venerunt in Butjaden equeſtribus, & tribus millibus peditum & multis ſagittariis. Ad hoc idem Epiſcopus Monaſterienſis conceſſit Bremenſibus XL. armigeros expeditos & fortes: Comes de Hoja XXX. Comites de Oldenborg Mauricius & Chriſtianus interfuerunt & multi nobiles: Nicolaus de Werpe cum XL. armigeris: Dn. Arnoldus de Weige miles cum multis: Heineke de Monnickhuſen cum multis: militares dicti de Behren; Hermannus de Mandelslo, & Giſo Cluver cum ſuis multis, & quoscunque potuerunt habere,

habere, & fuerunt ad quatuor hebdomadas in Friſiâ. In XIV. diebus primò lucrati ſunt Goldeswarden: in aliis XIV. lucrati ſunt Ezemiſſen, & ibi adfuit cum Bremenſibus Edo Wimmeken capitaneus Friſiæ. Ibi Bremenſes habuerunt machinas & bombardas, & alia triplicia inſtrumenta bellica prope Drivenwerck. Et ibi ceperunt & ſubjugarunt Bremenſes totam terram: & fecerunt ſibi Friſones homagium, & juraverunt fidelitatem corporalibus digitis, quod habere vellent conſulatum Bremenſem pro dominis & nunquam vellent contra eos capitales, & Capitaneos tempore perpetuo. Anno MCCCCXIIX. in nocte ante profeſtum Coſinæ & Damiani Dido & Geroldus aſcenderunt in caſtrum Fredeborg filii Didonis Lubbonis Omeken cum ſuis XLIV. Friſones: nam Friſones erant XXIV. & XX. Saxones ſed alii in caſtro fortiter reſtiterunt & caſtrum obtinuerunt: Sed Arnoldus Baller ſagittâ ibidem interiit. Sed Friſones de Wurden & Wigmodiâ venerunt illis in caſtro in adjutorium & Erimarus Lunzeke clamavit accedite amici Wurſati, & defendemus dominos noſtros Bremenſes, & caſtrum contra traditores iſtos & Wurſati ceperunt omnes, & ducti ſunt Dido & Geroldus, & omnes eorum fautores & auxiliatores, qui adfuere ibidem in Bremam & ibi Dido & Geroldus primò decollati ſunt ſub patibulo & corpora rotata & cadavera deſuper exaltata ſunt: ſed XX. ſervi eorum vivi rotati ſunt circa patibulum. Aliis vero XX. Teutonicis ſervis & ſagittariis gratia facta fuit, & dederunt pecuniam & fecerunt cautionem propriè urpheide, & aliqui mortui ſunt in cippis ex nimiâ torturâ. Et hoc factum fuit ideo, quia illi Teutonici non erant perjuri, ſicut Friſones: & fuit eis gratia promiſſa. Eodem anno concordavit Sibotus Henrici cum iſtis Friſonibus in quinque parochiis contra Bremenſes, & accepit triburum ab eis. Poſtea circa feſtum S. Jacobi Sibotus & Comes Chriſtianus de Oldenborg fecerunt damna Bremenſibus, & contra Bremenſes tenuerunt piratas: & iſte Sibotus tunc erat capitalis Ruſtringiæ, Wangiæ & Aſtringiæ. Dictus Chriſtianus cum Siboto movit lites Upruſtringiis, id eſt, Butjadis: & venerunt ibi cum multis in Blexen, & quaſi omnes Oldenborgenſes erant ibi captivati, aut interfecti. Poſtea communitas Freſonum miſit ſuos ad conſulatum Bremenſem & fecerunt querimonias ſuper inſultu Siboti & Chriſtiani Comitis & petierunt auxilium, & dederunt conſulatui dominium totius Upruſtringiæ cum poteſtate judiciaria juxta librum Azegebock: & quando eos ſemel conſulatus rogaret, tunc quilibet de quolibet aratro daret conſulatui tunnam unam hordei poſt quibuslibet annis: & conſulatus de judicio haberet duas partes, & terra tertiam. Pro iſto conſulatus venit iſtis Friſonibus in auxilium cum M. viris, bombardis, baliſtis & machinis contra Sibotum & Chriſtianum Comitem. Eo tempore Eggo Heringe * * * poſſedit turrim in Blexen & dedit illam Comiti Friſonum & Bremenſi conſulatui. Poſtea vicerunt Langeworden in triduo: deinde obſederunt Burhave, ibi ſederunt quatuor hebdomadas, quia firmatum erat firmiſſimè propugnaculum: tandem vicerunt. Sed Lubbe Sibotis obtinuit prædia ſua antequam daret Eccleſiam: & tunc turris deſtructa eſt ipſa die Margaretæ virginis. Deinde dedit Memme frater Lubbonis Eccleſiam in Wadenſen: poſtea Nanke concordavit cum conſulatu ut obtineret domum lapideam, & juravit ſicut antea fecerat. Anno MCCCCXIX. incepit bellum inter Duces Brunſvicenſes & Luneborgenſes Henricum & Bernhardum & eorum filios Wilhelmum & Ottonem ex unâ, & Prælatos & miniſteriales Eccleſiæ Bremenſis ex alterâ partibus: quod inde cœpit quia Borgmanni de Tedinckhuſen & Langewedel rapinas ſecretas fecerunt in Ducatu & fieri permiſerunt. Duces nequientes hujusmodi ſuſtinere lites cum ſuis moverunt Eccleſiæ Bremenſi. Et Duces venerunt in advocatiam Tedinghuſen & Comitia cum militaribus venit ad ſequelam & captivabant XXX. armigeros viros, & retinuerunt prædam. Poſtea voluit ſe Archiepiſcopus plus defendere, & aſcivit ſibi Comitem de Hojâ, Oldenborg & Delmenhorſt, Ottonem, Mauricium & Nicolaum: & civitas tenuit XX. armigeros in expeditione. Et militares Bremenſes læti erant pro hujusmodi & ſemper erant in Ducatu & ceperunt magnas prædas invitis Ducibus. Poſtea conſules Lunæborgenſes audientes damna ſua & deprædationem terræ ab Archiepiſcopo, & præſertim vaſallis de Horneborg & Tedinckhuſen treugas fecerunt, & dies pacis cum conſulatu Bremenſi, qui omnes cum ſuis Dominis elaborare cœperunt pro pace Principum hinc inde: & pax fuit ſubſecuta ſtatim ante feſtum Martini

tini Epiſcopi. Anno MCCCCXX. feriâ VI. Paſchæ ſtructuarius Bremenſis Dn. Joannes Hemelinch fregit ſepulcrum in medio Eccleſiæ : & habuit ſex manſiunculas, & in illis jacuerunt VI. Epiſcopi & unusquisque habuit literam plumbeam. Et prima litera fuit talis : Sexto Kalend. Febr. obiit Unno Archiepiſcopus : Secunda, ſecundo Kalend. Sept. obiit Libentius : Tertia, quarto nonas Maji obiit Hermannus : Quarta, decimo ſexto Kalend. Maji obiit Alebrandus : Quinta, quarto Kalend. Maji obiit Adaldagus : Sexta, 2. Kalend. Junii obiit Otto Archiepiſcopus. Et ſuperius fuerunt ulterius trium Epiſcoporum corpora & non adfuit ſcriptura. Et dicitur, quod collecta fuerunt in legatione in tribus regnis ab Adelberto magno : & hujusmodi reliquias transtulit clerus in novam tumbam ibidem cum maximâ reverentiâ, & impoſuerunt literam illius tenoris. Anno Domini MCCCCXX. præſidente Dn. Joanne Archiepiſcopo Bremenſi præſens tumba innovata fuit, & reliquiæ reverendiſſimorum patrum certis chirographis exceptis tribus corporibus, quorum nomina non fuerunt inventa inſcriptis, & per Adelbertum Archiepiſcopum Bremenſem laborioſè recollectæ hic cum honore & reverentiâ ſunt reconditæ. Anno MCCCCXXI. obiit Archiepiſcopus Joannes Slamſtorp.

NICOLAUS de Delmenhorſt Comes XXXIX. Archiepiſcopus XXXVI. electus fuit concorditer feriâ quartâ ante Fabiani & Sebaſtiani martyrum. Fuit filius Ottonis nobilis Comitis de Delmenhorſt ex proſapiâ Comitum de Oldenborg. Mater ſua filia Comitis de Teclenborg nobilis proſapiæ ex antiquo etiam genere. Nam & pater ejus concordavit cum capitulo, ſi eligerent filium ſuum tunc dare vellet Eccleſiæ dominium ſuum ex integro cum omni jure & proprietate, cujus tamen feudum ſpectaret ad S. Petrum & ad Epiſcopum Bremenſem, & ſic factum fuit de conſenſu Papæ & imperii, quod idem Otto cum conſenſu proximioris heredis Nicolai dedit transtulit legavit & donavit Comitiam ſuam Eccleſiæ Bremenſi in perpetuum : ſed mater Nicolai deberet habere victalitium quoad viveret de caſtro. Nam idem Otto Comes reſignavit cum omni jure Comitiam iſtam, & poſtea committebatur ſibi, ut advocato Archiepiſcopi Bremenſis usque ad finem vitæ. Hic Otto ſepultus eſt in Huda ordinis Ciſtertienſis, & filius ejus Nicolaus Archiepiſcopus pallium accepit à Martino Papa & regalia à Sigismundo Cæſare, & ambo legatum patris & filii confirmabant. Et diœceſis Nicolao data fuit liberata ab omnibus debitis & angariis in plenâ pace. Anno MCCCCXXIV. in aſcenſione bellum ortum eſt inter Ottonem & Fockonem Ukens contra Bremenſes pro rotatione Friſonum amicorum ſuorum ſed nihil ſcripſerunt de traditione caſtri Fredeborg : & quando venerunt literæ diffidationis tunc biduo fuerunt in Stadlande cum potentiâ forti, & Archiepiſcopus Nicolaus nón potuit adhuc eis auxiliari quia intendebat expeditionem habere per ſe. Et primo Friſones circumvallaverunt caſtrum Golswerden & Herteke Slamſtorp tenuit caſtrum ex parte Bremenſium ; & ille minis Focconis dedit turrim. Similiter & Joannes Freſe conſul Bremenſis dedit caſtrum Fredeborg absque pugnâ. Et ſic pacificatum eſt bellum tale cum Bremenſibus iſto modo, quod omnis controverſia caderet inter civitatem & capitaneos : ſed caſtrum in Fredeborg deberet deſtrui & turris in Golswerden & ſic deberet cum iſto amicitia & finis litis. Anno MCCCCXXV. incepit iterum bellum inter Ducem & Archiepiſcopum ſed ſopita fuit lis per vaſallos Archiepiſcopi de Horneborg, qui captivaverunt miniſtros Ducis milites ac militares & proconſulem Lunæburgenſem Nicolaum Grönhagen. Et niſi Dux pedeſter aufugiſſet in ſilvis factâ congreſſione litis alias captivaſſent eum & occiderunt multos & ſolus Dux receſſit absque verbere : & Bremenſes obtinuerunt triumphum. Anno Domini MCCCCXXV. cum quinque Dominis terrarum feria quarta ante Michaëlis venit Archiepiſcopus Nicolaus in Friſiam ante Detherne & ibi malè ceſſit : quia Comes Conradus de Deipholt & Joannes Comes de Retberge occiſi ſunt. De Teckelenborg & Oldenborg Didericus fugerunt : ipſe autem Archiepiſcopus & Joannes Comes de Hoja & Brockhuſen captivi abducti ſunt à Fockone Ukens ipſo die Coſmæ & Damiani : cæteri fugerunt nemine perſequente. Anno Domini MCCCCXXVII. ante feſtum Pentecoſtes conſulatus Bremenſis fecit treugam inter Domicellum Ottonem & Fockonem cum conſulatu de Groningen & liberarunt tunc Archiepiſcopum & Joannem Comitem de vinculis absque pecuniâ : ſed quod Comes de Oldenborg deberet ſe retinere

a palis Friſonum, nec ſibi quicquam juris in Friſia vendicare. Et remiſit Varle cum adjacentibus ſuis ac foreſtum Friſonum Wida. Et eodem anno interfectus fuit Dux inclytus Henricus Slesvicenſis ante caſtrum Flensborg à ſervis Regis Daciæ in caſtro ibidem. Anno MCCCCXXIIX. ante Michaëlis conſulatus lucratus eſt Stotle ab Henrico de Lit, & idem caſtrum habuit ab Archiepiſcopo in pignus MC. florenis Rhenentibus & obtinuerunt pro eo, quòd ſervi ſui plateam regalem infeſtarunt in Weſerâ. Anno Domini MCCCCXXIX. feriâ quartâ poſt Quaſimodogeniti Henricus Frige Arnoldum fratrem occidit in Bremâ pro muliere obtinendâ. Eodem anno civitatenſes diffidarunt regem Daciæ in ſubſidium Ducum Slesvicenſium. Poſteà circa feſtum Joannis eodem anno ante Michaëlis Epiſcopus Monaſterienſium voluit fundare caſtrum circa Viſchbeke in territorio ante diœceſin Bremenſem quoad ad vocatiam Wildeshuſen pro damnis ſuorum cum Archiepiſcopo Nicolao in Friſiâ. Et pro illis cepit idem Epiſcopus Wildeshuſen in pignus & contentavit ſuos ex parte Nicolai Archiepiſcopi. Anno eodem in profeſto decollationis Joannis Baptiſtæ receſſerunt à civitate Bremenſi Tidericus Scarhar, Hermannus Gröpling proconſules, Gerhardus Varle, Joannes Mund, Joannes Baller, Henricus Blexen, Henricus Buſeke & Daniel Brant conſules ex antiquo conſulatu ſicut vocati erant ante regem Romanorum primò venerunt in Delmenhorſt ad Archiepiſcopum Nicolaum: deinde vocati ſunt à Theodorico Comite de Oldenborg, ubi manebant donec iterum vocati ſunt in Bremam, & in futuro anno decollabatur Joannes Vasmarus proconſul. Anno Domini MCCCCXXX. Factum eſt bellum inter Archiepiſcopum Nicolaum, & Joannem Comitem Hojenſem pro damnificatione in Friſiâ perpeſſâ ab eo, & unus alteri infeſtus fuit. Et circumſedit Archiepiſcopus Harpſtede, & quaſi ſolotenus deſtruxit. Poſtea venerunt miniſteriales Archiepiſcopi in comitivâ ſuâ cum Wildeshuſenſibus & capti ſunt multi de civibus & familiaribus Archiepiſcopi. Eodem anno Focko Ukens & Siborus venerunt quaſi cum C. navibus ad Weſeram feriâ VI. ante nativitatis Mariæ pro depopulatione navium ejus propriè Koggen & vicerunt Bremenſes. Et iſta fuit cauſſa, quòd multi Friſones percuſſi & proſtati fuere, quòd rebelliſaverunt poteſtatibus & capitaneis ſuis. Et iſta Kogga, de qua dixi, jacuit circa Dedeſtorpe & ita viriliter ſe defendit: debuit autem in Bergam velificaſſe. Fuere ibi XXXIIX. viri, qui omnes multitudinem Fockonis debellare cœperunt, & victoriam navis obtinuerunt & ibi interfecti ſunt de catervâ Fockonis CLX. viri nobiles Friſones, & tunc receſſit. Eodem anno ſequenti die poſt Dionyſii obiit nobilis Richarda mater Archiepiſcopi Bremenſis & ſepulta eſt in Hudâ apud Comitem virum ſuum. Eodem tempore Anglici expulſi ſunt de partibus Franciæ, & hoc fuit ex parte unius virginis quæ mirabiliter Delphino filio regis Franciæ conſociata fuit; & adjuvit vindicare regnum ſuum & multa millia Anglici populi occubuerunt.

BOLDEWINUS ſecundus, Abbas XL. Archiepiſcopus XXXVII. Anno MCCCCXXXV. poſtulatus fuit de monaſterio S. Michaëlis in Luneborg ordinis S. Benedicti, & fuit nobilis militaris vaſallorum Ducum Brunſvicenſium dictorum de Wenden vel Dalen olim. Hic fuit Doctor Decretorum & S. Michaëlis abbas & conſiliarius Ducum, vir dives induſtrioſus & excellentis ſcientiæ: cujus conſilio Duces & civitates regulabantur: qui & cauſſas etiam regum, Principum & nobilium juſtè judicabat & perorabat. Hic intravit diœceſin anno, ut ſuprà, & Eugenius Papa dedit ei pallium & Sigismundus Cæſar regalia ſua. Introductus fuit per Duces de Brunswick & Luneborg cum multâ caterva Epiſcoporum & Comitum: & totus clerus cum prælatis venit ei obviam usque ad S. Paulum cum crucibus, reliquiis & vexillis, & cum honore deducebant eum in Eccleſiam ſuam. Et fecit ibidem maximas impenſas: & quando ipſe venit Bremam tunc capellanus ſuus Dn. Henricus Wolteri crucem juxta Clementinam tulit equeſter ante illum & in Eccleſiam pedeſter. Et Marſchalcus Segebodus à Kransborg portavit gladium evaginatum ante ipſum: capellanus à dextris, Marſchalcus verò à ſiniſtris. Et quotiescunque venit ſemper capitulum & conſulatus venerunt ſibi obviam. Etiam devotus fuit, & quoties venit Bremam ſub crypta infra chorum, quando capellanus ſuus celebrabat ipſe etiam poſt eum ſtatim celebrare incepit coram omni populo devotiſſimè. Etiam per ſe ſemel ibi ordines celebravit & clericos ab infimis ad ſummos conſecravit in Eccleſiâ Bremenſi.

Et

Et portavit ibi ſacroſanctum vivificum Sacramentum per civitatem Bremenſem adjunctâ ſibi caterva univerſi populi ſequenti die poſt corporis Chriſti. Et celebrabat ipſo die Pentecoſtes, ſimiliter & ipſo die corporis Chriſti ſummam Miſſam cantando ante ſummum altare, ut decuit. Ipſe etiam ſequenti anno conſecravit Lubecenſem Epiſcopum, & celebravit ibidem cum ſuis Suffraganeis præſentibus Ducibus Saxoniæ, Magnopolens. & Sleſvicens. & Epiſcopo Verdenſi ac Duce Wilhelmo de Brunſvick & Luneborg. Ipſe ſedit in ſede Bremenſi VI. annos & menſes IIII. & obiit in clauſtro Luneborg, & ibi honorificè ſepultus eſt. Tempore enim quo reverendiſſimus Nicolaus Archiepiſcopus Bremenſis pro ſalvationibus damnorum contractorum in partibus Friſiæ impeditus extitit, adeo Epiſcopus inangulatus fuit, quod diœceſin iſtam niſus eſt reſignare. Et Comes Joannes de Hojâ, qui ſecum captus extitit & perdidit, libenter fuiſſet exoneratus. Cujus frater unus Albertus fuit Epiſcopus Mindenſis & Præpoſitus Bremenſis: alius verò electus Oſnaburgenſis Ericus: tertius verò Otto junior Præpoſitus Hamburgenſis nacti emendare de fratre eorum à vinculo, Dn. Nicolao Archiepiſcopo ſuccenderunt opidum Delmenhorſt & multa alia mala fecerunt, ducti maximis damnis ut emendarent ea. Tandem conſilio ſuorum fuit elaboratum, quatenus idem Nicolaus cederet Ottoni de Hojâ Præpoſito Hamburgenſi, vel ut fieret ipſe adminiſtrator, & tutor Eccleſiæ Bremenſis, & quod Nicolaus committeret ei præfecturam Eccleſiæ: & poſt obitum ejus promoveretur in Archiepiſcopum. Factum autem quòd Nicolaus Archiepiſcopus dicto Ottoni domicello de Hojâ commiſit caſtrum & frater ejus Joannes cum eo factus eſt tutor Eccleſiæ, & accepit caſtra Langwedel & Vordis, & propoſitum fuit hujus negocium in Romanâ urbe coram ſede Apoſtolicâ: ſed negocium fuit ibi imbrigatum, ſic quòd Archiepiſcopus ſibi non dabat ideo quia civitas eum infenſum habebat: & quia infenſus fuit clero. Tandem civitatenſes practicabant cum Bremenſibus unionem de recipiendis proconſulibus & conſulibus ſuis antiquis, notum ſibi habebant Dn. Baldewinum de Wenden, qui & judex fuit cauſæ, & promotor negocii Bremenſium. Laborabant ipſi cum conſenſu Senioris partis capituli, quòd certi ambaſiatores ad hoc deputabantur, quòd in introitu eorum etiam novus haberetur Antiſtes: & quòd ipſe domicellus Otto, qui in tuitione habebat caſtrum & munitiones diœceſis, non erat utilis Eccleſiæ, nec conveniens civitati Bremenſi, nec aliis civitatibus, quia regiam ſtratam non defendit: ſed valdè offendit clerum & populum, non ſolùm in partibus illis, ſed ubique terrarum. Idem Nicolaus manſit iteratò apud Eccleſiam ſuam, & Otto manſit in caſtris abſque fratre ut advocatus & tutor exercens tyrannidem in multis, de quibus enarrare eſſet nimis tædioſum & longum. Elaboratum fuit interim, quod ipſe Dominus Baldewinus abbas venerabilis & Doctor egregius in ingreſſu ſuo hujuſmodi damna vellet recompenſare, quæ contracta eſſent per Nicolaum Archiepiſcopum & liberaret caſtrum Langewedel & Vorden de manibus Ottonis & fratris ſui Joannis domicellorum, quòd ipſi ambaſiatores practicaverunt apud capitulum & eundem Dominum Nicolaum, & alios habentes intereſſe. Et convenerunt oratores capituli primò ad eundem abbatem in Walsrade, deinde in Soltow, tandem in Luneborg pro eodem ad faciendam finem. Et erant iſti Præpoſitus S. Anſcharii, Decanus Bremenſis, Præpoſitus S. Willehadi cum Buccenſi Præpoſito & Domino Doctore Henrico Taken. Tandem qui & rem plenius maſticabant pro pace & unione terrarum ac tranquillitate Regum, Ducum, marchionum, Comitum & Baronum, ac etiam pro quiete terrarum & villarum ubique, & quia gazam haberet idem abbas concluſerunt, quòd ſolveret debita Domini Nicolai & quia preſſus eſſet à dicto Domino Ottone & ejus germano, qui caſtra & munitiones tenebant in diœceſi, quòd hujuſmodi quitaret. Et conceptis literis pro parte Domini Nicolai Duces & Epiſcopi Brunſuicenſes & Luneburgenſes Otto & Wilhelmus, Henricus & Fridericus cum Epiſcopo Verdenſi conſulatu Bremenſi & Luneborgenſi aſſentiente capitulo hæc eadem ſuis literis vallaverunt & fidejuſſerunt, videlicet, quod Dominus Baldewinus ſolvere deberet omnia debita contracta quovis modo ex parte Eccleſiæ omnifariè & circumquaque. Et deberet defendere Archiepiſcopum ſicut ſe, & providere ſibi ad tempora vitæ in caſtro Haghene cum omnibus attinentiis cum molâ in Buxſtehude & ad eam requiſitis: ſimiliter cum terrâ Lechtelant Stedingiæ cum certis etiam prædiis prope Bremam & villis

villis ac advocatis, ut promiſit, & quaſi in Edeſtat juravit, id eſt, in effectu juramenti. Quo facto ceſſit idem Nicolaus Archiepiſcopatu Bremenſi & factus eſt in univerſali Eccleſiâ Epiſcopus ſcribens ſe olim ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum. Et venerabilis Dominus Boldewinus miſit ſolemnes oratores pro hac ipſa re cum pleno mandato ad Romanam ſedem. Et fuerunt ejus legati Præpoſitus Eccleſiæ ſanctæ Bremenſis Willehadi, Joannes Rode, quibus cum reverendiſſimo tunc S. crucis in Jeruſalem Romæ Cardinali elaborantibus res ipſa publicè coram Papâ & ejus Cardinalibus dilucidè & ſapienter eſt propoſita, ubi Papa cum ſuorum cardinalium collegio rem iſtam ſcilicet primò reſignationem Domini Nicolai, qui illuc proprium miſerat acceptavit & admiſit, & Dn. Nicolaum ab iſta Eccleſiâ & curâ ejus ac toto regimine abſolvit: & inſtantibus dicto Dn. Cardinale S. Crucis in Jeruſalem presbytero procuratorio nomine cum dictis Præpoſitis dicto Dn. Boldewino diœceſin Bremenſem contulit & de Eccleſiâ providit Bremenſi dans ei pallium videlicet Eugenius *** & confirmavit eundem juxta morem ſedis Apoſtolicæ accepto pallio de corpore SS. Petri & Pauli apoſtolorum reverenter ſibi tranſmiſit. Et ſic in diœceſi Bremenſi multa laudabilia idem pater reverendiſſimus exercuit. Et primò caſtrum Niehus deſtructum inſtauravit & deſtructores ejus punivit: poſtea molendinum in Stade deſtructum & ruinâ annihilatum redintegravit & perfecit: ſimiliter molam in Buxtehude aliqualiter reformavit & domum magnam conſtrui ibidem curavit & molam ventiferam in Nienhus. Ipſe etiam caſtrum & allodium in Gronenhagen prope Binenbuttel: conſtruxit etiam domum quandam ex integro lapideam in caſtro Vörden, quam prædeceſſor ſuus inchoaverat. Etiam perfecit novam piſcinam in coquinâ & alia neceſſaria. Hic perfecit etiam clauſtrum in Luneborg cujus Eccleſiam prædeceſſor ſuus Dominus Olricus de Bernevelde nondum perfecerat: item fecit ibi turrim conſtrui. Hic etiam anno Domini MCCCCXXXVI. habuit expeditionem in vi apud Wurſatos Friſones, quaſi ſeptem millium equitum: in quâ etiam expeditione habuit tres Duces Brunſüicenſes videlicet Ottonem cum M. equis: Henricum cum totidem: Wilhelmum fratrem cum DCCC. Epiſcopum Hildeſienſem cum M. Verdenſem cum DC. Ducem Saxoniæ cum M. equis. Epiſcopus Halberſtadenſis CCC. equos ſibi delegavit, cujus capitaneus fuit Sifridus de Hoim. Item ibi interfuit Comes Henricus de Glichen, Dominus de Werberge, Comes de Speigelberge, Comes de Wunſtorpe, Comes de Anholt, Comes de Hallermunt, & Permunt, omnes Comites iſti cum ſuis. Et ad idem Archiepiſcopus Boldewinus miniſteriales & civitates ſuas, & plus feciſſet cum miniſterialibus ſuis & civitatibus Bremâ, Stadio, & Buxtehude, quam fecerat cum totâ iſtâ principum catervâ: ſed quia habuit Bremenſes conſules fortaſſis non in melius ſed in pejus ſibi indiderunt, ut de gazâ ſuâ partem conſumeret quam habuit, ne eis nimirum ſi vellet poſſet fieri infeſtus: vel quia ut diſceret patientiam. Nam omnibus iſtis principibus & dominis, & eorum militaribus omnia ſtipendia ſolvit ante receſſum, quaſi XM. florenorum Renenſium. Et eodem anno ſolverat XXXIIX. millia florenorum pro Nicolao, Archiepiſcopo & quitationem accepit: nec eum deſuper nemo convenit, niſi ſolus Nicolaus, cui debuit omnia damna ſolvere, quæ non erant ex parte Eccleſiæ contracta: & ideo cauſſam iſtam à Concilio Univerſali, & à Papâ Eugenio committi fecit Hildenſemenſi Præpoſito, Dn. Egghерdo de Hanenſee: qui juxta decreta & auctoritatem Pontificum à debitis, non ratione Eccleſiæ contractis; dictum Dominum Baldewinum abſolvit, definiens, quòd nulla alia tenere eſſet adſtrictus, niſi quæ capitulum cum Epiſcopo ratificavit: ut extra de elect. & elec. poteſtate. Et idem Dn. Boldewinus ritè & legitimè abſolutus eſt ab aliis debitis ratione Eccleſiæ non contractis. Poſtea rex Romanorum Albertus eundem Dn. Boldewinum cum electoribus ſuis fecit vocari, ubi venit ſtatim poſt Michaëlis in Nurenbergam cum XLII. equis, exceptis curribus & carrucis pro deferentiis ſuis clenodiis ac cereviſiâ Nuenburgenſi ac vino. Et habuit ſecum multos Doctores, & unum ſuum reperit ibi Suffraganeum Lubecenſem, qui & ipſe fuit regis conſiliarius Magiſter & dominus Joannes Schele. Doctores ejus fuere M. Henricus Take in Theologiâ profeſſor, M. Conradus Apenborg Doctor Decretorum: Item Joannes Vos ejuſdem facultatis, Joannes Ziegeler etiam ejuſdem facultatis & lector Erphordienſis. Secum etiam fuit Præpoſitus Hildenſemenſis Egghardus antedictus, cum

præpo-

præpoſitis antedictis de Bremâ S. Anſcharii & Willehadi. Militares adfuere Sigebodo de monte, Olricus de Landesberge, Segebandus de Hodenberge, Henricus de Bervelde, Otraven de Bervelde, Martinus de Lyd, Ludowicus de Sampeleve, Rotgerus de Eltzee & multi alii nobiles: capellanus ejus pro monachis Otto dictus Grote, & Ludolfus Hiddeſacker pro ſeculari: Henricus Wolteri canonicus S. Anſcharii Bremenſis & Buccenſis. Ad idem pro capellano confluxit Præpoſitus de Ebbekeſtorpe Bertramus ſanctimonialium adminiſtrator, ubi Domini Bremenſis ſoror fuit prioriſſa. Hic etiam Archiepiſcopus mittens ſuum capellanum in Wildeshuſen cum Præpoſito S. Anſcharii petit partem de corpore & capite S. Alexandri: & miſit abbatiſſæ in Winhuſen ſorori Comitis de Hojâ & Præpoſiti Bremenſis majoris. Item deſtinavit eundem capellanum ad monachos in Hudâ, & obtinuit duo capita XI. millium virginum, quæ adhuc ſunt in Vördis, cum duabus tibiis de eiſdem, vel de X. millibus militibus. Et relatum fuit ſibi, quòd Dn. Joannes de Oldendorpe, qui & capellanus fuit olim Ottonis Archiepiſcopi Ducis Brunſuicenſis obtinuiſſet digitum S. Georgii hunc etiam idem Archiepiſcopus ſuo commiſit capellano, quem juſſit deferre eundem donec provideretur de monſtrantiâ & criſtallo tam magno ad hoc. Et idem capellanus in conſecratione Epiſcopi Lubecenſis emit criſtallum pro duobus florenis Renenſibus & monſtrantiam fecit fabricari pro XXV. marcis Lubecenſibus. Hic etiam redemit advocatiam in Oldelant, & contulit capellano ſuo primò vicariam S. Willehadi in Eccleſiâ S. Cyriaci ante muros Lunæburgenſes Verdenſis diœceſis. Obiit anno Domini MCCCCXLII. ſepultus in Luneborg ipſo die Materniani Epiſcopi. Verſus:

Eſt Boldewinus doctor clarusque divinus
Clarus boneſtateque pius omni bonitate
Res male ſucceſſit cum bis quòd ſeculo ceſſit.

GERHARDUS Comes de Hojâ XLI. Archiepiſcopus XXXIIX. Præpoſitus ante majoris Eccleſiæ, filius Ottonis Comitis de Brochuſen eligitur anno Domini ut ſuprà, ipſo die Timothei martyris electio fuit. Illo tempore conquerebantur Bremenſes ſuper Duce Burgundiæ de infeſtationibus ſuorum in Ducatu ſuo ex deprædatione, & nihil evenit eis juris & juſtitiæ. Et ideo Bremenſes diffidarunt Ducem Burgundiæ cum omnibus ſuis ad terram & maria puta Hennegowen, & Pictavos, Flanderenſes, & Zelandenſes, Hollandenſes & Brabantios & alios ſubditos ſuos, & quaſi claſſe piraticâ obtinuerunt victoriam capientes multas naves & captivos multos. Anno Domini MCCCCXLVI. ceperunt Bremenſes unam Krakam magnam, cui in his partibus ſimilis non eſt viſa cum multis & maximis bonis collectis inibi, & malveſiâ, vino clareto & ſpeciebus aromaticis & infinitis aliis mercimoniis. Et iſta Kraka fuit de Januâ & voluit noſtros decollaſſe, ut demonſtrabant gladiis & cultris in ſummitate navis. Et Deus dedit victoriam & Kraka adducta eſt cum ſalute quaſi circa Blexen, & ibi divelli vix potuit elapſo anno, & manſit prope Dedeſtorpe: & per id facta fuit pacis tranquillitas contra Ducem Brabantiæ & ſuos & damna recuperata fuere. Anno Domini MCCCCXLVII. ſequenti die S. Ambroſii mortuus eſt Nicolaus Archiepiſcopus & ſepultus in Hudâ. Poſtea eodem anno obſedit Theodoricus Colonienſis civitatem Sozatienſem cum marchione Miſſenſi, Lantgravio Thuringiæ & Haſſiæ, cum Archiepiſcopo Maguntinenſi & Trevirenſi, Epiſcopo Monaſterienſi fratre ejus Henrico, Magno Hildenſemenſe fratre Ducis Saxoniæ, cum Wilhelmo Duce Brunſuicenſe: Comite etiam de Tekeneborg Chriſtiano de Oldenborg qui ſtatim poſtea factus fuit rex trium regnorum. Et habuit ſecum idem Archiepiſcopus Comitem de Sternberge à regno Bohemorum, & multos de gente Dravantorum. Etibi fecit tantam ſtragem in iſtos Sozatienſes, quod nemo hominum nunquam novit. Tunc ex nomine iſtorum Dravantorum & Archiepiſcopi Colonienſis ſiluit omnis terra & præſertim Monaſterienſis & Oſnaburgenſis, qui Joannem de Hojâ captivum reddiderunt & reddiderunt in liberum ſtatum, & Dravantis remiſerunt ne depopularentur ſegetes & terram, & ne nocerent civitati. Tunc propter inſultus iſtius gentis munita ſunt multa loca caſtella & caſtra, & multam gazam per metum extorſerunt. Tandem verò rediere in patriam & dies pacis inter Colonienſes & Ducem de Clivis ſunt conſtituti, & Cardinalis ex commiſſione Papæ ſede hujuſ-

hujuſmodi intromiſit & ſiluit negocium. MCCCCXLIIX. Comes Chriſtianus de Oldenborg cujus mater erat ſoror Adolfi Ducis Sleſuicenſis electus eſt in regem Daciæ & Norwegiæ & regnum Sueonum etiam obtinuiſſet, niſi Karolus Knuti ei reſtitiſſet, qui tamen poſtea aliqualiter conſenſit. Iſto Chriſtiano in regni ſolio collocato, Dux Sleſuicenſis Dn. Mauricium dicti Domini Chriſtiani fratrem de ſtudio Erfordenſi ad Ducatum ſuum evocavit, & Dominium Oldenborg ſibi ſubegit, & cuidam valido famulo Wilkino Vreſen, caſtellano in Harpſtede, qui & antea fuit advocatus & officialis in temporalibus Archiepiſcopi Bremenſis, & familiaris ejus, Comitias ambas in Oldenborg & Delmenhorſt quaſi triennio commiſit donec juniorem fratrem Gerhardum de Oldenborg dicti regis fratrem ad iſtas remitteret partes, qui licet auſterus & juvenis, tamen bonæ indolis adoleſcens adhuc flecti poterat, in quamcunque partem traheretur hinc & illinc. Anno Domini MCCCCXLIX. Gerhardus comes dominari incepit, & quoſdam patris ſui depilatores econverſo depilavit. Inter quos erat quidam Schirheide aliâs Jacobus de Specken, qui & curiam tenuit Mansholte, quam abſque percuſſione gravi leviter dimiſit. Similiter & Decanus Gerhardus Steneke, qui etiam prædia filiorum taliter qualiter ut aſſeruit deſtruxit: ſed veniendo reddidit, quod injuſtè tulit, puta molendinum in Oldenborg, decimas, proventus & reditus: non enim proficit ad bonum, quicquid de malo acquiritur. Multi etiam quod antea enormiter accepere, juſtè coacti reddidere. Anno MCCCCL. fuit annus Jubileus, & tunc obiit validus famulus Tidericus Bardewiſch in principio peſtilentiæ abſque viatico & confeſſione. Et deinde in Oldenborg ultra DC. & LXXX. viros perditi ſunt peſtilentiâ graſſante. Eodem anno circa feſtum viſitationis Mariæ, vel octo diebus ante quidam legatus Papæ vel orator venit de curiâ & negocium Papæ propoſuit: & ſubjecit quòd Papa modernus Nicolaus V. vellet intendere reformationi Eccleſiarum, ut omnes curarentur defectus Eccleſiarum. Ipſe promtus eſſet ac paratus omnia in priſtinum ſtatum reformare. Et concepta fuerunt aliqua pro reformatione Eccleſiarum, & etiam quædam contra religioſos, quæ hic pertranſeo. Deinde anno Domini MCCCCL. circa feſtum aſſumtionis Mariæ tertiâ die venit quidam cubicularius Papæ nobilis etiam Doctor, archipræpoſitus Upſalienſis de curiâ Romanâ, & tranſivit tribus vel quatuor equis & curru ſimiliter duobus equis cum valiſiis ſuis. Et cum veniſſet in opidum Delmenhorſt, Gerhardus Comes de Oldenborg ibidem captivavit eum & ſuos, & ſpoliavit primò equis valiſiis & literis legationum & mandatorum ſuorum ad civitates & Reges. Poſtquam hoc capitulo innotuit Bremenſi, fecerunt Dn. Comitem Gerhardum moneri & requiri per Præpoſitum Eccleſiæ S. Alexandri Wildeshuſenſis, ut dimitteret eundem alias oporteret eos per diſtrictum diœceſis imo totius provinciæ ceſſare à divinis & ſervare Eccleſiaſticum interdictum, qui renuit. Item ſecundò monitus eſt literis capituli & totius Bremenſis conſulatus, & nihil profecerunt. Sed idem equitavit in civitatem Bremenſem ipsâ die Magni in caſtrum Schonebeke ad vaſallos iſtos. Tunc Archiepiſcopus Bremenſis Gerhardus fecit monere Gerhardum per quoſdam ſecretim pro liberando hujuſmodi nuncio Papæ, quia & idem concernebat ejus juramentum: tunc ſtatim Comes fugam cepit in Delmenhorſt. Poſtera autem die idem Archiepiſcopus convenit cum capitulo Bremæ, & conceptæ ſunt literæ excommunicationis, & idem Archiepiſcopus Gerhardus Gerhardum Comitem monitum & requiſitum realiter excommunicavit in ſcriptis, & excommunicationis literas per diœceſin & provinciam direxit, & poſuit generale ubique interdictum per diſtrictum ſuorum. Et ſic cum literæ excommunicationis & interdicti venerunt Hamborg ſtatim Præpoſitus & Decanus cum capitulo elaborare cœperunt cum Duce Sleſuicenſi, quòd de conſilio Epiſcopi Lubecenſis & aliorum ſine intermiſſione inclytus Dux Adolfus ad nepotem ſuum Gerhardum mitteret & redditis ſuis Præpoſitum Upſalienſem captivum ex integro quitaret & ſecum abſque morâ componeret alias poſſet maledici uſque in quartam generationem à Papa, quia impediret delatorem literarum ſuarum ſacerdotem & Prælatum captivando. Et ſic Præpoſito Hamburgenſi ipſo die Nativitatis veniente hac ipsâ de cauſsâ abſolutus & liberatus eſt idem Præpoſitus Upſalienſis Doctor Decretorum nobilis & Papæ cubicularius & reddita ſunt ſibi bona ſua ex integro: & Chriſtianus ſecum ſecretè pepigit, ut idem Dn. Præpoſitus captus ſibi injuriam, quam Comes ſibi fecit.

fecit. Et ſic Comes Gerhardus ab Archiepiſcopo Bremenſi procuravit, quantum in eo fuit: ſed de ſede Apoſtolica contemtu & ſuis ſe non intromiſit, & de facto domino liberato realiter & effectivè reſolutum eſt interdictum quòd Archiepiſcopus etiam in ſcriptis relaxavit. Tunc verò circa feſtum Michaëlis, ſequenti die exaltationis S. Crucis Dn. Thidericus Grone rector parochialis Eccleſiæ in Twiſchenâ à quodam villico dicti Comitis per dolabram fortiter occiſus eſt, & occiſor vocatus Hanneke Wulbring fugit in Oitâ. Et cum ibi elaboraretur pro detentione nocte receſſit eundo ad curiam Romanam abſque ſatisfactione, & tota parochia propterea ſuppoſita eſt interdicto Eccleſiaſtico, & amici ejus ſive conſanguinei interfectoris maledicti ſunt & excommunicati usque in nonam generationem & lineam. Et frater ejus Henricus Grone civis Bremenſis in judicio fecit dictum interfectorem & conſanguineos exſortes pacis propriè Vredelos. Et advocatus Comitum cum dapifero Heliâ Unverzagt erat præſens in judicio in areâ ante cœmiterium in Twiſchenâ feriâ ſecundâ poſt luce. Ecce qualiter unum malum non voluerit eſſe ſolitarium: Comes captivavit, ſed lito ſuus interfecit ſacerdotem: nunc appareat, quomodò abyſſus abyſſum invocet: & quòd dato uno inconvenienti ſequantur plura. Unum væ abiit, & alterum acceſſit. Dixit enim Propheta: nolite tangere Chriſtos meos & in canone XVII. quæſt. IIII. Si quis ſuadente. Anno Domini ut ſupra in nocte S. Willehadi Bremenſes captivarunt quendam vicarium Eccleſiæ S. Willehadi, nomine Sifridus de Mandeslo & incarceraverunt eum in loco deſpectiſſimo & tenebant eum uſque in meridiem compeditum uſque in Hurleberge, & ceſſavit clerus partim & partim non, & miniſtri conſulatus digitis eundem conclavatum & conſtrictum infra prandium uſque ad collegium S. Willehadi perduxerunt. Ante etiam tempora Domini Boldewini anno Domini MCCCCXXXVIII. quendam cuſtodem ordinis minorum literatiſſimum virum, & ſermocinatorem eloquentiſſimum, Joannem Sparke, quidam civis Bremenſis, nomine Joannes Tuper de nocte in plateis captivavit, & in domum ſuam ducens ligavit, & illuſum deſpexit, ac cereviſiâ & urina perfuſum abominabiliter deluſit. Iſtorum malorum Brema matrix & mater. Ibi enim majoris auctoritatis vilis eſt piſcator, quàm aliquis legum ac Decretorum Doctor. Anno eodem incepit peſtilentia à feſto Viti, & duravit in ſequentem annum, & deſævit in omne vulgus & clerum ubilibet in mundo, & præſertim per provinciam Bremenſem. Eodem anno obiit Henricus de Morzâ, Epiſcopus Monaſterienſis, frater Archiepiſcopi Colonienſis, & Domicelli Walrami, & defuncto eodem clerus elegit Canonicè Domicellum Walramum, & reſtitit vulgus poſtulans Ericum de Hojâ Archipræpoſitum Colonienſem, olim depulſum ab Eccleſiâ Oſnaburgenſi, Germanum duorum Alberti Epiſcopi Mindenſis, & Joannis de Hojâ Comitis, qui eotenus cathenatus jacuit in turri Oſnaburgenſi, pro depulſo fratre in caſtro quodam Wirlage obſeſſus & captivatus. Iſte per gentem Dravantorum & Marchionem Miſſenenſem, qui cum Archiepiſcopo Colonienſi erant in expeditione ante Sozaciam, ereptus eſt de carceribus, ut dictum eſt. Eodem anno Luneborgenſes ſpoliaverunt Prælatos de Salinâ, & erexerunt prophanationis cauſsâ unum Præpoſitum extra Eccleſiam Verdenſem, & exiliaverunt Archidiaconum proprium Dn. Conradum Abbenborg in Decretis Doctorem, qui Romam ſeſe recepit, & tandem mortuus eſt ibidem tempore Eugenii Papæ V. qui adhæſit Lunæborgenſibus, tum propter donaria, tum quia non plenè informatus fuit de negotio. Et tunc Eccleſia Verdenſis ſpoliata fuit quaſi tunicâ talari, ſcilicet Archidiaconatu tali. Sed Nicolaus Papa V. ſucceſſor dicti Dn. Eugenii niſus fuit propter melius Eccleſiæ Archidiaconatum redintegrare, & manſerunt Lunæburgenſes dubii in eodem negocio: ipſi fuerunt interim depauperati, quod nemini non notum. Eodem tempore Verdenſis Epiſcopus unâ cum civitate & capitulo & civitate ſuâ voluit ſe ex integro ſubdidiſſe Archiepiſcopo, capitulo & conſulatui Bremenſi: ſed Archiepiſcopo eſt diſſvaſum. Iſte annus fuit Jubileus & tanta rerum abundantia in ſingulis, quantum in frugibus & cæteris nemo hominum unquam novit. Stopa vini Bremæ ſolvit XII. malos graves: modius ſiliginis VI. graves, horde IV. vel V. avenæ III. Eodem ânno ſtudium Theologicæ facultatis datum eſt pro fratribus minoribus in Bremâ: & Sabbato quæ fuit vigilia B. Willehadi lector

princi-

principalis principiavit in Epiſtolas Pauli ad Romanos, & continuando in eaſdem tempore eodem diebus continuis. Similiter & lector ſecundarius ordinis ejusdem feriâ ſecundâ proximâ principiavit quartum ſententiarum in eundem lectiones ſuas continuando: & factæ ſunt diſputationes nobiles juxta ritum aliorum fratrum Prædicatorum ibidem, qui ſtudium ejusdem facultatis dudum antea pro fratribus ſuis habuere. Eodem anno nobilis Gerhardus Comes in Oldenborg vi cœpit poſſidere caſtrum in Delmenhorſt cujus titulus non ſolum ratione pheudi, ſed donationis legitimè ſpectat ad Eccleſiam Bremenſem: licet Archiepiſcopus dictæ Eccleſiæ id poſtulaverit literatoriè per vaſallos ac armigeros ſuos: ſed ad breve tempus ſurdâ aure pertranſiit. Idem Comes angariavit abbatiam Raſtedenſem pro ſubſidio ad C. florenos de Rheno in promtis pecuniis. Item exactionavit capitulum Eccleſiæ S. Lamberti in Oldenborg in terrâ Ammirorum ad LXX. florenos de Rheno legales & dativos: eò quòd mandata Ordinarii contra ipſum Gerhardum Comitem contra decreta ratione arreſtationis cujusdam cubicularii Papæ, ut dictum eſt, prophanando non recuſarunt, ſed juxta proceſſum eundem Comitem excommunicaverunt, & interdictum Eccleſiaſticum ſervaverunt. Eodem anno irrequiſito Archiepiſcopo collegiati & ſtructuarii in Oldenborg cum plebeis & communitate Cœmiterium S. Lamberti in Oldenborg ampliaverunt verſus Auſtrum deſtruentes latifundos prædiorum emunitatis & pauca prædia recuperarunt, ac ædificilia de quadam Harne plebs clero redintegravit: quod & officialis Præpoſiti inhibuit, & ſuffraganeum Archiepiſcopi precio ad conſecrandum locum inconcinnè indecenter ampliatum abire coëgit Eccleſiaſticum ibidem imponens interdictum. Sicque idem Conſtantionenſis Epiſcopus venerabilis Theodoricus Archiepiſcopi Bremenſis in Pontificalibus vicarius à loco malè contentus receſſit. Conſulatus autem & vulgus ſive plebei Officiali Dn. Præpoſiti S. Willehadi, Dn. Henrici Wolteri inſidias tetenderunt: ſed cum collegâ ſuo & notario nocte intempeſtâ ſub ſilentio receſſit partim navigio partim equis & curru: & rutilante aurorâ Bremam ingreſſus eſt cum ſalute declinando minas perfidorum: iterumque vocatus idem Antiſtes & Suffraganeus, & rurſus per eundem impeditus eſt. Clerum adhuc eorum bonum proprium non recognoſcens ad minorandum Eccleſiæ prædia promtum ſemper habuit animum, neſciens quod absque ordinarii conſenſu bona Eccleſiæ & prædia confirmata non poſſit permutare, tacito tunc an poſſit alienare ignorans Decretalem iſtam ubi dicitur quòd beneficia absque diminutione conferantur, & quòd in diſponendis illis major requiratur auctoritas Eccleſiæ, quàm eorundem ſtolida propria voluntas, cum Eccleſiæ & capitulo nihil detur in recompenſam. Eodem tempore Comes antedictus Decanum Gerhardum Steueken voluit ſacco ſubmerſiſſe ut perfidum, & quosdam alios, puta Adelhaldum Ameſtorp ſeniorem capituli, & Egbertum Scholaſticum per quendam famulum ſuum trucidare nitebatur. Nam quidam gladio in cœmiterio in unum inſiliit, & niſi aufugiſſet, trudicatus jacuiſſet: & hujusmodi horrida accuſationis vox proſiliit, quid Deo volente fiet exhinc videamus. Eodem anno ante Paſcha in Dominicâ Lætare, in medio Quadrageſimæ, ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter, Dn. Nicolaus V. tunc Apoſtolicus roſam tradidit inclyto Haſſiæ Lantgravio, qui & obtinuit confirmationem à ſede Apoſtolicâ cujusdam collegii per eundem ædificandi in Wartberge terræ ſuæ: & Papa tradidit ei piè motus theſaurum indulgentiarum tertiam partem remiſſionis peccatorum, propter nobilitatem ſanguinis ſereniſſimæ memoriæ Eliſabeth viduæ, & Hermanni quondam Lantgravii Haſſiæ & Turingiæ. Hic etiam Papa Nicolaus adeo beneficus fuit, quòd pacificavit omnia cum Electoribus & aliis principibus Alemaniæ, quæ prædeceſſor ſuus Eugenius quartus propter mentem ejus flexibilem commiſit in neutralitate & ſuſpenſione animorum per tempora diuturna, de Anno Domini MCCCCXXXVIII. usque in ultimum ſui regiminis annum, quo libenter reſiliiſſet, ſed præventus morte ſucceſſor ſuus Dn. Nicolaus V. omnia decreta Concilii Baſileenſis ad mentem Regis & electorum principum cæterorumque Alemannicæ nationis Dominorum bono zelo & libenti animo approbavit & confirmavit. Et dedit eisdem in collationibus beneficiorum alterum menſem, & dedit omnia quæ ab eo petebantur. Omnes enim ſupplicationes Regum, Archiepiſcoporum, Ducum, Comitum, Epiſcoporum, ab-

batum

Digitized by Google

batum accipiens libens indulſit: & majora quàm petebantur bullari conceſſit. Eodem anno quo ſupra complevit quidam honorabilis Eccleſiæ S. Anſcharii Bremenſis Canonicus, olim Dn. Boldewini Archiepiſcopi capellanus metra quaſi reciproca ſatis nobilia & pulcra ſuper vitâ S. Anſcharii, & depingi fecit vitam ejuſdem in Eccleſiâ ſua cum ſubſidio ſtructuariorum, & ſubſcribi fecit metris. Eodem anno per negligentiam Decani Dn. Eleri perierunt de Eccleſia S. Anſcharii duo lumina perpetua lampadum die noctuque lucentia: unum lumen in medio chori ſupra tumbam Dn. Henrici Gronelant prædeceſſoris ſui Decani, qui obiit Anno MCCCCXXXIX. & in multis benefecit Eccleſiæ: & idem perpetuum lumen inſtituit, quod & ſucceſſor ſuus, ut dicitur bibendo conſumſit. Aliud etiam lumen extinxit ante primum altare, quod inſtituit olim Dn. Borchardus de Berſen Decanus. Tertium inſtituit in choro circa altare animarum ad Auſtrum Herbordus Schene ejuſdem Canonicus Eccleſiæ, & poſtea Decanus ibidem, & cellerarius in ſummâ Eccleſiâ Bremenſi, quod etiam per negligentiam Dn. Eleri deperiit. Et ideo valde timetur, quòd lux perpetua non lucebit ei, & conſentientibus ſibi. Quartò conſenſit theſaurario Eccleſiæ ejuſdem de extinctione quarti luminis, quod ardere ſolitum eſt in matutinis, quod dicitur Spintlecht in omnibus conſolationibus & feſtis, quando Canonici ſunt cuſtodes chori: & reclamante capitulo ſurdâ idem Decanus pertranſiit aure. Timetur ergo, quod illud ſapientis ſibi eveniat dicentis: Qui obturat aurem ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Et rurſum: Tolletur impius ne videat gloriam Dei; quia certè incorrigibilis, quia ſi ad reædificandum conſonat ore, reluctatur corde. Timeo quòd ſibi eveniat illud poëticum:

Qui fallit mille de ſolo fallitur ille.

Et quia res ſimiles ſunt ſibi invicem habiles diuturna notio collegam eidem Decano in eadem Eccleſia aſcivit Joannem Aquarum-vectione cognomine, habentem theſaurii officium: qui & vinum pro ſacrificio & panem cum lumine canonicis ad celebrandum miniſtrat, ſicut hactenus ſolitum fuit miniſtrari: ipſe in reprobum datus ſenſum connivente ſibi Decano denegat hactenus fuiſſe ſolitum miniſtrari. Et quia idem nummoſus & aſſiduus fortaſſis ipſum Decanum, qui prodigus etiam ſui honoris & famæ pauper pecuniâ, ad hæc & alia corrumpit: ſic quod multæ laudabiles conſvetudines horum in temporibus ab Eccleſia contra juramenta propria, proh dolor! evanuerunt, aliis reclamantibus omni niſu. Eodem anno in vigiliâ Nativitatis, convenerunt Brockmanni, Nordendi, & Harlingi ante caſtrum Detherne & ibidem jacturam non modicam ab Hamburgenſibus ſoldatis & ſtipendiariis accepere, ſuffragantibus ſimul Comitibus de Oldenborg, qui affluxere de Apen & Weſterde Ammirorum. Eodem etiam tempore Conſulatus & communitas Monaſterienſis circumvallavit caſtrum in diœceſi Monaſterienſi, in quo ſedit capitulum Monaſterienſe cum eorum electo Dn. Walramo de Morze fratre Colonienſis Archiepiſcopi: & graviter percuſſis civibus & quibuſdam armigeris nobilibus Comitis Joannis de Hojâ, qui fuit primicerius exercitus in expeditione tali. Nam & validus famulus Conradus dictus van dem Haue ibidem ante caſtrum ab inimicis interiit & ſepultus eſt in Nativitate Chriſti in civitate Monaſterienſi. Cæterum Dominicâ ante Nativitatis Lubbo Onekonis, ejusque filius & Aleke caſtrenſes in Inhuſen terræ Aſtringiæ multos in Schortenſen trucidarunt: & quoſdam occiderunt propter eorum mala opera. Eodem anno poſt Martini Roddardus rector Eccleſiæ in Waddenſen à famulis dicti Lubbonis Omeken interfectus eſt, eò quòd dictus ſacerdos propriam ſuam Eccleſiam inſtallarat & unà baliſtarios ad offendendum alios tenuit in Eccleſiâ, & ideo gladio interiit, ac ſuorum laborum præmium recepit. Circa finem anni Jubilei invictiſſimus Rex Danorum Chriſtianus Comes de Oldenburg Ammirorum de regiâ conjuge filium procreatum ad nutum conſiliariorum regni ejuſdem Olaum vocari præcepit, & multi Archiepiſcopi & Epiſcopi regnorum compatres effecti ſunt. Eodem anno idem Rex miſit nobili Comiti Gerhardo in Oldenborg multos baliſtarios in ſubſidium contra gentem Friſonum, Domicellum Ulricum & ejus complices usq; Detherne, ubi nobilis quidam Friſo Popeke nomine caſtrum contra civitatem Hamburgenſem & Dominium Oldenborg inſtauraverat in deſtructionem, quod eodem tempore Hamburgenſes

Digitized by Google

burgenſes conſules & plebei cum Emedâ poſſederunt, capto olim Immelone Præpoſito in Emedâ ceperant ſua bona in Friſiâ, quod ſic factum eſt. Nam idem Immelo fecit plurima gravamina negotiatoribus, ut fertur, civitatem & præcipuè Hamborgenſibus. Oportunitatè igitur acceptâ venientes ibidem multi de civitate prædicta dictum Præpoſitum laicum Immelonem ad prandium in navim invitarunt, datis veloratibus & ventis inflatis advehunt Hamborg, & ibidem cuſtodiæ compeditum apud molendinum tradiderunt. Unde & reverendus Dn. Henricus Epiſcopus Monaſterienſis plurimas dictæ civitati intulit injurias: ſed tandem annis prioribus, ſcilicet Anno MCCCCXXXIX. Archiepiſcopus Bodewinus Bremenſis, Regibus & Principibus amiciſſimus, cum eodem Epiſcopo ſapienter ad dictæ civitatis inſtantiam optimè tractavit: & tunc primò quidam Doctor præpoſituram eandem in Emedâ tanquam vacantem à piæ recordationis Dn. Eugenio Papâ quarto impetravit & ſucceſſor ejus Nicolaus V. approbavit. Eodem anno Jubileo canonizavit Nicolaus Papa V. in feſto Pentecoſtes fratrem Bernhardum Barvotorum ordinis, ratione quòd multis fulgebat miraculis, ut & mortuos ſuſcitaret. Nam cum quodam tempore contra Papam Martinum prædeceſſorem Eugenii & ejus Cardinales ſtrenuè prædicaret, idem Papa Martinum eum incarcerari fecit: quod non curans æque bene miniſterium ſibi creditum validiſſimè complevit, non parcens Cæſari neque Papæ: tandem Papa videns ejus immobilem eum immobilem. Pro cujus offenſa Papa eum voluit facere Epiſcopum quendam Italiæ, ſed pauper pauperem optavit ſequi Chriſtum. Poſtea Anno Domini MCCCCLI. Monaſterienſes cum vaſallis Eccleſiæ & diœceſis ac opidanis opidum ejusdem diœceſis contra modernum eorum epiſcopum Walramum caſtrum Dulmen cum opido lucrati ſunt. Et primicerius eorum erat nobilis Joannes de Hojâ Comes, qui propter fratrem ſuum Ericum à plebe petitum dicto Walramo litem movit & cum civitate immobiliter permanſit. Anno Domini MCCCCLXIII. obiit Archiepiſcopus Bremenſis Gerhardus ſepultus in Bremâ.

HENRICUS de Svartzborg filius Comitis XLII. Archiepiſcopus XXXIX. introductus fuit ad Archiepiſcopatum à XV. principibus præſertim â Duce Wilhelmo ſeniore Brunſvicenſi, & Henrico Duce ibidem &c.

Explicit Chronicon Henrici VVolteri Bremenſe.

HEN-

HENRICVS MEIBOMIVS Junior,

Lectori S.

Cujus tibi hic dedimus Archiepiſcoporum Bremenſium Chronicon, is ante duo circiter ſecula vixit; in morte enim Archiepiſcopi Gerhardi, quæ contigit A. 1463. ſuccedente Henrico Comite de Schvvartzburg, deſinit. Scribit ſe *Henricum Wolteri*, Canonicum S. Anſcharii, ſine dubio Bremenſem. Meminit in hoc Chronico *Henrici Wolteri* in Archiepiſcopo Alberto circa medium ſeculi XIV. & iterum poſt ſeculum in Boldevvino Archiepiſcopo nominat *Henricum Wolteri*, Capellanum Archiepiſcopi, Canonicum S. Anſcharii Bremenſem & Buccenſem, & iterum in Gerhardo Archiepiſcopo *Henricum Wolteri*, præpoſitum S. Willehadi, quos ipſius conſanguineos fuiſſe, & proinde ortum illum non ignobili familia, unde tam multi ad Eccleſiaſticas dignitates pervenerint, probabile eſt. *Herm. Hamelmannus* in Indiculo Auctorum, quibus in Chronico ſuo Oldenburgico contexendo uſus eſt, facit eum Oldenburgicum von Oldenborg.

Scribit autem, ſe *ex diſpendioſis dictis & Chronicis antiquis in ſcripturarum compendium* hoc Chronicon *redegiſſe*. Et in Hogero Epiſcopo provocat ad *Chronica Authentica*. Nulla tamen diſtinctè memorat, niſi quod ad *Vitam Anſcharii* à *Remberto* ſcriptam provocat, & ad Canonici Eccleſiæ Bremenſis, qui Boldevvini Archiepiſcopi Capellanus fuerit, *Metra reciproca, continentia totam ſeriem vitæ Anſcharii*, & ad *Vitam Willehadi ab Anſchario* ſcriptam, & ad *Adalgarii carmen de Rimberto*. An *Adamum Bremenſem* & *Albertum Stadenſem*, ex quibus priora hujus Hiſtoriæ inſigniter illuſtrare potuiſſet, legerit, non temerè dixerim: nullibi certe eos citat. Quæ tamen de XL. annis viduitatis Emmæ, uxoris Comitis Ludgeri, &

ſororis Meinvverci Epiſcopi Paderbornenſis, habet, deſumpta videntur ex *Adami Bremenſis* Hiſt. Eccl. l. 2. c. 60. quem ſequitur *Albertus Abbas Stadenſis*: quamvis merito ea de re dubites, cum Luidgerus, maritus ejus, anno 1011. omnium conſenſu defunctus ſit. Incidit autem, ope amiciſſimi Viri, in manus meas Chronicon Archiepiſcoporum Bremenſium Germanicum MStum *Herbordi Schenai* & *Gerhardi Rynesbachii*, ex quo deinde *Johannes Rennerus* ſummi Capituli Bremenſis quondam Secretarius magnum ſuum Chronicon ad Annum uſque 1580. concinnavit, quod, itidem MStum licet, in plurium tamen manibus eſt. Quo *Chronico* & *Wolterum* noſtrum, & *Cranzium* in Metropoli ſua, uſum eſſe, multa mihi perſuadent. Nam & Chronicon hoc circa eadem tempora, quibus *Wolterus*, deſinit: & ſi conferas inter ſe, quæ in *Chronico* hoc habentur, & ea, quæ *Wolterus*, *Crantziusque* narrant, alicubi plane eadem eſſe deprehendes. In Hiſtoria Baldvvini Archiepiſcopi narrationem eo non pertinentem de Chriſtiano Archiepiſcopo Moguntino, in hoc Chronico legas: quam etiam *Wolterus*, & *Crantzius Metrop. l. VI. c. 49.* habent, provocantque omnes ad Scholaſticum Bremenſem Henricum, Notarium Chriſtiani; quamvis *Chronicon* & *Wolterus* triginta tres annos officio illo functum, *Crantzius* trigeſimo quinto ætatis ſuæ anno Notarium Chriſtiani fuiſſe narret. Non male igitur inter ſe, ut rectius omnia pateant, *Chronicon*, & *VVolterus*, & *Crantzius* conferuntur.

Ita quod in Adalberone dicit *VVolterus*, Archiepiſcopum captum & portatum Marchioni Brandenburgenſi, id de Hartvvico Præpoſito rectius ſcribi ex *Chronico* & *Crantzii* Metropol. l. VI. c 18. patet. Quæ de Adelberto Archiepiſcopo *Crantzius* in Metropoli ſua lib. IV. habet, & ex Annalibus ſe inſeruiſſe ſcribit, vel ex *VVoltero*, vel ex memorato *Chronico* vel aliis Annalibus, quos etiam habuit *VVolterus*, deſumpta eſſe legentibus manifeſtum eſt. Emendandus tamen ex his *Crantzius* alicubi. Dum enim l 4. c. 41. ita loquitur *Crantzius*: *Quapropter ab initio maximum illum Phriſiæ Comitatum de Fridgoe eſt adeptus à Rege, quem prius habuit Dux Gotfridus, tunc vero Egbertus. Penſionem annuam dicunt eſſe centum librarum argenti: quarum ducentas Ecbertus ſolvit, fuitque miles Eccleſiæ*: in Chronico, & à *VVoltero* pro *centum* memorantur *mille argenti libræ*, quæ de *illa comitia & dominio reditus annuatim* fuerint. Et ubi *Crantzius* ibidem ſcribit, Archiepiſcopum pro terra Hadeleria Reginæ dediſſe *IX. libras* auri, *Chronicon* & *VVolterus* habent *nongentas libras auri*. Neq; vero diſſimulare poſſum *VVolterum* noſtrum alicubi fabulas nobis ſatis liberaliter narrare, ut in principio ſtatim, de Caroli M. ortu, ejusque peccato ſo-

to ſodomitico, & dein de ſaltantibus in Libentio II. & alibi alias. In Epiſcopo vero Adelberto, graviſſimo errore, ad Henricum III. Imp. ea refert, quæ de Henrico II. ſeu Claudo Hiſtorici prodiderunt, qui cum uxore Cunigunda in Bambergenſi Eccleſia ſepultus eſt. De privilegio Caroli M. ſuper fundatione Eccleſiæ Bremenſis, quod habet *VVolterus*, quodque valdè differt ab eo, quod produxit, & in Bremenſi Eccleſia aſſervatum fuiſſe narrat *Adamus* hiſt. Eccleſ. L. 1. C. 10. quodque cum privilegio Verdenſi Eccleſiæ à Carolo dato magnam partem convenit, nunc nihil dicam, nec de Regalibus, quæ à Carolo & Ludovico Pio data in Reimberto narrat *VVolterus*, acturus id alibi latius. Neq; huc adducam ea, quæ ad Hiſtoriam Archiepiſcoporum Bremenſium facientia ex aliis à me obſervata ſunt, *VVolterum* nunc produxiſſe contentus, ut ex illo quoque illuſtrari eorum res geſtæ, ſi cui ea plenius enarrare libuerit, poſſint.

Deliruit hactenus *VVolteri* illud Chronicon, quamvis *Hermannus Hamelmannus*, & qui pro Hamelmanno Apologiam ſcripſit *Gerhardus Giſekenius*, & *Juſtus VVinckelmannus*, viri omnes clariſſimi, illud paſſim MStum citent. In illo quoque libro, quem Anno 1652. *Anonymus*, ſed longe doctiſſimus Vir, ſub tit: **Gründlicher Bericht von der Landesfürſtlichen Ertzbiſchöflichen Hoch- und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen &c.** edidit, cap. 22. bis citatur *Henrici VVolteri* Chronicon, quod tamen à noſtro diſcrepare videtur. Laudatus *Giſekenius* ſcribit *Chirographum aſſervari in Archivo Illuſtris Comitis Oldenburgici*, illoque ſine dubio uſus eſt *Herm. Hamelmannus*: Hoc vero ipſum ex Archivo ſuo Illuſtriſſimus Comes ac Dominus, D. *Antonius Guntherus* Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, Dominus in Jhever & Kniphauſen, Avo meo utendum dedit, cum ejus opera in gravibus quibuſdam controverſiis uteretur, ex eoque ſunt illa, quæ nunc publicamus, expreſſa.

Deſcripta autem ſunt omnia ex MSto fideliſſimè, nec vocula temerè mutata, ideoque & barbariſmi & germaniſmi *VVolteri* omnes retenti, & ubi voces quædam legi non potuerunt, aſteriſcis id notatum eſt. Ex conjectura fortaſſis alicubi correctiones inſtituere licuiſſet: ſed id facere nolui. Unum tamen ſilentio præterire nequeo locum in Archiepiſcopo Adelberto. Ita enim in MSto legitur: *Ibi in expeditione fuit inangulatus prope* **Belecht**/ unde lector, neſcio quem obſcurum aut nullibi terrarum extantem locum ſibi imaginari poſſet. Si quis autem obſervet *VVolterum* ſæpius alibi, cum voces Latinas rem non rectè exprimere exiſtimat, Germanicas interſerere, cum adjectione *proprie*, is facile videbit, hîc quoque legendum eſſe: *inangulatus, propriè* **belecht.** Et hæc vox **belecht** extat etiam in Chronico Bremenſi Germanico ſæpius nobis laudato, eſtque **belegen** nihil aliud

 quam

quam circumcingere, circumſcribere, circumvallare, circumſepire, quod per *inangulare*, nova voce, quam deinde etiam in Archiepiſcopo Johanne Slamſtorp, & in Archiepiſcopo Boldevvino uſurpat, exprimere voluit, non tamen clarè ſatis ea exprimi ratus, quomodo proprie lingua Germanica diceretur, interſeruit. Inangulare vero eſt in angulum compellere & ibi concludere, quamvis vocem à nemine ſciam uſurpatam. Sed Tu fruere *VVoltero* lector, & vale.

ANO-

ANONYMI
CHRONICON
RASTEDENSE.

CHRO-

CHRONICON RASTE-DENSE.

HUmanum genus brevibus diebus inſtabile computatum per mortem citò tollitur, & ideo actus ejus à noſtrâ facilè recedunt memoriâ, ſi non ſcripturarum ſerie perennitati commendarentur. Hinc eſt, quòd de magnæ nobilitatis viro *Hunone*, & de conjuge ejus *Guillâ*, nec non ipſorum filio Frederico, Comitibus Ruſtringiæ, olim Ruſtriæ dictæ, ſcribere diſpoſui. Primo notandum, quòd *Udo* marchio pater fuit Hunonis Comitis & *Ida* mater dicti Comitis Hunonis, ex quibus fuerunt Huno & Rixa, de Hunone & Guillâ natus & *Fredericus*: de *Rixa* ſorore Hunonis natus eſt *Egilmarus*: & dictus Udo requieſcit Jedelee Eccleſiâ S. Viti: ſed Ida ſepulta eſt in Eccleſiâ SS. Criſpini & Criſpiniani in Elſulete, quia & ipſa viro ſuo ſupervixit: & poſt mortem marchionis Udonis, qui tunc poſſedit totam iſtam patriam à flumine Tzevena in caſtro Harborg & deſcendendo usque in barbaricum mare per Albiam, poſſedit Waltſaciam & partes circa Wimmam, & terram antiquorum Saxonum, Laringiam, Ruſtringiam, Stedingiam, & Ambriam, Tietmarſiam, Worſatiam, Hadeleriam, & cæteras inſulas ſcilicet Kedingiam & antiquam terram. Ipſa namque vidua Ida mortuo marito Udone copulata fuit regi Ruſſorum, unde genuit filium nomine ***** qui manſit monarcha Ruſſiæ, ſed mater Ida reverſa eſt in Elſulete, & cum Emina nobili viduâ in multis benefecit Eccleſiæ Bremenſi. Emina ſepulta eſt in Eccleſiâ Bremenſi ſub lapide flaveo quadrato, circa quem inventum eſt hujusmodi ſcriptum in laminâ ſtanneâ: *Emina ancilla Chriſti hic ſepulta manet.* Ex quo patet, quòd Comitatus Udonis marchionis circumcinxit totam diœceſin Bremenſem, & quòd modò habent clauſtra vicina, totum eſt de patrimonio dicti Udonis, vel ex largitione regum Franciæ, qui hoc ſuo ſanguine lucrati ſunt à rege Saxonum, qui & propinquus carne & ſanguine fuit Comitibus iſtis Palatinis Stadenſibus & marchionibus. Patet etiam, quod Comites de Oldenborg & Brockhuſen de ſanguine iſtorum deſcenderunt, licet in clypeis & ſignis militaribus ratione diſtinctionis terræ ſint diverſificatæ. Olim enim Romani ſubactis regnis & dominiis terram in provincias & Comitatus diviſerunt, & unicuique terræ, provinciæ, & Comitiæ proprium clypeum tradiderunt. Huno namque manu potenti & brachio excelſo jure tamen hereditario hujusmodi terminos poſſidebat terram Ruſtringiæ, Stedingiæ, Ambriæ, partem etiam Saxoniæ & Weſtvaliæ, & terram Holtzatorum prope Wimmam fluvium. Adhuc enim apud Laras paucæ erant Eccleſiæ quæ à ſanctis Willehado, Anſchario & Remberto patribus, patronis noſtris erant ædificatæ; ſola Laringorum pars infima, puta Ammirorum, usque ad Wildeshuſen & Hilligenvelde; Stedingi verò tempore Willchadi ad Machtenſtede pertinebant, ubi & ipſe capellam ſub caſtro nobilis Henrici de Machtenſtede conſecravit. Poſtea verò Anſcharius Eccleſias erexit Stedingorum ab utraque parte Huntæ, unam in Elſulete in honore SS. Criſpini & Criſpiniani, quorum corpora Karolus M. miſit ad Eccleſiam Oſnaburgenſem, cœterisque cum corporibus multis: aliam verò in Bernâ, in honore S. Confeſſoris Chriſti Egidii abbatis venerandi, qui & ipſe confeſſor erat Karoli M. temporibus ſuis: nondum enim caſtrum in Oldenborg conſtructum fuerat, nec aliqua baſilica in totâ Ambriâ, ſive terra Ammirorum præterquam in Wivelſtede, eo tempore quo nobilis

homo, generoſus Comes Huno, cum herede ſuo Frederico conſiliatus fuit, conſecravere *monaſterium Raſtedenſe*, non diu poſt Anſcharium, qui Eccleſiam dedicavit & conſtruxit in Hokerken in honore SS. Sixti & Sinnicii in Wanga: qui etiam Eccleſiam in Ackem in honorem S. Willehadi egregiè dedicavit. Longo poſt tempore Adelbertus Magnus Eccleſiarum Bremenſis & Hamburgenſis Archiepiſcopus, & in regnis Septentrionalibus Apoſtolicæ ſedis legatus & Primas, Anno Domini MLVII. Eccleſiam parochialem Ammirorum primò erexit in Wivelſtede, dedicans eam in honorem S. Joannis Baptiſtæ & ſanctæ Radegundis reginæ, cujus feſtivitas eſt ſequenti die Scholaſticæ virginis. Ad hanc etiam Eccleſiam Wivelſted omnes prope Halten jacentes villæ pertinebant: & ad idem opus traducendi juxta deſertum Stedingiæ via paluſtris facta fuit usque ad collem gentilium, proprie Heidenwal / per trabes alnorum in ceſpite, ut orationis cauſſâ in feſtivitatibus confluere poſſent ad Eccleſiam parochialem, quam Archiepiſcopus Dominicâ poſt Galli & Lulli cum aliis ſanctis Præſulibus dedicavit in honore S. Salvatoris & ejus genitricis Mariæ, ſub invocatione Sanctorum præallegatorum: & benedixit illuc orationis cauſſâ confluentibus Apoſtolicæ ſedis auctoritate, quâ ut legatus fungebatur. Anno Domini MLIX. Indict. XII. III. Idus Septembr. glorioſus Huno Comes, ut cultum divini nominis amplius augmentaret, non immemor iſtius Prophetici: *O Iſraël quàm magna domus Domini & ingens locus poſſeſſionis ejus, &c.* Archiepiſcopum antedictum Adelbertum devotis precibus petiit, ut ſibi in honore B. Odolrici, olim Auguſtenſium Epiſcopi, de proſapiâ Alemannorum nati, liceret in loco, qui *Raſtede* dicitur, unam baſilicam fabricare. Hic Adelbertus omnium Septentrionalium Archiepiſcopus extitit, & legatus, imo Primas regnorum Sveciæ, Daciæ, & Norwegiæ. Hic adeo Dn. Apoſtolico & Imperatori familiaris fuerat, ut de Archiepiſcopatu ſuo, in quo etiam Apoſtolicæ ſedis legatus erat, ſicut omnes ſucceſſores ſui Patriarchatum cum diœceſi Verdenſi, quam in commendam tenuit, facere conaretur. Votis igitur hujusmodi Comitis cum idem Archiepiſcopus favorabiliter annuiſſet, fundavit Eccleſiam S. Odolrici Comes, eique has villas attribuit: Netene, Hana, Bigendebike, Limuda, Rethehorna, Barchorna, Loye, Oſtmanshorſt, Haddinchhuſen, Mirhuſen & Ritterſtede, ea conditione, ut ſalvo honore & debito jure matris Eccleſiæ in Wivelſtede, ad præfatam Ritterſtedenſem Eccleſiam hæ villæ pertineant, & absque contradictione ſubjaceant: ita tamen, ſi advocatus ipſius Eccleſiæ puta Huno Comes & heredes ſui eidem Archiepiſcopo, & ſuis ſucceſſoribus, obedientiam exhibuerint, nec datorem juſtitiæ prævaricatione contriſtaverint. Obtinuit itaque dictus Archiepiſcopus ſibi & ſuis ſucceſſoribus plenum jus præſentandi & conferendi dictam Eccleſiam in Wivelſtede, dans ballivo ſuo hujusmodi Comiti jus patronatus Eccleſiæ S. Odolrici, juſtitia Archiepiſcopali ſemper ſalvâ. Fundata verò hac Eccleſiâ ædificiis pulcris, Comes Huno ſpecialiter ſibi & uxori ſuæ cryptam, ſive capellam, ſub choro præcepit conſtrui, in honore beatæ Annæ, matris Mariæ, in quâ ſemotis negociis ſecularibus Deo funderent preces. Nam cum antea de partibus Friſiæ, puta Ruſtringiæ, à parochiâ Jedele eſſent exiliati, proſcripti & fugati, anxiè & favore dicti Archiepiſcopi, ut balivi ejus, ſeſe inibi receperunt, homagium Eccleſiæ Hamburgenſi facientes, miniſteriales, ſcilicet, effecti, Cæſare Romano cum Ducibus Bavariæ & Saxoniæ annuentibus. Nam & Huno & Guilla, ut boni cœlicolæ, Deo frequenter preces indefeſſas fuderunt, & fidei devotionem, quam in Spiritu geſtabant, frequenter & in opere illuc cum verâ innocentiâ comportaverunt. Idem Comes in Domino glorioſus procuravit dictam Eccleſiam ab antedicto Archiepiſcopo conſecrari, ſtatuitque ibi conventum monialium bona eis neceſſaria tribuens, prout facultas omnium ſuppetebat. Poſtquam Comes Huno cum uxore ſuâ & filio devotè vixiſſet multis annis, contigit ut Romanorum Imperator, qui tunc de proſapiâ Ducum Brunſvicenſium, de natione Ducum Saxoniæ traxit originem, in opido reſideret Goslariæ, prope Hartonem, cum omnibus Principibus, Comitibus & Baronibus Teutoniæ, generale celebrare concilium decreviſſet: ad quos omnes cum mandatum Imperatorium illuc veniendi pertranſiſſet, Comes Huno, qui Deo magis, quàm Imperatori militaverat, præpeditus orationibus & aliis bonis operibus, huic concilio Imperatorio nullo modo potuit intereſſe. Verum cum in die comparitionis requireretur abſentia coram rege, à qui-

busdam

buſdam detractoribus hujus Comitis Hunonis, bonis ejus operibus invidentibus, regalibus auribus ejus rebellio promulgatur. Porrò Imperator ſuſurronum detractionibus in furorem atrociter excitatus, ſæpe dictum Hunonem Comitem edictis citatoriis iteratò citaverat, addens ut ſecum unum fortem pugilem traduceret, qui contra ſuum fortem pugilem more Friſonum dimicaret. Erat pugil regis leo magnus & fortis, cui pauca dabantur ſtipendia victus pro eo, ut is minus ab * ortu non exiret, qui dignus eſſet morte hujuſmodi puniendus. Ad Comitem Hunonem cum tale indictum Imperatorium perveniſſet, arrepto cum filio ſuo & magno Comitatu itinere, gaudenter ſe ad Imperatorem contulit, de divinâ miſericordiâ non diffidens, quando bene Deus juſtum probando tentaret, & poſt tentationem remuneraretur in præſenti ſeculo, vel in futuro. Imperator ergo, viſo Hunone glorioſo Comite, præcepit Frederico filio ſuo contra leonem fortiſſimum dimicare, & hoc in pœnam illius, quod cum omnes Principes & nobiles Theutoniæ ad ſuum citati concilium veniſſent, ipſe tamen ſolus præ omnibus ſe abſentare ſpecialiter præſumſiſſet. Quo audito, dolore nimio conſternatus primò, auxilium & gratiam quæſivit à Domino, orans ut quemadmodum Deus Abraham in immolatione filii ſui probaſſet, & probato pepercisset: ita & ipſe filio ſuo pro ſuâ miſericordia dignaretur parcere, & eum de morſu leonis mirabiliter liberare. Vovit igitur cum filio ſuo devotè Domino, monaſterium in honore beatæ virginis conſtruere, ſi tantum filius ſuus pugnaturus cum tam crudeli beſtiâ triumpharet. Inter hoc Comes Fredericus leonem aggredi præcipitur, qui à patre ut ſe defendat viriliter confortatur. Dum autem leonem aggreditur, hoc attendit, quod ſubtilitas & conſilium ſapientis fortitudinem virium frangit, manipulum, quem ſecum ad ſimilitudinem hominis armati acceperat, leonem terruit, quam beſtia non utens diſcretione hominem armatum putaverat, & ſic ſubtilitate, quam etiam ferro proſternitur, ac adoleſcens ſine aliquâ læſione de campo ubi triumphaverat, revertitur incolumis atque ſanus. Imperator autem eum à duello revertentem utriſque brachiis apprehendit, cingulo militari ſuccinxit, annulum tradidit, dans ei dona pro triumpho, videlicet, bona ſita juxta civitatem Sozacienſem ad Imperium pertinentia, ſcilicet, Huninckhoven, Betinchhuſen, Leſarinckhuſen, Bedickdorp, Sinerlake, Mardighe, Iſerlo, Aperne, Winſternen, Windickhuſen, Brockhuſen, Harinckdorp, Berder, Aſchebergen, Buckenhuſen, cum Eccleſiis & cum omnibus miniſterialibus, & vaſallis, & cum omni proprietate, prout ad Imperium liberaliter pertinuerunt, ulterius dando & diſtribuendo, ut ea poſſideant in perpetuum pleno jure. Contulit etiam & Comitiam ſuam, quam antea habuerat ab Imperio in pheudo, poſtea in perpetuum liberam, & de omni jure inpheodationis Imperii ipſam excluſerat & exemit. O quam lætum iter glorioſi nobiles in reditu direxerunt, quia triumphum meruerunt, honorem à pluribus perceperunt. Monaſterium prout voverunt beatæ Mariæ virgini conſtruere incipientes ubi primò collegium clericorum ſæcularium conſtituerunt, cui prædia & poſſeſſiones de ſuo dominio in parte largientes, quod nondum ad ſtatum perfectionis perduxerant. Nam inclytus Huno viam univerſæ carnis ingreditur, qui cum Chriſto regnando dominatur, juxta illud Pſalmi. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini, &c.* & in dextro brachio monaſterii ſui; ante altare præcurſoris Domini, dignis celebratis exequiis ſepelitur. Ad cujus etiam ſepulcrum ægrorum curationes quam plurimæ factæ non dubitantur. Comitiſſa autem Guilla mortuo marito inclyto Comite memorato, religioni ſe tradidit, & in Eccleſiâ beati Odolrici vivens multum religiosè ſub obedientiâ regulæ cum monialibus; & poſt paucos dies moritur ſicq; ſepulta in Eccleſiâ Canonicorum apud dominum ſuum. Fridericus autem Comes qui unicus heres & ſuperſtes erat iſtius dominii, cùm ſine uxore viveret, ſuaſum eſt ei ab amicis, ut conjugem nobilem duceret, quatenus tantum dominium non deficeret ſine herede, & eo mortuo non ſucumberet manibus alienis. Hic tamen ad amorem conjugis induci non poterat, quia Dei plus, quàm alicujus mulieris amoribus æſtuabat. Sed cum ad conjugem ducendam adduci non poterat, de ſpe animæ ſalubriter cogitans, imaginem B. virginis ſibi apportari fecerat, filium ejuſdem virginis ſibi fecit heredem, tribuens ei omnia quæ ad Comitiam pertinuerunt, commendans ſuæ poſſeſſioni perpetuo eo jure, quo

ipſe tanquam verus heres à progenitoribus & ab Imperatore receperat liberaliter, cum univerſis reditibus ad ipſam Comitiam ſpectantibus, cum miniſterialibus & vaſallis, hominibus etiam liberis & litonibus, & cum omnibus bonis, lignis, pratis, paſcuis, juribus & juriſdictionibus, mutavitque canonicos in monachos S. Benedicti, ut Deo devotius in hoc famularentur monaſterio. Qui plenus dierum moritur, & apud patrem ſuum glorioſum Hunonem Comitem feliciter eſt ſepultus. Creduntur enim iſti nobiles regni cœleſtis meruiſſe introitum, quia non paucis infirmis, ſanitatem ab eis deſiderantibus, à ſuis languoribus præſtiterunt. Horum nobilium fundatorum Eccleſiæ Raſtedenſis anniverſarius ſingulis annis ſingulatim vel diviſim agitur. Anniverſarius Hunonis Comitis alterâ die omnium Sanctorum, cum ſolemni vigiliâ, omnibus fratribus celebrantibus, & cum ſtipâ pauperum peragitur. Anniverſarius autem Guillæ Comitiſſæ in octava omnium ſanctorum, & transfertur in ſequentem diem beati Willehadi, patroni noſtri, propter excellentiam feſtivitatis. Anniverſarius Frederici Comitis ipſo die Scholaſticæ virginis ab omnibus devotiſſimè celebratur: cum hoc quoque omnes orationes omnium fratrum omni merentur tempore: quia ſe & omnia ſua non in parte, ſed in toto, in hoc monaſterio Chriſti devotis cordibus obtulerunt, quam gratiam eis conceſſit, qui vivit & regnat. Egilmarus filius ſororis Comitis Hunonis, unde & Comites Brockhuſenſes originem habuerunt, cujus pater Hajo ſedit etiam in partibus Upruſtriæ, id eſt, in Upruſtringen, habens pro hereditate ſuâ IIII. parochias, ſcilicet, Golswerden, Rodenkerken, Ezemiſſen, & Upbehuſen, tenens parvum caſtrum, quod dicebatur Hajemanneswerf. Prædictus itaque Hajo accepit conjugem ſororem Hunonis, unde dictus Egilmarus cum venerabili Rixâ. Et poſtea Haddo Comes de cujus hereditate ditatum eſt monaſterium Tzevena, quod olim Kivena dicebatur, fundatum primo loco fundationis in Heislinga, apud Wolſaros, ultra Winnemam, verſus Comitiam Palatinam Stadenſem. Hic Comes Egilmarus, de quo loqui cœpimus, curam bonorum monaſterii Raſtedenſis in commiſſum habuit, & ut in privilegiis continetur, ſuſcepit & bene præfuit multis annis. Hic magnas eleemoſynas & dona contulit huic monaſterio, ſcilicet feneſtras chori ſeptem, & calices: item pixides ex ebore & alia ornamenta. Uxor ſua, Eilica nomine, diverſas pallas & pallia altarium beatæ Mariæ virgini etiam obtulit. Et iſte Comes cum uxore ſuâ in Eccleſiâ beati Viti Jadelee ad Aquilonem ſunt ſepulti, ubi tunc nigri monachi S. Benedicti habitabant, ſicut in Raſtede. Et Jadelee fuit manſio Comitum, Baronum & militum, & etiam habitatio potentum Friſonum habebatur, qui tempore Karoli M. cum eo Romam vicerunt, & ſunt nobilitati, & ad Friſiam remiſſi. Quidam verò ob inſignia meritorum in Franciam traducti, Ducatus & Comitias adepti ſunt, ſicuti Dodo, domeſticus aulæ regiæ, tempore Pipini inibi ab iſtis partibus traductus, & Dux & Comes Arduennæ eſt factus, qui ſanctum olim refertur occidiſſe Lambertum, & ideo poſtea Comites Ruſtriæ de quorum ſanguine idem fuiſſe reperitur, in honore S. Lamberti in opido Oldenborg Ammirorum fundaverunt Eccleſiam, ut ſic de natione ſuâ perpetuum delerent opprobrium, & ut divina ceſſaret ultio, ſæviens in nonam generationem propter parricidium. Et iſtum S. Lambertum, à Dodone interfectum, venerabilis Humbertus Epiſcopus Trajecti ſuperioris fecit canonizari, & in Leodium villam traduxit. Alii etiam Friſones nobiles tempore Karoli M. cum militaribus hujus patriæ antiquo nomine in Franciâ retinuerunt. Plures etiam inter Auſtriæ partes, in Suiceriâ, in montibus, permiſſu Cæſaris locum manſionis elegerunt, propter inſuperabilem eorum potentiam locum nacti adhuc mores Friſonum & libertatem ſectantur omni modo. Alii etiam multi in diverſis regnis & Alemanniæ locis per regem & principes ac Cæſarem nobilitati, ob meritorum ſuorum prærogativas caſtra, opida, munitiones & Comitia ſunt conſecuti, ut quia Romanos rebelles devicerunt merito eorum caſtra, quibus gubernabant totum mundum Karolo volente acciperent gubernanda. Referunt etiam quædam antedicta regum & nationum ſcripta, cum Friſonibus habito contra Romanos à Cæſare triumpho, quoſdam Romanos nobiles, ratione Eccleſiæ ſubjectos & paratos, cum nobilibus Friſonibus ad partes Ruſtriæ, Aſtringiæ, Wangriæ & Nordendi per Karolum remiſſos, ut cum pace & tranquillitate redire valerent, libertate donati in patriam, quos præfecerunt ſibi Friſo-

nes

nes in Comites & judices cum poteſtate deſtituendi, ſi excederent regiminis metas, ſi bene ſecundum quendam librum plebiſciti eorum, quem vocant *Aſegebok*, id eſt, librum judicii judicarent, neminem lædere, viduas & orphanos ac Dei Eccleſias defenſarent, ut eis tunc Romano more, ut poteſtates præeſſent. Et iſti nobiles in terrâ Auricæ in Ezenſe Eccleſias ædificando dotaverunt: ſicut ſunt Comites Holſatiæ, qui olim Comites Nordendi, & Ruſtriæ, ſicut Oldenborg modo Ambrii nominati: de Hojâ & Brockhuſen in Upruſtringis: & de Deipholte barones, qui venientes tempore Henrici Ducis Bavariæ in Saxoniam de Angliâ, poſt S. Thomæ interfectionem ſe ibi receperunt: & etiam quartam curiam in Ezenſe fundaverunt, qui ſunt natione Anglici, cæterique generoſi alii ſunt Friſones juxta libros patriæ, alii nobiles Romani cum Friſonibus miſſi juſſu Karoli, cui plus ſcriptura aſtipulare videtur propter generis nobilitatem. Nam antiqui Romani nati creduntur de regum ramis propagati temporibus Julii Cæſaris, à Romanis in his partibus ad ſubjugandum gentes miſſi, & ibi relicti. Videntes autem patriam Friſonum, quæ inſula eſt Saxoniæ, juxta partes Oceani longo tractu ſita, fore populoſam, & ſeptam ceſpite & mari ad reſiſtendum cæteris terris habiliorem, inibi ſubſiſtere hujusmodi luctatores Romani maluerunt. Unde etiam cæteras exteras nationes bello fatigatas diu contriverunt. Sed cum Romana refriguit poteſtas & ditio in orbe circumquaque, Friſones libertatem acquiſitam potentiâ & proprio ſanguine volentes conſervare, alios de terrâ expulerunt & proſcripſerunt, eorumque bona diripuerunt: ſicque à Cæſare & regibus alia loca expetiverunt. Et maximè eo tempore, quo Henricus potentiſſimus Dux Brunſuicenſis, Leo cognominatus, de gente Saxoniæ Ducum extitit. Dictus Henricus, Dux Saxoniæ & Bavariæ, cum Comitibus Ruſtriæ & Ambriæ caſtrum Oldenborg cum duabus turribus terete & quadrata, & bifariis arcubus circularibus & triangulè elevatis, ædificaverat. Ut ex eo ipſe cum ſuis fugam nobilium ſuorum in Friſones exiliatores & proſcriptores ac expulſatores comitum valeret emendare. Hujus rei gratiâ factum eſt primò caſtrum in Oldenborg Ammirorum, pro propagine Hunonis: ſimiliter & caſtrum Oldenborg Slaviæ pro Comitibus Holſatorum. Ad idem verò opus regnum Romanum longo ante tempore, puta circa annum, ubi infra, Nativitatis Chriſti, per nobilem Romanum Teclam habuit in confinibus Friſonum Tekelenborg. Hojenſes verò prædia de Bremenſi Eccleſiâ in pheudum receperunt, ut dapiferi & advocati, ſicut antea de Brokhuſen, qui genere etiam ſucceſſerunt poſtea Comitis Hunonis. Et dicebatur terra iſta antiquorum Saxonum, temporibus Sergii Papæ. Dehinc Comitia Saxoniæ, & Cappenberge Comitia Weſtvaliæ, etiam nutu Romanorum & Cæſaris de hereditate Comitis Hunonis. Hæc eſt nobilis propago, & regalis origo Comitum Oldenburgenſium, & inclyta natio Comitum Holſatorum, de Brockhuſen & Hojâ radix veneranda. Gaudeat Roma potens in opere, quæ ſeptem caſtris per Julium in honorem ſeptem Planetarum conſtruxit, totam Alemanniam ſubegit, dum ipſe in occidente, Pompejus, in oriente regni ſceptra tenerent à Romanis. A cujus progenie proceſſit Octavianus Imp. & ab eo ulterius reges multi, & omnis in Alemanniâ & Germaniâ ſoboles regum, Ducum, Comitum, & Baronum, inclyti & præclari. Unde etiam fuiſſe referuntur nobiles Romani iſti ab antiquo circumquaque in partib. Alemanniæ, hinc & inde propagati. Et ut exteræ nationes manerent ſubditæ Romanis & Imperatori, miſſi fuerunt clari homines de regum ramis nati præpotentiores, ne Romana potentia à cœpto nutaret. Sic enim, quod Duces Saxoniæ, Auſtriæ, Bavariæ, Brunſuicenſes, Lunæburgenſes, Comites de Oldenborg Benthem, Holſatiæ, Teklenborg, Staden, Stotle, & Hojenſes cum Brockhuſenſibus natu nobiles ſunt Romani, licet in Friſiam proficiſci coacti, tempore Attilæ regis Gotthorum, Julii regis Hunorum, aut Ungarorum: alii poſtea ſub Reimberto archipræſule à Duce Normannorum, qui non ſolum Weſtvaliam, ſed etiam Saxoniam usque in Friſiam Nordendi horribiliter vaſtaverant ante.

De abbatibus monaſterii Raſtedenſis gradatim volens procedere, dimiſſa Comitum ulterius generoſâ in parte propagine, quomodo quisque eorum rexit vel proficuus fuit, declarabo.

DETHMARUS primus abbas, vir ſapiens & devotus præfuit monaſterio multis annis in ſanctitate, tam in ſpiritualibus, quam etiam temporalibus multum pro-

Digitized by Google

vide & honeſte. Cujus temporibus monachus quidam, vir prudens, ornatus multis virtutibus, Swederus nomine, peregrinationem ad loca ſancta faciens anno Domini MCXXI. feriâ VI. poſt aſcenſionem Domini revertitur: qui reliquias ſociorum beati Nicaſii Rom. Pontificis, videlicet unum corpus integrum cum magna reverentiâ de Eccleſiâ ejusdem Pontificis apportavit, quæ reliquiæ adhuc ibi manent, & mortem Comitum de Oldenborg ac fratrum clauſtri ejusdem per pulſum ante pronunciant, cum aliquis eorum eſt poſtea moriturus, ſicut in ſanctâ Bremenſi Eccleſiâ hoc idem facit corpus S. Secundi ducis & martyris legionis Thebeorum. Tulit etiam idem monachus de cingulo S. Nicaſii ejusdem Pontificis: dentem beatæ virginis Eutropiæ & martyris ſororis beati Nicaſii: de velo ipſius: os beati Benedicti abbatis, videlicet de brachio: os ſanctæ Scholaſticæ virginis ſororis S. Benedicti: de capite S. Jocundi martyris, qui fuit unus ex ſociis beati Nicaſii: reliquias SS. Criſpini & Criſpiniani: os S. Hippolyti martyris: de baculo S. Odalrici Auguſtenſis epiſcopi: reliquias S. Vincentii martyris, Remacli epiſcopi, Huperti epiſcopi Leodienſis, Hereberti Colonienſis Archiepiſcopi: reliquias S. Roſæ virginis, quæ fuit una de XI. millibus virginum: de ſtolâ S. Remigii Remenſis Archiepiſcopi: de pallio ſuper quo ipſe Miſſam celebravit: de brachio S. Sinnicii, primò Archiepiſcopi Remenſis. Nam corpora quaſi integra Lodewicus filius Karoli M. ab Ebone Archiepiſcopo beato Anſchario impetravit, qui ea traduxit in Eccleſiam Hamburgenſem primò: poſtea verò incensâ Hamburgenſi Eccleſiâ traduxit in Ramesloâ, ubi conventualem in honorem eorum ædificavit Eccleſiam. Nam & idem glorioſus Pontifex Anſcharius caput S. Sixti Archiepiſcopi in collo ſuo ſemper ſolitus portare viſus eſt. Et in honore iſtorum Sanctorum plures in Saxoniâ & Friſiâ ædificavit Eccleſias; & egregiam etiam Wangâ in pago Hokerken longe ante iſta tempora. Mortuo iſto abbate,

SWEDERUS Secundus abbas eligitur MCXXIV. iſte idem fuit, qui apportavit reliquias prædictas, & ſimiliter bene præfuit multis annis. Hic iterum Romanam curiam adiens à ſanctiſſimo patre Romanæ ſedis apoſtolico, Calixto ſecundo, privilegium confirmationis bonorum hujus monaſterii, ſimulque monachicæ profeſſionis ordinis S. Benedicti, quod adhuc ibi manet, impetravit. Ultimis ferè iſtius abbatis temporibus peccatis exigentibus monaſterio hoc fulgure combuſto & aliis ædificiis, plaga non minor his omnibus imminebat. Nam quidam nobiles, Theodoricus, & Milo filius ejus, de Alvensleve, quorum caſtrum prope Magdeborg ſitum eſt, quod nunc cum ſuo dominio ad Marchiones de Brandenborg eſſe dinoſcitur devolutum, venientes bona monaſterii impetierunt, dicentes, ratione juris hereditarii Comitum, videlicet, fundatorum noſtrorum, Hunonis & Frederici, quorum ipſi veri heredes exiſterent, debere dominium poſſidere. Ob quod idem abbas tantis doloribus eſt compunctus, ut hîc accepto uno pane de piſtrino portam ad orientem poſitam exivit, nec unquam poſtea rediens vitam in peregrinatione finivit. Venerabilis igitur in Chriſto pater & dominus noſter Dn. Adelbertus Hamburgenſis, & omnium ſeptentrionalium nationum Archiepiſcopus, nolens hoc monaſterium injuſtâ impetitione ſimul & de receſſu abbatis deperire, convocatis quibusdam ſuis ſuffraganeis, nobilibus etiam & Prælatis cum dictis Theodorico & Milen de Alvensleve, de eorum impetitione taliter diffinivit, videlicet ut in bonis, quæ pii fundatores Huno & Fredericus huic monaſterio ſano corpore legaverant, & à ſede apoſtolicâ jam confirmatis, nihil ſibi poſſent juris aliquatenus vendicare. Præfecit in conventu huic monaſterio alium abbatem utique religioſum & devotum.

SIMON tertius abbas cui Albertus Archiepiſcopus poſt ſe in Eccleſiâ Hamburgenſi conceſſit: & magnis dignitatibus ſecundum privilegia confirmationis hujus monaſterii decoravit. Tempore quodam dum idem Archiepiſcopus qui XVI. fuit in ordine, civitatem Romanam, ut ſæpius fecerat, adiret, idem Simon abbas una cum illo perrexit, qui etiam tale privilegium ab apoſtolico cum auxilio Archiepiſcopi impetravit: *Anacletus ſervus ſervorum Dei &c. Concedimus tam tibi, quam Eccleſiæ tuæ mitram, chirotecas & ſandalia &c.* Hic Adelbertus dictus magnus ab exteris nationibus, quia magna & magnifica apud Papam & Imperatorem, cui cognatus fuit, magnus rector dictus eſt, & eſt ſepultus in crypta ſub choro in majori Eccleſiâ Bremenſi: & conſtruxit illam, quæ modò eſt, Eccleſiam Bremenſem, & dedicavit ſequenti

Digitized by Google

quenti die nativitatis Mariæ: quo die corpus glorioſi Anſcharii olim fuit elevatum, & in catalogo ſanctorum adſcriptum. In cujus elevatione cum corpus ejus ad capellam S. Willehadi deferretur, & quia hæc capella in ripâ Weſeræ ſita eſſet, defuncti hominis & ſubmerſi corpus, denuo prolato corpore beati Anſcharii revixit, & ſequendo corpus gratias egit, dicens ſe meritis S. Anſcharii ejusque interventione fuiſſe reſuſcitatum: & addidit, quòd ſibi fuit ab angelo revelatum, quòd omnes, qui illius ſancti patris implorarent ſuffragia à morte perpetuâ deberent ſuſcitari. Ideoque tali miraculo, & quadam viſione aliâ, idem pater Adelbertus monitus, beatum Anſcharium habuit in honore. Jubilet ergo Sion mater Eccleſia: jubilet & Bremenſis ac Hamborgenſis inclyta filia, quæ per illum gentes regnorum ad fidem meruit generare. Huic Adelberto ſucceſſit Liemarus in epiſcopatu: & in ejus tempore inclytus Palatinus Comes Henricus de Stadis conſtruxit monaſterium S. Bartholomæi in Roſſevelde, quod nunc jacet in Harzevelde, ordinis S. Benedicti, & uxor contoralis ejus in honore S. Dei genitricis una ſecum conſtruxit monaſterium B. Mariæ extra muros opidi Stadenſis. Et Papa ad prædictum monaſterium precatu Cæſaris & dicti Comitis Palatini dedit diverſa clenodia & reliquias, inter quas dedit tibias & ſcapulas S. Bartholomæi Apoſtoli, & caput ſuum miſit in Bremam: item caput S. Luciæ virginis & martyris: item corpus integrum S. Gratæ virginis & martyris. Et jurisdictionem Harzeveldenſis monaſterii Papa ſibi reſervavit, alterius ſubdidit Archiepiſcopo Bremenſi: ubi etiam miſit diverſa clenodia & reliquias, ut in eorum Chronicis continetur. Hujus Archiepiſcopi Liemari conſenſu Hardwicus Verdenſis epiſcopus monaſterium Raſtedenſe conſecravit: primò autem monaſteria Stadenſe & Harzeveldenſe: & hoc precatu Frederici Comitis glorioſi ſub anno MXCI. indict. IX. XVII. Kal. Septemb. in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, & in honore S. Dei genitricis perpetuæ virginis Mariæ, & in honore ſanctorum, quorum in eâ continentur reliquiæ iſtæ, & præcipuè in arâ principali, in quâ ſunt reliquiæ iſtæ: de ſepulcro Domini, de præſepio Domini, de menſa Domini, de barbâ S. Petri, de lacte beatæ Mariæ virginis, de veſtimento ejusdem, de plumis cervicalis ejusdem, & aliæ reliquiæ ejusdem: de baculo S. Petri, de ſanguine S. Joannis Baptiſtæ: reliquiæ iſtorum apoſtolorum Jacobi, Andreæ, Barnabæ, Thomæ, Philippi, Jacobi, Bartholomæi: S. Mauritii, Joannis & Pauli: de oſſibus & veſtimento S. Georgii: ſanctorum Innocentum Hippolyti, Laurentii, Auguſtini, Viti, Modeſti, Martini, Felicis Metenſis Epiſcopi, Remigii Archiepiſcopi: & ſanctarum virginum Ceciliæ, Marthæ, Agathæ, Barbaræ, Urſulæ cum ſodalibus &c. Altare ad meridiem dedicatum eſt XVII. Kal. Septembr. ab Epiſcopo eodem, in honore S. Joannis Baptiſtæ: altare ad Aquilonem XVI. Kalend. Septembris. Dedicatio tamen Eccleſiæ & monaſterii Raſtedenſis cum dedicationibus Eccleſiarum Hamburgenſis majoris, Suerinenſis, Ratzeburgenſis & S. Anſcharii Bremenſis, eſt in Dominicâ Trinitatis, puta in octavâ Pentecoſtes. Temporibus iſtius Simonis abbatis, quidam Epiſcopus Suethiæ, ſuffraganeus Eccleſiæ Hamburgenſis, Siwardus nomine, per inſolentiam paganorum Hiberniæ, proprie Irland, expulſus de Sueciâ: nam Hibernia eſt inſula Angliæ, quæ nondum in iſtâ parte converſa: & ergo iſta gens irruit in Sueciam in Upſalienſem Eccleſiam, ubi poſtea factus eſt Archiepiſcopus, quæ fuit ante Hamburgenſis & Bremenſis Eccleſiarum ſuffraganea. Hic Archiepiſcopus, exſiliatus à barbaris, veniens ad iſtum locum placuit ſibi hîc propter loci amœnitatem commorari: qui etiam ab Hamburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo vicariam regendi Pontificalia in ſua diœceſi impetravit. Hic Epiſcopus ad petitionem quorundam nobilium, in Twiſchenâ prope Elmena commorantium, primò Eccleſiam in Twiſchenâ quam Egilmarus Comes conſtrui fecerat pro caſtro, ut capellam, & parochialem Eccleſiam ſub Wivelſtede, & capellam nobilium de caſtro Elmendorpe ligneam, inter caſtrum & ſtagnum poſitam, quam ipſi nobiles dicti caſtri fundarunt, Anno Domini MCXXXIV. in honore S. Bartholomæi conſecravit. Sicut aliam etiam Eccleſiam ultra mare in Twiſchenâ in honore S. Joannis Baptiſtæ devotiſſimè dedicavit. Iſti duo nobiles dum eſſent fratres, propter eorum inſolentiam expulſi dicuntur de Friſiâ à parochiâ Ruſtriæ, quæ dicebatur Jadele, proſcripti. Quorum unus, qui morabatur in Elmendorpe, fratrem ſuum morantem in Twiſchenâ, in loco qui dicitur Retewiſch

prope

prope mare interfecit: & ideo progenies amborum clypeum mutaverunt. Nam progenies interfectoris VI. pecias recepit, & de patriâ ceſſit: progenies verò interfecti obtinuit munitiones & clypeum & peciarum: reliqua progenies fratris occidentis cepit bona in Weſtvaliâ extra Ambriam, & perdidit nomen & gloriam Comitatus, & miniſterialis eſt effecta in dominio Vectenſi: & vocatur progenies validorum de Elmendorpe. Dixi etiam, quòd capella eſſet inter caſtrum & ſtagnum, ideo quia mare interſeptum fuit circumquaque Elmendorpe usque in villam Helle, quæ verò vocabulo dicitur Heila, quia ibi de fluminibus Lade & Emeſâ usque in Ambria portus fuit, ubi jam ſunt ceſpites: & ipſo à portu dicitur Heila, quaſi applicatio navium. Et ideo caſtra iſta duorum fratrum, de Friſiâ proſcriptorum, ex diverſis angariis & inſolentiis poſt ædificationem inibi in Twiſchenâ in medio maris nomina receperunt & villa applicationis navium Heila, quæ nunc Helle vocatur. Elmo enim dicebatur, qui primò ibi ædificavit, à quo & villa denominationem vocabulo novo accepit. Alii etiam dicere conantur, quòd ipſe interfector fratris ſui receſſit ad Archiepiſcopum Bremenſem & ædificavit primo in nemore prope Hancham ultra Brincham in dumo inter Weihe & Brincham: & poſtea ædificavit voluntate Archiepiſcopi in medio amne Weſere expulſis validis de Hodenbergé à terra antiquorum Saxonum in locum fœni: & tales ſunt modò Comites Hojenſes. Poſſet utrumque verum eſſe, quòd ſit ab unâ origine progenies, licet in ſobole diverſificata. Eo tempore moritur Humbertus Archiepiſcopus, qui rexit tribus annis: poſt quem Fridericus, qui VIII. annis præfuit, & ambo regnis prædicabant. Et iſte Fridericus interfectorem fratricidam de Elmendorpe excommunicavit & à patriâ fugavit, donec Deo & Eccleſiæ exceſſum emendaret, & dignam ſubiret ultionem. Iſto tempore Adelbero fundavit Eccleſiam in Repesholt in honore S. Mauricii & ſociorum ejus, & fecit Præpoſituram, addens capellas Ezele, Markeſe, Horſten, Dickhuſen, & Eccleſiam Weſterſtede Amirorum. Ad quam validi de Fekenſohe locum, prædia, & poſſeſſiones largiter miniſtrarunt, & præpoſito Repsholtenſi plenam diſpoſitionem contulerunt. Eo tempore maxima erat diſcordia in Capitulo Bremenſi; volens ergo pius pater Adelbero hanc concordare diſcordiam, de capitulo iſto Bremenſi brigatores amovit, & in Eccleſiam conventualem S. Willehadi & Stephani traduxit in loco, quò patibulum & locus calvariæ eſſe conſuevit: & quandam partem bonorum Eccleſiæ eisdem tribuit, cum parte nobili corporis S. Willehadi, ut brigæ & lites de ſuâ Eccleſiâ poſſent amoveri. Hic rexit XXIV. annis, & multa bona fecit in tribus regnis. Poſtquam autem Simon abbas bene & laudabiliter multis annis huic monaſterio præfuit, mortuus eſt, & apud anteceſſores ſuos ſepultus.

SIWARDUS IV. abbas. Iſte fuit Epiſcopus de quo dictum eſt; qui cum eſſet vir religioſus & devotus eum fratres concorditer in abbatem elegerunt: qui quidem quòd idem Epiſcopus cum ſuis Pontificalibus deſeruierat contulit totum huic monaſterio cum clenodiis infraſcriptis, VII. caſulas, XLVI. ſtolas cum favoribus: manipulas duas: VI. albas, calicem Argenteum cum fiſtulâ; mitras & chirothecas; tres Dalmaticas & duo ſubtilia: quatuor cappas: pallia duo, quinque cruces marmoreas; candelabra quatuor: tria manutergia ad altaria, & ſeptem corporalia. Contulit etiam diverſos libros ordinationis Epiſcopalis: miſſale & matutinale in uno volumine, & unum graduale: collectarium unum: excerpta canonum: quatuor Evangeliſtas per ſe. Herbarium, lapidarium in uno volumine: Gemmam ſive ſpeculum animæ: elucidarium: pœnitentionale baptiſterium: Chronicam: Iſidorum de ſummo bono: regulam S. Benedicti, & mortilogium in uno: Item Ordines de divinis officiis & pœnitentia, & Phiſologum in uno volumine: vitam S. Mariæ Ægyptiacæ: Aratorem, Juvencum, Sedulium & Proſperum in uno: Medicinales VI. librum de conflictu viciorum & virtutum: Platonem de animâ, qui Græcè dicitur Timæus: item Proſperum & regulas de verſibus: Theodolum, Catonem, & Ivarum, Prudentium, Oratium & Boëthium: librum de ſignificatione veſtimentorum Eccleſiaſticorum. Hujus Epiſcopi & abbatis temporibus oritur diſcordia inter terras Ruſtringorum & Aſtringorum: unde Ruſtringi, in fortitudine virium ſuarum confidentes, totam terram Aſtringorum rapinis & incendiis vaſtaverunt: Aſtringi verò, viſâ fortitudine adverſariorum, ad ſtagnum quod Schuckeldemer dicitur, gelu & glacie tunc tempo-

ribus

ribus ſolidatum confugerant, quos Ruſtringi perſequentes, ab Aſtringis in glacie penè omnes pariter ſunt interfecti. In ſignum hujus victoriæ Aſtringii Eccleſiam conventualem beatæ Mariæ virginis in loco, qui Uppenvelde dicitur, ſed nunc Oſtringevelde, fundarunt, ordinis fratrum & ſororum Prædicatorum, prout adhuc patet, pulcris ædificiis. Hic Epiſcopus ſive abbas Sigewardus cum longo tempore huic monaſterio præfuiſſet, moritur, & ante altare beatæ virginis ante chorum dignis celebratis exequiis ſepelitur. Hoc tempore venerabilis Archiepiſcopus Hartwicus præfuit Eccleſiæ Bremenſi & Hamburgenſi XX. annis, natus de Stadio Comes Palatinus, dictus major & primus. Poſt illum venit Boldewinus, qui regnavit laudabiliter X. annis; ſub quo dictus abbas mortuus eſt.

DONATIANUS V. abbas, quem fratres communi conſilio elegerunt ex conventu beati Godehardi in Hildenſem, virum utique religioſum & devotum. Hic reliquias beati Godehardi de Eccleſiâ ſuâ reverendiſſimè apportavit, propter quas capellam in honore ipſius conſtruxit, quam & procuravit poſteà devotiſſimè conſecrari, auxilio Archiepiſcopi Hamburgenſis & Bremenſis Sifridi, qui regnavit V. annis. Fabricavit etiam dictus abbas Donatianus cellarium & domum ſuppoſitam, quæ domus abbatis cœnaculum nuncupatur. Hic Anno Domini MCLIX. Romam adiens ab Adriano IV. tunc Apoſtolico privilegium confirmationis bonorum hujus monaſterii & monachicæ inſtitutionis impetravit Archiepiſcopo ſcribente pro eo & promovente. Hic etiam rexit annis bene multis. Hujus Donatiani tempore reverendiſſimus in Chriſto pater ac dominus noſter, Hartwicus, ſecundus Apoſtolicæ ſedis legatus, extitit Archiepiſcopus Bremenſis & Hamburgenſis, ac Primas trium regnorum: & in tertio anno ſui Pontificatus ſcilicet MCLXXXIV. S. Anſcharii præbendas XII. ſacerdotum, cum Præpoſiturâ augmentare cœpit. Et ædificavit Eccleſiam in honore S. Anſcharii Epiſcopi, ſchemate ſimili majoris Eccleſiæ per omnia, in modum crucis cum abſidibus, & duplici turri ac duplici choro, & cum tranſitu in morem navis infra teſtudinem, & met-ſeptimus eandem Eccleſiam cum quatuor altaribus eodem die, ſcilicet cœnæ dedicavit. Ubi per ſe ordinatus Epiſcopus in die S. Trinitatis ad quam poſtea traduxit anniverſarium ejuſdem dedicationis. In hac etiam Eccleſiâ conventuali & collegiatâ XII. inſtituit Canonicos cum Præpoſito, ibique chriſma cum ſuis ſuffraganeis, & Epiſcopo Verdenſi, in die cœnæ Anno Domini MCLXXXVII. conſecravit cum oleo ſacro: & ibi in vigiliâ Paſchæ clericos ac ſacerdotes ordinavit valde multos, ſtatuens, ut perpetuo chriſma ab Archipontificibus in hac Eccleſiâ conſecraretur: & ſecundâ feriâ Paſchæ ab omni clero & populo ſolemniter in majorem Eccleſiam transferatur: ideo quia hæc Eccleſia S. Anſcharii eſt ordo ſecularium ſacerdotum, & forma regendi totius diœceſis Bremenſis, juxta ordinem & ordinarium Eccleſiæ S. Anſcharii tota diœceſis ſe haberet, niſi ubi ſpecialis viget ordo & ſanctorum patrum inſerta religio: & quòd dicti Canonici ſingulas decantarent horas Canonicas, ut Eccleſia S. Petri: matutinam circa undecimam: conventus S. Pauli circa primam poſt undecimam. Illa Eccleſia incepit tempore Adalberonis de quo ſuperius viſum, & tali modo: Trutbertum Comitem de Stotle propter rapinas & deprædationes in ſtratâ regiâ captivaverunt, & Archiepiſcopo juvante ante civitatem decollaverunt, in loco ubi nunc monaſterium pro illius animæ remedio, procurante Archiepiſcopo, & Duce Saxoniæ, & comitibus Ruſtringiæ, ædificatum fuit per Bremenſes. Sed Comites de Stotle reditibus in * Vi & Wurſatiâ ac Wigmodiâ certis dotaverunt. Eccleſia vero collegiata S. Willehadi & Stephani poſt ſecundam matutinales perſolverent laudes: ſed hæc, de quâ dixi, glorioſi S. Anſcharii bene fundata & dotata poſt tertiam ante quartam laudes hujuſmodi Deo perſolverent laudabiliter & devote. Hanc Clemens Papa tertius cum bonis & reditibus ſeu decimis multis, ad inſtantiam dicti venerabilis Hartwici, cum omni libertate majoris Eccleſiæ S. Petri extulit, privilegiavit & confirmavit, in Eccleſiâ S. Joannis Lateranenſis Romæ. Dictus itaque Hartwicus dedit Canonicis S. Anſcharii omnes areas juxta S. Michaëlem: nam & Eccleſia S. Michaëlis à dictis Canonicis erat ædificata: & in eorum jacebat fundo. Et hanc multis annis ut capellam tenuerunt cum omnibus agris & areis, nullâ penitus exceptâ; pro anniverſario animæ ſuæ. Bona autem Canonicorum dictæ Eccleſiæ S. Anſcharii per ſanctiſſimum Clementem tertium confirmata hæc fuerunt:

runt ; curia ante Bremam Spenthoff, cum omnibus attinentiis ſuis : curtis in Sluchtere, cum omnibus attinentiis ſuis : decimæ de tribus villis, majori Sluchter, bonis Sluchter & Halteskampe, ac caſtrum ibidem, quod erat Archiepiſcopi, vaſtatum tamen modicum poſt per Stedingos. Nam caſtrum Delmenhorſt nondum erat, nec erat Comitum Ruſtriæ : ſed area prope Delmenhorſt vocata de Horſt/ unde modo nomen caſtri, erat de pheudo Eccleſiæ Bremenſis, & habebant militares & miniſteriales, dicti de Brunſten, aliàs Mulen : qui permutaverunt poſtea cum quodam Ottone dicto de Oldenborg, qui & caſtrum ædificavit cum fratre Chriſtiano longè poſt: & accepit in pheudum ab Eccleſiâ Bremenſi. Item habet Eccleſia S. Anſcharii curtem in Leſten, in terra antiquorum Saxonum, cum omnibus pertinentibus ad eam : curtem in Stendorpe, cum omnibus ſpectantibus ad eam : in terrâ Wigmodiæ ultra Leſmonam : Eccleſiam cum banno de Horne : decimam de Svachuſen : decimam de Aſchroden : Eccleſiam cum banno in Horſt : Eccleſiam cum banno in Sture: tres quadrantes Hallandienſes, has dedit Hartwicus : decimam in Brincham cum minutâ: decimam in Grevesbrock Stedingiæ : decimam in Oſterholt Hallandriæ. Priora bona dedit S. Anſcharius XII. ſacerdotibus : & poſtea Hartwicus Archiepiſcopus traducens in collegium & conventum bona non modicè ampliavit. Nam & decimam dotis de Rede pro memoriâ ſuâ addidit & aſſignavit. Addidit etiam Papa benedictionem perpetuæ pacis dicens : Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus , ſit pax Domini noſtri JEſu Chriſti &c. Aliaque bona multa habet prædicta Eccleſia, in villis &c. de quibus non opus eſt enarrare. Dedit etiam dictus Archiepiſcopus Canonicis S. Anſcharii capellam S. Willehadi : pro quâ cum Præpoſito Bremenſi capellam S. Jacobi & Olai poſtea receperunt. Hujus Archiepiſcopi Hartwici & Donatiani abbatis temporibus Stedingi ſuis dominis rebellare cœperunt. Primò tamen dictus Archipontifex ſurdâ aure pertranſiit, licet poſtea viriliter inſurrexerit. Nam iſtius Epiſcopi temporibus fratres mendicantes primò Bremam venerunt : eo enim tempore beatus Franciſcus adhuc ſuperſtes in capitulo provinciali ordinis mendicantium perſonaliter fuit in Hildenſem : & certos fratres juſſu Archiepiſcopi noſtri Hartwici miſit in Bremam : quibus Canonici majoris Eccleſiæ Bremenſis curiam manſionis cum Archiepiſcopo miſericorditer legaverunt. Poſtea verò non longè poſt intravere ibidem fratres Prædicatores, & vilem cellam conſtruentes primò in parochiâ S. Viti, ſed longo poſt tempore Giſelbertus Archiepiſcopus eis lapideum conſtruxit monaſterium, prout hactenus cernitur. Rebellio Stedingorum ita cepit ortum : erant duo caſtra in terrâ Stedingorum, videlicet Lechtenberge & in Line, in quibus militares habitabant, quorum advocati per inſolentiam plurima mala per oppreſſionem puellarum & mulierum ágere nitebantur. Unde incolæ terræ illius videntes mala ſibi imminere conſilium inierunt. In uno autem loco convenerant, qui Brockdick dicitur nocturno tempore, ubi tunc magna ſilva fuerat, ut occideret pars partem Orientalem ſpoliare deberet & econverſo : Sicque quivis eorum utrumque caſtrum aſcenderet pro querimoniis offerendis. Et cum ſecundum hoc conſilium caſtrum aſcendiſſent, multiplicati ſingillatim in numero, quoſdam de ſuis dominis occiderunt, quoſdam verò malè tractarunt : utrumque caſtrum incendio vaſtaverunt. Quod cum illi trans Huntam audierant, gaudentèr cum iſtis conſpirantes factoque fœdere cœperunt ſuis dominis pariter rebellare. Unde pro ſuis propugnaculis foſſatum magnum Steingrave dictum ab Ochmunde euntem usque in Linthow fodientes ad inſtar magnæ domus in altitudine & littus ejus intrinſecus poſuerunt, feceruntque pontem ſuum Ochtmundam valde fortem : Unde terram circumjacentem Bremam libertati ſuæ totam ſubdiderunt : omnes quoque militares de terrâ ſua expulerunt : quoſdam tamen de Kcihuſen pro auxilio receperunt, qui tamen ante perditionis terræ tempora ab eis receſſerunt. Per portam etiam lapideam unum tantum de terrâ ſua exitum ſubuerunt. Hartwicus itaque pius præſul mittens ibi quoſdam de ſacerdotibus & religioſis, qui pro decimis & reditibus dandis eos admonerent, fœdè eos tractarunt : nam nudis natibus eos quaſi in aggere congregantes traxerunt. Sed quidam fratres religioſi diutius prædicantes, ut infra patebit, martyriſati ſunt : quorum corpora ſub majori altari prædicatorum requieſcunt fulgentia miraculis. Idolum etiam Ammon in Eccleſiam S. Egidii in Bernâ ſtatuerunt ad occidentem, poſt eorum maledictionem

à ſede Apoſtolicâ, ut infrà patebit. Iſtis etiam temporibus quidam nobilis de Anvorde vir multum ſtrenuus morabatur in Elmendorpe: cui Egilmarus Comes morans in Twiſchenâ filiam ſuam nomine Beatricem matrimonialiter copulaverat in uxorem. Hæc multum nobilis & devota cum aliquanto tempore vixiſſet cum viro ſuo moritur, & ante altare beati Martini in monaſterio beatæ Mariæ virginis in Raſtede ſepelitur. Maritus autem ipſius nobilis Comes de Anvorden nomine Fredericus præfatus viduatus hac nobili uxore ſuâ, quia in torneamentis & aliis ludis militaribus diebus ſuis multa exercuerat pœnitentiâ ductus, ſuum in peregrinatione ad terram ſanctam vitam finivit. Donatianus autem abbas præfatus dorſalia & alia clenodia comparavit, qui poſtquam longo tempore huic monaſterio præfuiſſet mortuus & in medio monaſterii ſepultus. Cum autem monaſterium paſtore indigeret, conventus quendam de proprio monachum elegerunt in abbatem.

MEINRICUS VI. abbas. Hic natus ex genere antiquorum Stedingorum nobilium vir erat providus & diſcretus. Hic abbas tam carus & gratus Friſonibus extitit, ut ipſe primus cædem Ruſtringorum ab Aſtringis factam in Schuckeldemer ad concordiam reformaret: quæ diſcordia ferè per XXX. annos duraverat. Unde Ruſtringi terrâ eorum quæ quadrans appellatur, quæ & Bant dicitur, ab Aſtringis devaſtatâ reſurgere minimè potuerunt. Poſt hujus diſcordiæ reformationem idem abbas magnas grates & ſervitia ab utroque populo eſt conſecutus. Hujus temporibus Stedingi de ſuâ libertate ditati, quia nec decimas nec tributa Canonicis Eccleſiarum & clauſtris, aut aliquibus dominis ſpiritualibus perſolverunt. Omnes namque villæ prope paludem, nunc ponte, apud aggerem tunc in morem opidorum conſtructæ fuerant. in quibus tantus populus ex alienis partibus propter ſuam libertatem confluxerat, ut omnes urbes vicinarum partium ſubvertere conarentur. His temporibus Henricus Dux Saxoniæ & Bavariæ, profugus à Cæſaris latere Mediolani, dividitur à clypeo, & proſcribitur: qui tempore fugæ ipſo die Simonis & Judæ civitatem regalem Bardewick deſtruxit & incendit: pro quo delicto poſt Lubicenſem civitatem Imperio tradidit, cum aliis multis circa Hartonem. Hic profugus in Angliam tempore rebellionis Stedingorum cum aliis quatuor aulicis puta de Deipholte, cum quodam de Hunevelde, Beren, & Hodenberge rediit in patriam. Manſit autem dictus Hartwicus in Epiſcopatu XXIII. annis. Qui pro hac ipſâ rebellione profectus Romam honorificè à Papa ſuſceptus deplanxit peccata ſua, & impetravit prædicationem crucis contra Stedingos & ipſe ulterius Hieroſolymis properavit. Et hic gladium ſive cultrum S. Petri ſecum produxit, & multas alias reliquias ad ſuam Eccleſiam legavit. Hic moritur & in Eccleſiâ S. Anſcharii, quam ipſe fundaverat ante ſummum altare ſepelitur. Canonici autem majoris Eccleſiæ volentes unà cum capitulo Hamburgenſi procedere ad electionem, vocatis qui fuerant evocandi, Gerhardum de Lippiâ Canonicum Bremenſem cum cœteris abſentibus citarunt. Venit enim dictus Gerhardus ſecundus de nobili Comitum proſapiâ Princeps, natus de diœceſi Paderbornenſi, in quâ erat Præpoſitus majoris Eccleſiæ & tranſiens equeſtris cum ſuis per terram Saxonum antiquorum, quæ tunc à balivis Archiepiſcopi regebatur, præſagium accepit, quòd eligeretur in Archiepiſcopum, à bubulco, quod præmii haberet à præſagio inquiſivit pauper idem. Reſpondet Archiepiſcopus futurus Eccleſiam inquam iſtam, ſi fiet ut dixiſti, quam vides tibi dabo, ut inde ſuſtenteris, ſcilicet in Vilſen. Ivit itaque Bremam & proſpere eligitur. Reverſus igitur ut introducatur diſpoſuit cum fratribus ſuis, & iterum pauper iſte apparuit, cui promiſit, ut in iſto loco, ubi ſibi prædixit in honore S. Thomæ Cantuarienſis noviter martyriſati monaſterium conſecraretur, & daretur Eccleſia Vilſen ad eandem, ſicque ipſe victus & amictus haberet ſuſtentamenta, quod & factum eſt: nam ſtatim cum pallium per confirmationem impetravit in Angliam pro fratribus miſit, & clenodia S. Thomæ, ſcilicet, ſuppellicium, quo tanquam primas ſuper cappâ utebatur, cum aliquibus oſſibus impetravit, & illac tranſmiſit. Hic etiam Gerhardus abbatiam in Hilligenberge ſtatuens Canonicorum regularium, cui conſonantes Comites Ruſtringiæ, qui modò de Oldenborg vocati, in Cappenberge Weſtvaliæ eorundem Canonicorum monaſterium ſtatuerunt. Temporibus enim ejuſdem Meinrici ſuſcepit idem Gerhardus regere Eccleſiam Bremen-

Digitized by Google

ſem, & tunc quievit titulus Archiepiſcopi Hamburgenſis. Nam antea quando Archiepiſcopus fuit trans Albiam ſcripſit ſe Hamburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum; cum verò fuit infra Albiam ſcripſit ſe Archiepiſcopum Bremenſem: & longâ altercatione habitâ Hamburgenſes iſtum titulum amiſerunt. Hic Gerhardus vir nobilis & generoſus Comes, omni honeſtate præditus, amicis amicus, inimicis ſeverus perſecutor extitit, qui gladio ſeculari plus, quàm ſpirituali ſuam Eccleſiam & terram defendebat. Hic cum injuriam, quâ XXXII. annis graſſaverant contra Eccleſiam ſuam per Stedingos ægrè ferret, relevare volens injuriam ſecularium & ſpiritualium, monachorum & monialium, de detentione decimarum & redituum ac tributi vaſallorum & miniſterialium ſolvendi, ipſe exercitum magnum & validum contra eoſdem Stedingos inimicos crucis Chriſti applicuit, & Hermannum nobilem de Lippia filium fratris ſui virum ſtrenuum & fortem primicerium conſtituit, qui viriliter bellum duxit. Sed bello hinc indeque ducto isdem ſtrenuus occubuit gladio Stedingorum. Ipſo quoque tempore conſtructum fuit caſtrum in Oldenborg quaſi XLVI. annis peractum modo, præfertur ab Henrico Duce Bavariæ & Saxoniæ cum heredibus Hunonis. Et tunc fuerunt quatuor Comites in Oldenborg Ammirorum, videlicet Borchardus & Henricus duo fratres, & Mauricius & Chriſtianus alii bini fratres, ad quos omnia bona, quæ nunc ac Brockhuſen & Delmenhorſt pertinent jure hereditario attinebant. Hic Borchardus in aliâ expeditione contra Stedingos in loco, qui Helmescampe dicitur, occubuit. Chriſtianus verò habens caſtrum prope Hatten, in loco, qui Borch dicitur, de peregrinatione. Sacri ſepulcri rediens de conſenſu fratris ſui Mauricii in Berchtorpe perimitur. Necdum enim caſtrum erat in Delmenhorſt, ſed in Sluttere, quod Archiepiſcopo pertinebat cum adjacentibus plenò jure in terrâ Laringorum datum à Karolo M. Hic Borchardus Comes in monaſterio Raſtedenſi ante altare S. Viti, Chriſtianus verò Comes in medio Eccleſiæ, ubi frater ſuus Mauricius poſtea moriens invicem ſunt ſepulti. Hujus mortis ſceleratores fuerunt militares de Hatten, de Dolen ac de Saven: ex quibus aliqui profugi de terrâ receſſerunt: aliquos tamen quos capere potuerunt igni comburendo, diverſiſque tormentorum generibus conſumſerunt: aliquibus pro emendâ & adhæſione Stedingorum Archiepiſcopus injunxit conſtructionem Eccleſiæ in Hatten, in honore duorum ſcilicet S. ſecundi martyris & S. Anſcharii Archiepiſcopi. Capellam autem conſtrui fecerunt in Berchdorpe ſub invocatine S. Margaretæ, & ibi primò ſe monachi Ciſterrienſes qui nunc in Huda ſunt, ſeſe receperunt, donec Stedingi eos abhinc profugarunt usque in locum qui portus S. Mariæ dicitur ſuffragante Friderico Imperatore ſeſe vili tegmine primò receperunt, donec Cæſaris ac Epiſcopi Comitum & militarium favore non modico regale monaſterium conſtructum inibi haberetur. Gaudeat Dei genitrix, ſe talem egregium pro ſervitoribus ſuis recepiſſe locum. Et ibi Comites certi de Oldenborg etiam elegerunt ſepulturam. Nam eo tempore Comes Chriſtianus multas cruces aureas & argenteas de peregrinatione ſacri ſepulcri Domini plenas ſanctorum reliquiis portat, quæ adhuc in Raſtede ſunt reconditæ. Mauritius autem frater ſuus uxorem habuit nobilem nomine Salome, quæ nata de Wickenrade multa clenodia huic Raſtedenſi Eccleſiæ contulit. Hæc moritur, & marito ſuo mortuo, in ſepulturâ ſunt conjuncti. Hæc Salome duos peperit filios, Ottonem & Chriſtianum, Comites de Oldenborg, Archiepiſcopus autem præfatus duos habuit cognatos clericos, Tidericum videlicet & Conradum, quos in hac Eccleſiâ religioni tradidit. Quorum Thidericum monachis extra muros præfecit Stadenſes in Abbatem, monaſterio jam penè collapſo, cujus ſubventione meliori quàm priſtino ſtatui reformatur, ut hactenus cernitur. Hic etiam poſtea in Luneburg abbas efficitur S. Michaëlis, poſt hæc autem abbas in Palborne, Præpoſitusque in Tzevenâ ſtatuitur, quas omnes prælaturas uno eodemque tempore collegiatas tenuit, pariterque commendatas. Abbas itaq; Meinricus, cujus temporibus hæc omnia geſta ſunt curiam Romanam adiit privilegiumq; bonorum & monachicæ inſtitutionis à Dn. Clemente Papâ tertio ad ſimilitudinem privilegii S. Anſcharii Bremenſis, quomodo videatur, impetravit, Anno MCXC. Qui poſtquam ſanctuarium ſcilicet ſuperiorem partem Eccleſiæ ædificaſſet, Weſtvaliam pro negociis Eccleſiæ Raſtedenſis viſitavit, ibi infirmitate correptus moritur & in clauſtro, quod Vrckenhorſt dicitur, eſt ſepultus. Poſtquam autem

Archi-

Archiepiſcopus memoratus abbatem Meinricum intelligeret obiiſſe, miſſis ſolemnibus nunciis, prædictum Conradum abbatem fieri poſtulavit, quod factum eſt.

CONRADUS VII. abbas, quem fratres ad petitionem Archiepiſcopi elegerunt: tunc Archiepiſcopus ipſum confirmatione ac benedictione ad hanc electionem expediente ritè decoravit. Hujus abbatis temporibus monachi Ciſtertienſes, ut dictum eſt, aliqualiter in Berchdorpe, ubi Comes Chriſtianus occiſus fuerat, clauſtrum ædificare nitebantur, ſed loco iſto exiſtente ſecundum quosdam nimis arido, alio loco, ubi nunc clauſtrum eorum ſitum eſt, à Mauricio Comite petiverunt. A quo tamen loco ipſos monachos Stedingi amoventes, manſiunculas ſuas parvas, quas adhuc ut pauperes habitabant, penitus confregerunt. Quendam etiam fratrem ordinis S. Dominici de Bremâ, ipſos Stedingos pro eo, quòd decimas ſuas, & tributum non ſolverent, arguentem, capitali decollatione tanquam martyrem punierunt, cujus corpus in arâ celſiori in Bremâ quieſcit. Conradus autem abbas, cujus temporibus hæc omnia geſta ſunt, mores & providentiam Dn. Tiderici abbatis ſui conſanguinei non imitans familiâ magnâ & onerosâ Eccleſiam beatæ virginis gravavit, unde & in magnum damnum, cum hujusmodi ſufferre expenſas non valeret etiam eſt elapſa. Cujus etiam temporibus Stedingi caſtrum in Slutterberge ſitum prope Delmenhorſt conſtructum ab Archiepiſcopo Gerhardo ſecundo iteratò expugnantes funditus vaſtaverunt: opidum quoque Oldenborg ſine dubio ſubvertiſſent, ſi non Wige ductor Stedingorum Ottoni tunc temporis Comiti ſecretè per nuncios demandaſſet, Stedingi tamen hoc ſecretum nuncium neſcientes opidum invaſerunt ſed milites, videlicet, Wilhelmus Everſe, Nicolaus de Manſinghen, Joannes, Giſelbertus, Gerhardus de Apen milites, Egbertus & Wilhelmus milites de Weſterholte, Oltmannus & Liborius de Bremâ, Tidericus Brunſtein dictus Mule, militares etiam de Netene, & militares de Fikenſolte, & militares de Freſinghen, & alii quamplures robuſti milites, militares & famuli viriliter rebellantes ipſos Stedingos in magnâ potentiâ ſuæ fortitudinis amoverunt. Caſtrum quoque dictum Hoja tunc noviter ædificatum invaſerunt, verùm plurimi eorum capti, quidam occiſi, quidam verò fugitivis pedibus recurſum ad Stedingiam turpiter ſe receperunt. Gerhardus autem Archiepiſcopus Bremenſis non ſolùm de morte nobilis Hermanni Comitis de Lippiâ filii fratris ſui dolens, ac etiam de occiſione Comitis Borchardi de Oldenborg, aliorumque multorum nobilium militum & famulorum, ſed & de retentione decimarum & tributorum, ac de deſtructione monachorum ordinis Ciſtertienſis & de occiſione fratris ordinis S. Dominici habito conſilio cum nobilibus & prælatis ſacroſanctæ ſedis apoſtolicæ ſummi Pontificis conſilium & auxilium imploravit. Dominus autem apoſtolicus auditis literis, quæ adverſus Stedingos contra fidem catholicam proponebantur, per ſecutionem per crucis prædicationem contra eos fieri inſtituit, ad quam multi principes Teutoniæ, præcipuè verò Dux Brabantiæ, Comes de Gelria, Comes de Clivis, Comes Hollandriæ, navigio cæterique nobiles equitando convenerunt. Anno igitur Domini MCCXXXIIII. VI. Kal. Junii devicerunt occidentalem Stedingiam ab utraque parte, ita quod omnes Stedingi gladio occiſi ſunt, & terra eorum deſtructa eſt incendiis & rapinis. Ipſo quoque tempore occubuerunt Henricus Comes de Oldenborg, qui duos reliquit filios Ludolfum & Henricum, Borchardus itaque hujus Henrici frater à Stedingis occiſus reliquit unum filium ſcilicet Henricum cognomine Boghener, id eſt, humilem, qui Comitias Oldenborg, Teklenborg, Wildeshuſen & Ulotow tenuit & poſſedit. Iſti duo fratres Henricus & Borchardus habuerunt duas ſorores de Scotis ex quibus iſtos duos prænominatos Comites genuerunt. Occubuerunt etiam eodem die Gerhardus de Mulwerth & alter quidam nobilis de Deſt, cum quibusdam aliis peregrinis, qui in Verſulete ſunt ſepulti. Hujus pugnæ locus fuit inter Ochtmundam & Oldenſehe, ubi à Stedingis ipſo die VI. Kal. Junii cecidere promiſcui ſexus ferè quatuor millia hominum & militum & ducum & comitum, de quo nota verſus:

Anno milleno bis C. ter Xque quaterno
Stedingi ſexto Junii cecidere Kalendas.

Nam Stedingorum tanta erat protervitas, quod etiam in deriſionem ſanctæ ſedis apoſtolicæ, & ſacri Imperii de numero ſuorum atrociſſimos nequam quosdam Cæſareo

 nomine

nomine appellabant, quosdam Papali, quosdam Archiepiſcopali & epiſcopali, quosdam præpoſitorum nomine nequam appellabant, dicentes, tu ſis Cæſar, tu Papa, tu Archiepiſcopus, tu præpoſitus, in vilipendium Eccleſiaſticæ diſciplinæ hujusmodi de ſe titulos ſcripſerunt, & cum ſcripta mittebantur hujusmodi dignitatis nomina habentia in ironiam acceptabant. Quod & divina manus vindicabat per Archiepiſcopum Gerhardum & ſuos, nec non per ſedem apoſtolicam & ſacrum imperium & quaſi delevit omnes. Gerhardus igitur ſecundus Archiepiſcopus Bremenſis in honore beatæ virginis Mariæ propter victoriam S. crucis contra Stedingos eò quòd in Stedingiâ eſt victa venerari inſtituit per provinciam ſuam Sabbato ante rogationes. Hic etiam Gerhardus Archiepiſcopus nunquam exactionem in clerum fecit, quin etiam aliquos legatos miſſos pro exactione faciendâ à ſede apoſtolicâ in Hermölen molendinariis ad cuſtodiendum tradidit, ubi ſaccos vice aſinorum longo tempore portavere. Servi autem ejusdem Archiepiſcopi applicuerunt manus ipſorum legatorum ignibus tenentes literas bullatas quas ipſi per ſe cum igne ſuſtinere non poterant combuſſerunt. Eodem tempore transfertur per Gerhardum ſecundum Archiepiſcopum monaſterium monialium Ciſtertienſium ab Utbremen in vallem liliorum, quod Gerhardus primus ejus prædeceſſor qui ſolo triennio regnaverat de Walda in Lesmonam traduxerat, & poſtea in Utbremam, & incorporavit Eccleſiam in Leſmonâ monaſterio prædicto & dedit collationem abbatiſſæ & Conventui ibidem. Sed Gerhardus ſecundus præfuit laudabiliter XXXIX. annis feliciterque tandem moritur, & in Bremâ ſepelitur. Eo autem vivente adhuc aliquot annos, puta anno MCCXLII. poſt deſtructionem Stedingorum octo, Comes in Oldenborg caſtro ædificato in Berna contulit Eccleſiæ Raſtedenſi privilegium ſuper bonis à ſe collatis, videlicet duo manſus in Raſtede. Iſte Comes Otto uxorem habuit de Woldenberge & mortuus eſt ſine heredibus & in Hudâ ſepultus. Hic Comes piſcaturam in Linenbroke & agros in Echtmarden liberrimè in extremis ſuis reſtituiſſet Eccleſiæ, ſi abbas tunc temporis ipſam piſcaturam ſuam ſuo obtinuiſſet ſacramento, id eſt, juramento. Sed cum idem abbas ageret negligenter, eadem piſcatura apud Comites de Delmenhorſt remanſit, licet nihil juris ſibi valerent vendicare. Iſte Comes ædificavit caſtrum Delmenhorſt, & cambium fecit cum miniſterialibus Eccleſiæ Bremenſis dictis Brunſten, aliàs Mulen in bonis feudalibus Eccleſiæ & dimiſit bona prope Delmenhorſt & locum cum præfecturâ in Stiirâ pro bonis in Ambriâ propter homicidium factum in diœceſi. Iſte Comes accepit Delmenhorſt in feudum ab Eccleſiâ Bremenſi & promiſit fidelitatem & ſervitium Archiepiſcopo. Hic etiam Otto habuit fratrem nomine Chriſtianum qui manſit in Oldenborg: ipſe duxit uxorem de Iſenberg nomine Agnetam de qua genuit Johannem Comitem de Oldenborg. His omnibus geſtis temporibus Gerhardi ſecundi, & Conradi abbatis Raſtedenſis. Idem abbas cum de bonis Eccleſiæ non multum diſponeret duo monachi contra eum de conventu viri literati curiam Romanam viſitarunt; quos dum abbas reverſos & bene egiſſe intelligeret, monachus in Bremâ prædicator efficitur, ubi etiam mortuus eſt. Hic etiam abbas Conradus fieri fecit plenarium Eccleſiæ Raſtedis de argento cum gemmis micantibus, quomodo adhuc in monaſterio eſſe dignoſcitur. Poſtquam autem abbas Conradus ordinem mutaſſet & locum conventus conſenſu unanimi Dn. Lambertum monachum ſui gremii natum de Weſtvaliâ imbutum literis competenter ſibi præfecerat in abbatem.

LAMBERTUS VIII. abbas. Hujus temporibus Friſones Ruſtringiæ conſilio Stedingorum quorundam, qui expulſi fuerant tempore ſubverſionis terræ, nitentes invadere eam, & ſe vindicare. Sed cum hoc Joanni Comiti ſecretè fuit nunciatum, venit cum expeditione ſua contra Friſones inter Huntebrugge, & Elſulete, & proſtravit Friſones innumerabiles gladio, & Comes triumphavit per omnia. Hoc itaq; bello commiſſo, Friſones de nece ſuorum dolentes, littus Weſeræ prope Hamelwerden invaſerunt, & ad ſubjugandam totam terram foſſoriis effoderunt. Militares verò, & præcipuè Nicolaus de Uleckſchilt, tunc temporis Dapifer Comitis, cum incolis terræ multum ſtrenuè egit, & multos Friſones occidit in ore gladii, non verendo aquam cum ſuis proſiliit rabidè in eos. De occiſione illorum Friſonum commota eſt univerſalis conventio Ruſtringorum, collectis iterum viribus & grandi fortitudine omnes aquæ ductus, quæ propriè Zile dicuntur, confringentes, terram incendiis &

rapinis

rapinis vaſtarunt: ita quòd ipſa terra inculta abſque inhabitatione hominum per ſeptennium permaneret. Lupi etenim, & alia animalia in Eccleſiâ Elſulete fœtum ſuum ſicut in deſertis locis nutriverunt. Militares igitur, quia damnum non modicum de ſubverſione terræ Stedingorum receperunt, ultionem in Friſones facere decreverunt, irruentes in parochiam Beitwarden pro rapinâ ſe armis præparabant quaſi, ſed omnes milites & militares in palude, quæ Beitwardermôr dicitur, à Friſonibus ſunt occiſi. Friſones autem, quia hujusmodi damnum in recompenſationem damni ſui fecerant, placati placitis domini reverendiſſimi Hilleboldi Archiepiſcopi, qui & ipſe erat natu Comes de Oldenborg, & ad Eccleſiam dedit Comitiam de Wildeshuſen, & totum dominium in caſtro & opido, ſancto Petro. Motus ergo piè pro ſuis cognatis & nepotibus, ac fratre Oldenborgenſe, perſolutâ ipſis pro ſuis occiſis modicâ pecuniâ, pro unoquoque videlicet Friſone quinque fertonibus ſolutis, compoſitionem amicabilem volente Archiepiſcopo Hilleboldo admiſerunt. Poſt hujusmodi deſolationem terræ Stedingorum monaſterium Raſtedenſe eſt in tantam inopiam redactum, ut conventui alimentorum ſtipendia non darentur. Et cum proinde monachi cum abbate multum diſcordarent, ad ultimum paupertate cogente per diverſa clauſtra ſunt diſperſi. Conuentus ergo cum per diverſa loca diſperſus per annum unum ab hoc monaſterio defuiſſet, rurſus recipitur, ſicque quilibet ex ipſo conventu monachus ad ſuum ſtatum priſtinum reſtitutus. Sed cum adhuc monachi cum abbate concordare minimè potuiſſent, ipſe abbas fatigatus laboribus abbatiam confectus ſenio reſignavit. Hoc tempore Comes Johannes duxit uxorem nomine Rixedis vel Rixe filiam Comitis de Hojâ Henrici, de quâ quatuor filios videlicet Chriſtianum, Ottonem, Henricum, & Mauricium procreat. Ex his fratribus Henricus mortuus eſt juvenis, & Mauricius effectus eſt canonicus in Eccleſiâ Bremenſi. Alii duo fratres Chriſtianus & Otto diviſerunt dominium inter ſe. Manſit itaque Comes Chriſtianus in Oldenborg, & Comes Otto in Delmenhorſt: & fuerunt amici omnium religioſorum, & præcipuè monaſteriorum in Raſtede & Hudâ. Et Chriſtianus habens XXX. annos mortuus eſt. Poſt hæc tanta inundatio aquarum per turbines facta eſt ventorum, & omnes aggeres Friſiæ & Stedingiæ fluvii ſalſi maris tranſierint. Et hoc fuit circa feſtum Luciæ virginis. Dicitur etiam, quòd in occidentali parte Friſiæ ſubmerſi fuerint ex hac aquâ mille millia hominum utriusque ſexus, & ultrà. Temporibus iſtius Ottonis Comitis, quidam de Stedingiâ rurenſes voluiſſent per traditiones ſubvertiſſe ipſam terram, & Comites cum militaribus occidiſſe: ſed hoc proditum fuit per quendam Jacobum Scriver ruſticum. Qui rurenſes ad examen ferri igniti ducti fuerunt: ex quibus rei ſuſpenſi ſunt in Huntebrugge, & innocentes dimiſſi ſunt liberi. Duo autem incendiarii Cyricus & Meinricus primò occurrentes primitus ſunt ſuſpenſi. Poſt reſignationem autem ipſius abbatis monachi ſibi de abbate providerunt de monaſterio S. Pauli circa Bremam.

WILKINUS de Morſele IX. abbas. Hunc fratres concorditer elegerunt. Tempore verò modico ante monachi monaſterii S. Pauli jam dicti monachum hujus monaſterii nomine Ottonem natum de Comitibus Oldenborg ſibi elegerunt in abbatem. Et cum abbas Wilkinus vocatus de monaſterio S. Pauli hìc abbas eſſet, & Dn. Otto de hoc monaſterio ad S. Paulum in Bremâ exiſteret, placuit eis, ut quivis eorum ad ſuum rediret monaſterium. Et ſic permutationem fecerunt in prælaturis ratificante illud Dn. Hilleboldo Bremenſi Archiepiſcopo: qui ut natus Comes de Oldenborg, ut prædiximus, ita cordi terram iſtam habuit.

OTTO Comes de Oldenborg X. abbas. Hic Otto adeo gratus tam clericis, quàm laicis fuit, ut eum omnes in magna haberent reverentiâ propter ſuam largitatem & multiplicem etiam, quam ſemper exercuit, honeſtatem. Nam cum Epiſcopus Mindenſis tunc temporis obiiſſet, quidam Canonici Mindenſes, virtutes ipſius abbatis in electione ſuâ recitaverunt, propter quas ferè fuiſſet ibidem in Epiſcopum electus, ſi non pauci nobiles pro eodem Epiſcopatu laborantes magnis viribus reſtitiſſent. Hic etiam abbas cauſſâ ſuæ honeſtatis Præpoſitos Friſiæ, Canonicos videlicet Eccleſiæ Bremenſis cum ad villam Raſtede convenirent, pro ſervandis Synodalibus in Friſiâ, ipſos primò collegit, & largiſſimè procuravit. Ipſe etiam abbas cum eſſet conſanguineus Comitum de Oldenborg ex directâ lineâ legitimè plurima dona Friſiæ,

videlicet

videlicet in Harlingiâ, Aſtringiâ & Ruſtringiâ vendidit & ſine conſenſu conventus alienavit. In quorum bonorum venditorum compoſitionem, quædam alia bona comparavit, videlicet decimam in Oldenbroke, quam emit à militibus de Lunenberge ad feudum Archiepiſcopi Bremenſis. Item decimam in North-Broke, quam emit à Ludolfo & Henrico Comitibus de Oldenborg & Brockhuſen: cujus proprietas ad monaſterium Raſtedenſe fundatoris largitione pertinebat. Quæ tamen decima progenitoribus ipſorum Comitum ab abbatibus noſtris in feudum data fuerat: ut ipſi & eorum heredes monaſterium defenderent, nec tamen ad aliquot manus, per quod gravari poſſet Eccleſia ſe extenderet pro noſtri privilegiis monaſterii libertatis expreſſius continetur. Horum Comitum parentes cum eis talis via defenſionis pateret, interim bona monaſterii invaſerunt, ut quaſi omnes coloni ſe cum ſuis bonis trans Albiam transferent. Et cum nihil rapere poſſent ab Eccleſiâ caſulas, calices & alia varia ornamenta abſtulerunt. Iſtorum Comitum malitia dum reverendiſſimo Hartwico Archiepiſcopo Bremenſi recitata fuiſſet, contra eos jure ſpirituali procedens, brachio eos ſeculari depellebat. Cum etiam peregrini de Friſiâ quolibet feſto Aſſumtionis beatæ Mariæ virginis devotionis cauſsâ advenirent, iſti Comites uno eos tempore captivabant, & exactione pecuniali in eos factâ dimiſerunt facientes plura incommoda: propter quæ evidenter vindicti Dei patuit, ut ipſi poſtmodum projecti de ſuo dominio in magna paupertate laborum ſuorum præmia ſortirentur, ut poſtmodum etiam dicatur illud in ſobole impletum Theodoli poëticum:

Sentit adhuc proles quod commiſere parentes.

Hic etiam abbas comparavit iſta bona de ſuis laboribus, videlicet domum Hanehorſt cum ſuis attinentiis, & molendinum ſitum prope clauſtrum cum domo villæ quæ ſibi adjacet. Item domum Wildelo cum agriculturâ ſuâ. Item allodium & capellam in Velde: Item domum Pluſenberg cum ſuâ agriculturâ: Item tres magnas campanas, quæ continent centum & duo pondera æris & metalli, quæ Cintener dicuntur: & alia multa bona, quæ in privilegiis habentur. Etiam fecit conſtrui in noſtro monaſterio Raſtedenſi altare S. Pauli, quod conſecratum eſt per reverendum patrem Epiſcopum Gnavelenſem, Dn. Archiepiſcopi ſuffraganeum. Quod altare dictus Dn. Otto abbas pro illuminatione monaſterii & altaris quatuor feneſtris vitreis decoravit. Donatæ ſunt etiam indulgentiæ ad hoc altare à XXIV. Epiſcopis, à quolibet XL. dies & Karena. Hujus dedicatio peragitur dominicâ ante feſtum Petri & Pauli. Hic etiam abbas ſedile fratrum in choro fecit præparari, & curiam villici in Halehorſt apud Eccleſiam S. Odolrici ſitam deſtruxit, & agros de allodio monaſterio excoli fecit. Hic etiam fundamentum poſuit proponens refectorium fratrum ædificare, ſed morte præventus non perfecit. Lateres verò ad hoc deputatos ſucceſſor ſuus vendidit & deſtruxit. Iſte abbas rexit monaſterium fere XIV. annis. Cujus temporibus Chriſtianus de Oldenborg Comes, filius Johannis Comitis & Rixedis Comitiſſæ de Hojâ extitit, qui ſuis contentus nunquam hoc monaſterium aut clerum offendit in dominio aut extra, nec in aliquo condemnatur: unde villici in pace & plenâ tranquillitate vixerunt. Temporibus etiam iſtius abbatis quidam militares de Oldenborg, & præcipuè Robertus miles de Weſterholte cum ſuâ congregatione cœpit Comitibus de Oldenborg ſe opponere, & atrociter rebellare. Quæ rebellio ſeu oppoſitio ad tantam invidiam ſe extendit ut Robertus miles jamdictus caſtrum in Svippenbergen quod nunc dicitur Wardenborg cum auxilio Comitum de Welpiâ & de Brockhuſen & aliorum amicorum ſuorum militum & famulorum, & præcipuè cum adjutorio Henrici de Bremâ & Luderi de Hudâ militum, ædificaret in terminis Comitum. Expugnavitque opidum in Oldenborg: ſed prædictus Comes Conſilio uſus diſcretorum eos de prædicto opido per incendium effugavit. Cum autem militares ad caſtrum ſuum redirent, Comiti damna plurima intulerunt. Tandem in loco, qui dicitur Tungelermerſch, Comes & milites ex utraque parte cum magno exercitu in conflictu convenere, & ibi Comes triumphavit, & plures milites captivavit, quos in turri Oldenborgenſi cathenavit. Et vexillum equitum duxit Johannes miles de Manſingen: vexillum verò peditum tulit Oltmannus miles de Beverbeke, qui ambo tam ſtrenuè egerunt, quòd fama eorum ab iſtis terminis non receſſit. Ultimo autem anno vitæ abbatis hujus Bremenſis civitas combuſta fuerat: & poſt hoc ſubitò circa feſtum

ſtum natalis Domini obiit abbas ac in medio tumbæ Comitum de Oldenburg in medio Eccleſiæ Raſtedenſis eſt ſepultus.

ALBERTUS XI. abbas. Poſt hoc conventus fratrum Dn. Albertum natum de Weſtvaliâ in abbatem elegerunt. Hic ab Archiepiſcopo Giſelberto confirmationem ſuam cum benedictione recepit: qui eidem Archiepiſcopo unum equum valentem tunc X. bonas marcas & quatuor viliores pro clenodiis offerebat. Hic Giſelbertus nobilis natus de Brunkhorſt ædificavit aulam Epiſcopalem in Bremâ: item in Stadis, & turrim in caſtro Vordis. Sed ſuper omnia mira magnalia quæ perfecit, ædificavit civitatem ſive opidum Buxtehude contra Duces Lunæburgenſes, qui retroactis temporibus de diœceſi ſuâ Hartesborg caſtrum abſtraxerant. Tunc enim adhuc caſtrum Mogeſeborg nondum conſtructum fuerat in territorio Bremenſi, quod per decurſum temporum à quodam Canonico Bremenſi Dn. Joanne de Tzeſtervlete vaſallo Bremenſis Eccleſiæ nato, ſed poſtmodum in Epiſcopum Verdenſem electo, contra ſuos cognatos & caſtrenſes in Horneborg pro ſubſidio Ducum prædictorum ad refrenandas eorum inſolentias conſtructum fuerat. Nam & Eccleſia Bremenſis adhuc foreſta in Ducatu obtinet & curias ad advocatias in Sittenze, quam balivis & dapiferis ſuis puta Schulteris de Horneborg in feudum dedit. Poſſidet etiam advocatiam in Totecuris terram Eccleſiam ibidem ad Eccleſiam S. Petri. Hic duriter oppreſſit Duces Luneborgenſes, & quaſi ſtuppam contrivit. Tunc Albertus fuit abbas Raſtedenſis: primo anno iſtius abbatis quidam miles nomine Luderus Mundel, natus de Linebroke rebellare Comiti de Oldenborg per everſionem terræ Stedingorum intendebat: cumque Comes hoc perciperet, ipſum cum ſuâ totâ cognatione ejiciens dominio, rebus & omnibus bonis ſuis ablatis profugum ſatis turpiter expellebat. Et cum hic miles bona multorum in vodio poſſideret, ſex etiam agros monaſterii cenſualiter tenuit, quos ſicut plures fecerunt recepit, putans quod illi traditori nulla eſſet juris ratio obſervanda. Ob hoc quendam Comitem de Brockhuſen nomine Hilleboldum de natione etiam Oldenborgenſi procreatum virum ſceleratum adiit, qui ejus inſtigante conſilio abſtulit monaſterio curiam Papenhuſen, Engelem, Benninckhuſen, Brunem, Juchen, Jagelſem, cum omnibus juribus, quæ ad ipſas curias pertinebant. Terra autem iſta dicitur ab olim Sterningen à Bremâ usque in Hojam habens Weſeram ab unâ parte jacens per ſe in jaciis usque ad mericanos, quorum terra dicitur antiquorum Saxonum de advocatiâ & menſâ Epiſcopali. Patet ergo quòd Brockhuſenſes Comites fuerunt incaſtrati ab Archiepiſcopo Bremenſi in Sterningen, & nobiles de Hodenberge præfecti Eccleſiæ Buccenſis ſub Bremenſi: ſed Comes de Brockhuſen dapifer ſedis Epiſcopalis. His etiam temporibus Comites de Oldenborg, qui ante caſtrum habuerunt capellam S. Nicolai Epiſcopi in honore Lamberti martyris parochiam ſtatuerunt. Elaboraverunt hoc coram Archiepiſcopo antedicto nam ut relatum eſt Dodo Comes Ardennæ in Franciâ de cognatione eorum procreatus in necem S. Lamberti propter ſororem ſuam meretricem quam Pipinus tenuerat, & propter interfectionem Rioldi & Galli, nam Lambertum telo gladii interemit cujus ſanguinem Deus in ſobole punivit, juxta verba ejusdem martyris dicentis in ultimis *Videat Deus & requirat*. Ut ergo plaga removeretur à ſobole ſtatuerunt in Oldenborg parochiam, ad quam conſentiente Archiepiſcopo Ratam, Ovezen & villas per milliare circumjacentes applicarunt. Sed & quædam nobiles matronæ & viduæ opidanæ in Oldenborg prædia ad vicarias certas dederunt: ſed parochia manſit de Comitum jure patronatus. Et ſic manſit parochia usque ad tempora Conradi & Chriſtiani, quando incepit fieri collegium IX. Canonicorum à Dn. Conrado ſed paullo poſt à fratre ejus domicello Chriſtiano, ut Deo & ordini S. Johannis Hieroſolymitani ſatisfaceret pro delictis in Friſiâ commiſſis in Eccleſias, capellam S. Johannis fieri juſſit ante caſtrum tres fratres ordinis & ſacerdotes ibi congregando, ut clariſſimè inferius patebit. His etiam temporibus Comes Chriſtianus, terram Friſiæ, quæ Lenghene dicitur, propter malitiam furum & incendiariorum in eâ inhabitantium incendiis & rapinis devaſtat. Poſtea idem Comes mortuus eſt in Brema, & in Huda juxta patres ſuos ſepultus. Tunc Otto Comes Delmenhorſt collegium fecit clericorum in honore S. Dei genitricis, & contulit ei prædia confirmante Archiepiſcopo Giſelberto. Huic Chriſtiano ſucceſſit Johannes Comes ejus filius, qui multis equis, canibus & familiâ inutili terram

Amirorum & Stedingorum in paupertatem nimiâ ſubſtravit. Cujus etiam temporibus Stedingi volentes evertere terram de parte Comitum quia eis multa incommoda inferebantur. Hic abbas Raſtedenſis largè hoſpites recepit, & conventui menſuras potus, butyri, & panis parcè miniſtravit. Accidit autem, ut quidam de conventu contra eum conſpiraſſent, ac ei plurimas infeſtationes inferrent: unde cum abbas XL. annis præfuiſſet, abbatiam reſignavit, & in Weſtvaliâ in loco, qui dicitur Betinghuſen, ubi hoc monaſterium habuit XI. marcarum reditus, de gratiâ conventus ſeſe recepit. Johannes verò Comes prædictus cœpit in villâ Raſtedenſi morari, quaſi ruſticus cum unâ Concubinâ, quam plus quam ſuam legitimam dilexit, quem & Archiepiſcopus propterea uti debuit excommunicavit: & ideo omnibus clericis & eccleſiis infeſtus fuit. Concubina etiam ſua tabernatrix ante monaſterium reſedit, & ipſe quaſi ut tabernarius & tabernator. Nihil enim profuit ſibi quod de malo acquiſivit nec omnes reditus ſui ſat ei eſſe potuerunt quin miſerabiliter vivendo dilapidaret hiſtrionico more. Hic fuit pater Comitum de quibus infra, videlicet Conradi & Chriſtiani quos longè poſt genuit: prius enim ſobolem habuiſſet ſi ita lubricus & delitioſus non fuiſſet. Cum conventus in electione novi abbatis concordare non valeret, Giſelbertus reverendiſſimus Archiepiſcopus eis abbatem tradidit.

GOTSCHALCUS XII. abbas. Hunc idem Epiſcopus confirmat. Hic in ingroitu ſuo frumentum de Oſſenbrugge devexit, & ſolvit unum maldrum XVIII. graves ſolidos. Ipſe etiam conſentiente Archiepiſcopo nobiles reliquias fundatorum clauſtri Hunonis, Friderici & Guillæ poſitas ante altare S. Johannis Baptiſtæ ſuſtulit præſente inclyto & venerando Dn. Tiderico de Lovenborg Decano Bremenſe qui & natus Dux Saxoniæ, ac Comite Johanne de Oldenborg & multis militibus ſtrenuis & validis famulis & militaribus terrarum: ipſasque reliquias in choro ante ſummum altare cum maximo honore divinorum laudabiliter collocavit. Hujus abbatis temporibus Comes Johannes de Oldenborg & Comes Otto de Delmenhorſt invitaverunt exercitum Ducum Lunæburgenſium ad exterminandum Archiepiſcopum, & Eccleſiam ſuam de Stedingiâ. Sed Dn. Giſelbertus Archiepiſcopus in loco, qui dicitur Slutterſile cum ipſis comitibus & cum exercitu dicti Ducis pugnavit & cum auxilio S. Petri glorioſè triumphavit, captivavitque exercitum Ducis & Comitum dictorum & exactionavit ipſum exercitum ad tria millia marcarum bonarum. Poſt hoc idem abbas Gotſchalcus mortuus eſt, & ante altare S. Johannis Baptiſtæ ſepultus. Præfuit autem huic monaſterio duobus annis cum dimidio. Hic etiam abbas de conſenſu conventus & ratihabitione Archiepiſcopi & capituli Bremenſis bona in Weſtvaliâ, videlicet duas curtes in Betinchuſen Colonienſis diœceſis & aliam in Hujackhove Monaſterienſis diœceſis cum ſuis attinentiis ac alia bona feudalia & dominia feudorum, una cum vaſallis & miniſterialibus cujuscunque ſtatus & conditionis à loco Vechte ubicunque in partibus totius Weſtvaliæ noſtro monaſterio pertinebat, conſideratâ utilitate monaſterii pro C. & LX. marcis denariorum Oſnaburgenſium vendidit & alienavit, Anno Domini MCCXCII.

HENRICUS de Nienborg XIII. abbas poſt mortem Gotſchalci abbatis concorditer eligitur. Hic fuit monachus in eodem clauſtro, & conventui neceſſaria bene miniſtravit, & ſeipſum cum familiâ & hoſpitibus advenientibus bene procuravit: quia villici monaſterii agros ſuos in pace colebant. Sed Diabolus quorundam capellanorum corda ſuorum excitabat, & eum cum aliis monachis apud Archiepiſcopum Giſelbertum pro multis criminibus accuſabant. Innumerabiles vexationes à Comite Johanne & ſuis ſuſtentabat. Hic Comes, ut dictum eſt, in loco Raſtede quaſi [illegible] ruſticus morabatur. Unde idem mendaciis & f[illegible]gationibus vexatus dum abbatiæ præfuiſſet quinque annis abbatiam reſignavit. Conventus verò providit ſibi de dimidia curte in Dalſepe ad uſum vitæ ſuæ, unde ſe habuit commode & honeſtè. Poſt hoc Dn. Giſelbertus Archiepiſcopus idem intelligens monaſterium multis debitis occupatum, & injuriis ejus Johannis Comitis nimis eſſet gravatum ſuaſit conventui bona fide, ut quendam monachum Præpoſitum [illegible] in Wolde eligerent, quod factum eſt.

ARNOLDUS XIV. abbas. Hunc Archiepiſcopus abſque clenodiis benivolè confirmavit. Hic de Stadis veniens inordinata quæque, quantum potuit reformavit.

mavit. Hic etiam latus monaſterii, quod viſum eſt ad meridiem conſtrui fecit cum quinque feneſtris vitreis & teſtudinibus deſuper ſatis pulcris. Milites verò & famuli de Manſinghen de Linc, & de Apen, quorum ibi parentes ſunt ſepulti ad hanc ſtructuram multa promiſerunt, ſed minimè perſolverunt. Hic etiam tres domos in Garneholte fundavit & coli fecit. Comes verò Johannes in recompenſam moleſtiæ monaſterio factæ legavit tres dextrarios & decem equos.

JOHANNES abbas XV. Mortuo Arnoldo hic à conventu eligitur. Cujus temporibus altare Mariæ Magdalenæ, quod conſtrui fecit Johannes Comes ſenior, pater Conradi Comitis de Oldenborg, conſecratum eſt per venerabilem patrem Dn. Nicolaum Verdenſis Eccleſiæ Epiſcopum, qui vicem habebat in illis temporibus reverendi patris Domini Archiepiſcopi Bremenſis, qui tunc ſtetit in curiâ Romana & cum capitulo Bremenſi diſcordabat, eo quòd ipſe à ſaniore parte capituli electus & altera elegiſſet nobilem virum canonicum Eccleſiæ ſuæ Dn. Henricum de Goltorne, qui & poſſeſſionem tenuit in caſtris circumquaque. Illa diſcordia fuit exorta cum capitulo, quia deciderunt ab eo, qui prius ſecum ſe confederabant. Pro hac & aliâ diſcordia movit lites in urbe Romanâ. Iſte Johannes XV. in ingreſſu abbatiæ, ſcilicet anno MCCCXVII. non immeritò ſcire voluit, quibus reditibus monaſterium liberè frueretur, & quibus debitis eſſet gravatum. Dictæ fuerunt LXXIIII. marcæ, pro quibus meliores reditus erant abalienati: rurſum tenebatur CCCLXX. marcis, pro quibus debebat reſpondere, & reditus monaſterii non extendebant ſe ultra XXXIV. marcas Bremenſes cum decimis in Liſwede & Edewechte, & cum decimis ad curiam allodii ſpectantibus. Poſt hoc anno Domini MCCCXXV. obligavit idem abbas rectori & conſulibus Beati Odolrici decimam in Reddehorn pro XXVI. marcis cum decimâ Johannis de Reken ſubditi hujus monaſterii. Poſtea longis temporibus videlicet Johannis XXII. abbatis, qui quitavit. Item etiam iſte abbas obligavit anno Domini MCCCXXX. ſex modios ſiliginis, & duos porcos cum duobus arietibus, & aliis reditibus hujus monaſterii. Anno autem MCCCXLVI. Folcardus Epiſcopus Manuicenſis habens vices reverendiſſimi patris Dn. Ottonis de Oldenborg S. Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi conſecravit altare S. crucis in honore ejusdem & S. Michaëlis & omnium angelorum. Et hoc altare Johannes dictus Papenbei & Gertrudis uxor ſua de bonis ſuis devotiſſimè fundarunt, ideo perpetuè in monaſterio habent memoriam. Hic etiam Archiepiſcopus Otto antea erat Præpoſitus Eccleſiæ S. Anſcharii Bremenſis & canonicus Eccleſiæ Colonienſis: Et inde Comites habuerunt curiam verſus ſeptentrionem in Bremâ. Et tunc Mauricius de Oldenborg erat Decanus, qui multa bona fecit Eccleſiæ Bremenſi, dummodo elevatus fuit cognatus ejus in Archiepiſcopum. Mortuo Johanne abbate anno Domini MCCCXLVII. diſcordia in conventu de electione abbatis orta eſt. Una pars elegit Gerhardum virum providum & monachum hujus monaſterii; altera elegit Helmericum monachum ibidem. Gerhardus cœpit regere monaſterium non confirmatus, quapropter in indignationem Archiepiſcopi Ottonis incidit, qui etiam electionem caſſavit, & alium videlicet Helmericum in abbatem confirmavit.

HELMERICUS abbas XVI. Hunc Suffraganeus dicti Ottonis nomine Folcar[illegible] benedixit cum ſolemnitate debitâ & conſuetâ. Iſte abbas cœpit ſatis diſcretè re[illegible] ſed minimè potuit perficere cogente paupertate: quia impoſſibile eſt indigente[illegible]ne agere. Nam Dapiferi & advocati Comitum de Oldenborg quam plurima d[illegible]a monaſterio intulerunt. Obligavit igitur & impignoravit reditus & bona monaſterii, ita quod debita ſe extendebant ultra DCCCVI. marcas. Hic abbas propter debita fatigatus monaſterium regere non valens abbatiam reſignavit: poſtea verò plenus dierum moritur, & ante altare B. Mariæ virginis ſepelitur.

OLTMANNUS abbas XVII. Poſtquam abbas Helmericus abbatiam reſignavit [illegible]no MCCCLXXIV. conventus concorditer Oltmannum virum utique diſcretum & providum ex proprio loco elegit in abbatem. Qui redemit imaginem deauratam S. Dei genitricis, quam quædam virgo ſoror abbatis Helmerici tenebat in pignus. Et quia hujusmodi debita in regiſtratura Oltmannus non inveniebat gratis recepit. Redemit etiam duos calices, & cum imagine in Eccleſiam reduxit. Hic abbas virilis fuit, non timens dominos terræ, neque etiam mori pro juſtitiâ. Redemit

Digitized by Google

etiam caput Nicaſii martyris & Epiſcopi largè deauratum. Dedit etiam Archiepiſcopo B[illegible]nſi pro inveſtitura XXXII. marcas, & capitulo Eccleſiæ Bremenſis XXX. marcas pro vino. Et dedit apoſtolico & nuncio Imperatoris & Archiepiſcopo omnium bonorum: & pro decimâ Dn. Apoſtolico. Item dedit pro interdicto iſtius terræ. Et hic comparavit librum Decretalium cum Sexto & ſummam Raimundi, & Johannis de Aſc[illegible]a. Reædifi[illegible]vit etiam domum abbatis cum capellâ & bis reparavit organa: & reparavit latus monaſterii ad meridiem, horreum & coquinam & aquæductus. Red[illegible]mit etiam bona in Nienbroke, & duas domos in Borbeke & dedit pro monſtrantiæ Euchariſtiæ XXI. marcas. Et comparavit perpetuè domus Hellemans in Lemede: reparavit crucem, quorum prædictorum ſumma fuit CCLXII. marcæ. Tunc factum eſt collegium in Oldenborg à Comite Co[illegible]rado & aliquotis annis poſt à fratre ſuo Chriſtiano capella ſive domus S. Johannis ba[illegible]tiſtæ ante caſtrum in Oldenborg inter Huntam & Harnam Oſnaburgenſis diœceſis. Illo tempore præficitur Eccleſiæ collegiatæ rector Eccleſiæ D[illegible]. Johannes Halle [illegible]imus Decanus Oldenborgenſis. Eodem tempore abbas Olmannus ædificavit [illegible]rcuitum monaſterii ſui ad occidentem prope domum abbatis, ubi [illegible]epit in adjutorium pecuniam pro libertate unius ancillæ. Hujus temporibus abbatis anno Domini MCCCLXXII. Conradus Comes conſtituit in Dapiferum Johannem Greveke, qui gravis fuit Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis, & ideo miſerè periit cum certis ſibi ſubſtitutis. Anno etiam Domini MCCCLXXV. in diviſione apoſtolorum Conradus Comes antedictus conſtrui fecit altare in honore S. Michaëlis & S. Annæ matris Mariæ & ſanctarum fidelium animarum, in medio mon[illegible]ſterii ſupra tumbam Epiſcopi Upſalienſ[illegible]iwardi: unde refertur quòd qui ſepulcrum ejus indignè calcavit, tali die ſcandalum & opprobrium incurrit: quod & dicto Comiti Conrado unâ dierum evenit, & ideo altare fundavit ſuper eum, & ad caput poſuit cancellos per modum ciſtæ ne ex improviſo eundo locum calcaret: & fecit ibi perpetuum lumen. Non mirum, quia iſte ſanctus pater magni meriti apud Deum, qui ad partes noſtras de Eccleſiâ ſuâ exiliatus nobiſcum requieſcit. Et hoc altare poſtea longo tempore ibi manens tandem temporibus Johannis XXII. ad gradus chori verſus meridiem translatum eſt. Iſto [illegible]no Conradus Comes genuit Johannem Comitem in Oldenborg: cujus [illegible]tri, videlicet Kunegundi, quæ fuit nata de Depholte abbas, in purificatione ejus dedit boves in valore VII. marcarum. Et hoc anno Conradus & Chriſtianus fratre[illegible] Comites in Oldenborg ſpoliaverunt & combuſſerunt paroc[illegible]iam in Goldeswerden, & plures Friſones ibidem occiderunt. ſimiliter in Ruſtringiâ plurima loca deſolaverunt & præſertim Eccleſiam in Witzale cum cæteris domibus & allodiis ſancti Jo[illegible]is Comes Chriſtianus vaſtavit, & unam domum combuſſit pro quo in [illegible]eſiâ una Ruſtringiæ inangulatus ne poſſet abſcedere, Deo vovit, unam Eccleſiam in honore S. Joh[illegible]is Baptiſtæ velle reſtaurare, fundare ac dotare. Et ſic per eum, dum per beatum Johannem baptiſtam priſtinæ fuiſſet reſtitutus libertati, fratres S. Johannis quæſivit & clericos patriæ ſuæ tres veſtiri fecit & ordinari: quos ædificatâ capellâ ante caſtrum ibidem præfecit ſubdens capellam & fratres monaſterio & domui commendatoris in Lage [illegible]rca caſtrum to dem Borden Oſnaburgenſis diœceſis, quod ſubeſt [illegible]giſtro & ba[illegible]o Steinfordiæ in Weſtvaliâ. Et primus qui ibi præficiebatur, f[illegible]t Dn. Johannes fi[illegible]us Conradi Comitis licet à latere, cognomento dictus, domini mei filius: ſecundus [illegible]deri[illegible]s Haveman, qui & rexit altare majus cum cap[illegible] & certos reditus emit. [illegible]m Comes dedit quoſdam reditus ſol[illegible]os in d[illegible] Heiniken in Manſinghen & [illegible] alios de quibus infra in privilegiis dicemus. Item tertius presbyter venit de ca[illegible] Wardenborg, etiam hoc nomine Johan[illegible] dictus. Poſt quem venit quidam Johann[illegible] Nopernagel Bremenſis natus, qui ambo [illegible]bi abſq; cruce commandas habuer[illegible] menſ[illegible] Comitum. Primi tamen duo fuerunt ordinis antedicti. Sic ceſſat ibi [illegible] defuncto Friderico qui Comiti Tiderico, & ejuſ p[illegible]tri[illegible]ercit. [illegible]cq; trien[illegible] nemo ibidem nec ab ordine, nec à monaſterio in Lage, [illegible]Com[illegible]e præſentatus [illegible]. Poſtea tamen circa annum MCCCCXXXII. quidam [illegible]ricus [illegible]holaris regens ſcholas apud exteras natione H[illegible]ricus de Oldenbor[illegible] m[illegible]r C[illegible]m[illegible] Tiderici inductus & a[illegible]d eum promotus [illegible]itur conſpectui Comitis, cu[illegible] eadem capella vel potiſſimum majus altare cum cæteris omnibus attinentiis [illegible] eiq; confertur [illegible] caſtri capella. Di[illegible]

ctus

ſtus vero Henricus ſcrupulum habens deſuper conſcientiæ anno MCCCCXXXVII. presbyter effectus capellanus efficitur Archiepiſcopi Boldewini ſecundi, & quinquennio ſecum manſit, elaborans in placitis dominorum, Archiepiſcopi ſui, & Henrici Monaſterienſis Epiſcopi cum quodam Hermanno de Brockhuſen commendatore conventus in Lage, quatenus hujusmodi capellam ad ordinem S. Johannis & diſpoſitionem ſuam, & Eccleſiæ ſeu domus ejus ſpectantem, committere & conferre auctoritate ordinis dicto Henrico Wolteri presbytero dignaretur. Qui in Wildeshuſen primò & denuo in Vechte conveniens ſecum rem hujusmodi tractare velle cum magiſtro ordinis & balivo in Stenvorde, ac poſtea cum conventu fratrum ſuorum aſſignato termino in domo Lage compareret miſſo ibidem procuratore & notario, qui ibidem ipſi capellam & jus ordinis pro ſe, & pro uno ſucceſſore dicto domino contulit & aſſignavit creans literatorie eundem in fratrem ordinis, & totam progeniem adſcripſit fraternitati, auctoritatemque dedit acceptandi & conſcribendi cæteros ad fraternitatem dictæ domus & capellæ in Oldenborg, & emovendi legata & reditus ordinis t[illegible]m a dicto Comite Chriſtiano, quàm etiam à Friderico Havemanno, & ſuis coæquis & poſteris comparata quovis modo habitos vel habendos, habita ſeu habenda. Hoc etiam tempore quidam religioſus ad altare S. Bartholomæi ſcilicet Herbordus Notepage confeſſor dicti comitis frater prædicatorum in Bremâ in parte ſeptentrionis commendatus ut terminarius ſedit in opido Oldenborg quod ordo ægrè tulit, ſed tyrannidi potentis reſiſtere nolens permiſit, licet invitè. Inde etiam Gerhardus Bremenſis dictus ad reliquum altare S. Nicolai præficitur ſed nec ipſe, nec religioſus canonice inſtituitur, & ideo ordinis antedictus Commendator cum fratribus inſtitutionem rectori capellæ indulſerunt, & ut obedientiam faciant ei, ut commendatori in Lage valentem & condignam. Ipſe quoque Henricus eotenus promiſit ordini de non alienando nec libros, nec clenodia & reditus, ſed nomine eorum & jure ordinis S. Johannis poſſidere hujusmodi capellam ſicuti in inſtitutione fuerant in origine legata. Sicque manſerunt, ordine volente, & Henrico conſentiente, & cum ordine & monaſterio concurrente & concordante, indulgentia ordinis permiſſi & auctoritate Epiſcopi Monaſterienſis, ut adminiſtratoris eccleſiæ Oſnaburgenſis extat ratificatum & confirmatum. Hic autem agens in longinquis partibus & maximè apud Bremenſem Archiepiſcopum, collata eſt ſibi vicaria in Luneburg Verdenſis diœceſis, anno MCCCCXXXVII. in die paraſceves, & poſtea elapſo anno traditur ſibi canonicatus eccleſiæ Buccenſis cum præbendâ: deinde anno MCCCCXL. traditur ſibi præbenda canonicalis in Bremâ ad S. Anſcharium ab eodem Archiepiſcopo Boldewino: quibus per digreſſionem hic recitatis ad priora redeamus. Nam abbas Oltmannus anno MCCCCLXXX. diſpoſitis omnibus mortuus ſenio gravatus ante altare S. Martini eſt ſepultus.

OTTO Schepel abbas XVIII. poſt mortem Oltmanni eligitur. Hic fuit monachus monaſterii & rexit eccleſiam in Stedingiâ vocatam Linebroke, ſed ditatus abbas effi[illegible]itur. Hic abbas fecit reditus VI. marcarum, annuatim ad ſtructuram monaſterii, pro quibus memoria à conventu per ſingulos annos perageretur. Hic ve[illegible]batur [illegible]ultis infirmitatibus & magnis, præſertim paralyſi, quod nemo eum tan[illegible]e potui[illegible]. unde & in infirmitate exprobravit, & juravit clamans horribiliter. Iſtis [illegible]poribus Comes Conradus genuit filium nomine Mauricium, qui poſtea cum [illegible]lev[illegible] t amicus fuit hujus monaſterii Raſtedenſis. Dehinc frater dicti Conradi [illegible]is nomine Chriſtianus capellæ S. Johannis fundator genuit duos filios videlicet Co[illegible]em Didericum & Chriſtianum fratres, cui fuit uxor nomine Agneta de Honſteen, nata ex Comitibus ultra Hartonem ſic dictis. Nam longa fuit inter fratres ſe[illegible]iores puta Conradum & Chriſtianum concertatio ſuper dominio. Nam Chriſtianus fuit canonicus eccleſiæ Colonienſis, & ſperabatur fieri prælatus magnus, & manere ſpiritualis, ut alius germanus Conradus ſolus dominium poſſideret. Sed Alberto Archiepiſcopo Bremenſe laborante, materteram ejus Agnetam accepit uxorem, unde progeniti Tidericus & Chriſtianus germani. Qui cum Mauricio fratruele ſ[illegible]o dominium diviſeru[illegible]r. Et caſtrum Oldenborg Mauricius dimidium, alii duo fratrueles Tidericus & Chriſtianus aliam dimidiam partem tenuerunt, elaborante hoc Archiepiſcopo Bremenſi, qui ad idem opus dictis nepotibus ſuis, & patri, caſtrum

ſtrum Hagene in bordâ Branſtede conceſſit, unde & dominium ſuum emendarunt. Tunc etiam abbas Otto ſupellectilia, quæ habuit, Reinero monacho dedit, qui poſtea abbas efficitur. Nam Otto in infirmitate tactus moritur, & ante altare S. Petri & Pauli ſepelitur.

HENRICUS XIX. monachus ab omnibus eligitur, vir probus, diſcretus, largus, humilis, qui fecit fieri tabulam magnam ſuper altare & duo vexilla & magnam crucem fieri procuravit, quæ ſtat in medio monaſterii ſuper ſepulcrum Siwerdi abbatis & epiſcopi exiliati ubi tunc altare habebatur. Fecit etiam conſtrui duas columnas in fine dormitorii, & picturam ſuper chorum de fundatoribus Hunone & Friderico Comitibus. Etiam tam beneficus & largus fuit, quòd ad villicas in puerperio miſit cereviſiam & butyrum tempore oportuno: abundanter etiam hoſpitibus providit. Hujus abbatis temporibus Comes Mauricius duxit uxorem filiam Ducis Brunſuick cui nomen Elſzabeth, ex quâ genuit filios, qui non diu vixerunt. Hæc Elizabeth vocatur de monaſterio Quelinborg, & habuit duas filias, una deſponſata fuit Comiti de Woldegge, alia cuidam Friſoni Ockoni de Broke, filio Kenonis militis Friſiæ, qui poſſedit caſtrum Aureke, cujus proprietas terræ cum eccleſiâ antiquo jure ſpectat ad Comites Ruſtringiæ & Ambriæ, qui modò vocantur de Oldenborg. Hæc multis temporibus exiliata recipitur in Donnerwe/ & viro mortuo pauperem duxit vitam. Abbas verò Henricus fuit dominis terræ valdè carus, qui dum monaſterio bene & laudabiliter præfuiſſet, ſenio & infirmitatibus gravatus, abbatiam reſignavit: ſex autem hebdomadas poſt reſignationem moritur, & ante altare S. Martini ſepelitur.

REINERUS XX. abbas, eligitur à conventu concorditer, vir providus & omnibus carus, anno Domini MCCCCI. Otto autem Archiepiſcopus Bremenſis Dux Brunſuicenſis frater dictæ Elizabeth & Ducis Bernhardi, Friderici & Henrici, qui captivatus fuit à domino Lippiæ, ſibi dedit munus conſecrationis, defuncto Alberto Archiepiſcopo. Hic abbas in ingreſſu ſuo fecit foſſatum circa curiam. Conſtruxit etiam molendinum in loco, qui dicitur Burkamp, quod poſtea ſucceſſor ſuus Johannes Fabri draulus & abominoſus vendidit ad Friſiam pro LIIII. marcis. Fecit etiam conſtrui molendinum prope Hartesbeke, quod ſtatim deſtructum eſt. Etiam organa antiqua fecit reparari ſecundum novum modum. Item allodium circa Delf conſtruxit: item coquinam etiam circa cœnaculum abbatis, & domum cum furno, ubi lateres coquuntur, quod multæ utilitatis fuit. Hujus abbatis tempore Comes Didericus duxit uxorem nomine Alheidin natam Comitis de Delmenhorſt Ottonis, ſororem Nicolai, qui poſtea factus eſt Archiepiſcopus, & dominium tradidit B. Petro cum caſtro Delmenhorſt. Sed Comes Didericus Chriſtiani filius, dum ante hoc habitat cum Alheidi ſorore ſuâ in caſtro Welsborg, & ibi Alheidis moritur, & in Hudâ ſepelitur. Et ſtatim poſt hoc caſtrum deſtructum eſt connivente patre dictæ Adelheldis ut de Tiderico alleviaret ſe, & terram ſuam, quia deceſſit absque liberis in brevi tempore. Poſt hoc aliquanto tempore Bremenſes ſpoliaverunt Stedingiam, & incenderunt usq; in Oveſtede incluſive. Statim autem poſtea captivaverunt Comitem Chriſtianum fratrem dicti Tiderici, cum quibusdam miniſterialibus & Conſulibus ac civibus de Oldenborg pro quorum redemtione terræ ſuæ parochiam nomine Worden in confinio Archiepiſcopatus in Wigmodiâ prope Winſingerlant, Bremenſes vadio obtinuerunt. Iſte Comes Chriſtianus conſtruxit caſtrum apud Jade vocans Vrijade: Tidericus verò Comes frater ſuus domum tanquam caſtrum in Hudesmölen, retro Tungele verſus ceſpitem de Everſe, & poſtea Bekehuſen, & rurſum Konevovord. Et renovavit foſſam circa caſtrum Oldenborg magnis laboribus. Ante verò obitum Comitis Mauricii tempore peſtilentiæ dixerunt Comes Didericus, & frater ejus Chriſtianus, quòd vellent injuſta deponere, videlicet garbas & ligna, & quæ à villicis hujus monaſterii veherentur ad caſtrum Old[illegible]borg, ſi eos contingeret ſupervivere Mauricio: ſed re peractâ manſit ut ante: ſicque factum eſt, quòd idem Comes poſt dimidium annum moreretur, ſepultusque [illegible] Oldenborg ad S. Lambertum dignè celebratis exequiis. Fuit etiam iſte Comes Chriſtianus multum amicabilis & probus. Mauricius verò, qui erat vir famoſus in omni terrâ circumjacente & amicus hujus eccleſiæ obiit anno Domini MCCCCXX. tertiâ die poſt Egidii abbatis, qui

in

Google

in medio hujus monaſterii Raſtede dignè eſt ſepultus. Poſt ſex verò ſeptimanas uxor ſua Elizabeth eum eſt ſecuta in peſtilentiâ, & apud Comitem Comitiſſa ſepulta: ſuper quos Ingeborg filia eorum maritata in Friſiâ Okkoni de Broke decenter ornavit ſepulcrum lapide imagine inciſo, ſicut eatenus in medio eccleſiæ cernitur, quæ dedit togam ſericam, unde habetur cappa, dedit calicem pulcrum opulenter deauratum & alia ornamenta ad antependium ſummi altaris. Poſt hoc Anno Domini MCCCCXXIII. Comes de Hojâ Otto combuſſit Wardenborg, Weſterſtede, & Hatten in profeſto viſitationis Mariæ: propterea Didericus Comes de Oldenborg ſpoliavit caſtrum in Sike, & ſtatim poſtea combuſſit molendinum ibidem. Eodem etiam anno captivavit Comitem Ottonem ſacrilegum cum XVIII. miniſterialibus ſuis cum rapinâ non parvâ in profeſto conceptionis Mariæ in adventu. Et creditur hoc à virgine ſibi in plagam fuiſſe perpetratum, ut qui non verebatur in vigiliâ viſitationis ejus manus in Eccleſiam ſuam extendere, mereretur etiam capi in vigiliâ conceptionis & ligari, quod anno MCCCCXLIV. actum eſt. Poſt hoc Focko Uken, & omnes Friſones captivaverunt Golſwerden & Fredeborg manu hoſtili contra Bremenſes. Eodem autem anno Dominus iſtud dominium oculis ſuæ miſericordiæ reſpexit. Nam Comes Tidericus duxit uxorem nomine Heilwigis de ducatu Sleſuicenſi, ex quâ genuit tres filios Comites, videlicet, Chriſtianum, Mauricium & Gerhardum. Dux verò Sleſuicenſis frater matris iſtorum Comitum hos filios diu apud ſe retinuit, videlicet Chriſtianum, Mauricium & Gerhardum. Mauricium verò ad ſtudium primo Roſtock deinde Erfordiam miſit ſibi bene providendo. Iſte etiam Comes Didericus dominium Delmenhorſt, quod diu alienatum fuit, per Domicellum Ottonem patrem Nicolai Archiepiſcopi Bremenſis magnis expenſis ad dominium Oldenborg cooperante tandem dicto Nicolao Archiepiſcopo poſtquam ceſſit Archiepiſcopatu Bremenſi primò in perſonam Ottonis de Hojâ: tandem ceſſit venerabili Archiepiſcopo Boldewino de Wenden Decretorum Doctori, abbati S. Michaëlis in Luneborg, ut eſt in Chronicâ Bremenſi. Nicolaus enim poſtquam Archiepiſcopatu ceſſit, non habens defenſionem ab eccleſiâ ſuccenſis villis, vaſtatis prædiis, & poſſeſſionibus, opido Delmenhorſt & quaſi perdito ſubſidium petiit ab electo & confirmato Dn. Archiepiſcopo Boldewino de Wenden: cujus parentes olim fundaverunt clauſtrum Riddageshuſen prope Brunſuick Ciſtertienſis ordinis. Qui tamen Boldewinus ſibi penitus in nullo fuit auxilio conſilio & favore caſtrum Delmenhorſt dicto Nicolao vivente & dominium in nullo defenſante volens ut met-tertius curiam in Bremâ inhabitaret, & patrimonium S. Petri, puta caſtrum cum attinentiis, quod erat hereditatis ejus, relinquat. Quod nequiens facere ſalvo pudore ſororium ſuum nobilem Tidericum Comitem de Oldenborg accerſit & pro defenſione ſuâ ad caſtrum Delmenhorſt admiſit: qui una ſecum quoad vixit ibidem pro defenſione inhabitavit, practicantibus hoc quibusdam vaſallis Bremenſibus & conſulatu civitatis ejusdem: ne Archiepiſcopus eorum nimis inſolens eis in poſterum loca & meatus viarum ad cæteras terras indignando eis cum vellet obſtrueret. Si enim dictus Comes Tidericus conniventes oculos cum Bremenſibus conſulibus non habuiſſet, cum favore, caſtrum Delmenhorſt & dominium nequaquam arripuiſſet, nec poſſediſſet, licet ſua cum grandi jacturâ. Pater enim Dn. Nicolai nobilis Otto de Delmenhorſt videns ſe in multos deliquiſſe multis modis, non habens refugium, nec ad ſedem Bremenſem & ejus civitatem, recognovit, quòd parentes ejus cum caſtro eſſent infeudati, & quòd in multis ſedi eidem teneretur obligatus, ſenio gravatus & grandævus, volens providere filio ſuo, & evocato Johanne Archiepiſcopo cognomento Slamſtorp, habito ſecum conſilio, unà cum capitulo Bremenſi & præſertim Decano Magiſtro Johanne de Molendino, qui mala tractare cœpit quatenus filius ejus Nicolaus pervenire poſſet ad Archiepiſcopatum revolvens cum ſapienti capitularium conſilio, quatenus hujusmodi fineret abſque Simoniacâ pravitate occurrerunt ipſa puncta, quòd, ſicut verum fuit, domicellus de Delmenhorſt ipſe & filius ejus ratione impignorationis dicti caſtri & dominii tenerentur dicto capitulo tria millia marcarum Bremenſium, computando quamlibet marcam pro duobus florenis Remenſibus, ſuper quo capitulum unà cum Archiepiſcopo haberet literam ſigillatam. Secundò idem Comes cum aſſenſu proximioris ſui heredis Nicolai de Delmenhorſt, ſano corpore, com-

re, compos mente, hereditariam ceſſionem Eccleſiæ Bremenſi fecit, unde tenuit in feudum caſtrum antedictum. Ceſſit enim Comes conſentiente filio antedicto, dedit donavit transtulit legavit caſtrum Delmenhorſt cum dominio ſuo ex integro in judicio rite & legitimè in Delmenhorſt celebrato: ſed vitalitium deberet habere conjunx ſua poſt mortem, & ipſe quoad viveret reſideret in eodem, ut etiam ſufficienter patet in Chronicâ Bremenſi. Tertiò idem Comes Otto cum filio ſuo legitimo & vero herede Nicolao recognovit caſtrum habere in feudum & antiquas literas & privilegia prædeceſſorum ſuorum de ſcriniis in judicio produxit ab Eccleſiâ & Archiepiſcopo à tempore cujus contrarium in memoriâ hominum non exſiſtit. Item produxit literas permutatorias validorum de Brunſten, qui erant infeudati cum loco & bonis & jurisdictione temporali in Delmenhorſt ante fundationem caſtri, & in locis circumvicinis; ubi etiam homagium fecit Otto & ſui prædeceſſores Archiepiſcopo Bremenſi, ſicut antea antedicti militares de Brunſteen aliàs de Mulen. Et ibidem in judicio producta fuit homagii de novo facta à militaribus dominii, & à civibus de Delmenhorſt, ipſi etiam Bremenſ. & ejus capiti ſcilicet Archiepiſcopo. Et hanc literam produxit Boldewinus Archiepiſcopus in Nurembergâ Anno Domini MCCCCXL. ante regem Romanorum Albertum Auſtriæ Ducem & Tirolis Comitem. Quartò juravit Nicolaus domicellus poſt hujusmodi ſic diſpoſita à patre ejus Comite Ottone, quòd nec caſtrum, & munitionem bona immobilia & jura dicti caſtri Delmenhorſt, nec Eccleſiæ Bremenſi alienaret, nec obligaret, niſi de communi conſenſu, & unanimi & pari voluntate Archiepiſcopi & capituli ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ. Et ſuper hujusmodi idem Otto cum filio ſuo domicello Nicolao de Delmenhorſt Comite quartam literam ſigillavit, quam & capitulum Bremenſe in gazophilacio ſuo ſub firmâ tenet inconvulſé. Patet igitur ſic ex præmiſſis, quo jure idem Nicolaus Archiepiſcopus, poſtquam ceſſit Archiepiſcopatu Bremenſi, & dum inangulatus fuit, caſtrum Delmenhorſt unà cum dominio ultra ceſſionem, donationem legitimam, & jura ac juramenta etiam à Papâ, Concilio Baſileenſi & à regibus approbata & Imperatore, ad Comites de Oldenborg potuit traducere; ſicque Archiepiſcopus Nicolaus, qui unicus ſuperſtes illius familiæ fuerat tandem dominio Oldenborgenſi adunavit. Memoratus etiam Archiepiſcopus Nicolaus pacem fecit inter Comitem Tidericum & communes Friſones. Comes etiam Tidericus cenſum cepit per totum dominium ſuum, de qualibet domo florenum, & totum in Delmenhorſt diſpendit pro relevatione debitorum. Poſt hoc Anno MCCCCXXVI. Focke Uken obtinuit Lengene & Deterne, & multa adverſus Ocken mala exercuit: Eodem etiam anno Friſones vaſtaverunt caſtrum propè Jade quod Chriſtianus frater Tiderici primus conſtrui fecerat: propterea Tidericus Comes combuſſit & ſpoliavit Deterne. Etiam eodem anno in profeſto Coſmæ & Damiani occiſi ſunt in Friſiâ Comes Johannes de Redberge, & domicellus nobilis de Depholte, qui hic in noſtro monaſterio ad caput Comitum in medio Eccleſiæ ſunt ſepulti. Dn. autem Nicolaus Archiepiſcopus Bremenſis, & Johannes de Hojâ Comes fuerunt captivati cum ducentis minus decem. Et hoc fuit antequam Archiepiſcopus ceſſit Archiepiſcopatu Bremenſi & fuit Anno MCCCCXXIV. admiſſio verò Tiderici ad caſtrum Delmenhorſt fuit Anno Domini MCCCCXXXI. effectualiter & completè licet prius ſecretè diverſi extiterunt tractatus. Anno autem Domini MCCCCXXXII. in profeſto Simonis & Judæ Focke Ukens volens cum communibus Friſonibus in Marienhave captivavit Ottonem domicellum & interfecti ſunt multi in loco, qui Wildeacker dicitur. Abbas verò Reinerus multum carus fuit Friſonibus, quia multoties equitando pro concordia illuc miſus fuit, & concordiam elaboravit. Poſtquam autem longo tempore quaſi XXX. annis monaſterio præfuiſſet ſatis bene infirmitate gravatus moritur, & ante altare SS. Petri & Pauli ſepelitur. Hic valde amabilis cunctis, tamen habuit mulierem & in ſenio quandam Alheidin, cum quâ & monachi ſui ſe commiſcuerunt. Habuit etiam filiam ad partem monaſterii meridionalem nomine Beata, quæ multos enixa filios, filiam inceſtuoſam quandam habuit, quæ cum quodam Gerhardo Korengel filio ſororis patris ejus ſe commiſcuit, & enixa eſt, ut poſtea tangetur.

JOHANNES Fabri XXI. abbas. Hunc elegit major pars conventus de monaſterio S. Pauli extra muros Bremenſes, Anno Domini MCCCCXXXVII. & dicebatur

Johan-

Johannes Draulus ſive fatuus & lubricus, quem Archiepiſcopus Boldewinus ad petitiones quorundam pro utilitate ſuâ & maximè Henrici abbatis S. Pauli, qui cum eo ſe voluit & ſuos exonerare, cum idem Johannes valde tædioſus fuit in dicto monaſterio. Per iſtum modum mittendo illum in Ambriam ad Prælaturam exoneratus eſt, & gaviſus quod illum fatuum eis deſtinaſſet: & ſe ac ſuos à fatuitate & tædio ſuo liberaſſet. Hunc Theodoricus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantienſis benedixit habitâ confirmatione pro florenis LX. Nam & Archiepiſcopus hujusmodi non extorſiſſet, ſed auditum habuit, quòd Theodorico Comiti Oldenborgenſi ad caſtrum Delmenhorſt, non ſolum avenam pro equis, ſed & lardum, ſiliginem & hordeum deſtinaſſet: cui de ſuis C. florenos de Rheno, ut ſuo auxilio nanciſci abbatiam potuiſſet, promiſiſſet & exſolviſſet. Sic enim Simoniacè intravit, & ibi ſemper in egeſtate fuit, juxta illud:

Hæc tibi damna feres, fueris ſi Simonis heres,
Mortuus ardebis, & vivus ſemper egebis.

Et ideo ſemper ſibi Archiepiſcopus infeſtus fuit. Hic etiam Bremam venit pro filio ſuo deſponſando, & ſolemnitates exercuit proceſſionis in foro, pro quo eum Archiepiſcopus durius correxit, & incarceraſſet niſi de receſſu aviſatus fuiſſet: & propterea florenos de Rheno expoſuit XL. Prior etiam ejus Meinardus cum ſocio etiam monacho per officialem Archiepiſcopi etiam religioſum ibidem in monaſterio S. Pauli fuit incarceratus, eò quòd abſque propriâ veſte religionis in cappâ tranſire auſi fuerint, pro quo & Archiepiſcopo XL. marcas ſolverunt. Hic abbas ſemper in populo & clero zizaniam ſeminavit, litigioſus fuit & rixoſus, licet hoſpites aliquoties lautè collegit. Quendam ruſticum habuit Gerken de Vorden ſubcoquum, qui eum ut puerum ſemper rexit: qui bona S. Mariæ inburſavit, & ligna ſuccidit, & ſe ditavit, & in multis monaſterium depauperavit. Primo itaque anno hujus abbatis, in feſto Remigii reverendiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter, Dn. Boldewinus à ſacroſancto Concilio & Synodo Baſileenſi ad celebrandum capitulum provinciale abbatum & Epiſcoporum ordinis S. Benedicti in Bremenſi & Magdeburgenſi provinciis, nec non diœceſi Caminenſi pro hujusmodi ordinis reformatione executor ſpecialiter deputatus, quia Doctor erat Decretorum, & regulam optimè novit. Regum etiam ſuper hoc Principum, Ducumque Orator, Comitum Baronum & militum dignitate & nomine major. Qui ita ſtrenuè ſemper cauſſas perorravit, ut in conventu ejus non ſolum reges Daciæ, Sveciæ, & Norwegiæ, ſed Poloniæ, Ungariæ, & Bohemiæ ac Franciæ fierent: cujus præſentiam Albertus Rex Romanorum deſideravit, & prædeceſſor ſuus invictiſſimus Imperator Sigiſmundus ductus conſilio Comitis de Winſenborg, earum regionum auditoris hunc reverendiſſimum patrem Dn. Boldewinum ad ſe perſonaliter propter negocia cauſſarum cum Theodorico Colonienſi & Gunthero Magdeburgenſi Epiſcopus accerſiri fecit, ubi comparuit coram rege in Nuremberga cum quinque nobiliſſimis doctoribus certisque prælatis & militaribus equitum XLII. & manſit apud Cæſarem ad tres ferè menſes in Nurenbergâ. Poſtea rediens ſtatuit primum capitulum ordinis S. Benedicti celebrari Stadis extra muros in monaſterio beatæ Mariæ virginis: ubi iſte Johannes elinguis & ſtolidus cum abbate S. Pauli Henrico diſcreto tamen, ſed illiterato, ut ridiculum apparuit & vehebatur, qui tamen XXIV. conſumſerunt marcas Bremenſes. Hujus temporibus armarium in Raſtede eſt inceptum, ſed nondum plenè conſummatum, ſed altare tranſpoſitum eſt, quod ſtetit in medio monaſterii. Anno autem Domini MCCCCXL. vacat præbenda S. Anſcharii in Bremâ & Henrici Wolteri capellanus Archiepiſcopi præbendatur ipſo die converſionis per obitum Dn. Henrici Gronelant ibidem Decani. Eodem anno obiit iſte nummoſus Reinerus Reiclocke, qui reliquit X. millia marcarum, abſque privilegiis & clenodiis, & iſte cum prænominato Decano fecit multa bona Eccleſiæ S. Anſcharii & monaſteriis multa donavit. Eodem anno, die Valentini, Comes Tidericus in caſtro Delmenhorſt ſubitaneè moritur, & nocte ad Oldenborg in Eccleſiam S. Lamberti defertur, & ibidem apud fratrem ſuum Chriſtianum Comitem, & apud conjugem ſuam ſepelitur, quæ dudum antea defuncta fuerat. Nec ſacerdotes ad ejus finem fuere, quia multoties ſacerdotes exaſperavit: nam quendam Canonicum Oldenborgenſem, nomine Beſenberg, propter executiones mandato-

rum & amonitiones debitorum captivari fecit, & in bigam cathenavit, & Archiepiſcopo Nicolao ad incarcerandum verſus Delmenhorſt miſit: promotores omnes peſtis & ultio divina tetigit: nam Fridericus Boëg proconſul opidi cum ſuis auxiliatoribus expulſus de opido exſul effectus alibi latuit: quidam verò Baller morbo caducò tactus, nec unquam reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati, ut redeat ad multorum mentem: nolite tangere Chriſtos meos, & qui tetigerunt Chriſti minimos graviter in corpore & rebus tacti ſunt & vindicati, de quibus eſt longum per ſingula enumerare. Poſſeſſor etiam præbendæ ſuæ Robertus Sculve ultimò quaſi ſenſum perdidit, & tandem mortuus eſt. Et ratio quare Comes Tidericus nocte ſepelitur in die Valentini, quia cum ſuis ligatus erat, ut antea ſepulturæ traderetur, quam proceſſus ibidem publice promulgarentur. Temporibus hujus Johannis Fabri fuit prior nomine Meinhardus, ut diximus, hic reſignavit prioratum, & ſolemniter celebravit ſuum Jubileum. Contulit quoque huic monaſterio multa bona, quæ ut negotiator & laicus, negotiando acquiſiverat, nunc de pellibus animalium, nunc de equis. Nam totum ſtudium ejus dum vixit circa negociationem fuit: munera enim ſua non Chriſto; ſed burſæ acquiſivit: tandem tamen Chriſtum bonorum heredem fecit. Nam dedit XXIII. marcas ad ſtructuram: XXII. marcas ad organa nova & V. ad vetera: Item ad novam tabulam altaris VIII. marcas Bremenſes: Item ad feneſtras chori retro ſummum altare XVIII. marcas: Item pro dalmaticis XX. marcas: ad æſtuarium XII. marcas: Item pro memoriâ parentum VI. marcas. Omnibus autem tandem bene compoſitis hic abbas gravatus infirmitate abbatiam reſignavit, & poſtea vivens quaſi dimidium annum moritur, & ante altare Petri & Pauli ſepelitur.

JOHANNES de Gropelinge XXII. abbas, monachus hujus monaſterii eligitur adjuvante Comite Chriſtiano & validis de Fikenſolte Anno MCCCCXLIV. qui multum laborioſus plura ædificavit. Primo itaque anno fecit portam ante domum abbatis: ſecundo anno fecit conſtrui latus Eccleſiæ ad meridianam plagam: tertio anno ad Aquilonem abſidam aliam fecit: poſt hæc conſtruxit magnam portam ante allodium, & cum hoc eodem anno videlicet MCCCCXLIX. conſtruxit cum adjutorio latrinam cum tranſitu ad finem dormitorii ſatis decenter. Hujus abbatis temporibus ſcilicet præcedenti anno circa feſtum Michaëlis Comes Chriſtianus de Oldenborg ſubordinante ſummo opifice & Duce Sleſvicenſi in regem conſtituitur & eligitur Danorum & Norwejorum, & reginæ regis prioris Chriſtophori nati Ducis Bavariæ legitimè copulatur, quæ fuit regina horum regnorum. Etiam regnum Sveonum tenuiſſet, ſi non noſtro regi quidam Carolus Canuti ſe oppoſuiſſet. Dux quoque Adolfus nomine dum fuit in partibus iſtis conſtituit dapiferum validum Wilken Freſen, & fratrem proconſulem Bremenſem Johannem Meylan, aliâs Freſen: nam & ambo officiales & balivi in temporibus Archiepiſcoporum duorum fuerunt: ſed tunc cum Gerhardo quaſi diſcordabant, eo quod habenam tam largam, ut antea non habebant. Refertur quod ipſi tamen licet avari laudabiliter gubernabant & pacifice in multis ſe habuerunt: ſed pro denario elaborarunt, & mercede non ſolum pro dominis, quibus fideliter ſervierunt, ut affirmatur quidem, & pro ſe quia dites qui antea pauperes creverunt, & ſe bene habuerunt. Anno autem Domini MCCCCL. quando celebrabatur Jubileus à latere Ducis Sleſvicenſis ad dominium Oldenborg miſſus eſt Gerhardus Comes de Oldenborg, frater regis Chriſtiani & Mauricii Bremenſis Canonici etiam Comitis, & cepit dominium in Oldenborg & Delmenhorſt: cui dedit Johannes abbas pro jucundo adventu C. florenos de Rheno legales dativos. Frater verò ſuus Mauricius artibus imbutus, & in inventario cognominatus infimo gradu baccalaureatus, manſit tunc temporis apud Dn. Adolfum Ducem Sleſvicenſem. Eodem tempore quidam Archipræpoſitus Eccleſiæ Upſalienſis in regno Sveciæ à curiâ Romanâ egregiè veniens cum quatuor equitibus, Doctor Decretorum, cui Papa Nicolaus V. ſalvum conductum dedit ſcribens eum pro cubiculario vero, quem ut oratorem Papa miſit. Hic veniens ad opidum Delmenhorſt à Gerhardo Comite captivatur, & arreſtatus ibi detinetur, licet non incarceratur. Percipientes hanc cauſſam Bremenſes congregatis tribus capitulis conſiliatur pro liberatione ejus venerabilem Johannem de Schonebeke Canonicum Bremenſis Eccleſiæ. Hæc hiſtoria plenè habetur in Chronicâ Bremenſi, quare hic pertranſeo. Eodem anno, quia Co-

mus idem Synodi Præpoſiti S. Willehadi in territorio ſuo impedire conabatur, inceſtus quatuor facti ſunt in ſecundâ lineâ & gradu conſanguinitatis ſcilicet in Raſtede, in Borbeke & Berchtorne, in Weſterſtede, & in Twiſchenâ: ubi ſtatim poſt nativitatis Mariæ rector etiam parochii dicto anno Jubileo Dn. Tidericus Grove per quendam Hennecke Wulberinck dolabrâ interemtus eſt: quod & Eccleſia Bremenſis punire tentavit & fecit usque in nonam generationem omnes de genealogia excommunicando & interdictum ponendo. Parricida autem & occiſor ivit Romam, & interfectus plebanus ante ſuum altare per Officialem honorabilem Dominum Henricum Wolteri invitis ruſticis aſſiſtentibus ſibi rectoribus Eccleſiarum Ambriæ in Wivelſtede, Raſtede, Weſterſtede & Edewechte, Eccleſiaſticæ eſt redditus ſepulturæ, diem judicii ibi pauſans & exſpectans. Rectores autem qui adfuere una cum fratre interfecti ſacerdotis cive Bremenſi nominati fuere Winaldus rector in Weſterſtede, Engelbertus in Wivelſtede, Reinerus in Raſtede, Johannes in Apen & Johannes in Edewechte dictus Winnepenninck. Quibus dictus Officialis mandat per territorium ſervari interdictum, donec ad ſolam parochiam eſt traductum: Et ubicunque progenies interfectoris aut aliquis eorum tam de ſexu maſculino, quàm fœminino videbatur apparere. Et talem interfectionem ſecuta eſt peſtilentia plagâ magnâ: nam & in Oldenborg ultra ſeptingentos ſepultura recepit in peſte inguinariâ, quæ non ibi, ſed per Ambriam totam deſeviit vadens ultra per Ruſtringiam & ſic perventum usque in Bremam per totum tempus hyemale graſſatur miſerè, ibique perierunt non ſolum vulgares, ſed & moniales & ſacerdotes circumquaque & ubilibet in terris. Et venit in mundo tanta plaga, qualis nulli hominum unquam viſa eſt. Nam dicit Philoſophus, quòd unum malum non vult eſſe ſolitarium: & Propheta, abyſſus abyſſum invocat, id eſt, unum malum non vult eſſe ſolum, ſecundum Caſſiodorum. Nam uno inconveniente dato ſequuntur plura: nam in Ambriâ primo hæreſes inceſtuoſorum, poſtea interfectio & clericidium, poſtea autem rapina cui ſubſecuta eſt grandis peſtilentia hominum: Ecce quartum malum. Reſipiſcat ergo homo à viâ ſuâ malâ, qui mulctatur divinâ plagâ: ſed finem intentoris criminum æquanimiter & miſericorditer adhuc exſpectat Dominus, quia longanimis eſt, & multum miſericors: non ergo in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur. Virga enim & baculus tuus Deus contra mundum ſe levat, rogamus igitur te ut deponas. Eodem anno honorabilis vir Henricus Wolteri pro concordiâ venerabilis Tiderici Baller Præpoſiti S. Willehadi cum nobili Gerhardo Comite in Oldenborg faciendâ ſuper disbrigatione Synodalium exceſſuum miſſus, dictos Comitem & Præpoſitum cum ſufficienti numero miniſterialium aſſociante ſe Decano & capitulo in hunc qui ſequitur modum concordavit: quòd Præpoſitus dictum Comitem cum omni jure & laudabili conſvetudine ſuorum progenitorum hactenus ſineret pacificè permanere uti, videlicet, quòd ſervorum ſuorum & familiarium in caſtro & operariorum & officialium ibidem, quos pons caſtri nocturno tempore tegeret, & qui eſſent veri & continui ejus familiares & commenſales exceſſus Officialis Præpoſituræ antèdictæ aut Præpoſitus corrigere non deberet ſed forum domini ſui ſorterentur, putà Archiepiſcopi ſicut & Comes, ſimiliter & viceverſa: nec Comes Præpoſitum in corrigendi exceſſibus ſuis quovis modo amplius impediret, nec pro quibuslibet indiſeretas preces aut minas faceret: ſed dictum Præpoſitum Synodo ſuâ liberè, quietè, & pacificè cum Deo uti permitteret: ſi quos vellet juſtè corrigere auxilio eſſet & favore, & ad requiſitus à Præpoſito vel ejus officiali per ſe & ſuos operam daret realiter & effectivè. Super quo & ſcriptum ſuum idem Comes dedit ſub ſigillo. Sicque dictus Dn. Henricus Canonicus S. Anſcharii Bremenſis dicti Præpoſiti in his, & ad concordandum dictas brigas, & ad corrigendum exceſſus hujuſmodi Synodales legitimè conſtitutus Officialis liberè, & quietè & pacificè Synodum ſuam tenuit, & ad juſtitiam & gratiam legitimè correxit corrigenda cum Eccleſiaſticâ diſciplinâ. Nam dictus Comes juvenis per quosdam malè informatus taliter deſæviit illo tempore. Circa feſtum Michaëlis inter Ruſtringios & Oldenborgenſes oritur dirum bellum procurantibus Hamburgenſibus pro jure ſuo, quod vi antea cœpere habere in terrâ: & cum effectus litium ſint varii quid reſtet ſupereſt quòd fit hinc inde jactura pauperum ſatis gravis, victoria tamen de cælo, quæ ſemper ſolet venire juſtiori. Injuſtum enim quemque conturbat folium arboris volans: & non

eſt differentia aut vincere in multis, aut in paucis volente Deo. Item eodem anno circa feſtum Laurentii cepit Comes Gerhardus caſtrum in Wildeshuſen à capitulo Monaſterienſi: & poſt feſtum decollationis Johannis conſtitutus eſt in Dapiferum quidam cruce ſignatus nomine Ilies, qui fuit quondam advocatus in Conevörde. Iſte placita tenuit cum Sirico de Vredeborg & aliis Friſonibus in vigiliâ Matthæi Apoſtoli. Poſt hoc in profeſto Dionyſii Comes dictus ſpoliavit villas in Friſiâ prope & ultra caſtrum Vredeborg, & qui cum Comite erant tulerunt pecora & ſupellectilia multa: & immediatè poſt hoc fecit rapinam in Dickhuſen, & tunc in anteprofeſto Ceciliæ fuit circa Fredeborg & ultra, & combuſſit villam Wiſede &c. Poſt hoc anno Domini MCCCCLI. Friſones pecora rapuerunt in Bekehuſen villâ, in vigiliâ aſcenſionis Domini; tunc alterâ die aſcenſionis campana tertia fuſa eſt, in quo officio pluviæ & tonitrua facta ſatis magna, & volvellæ novæ factæ ſunt ad alias campanas duas. Et tunc in feſto Pentecoſtes compoſitio facta eſt inter Comitem Gerhardum & Ulricum cum communibus Friſonibus. Poſt hoc Dionyſii in nocte in Oldenborg pulſaverunt confuſum chaos, quia Gerhardus Comes inſolenter ſe habuit contra cives. Poſt Nicolai Hamburgenſes placita tenuerunt contra Ulricum in civitate Bremenſi, pro quorum compoſitione amicabili vocati fuerunt Dux Adolfus, qui ibi miſit Comitem Mauricium, & Comes Gerhardus frater ejus ibi fuit: ſimiliter Lubecenſes ibi fuerunt, ſed eos concordare non potuerunt. Demum in Stadis compoſiti ſunt per Adolfum Ducem, abſente Comite Gerhardo, qui tunc per totam æſtatem & ultra fuit cum fratre ſuo rege Danorum. Cum autem diſceſſiſſet idem Gerhardus à fratre ſuo rege ſpoliavit per vim ſuos inimicos, videlicet, nautas Hollandiæ & obtinuit naves XXII. Item poſt hoc anno Domini MCCCCLII. novus abbas venit ad S. Paulum extra muros Bremenſes, qui multum ſtrenuè & regulariter ibidem cœpit vivere & monaſticam vitam ducere. Item poſt hoc in feſto Martini villici noſtri monaſterii iterum dederunt C. florenos, quos abſente Comite Gerhardo Ilies dapifer extorſit. Gerhardus autem Comes venit Dominicâ ante feſtum Purificationis, & ſtatim venit ad noſtrum monaſterium cum fratre ſuo Mauricio & magna familiâ. Item anno MCCCCLIII. Comes Gerhardus duxit conjugem videlicet Alheidin de Tekeneborg, ex quâ genuit filios Gerhardum, Adolfum, Chriſtianum, Didericum, qui obiit juvenis, Johannem & Ottonem: item filias Armegardin, Heilewigin, Adelheidin, Elizabeth & Annam. Poſt hoc in ſequenti anno fuit Comes Gerhardus in regionibus Danorum & Norwegiorum ubi naves habuit: interim Mauricius Comes ſpoliavit Oytam, & accepit pecora ibidem combuſſitque villas prope Vechte circumjacentes. Statim conſules civitatis Monaſterienſis & cives ibidem Vechtenſes cum Oytenſibus ac eorundem complicibus miſerunt literas diffidationis Mauritio Comiti noſtro. Tunc in feſto Lamberti combuſſerunt ambas villas nomine Hatten & alias circumjacentes: & in die craſtinâ fuit Comes Mauricius cum ſuis prope & ultra Vechtam, ubi combuſſerunt villas adjacentes. Item in profeſto Criſpini & Criſpiniani Vechtenſem combuſſerunt allodium in Hundesmölen, Bummerſtede, Granberge & Adeſtorpe, & alia quæ remanſerant. Et tunc in vigiliâ Andreæ fuit Mauricius cum civibus utriusque civitatis Oldenborg apud Cloppenborg & ſpoliavit pecora, ubi aliqui interfecti ſunt. Eodem anno in profeſto S. Silveſtri venit Comes Gerhardus in Delmenhorſt: qui poſtea in profeſto beati Pauli eremitæ cum fratre ſuo Mauricio ſpoliavit vaccas CCC. & captivavit XIIII. in Langworde prope Vechtam: & tunc Comes Gerhardus pacificavit diſcordiam, quæ fuit inter Mauricium Comitem fratrem ejus & Vechtenſes. Item Anno Domini MCCCCLV. in die Servatii Comes Gerhardus cum ſuis fecit reiſam in Friſiam, ubi cum Tammone in Jeveren aliquot ſubjugavit in terrâ Ruſtringorum & incaſtellavit eccleſiam Donwenſe: & in feſto Mauricii fecerunt treugas Comes Gerhardus & Ulricus usque ad Dominicam Cantate poſt Paſcha. Item Anno Domini MCCCCLVI. poſt feſtum nativitatis Chriſti abbas ædificavit portam auſtralem: tunc Comes Gerhardus accepit frumenta circa Weſeram de domibus villicorum capituli Bremenſis in ſummo, & aliorum capitulorum & vicariorum. Tunc poſt Paſcha ædificavit abbas orthogonium domus ſuæ, quod cœnaculum abbatis dicitur, & cum XIIII. anchoris firmavit. Et infra octavam aſcenſionis Domini Comes Mauricius incaſtellavit eccleſiam Elſulete ad ali-

quod

quod tempus. Item anno Domini MCCCCLVII. abbas conſtruxit pontem novum cum portâ in medio atrii. Et tunc in feſto Antonii Friſones combuſſerunt Apen. Poſt hoc in feſto Scholaſticæ virginis Comes Gerhardus combuſſit Deterne, Holne, & alias domos ſeptem: & tunc ſtatim ambo Comites proficiſcebantur in longinquas partes: nam Comes Mauricius fuit apud fratrem ſuum regem Danorum, & Comes Gerhardus apud Adolfum Ducem. Circa idem tempus mirabilia facta ſunt, quæ Deus operari dignatus eſt in hoc dominio: nam Friſones ſecundâ feriâ poſt Lætare venerunt numero quaſi quinquies mille & ultra, & combuſſerunt villas in Ambriâ, videlicet Weſterſtede, Linswede; Hulſtede, Manſingen, Linderen, & cecinerunt tubis multum ovando & graſſando contra Oldenborgenſes, quia Friſones habuerunt ſagittarios numero MDCCC. Dominus autem omnipotens reſpexit eorum inſanias, & diſſipavit gentes bella volentes. Quindecim enim villani primitus eis obviaverunt, & pugnaverunt cum eis, & interfecerunt Friſones, & eorum complices, numero CC. & captivaverunt CCC. & talis conflictus fuit inter Manſingen & Fikenſolte, qui omnes in fugam verſi poſtponentes & omittentes inſtrumenta bellica, videlicet bombardulas, baliſtas, clypeos mille, caleptras & lanceas præacutas; & alia inſtrumenta. Interim Ulricus capitaneus fuit in Aurike, ubi noſtrum abbatem, qui fuit ibidem propter treugas ſecum obtinuit ad tempus decem dierum, & non dimiſit eum diſcedere, quamdiu iſta reiſa fuit completa. Sed poſtquam percepit, quod Edo Boinges & advocatus in Aurike cum aliis pluribus fuerunt captivati, tunc juſſit abbatem recedere. Tunc unus villicus habuit totum plauſtrum plenum lanceis numero CXII. Poſt receſſum autem Friſonum, aliqui defecerunt, & laſſi fuerunt jacentes in viâ ultra Apen, quorum aliqui captivi ducebantur in Oldenborg. Et omnia, quæ in iſto bello contigerunt ad plenum enarrare nemo poteſt: nam infra iſtud tempus noſtri Comites, videlicet Mauricius & Gerhardus fuerunt apud regem fratrem eorum. Tunc temporis Karolus qui ſe intromiſit regno Sueonum arcerſivit Epiſcopum Ubſalienſem, qui ſub eo fuit, qui tamen ei conſenſum minime dedit. Iſte Epiſcopus venit cum magno comitatu ad caſtrum magnum nomine Stockkensholm, ut ibi pranderet cum ſuis Karolo abſente, qui receſſit ad comburendum ſuos contradictores, æſtimans ſe ſequi Epiſcopum prædictum. Epiſcopus verò miſit nuncium poſt eum mittens ſibi literas diffidationis, & obtinuit illud caſtrum cum ſuis & extemplo intimavit regni noſtro Chriſtiano, qui miſit ſtatim ibi fratrem ſuum Mauricium, qui ſuſcepit caſtrum illud ad manus fratris ſui: & ita ceſſit Karolus. Tunc in vigiliâ Pentecoſtes Oldenborgenſes fuerunt ante caſtrum Fredeborg ubi ipſorum ceciderunt & capti fuerunt XXXVI. Poſt hoc filius ſororis Ulrici nomine Cibe congregavit exercitum contra amicos noſtri Comitis videlicet Tannen in Jever, & Alliken. Iſti noſtri amici captivaverunt Friſones & Soldatos, numero quaſi CCC. minus XXX. Tunc ante feſtum Dionyſii venit Comes Gerhardus ad Tannen in Jeveren, qui cum auxilio Alleken tulerunt vaccas CCCC. & oves innumerabiles. Item anno MCCCCLIIX. Mauricius Comes miles factus eſt in prælio. Item duxit conjugem nomine Catharinam filiam Ottonis Comitis de Hojâ, & hoc factum eſt quaſi in medio Quadrageſimæ in præſentiâ Dn. Gerhardi Archiepiſcopi Bremenſis. Et circa feſtum Trinitatis Gerhardus Comes venit cum ſuis ultra Verden, & tulit CCC. vaccas. Item Anno Domini MCCCCLX. abbas conſtruxit piſtrinum magnum expenſis magnis & laboribus, & in fine fecit aulam, caminum, & pavimentum lapideum cum altâ menſâ: & ſupra aulam magnam cameram & lectiſterniis ad complacentiam advenientium: quæ omnia diſplicuerunt conventui propter detrimentum monaſterii, prout infra videbitur: quia Anno MCCCCLXI. tertiâ feriâ poſt Paſcha, imago beatæ virginis in Raſtede, quomodo habetur in altari ante chorum, tantos ſudores habuit in facie, per dies X. quòd guttæ ſudoris ceciderunt in veſtem, quâ circumdata erat, & ſtetit rubeâ facie, ſicut homo feſſus à curſu. Et tunc aura clara erat ante & poſt, & aër erat multum ſiccus: nec usquam in alio loco in monaſterio aliquid humiditatis fuit. Et fuit ſignum futuræ calamitatis, quia propter diſcordiam Comitum omnes habitantes in Dominio Oldenborg, videlicet in civitate & extra fuerunt in maximo periculo & timore, ut poſt patebit. Tunc ante feſtum Margaretæ Comes Gerhardus combuſſit Lenghene, & fecit ſibi Friſones inimicos: & Dn. Mauricius ſpoliavit ante Ver-

den mille porcos, & CXL. boves: & tunc Comes Gerhardus habuit diœceſin Verdenſem in commiſſo, ſeu ſub protectione. Poſt hoc in Autumno venerunt Friſones cum XXVII. navibus ſuper Weſeram & Huntam, & combuſſerunt domos & villas, & Grevenwerden. Tunc iterum venerunt ambo Comites ad regem fratrem eorum, ubi manſerunt usque ad Adventum Domini incluſum: & tunc receſſerunt cum magnâ diſcordiâ. Tunc Anno Domini MCCCCLXII. ante Paſcha & poſt Bremenſes, Lubecenſes & Hamburgenſes attentabant, & laborare cœperunt pro concordiâ Comitum, ſed non poterant. Tunc Dn. Mauricius fecit literatorie firmum contractum cum Bremenſibus, ut ſecum ſentirent contra fratrem ejus Comitem Gerhardum. Idcirco Comes Gerhardus incaſtellavit eccleſiam in Hamelwerden/ quam poſt feſtum Pentecoſtes Bremenſis deſtruxerunt. Et Dn. Mauricius cum Bremenſibus incaſtellavit eccleſiam in Elſulete. In hac diſcordiâ Oldenburgenſes fuerunt in magno timore & poſuerunt vigiles ad portas civitatis & per plateas ad cuſtodiam & defenſionem: & unus comes captivavit ſatellites & famulos alterius & è converſo: & non poteſt tanta inſolentia enarrari: quia Dn. Gerhardus voluit retinere dominium in Oldenborg ratione electionis: nam Dn. Mauricius dimiſit ambas Comitias videlicet Oldenborg & Delmenhorſt, & Comes Gerhardus elegit Oldenborg: & poſt hoc facti ſunt inimici apertiſſimi: quia Dn. Mauricius combuſſit domos prope & extra Delmenhorſt & habuit Bremenſes in ſubſidium. Poſt in octavâ apoſtolorum Petri & Pauli venit Dn. Mauricius cum Bremenſibus ante Delmenhorſt, cum quibuscunque civibus & ſatellitibus volens devaſtare caſtrum cum magnis bombardis & diverſis armis. Sed unus bombardiſta, qui fuit ſupra caſtrum Delmenhorſt interfecit plurimos cum bombardâ, & maxima damna intulit tam hominibus, quàm inſtrumentis bellicis & ſtructuris: ita quòd Bremenſes multos clam ſepeliverunt: de quibus plura eſſent dicenda, ſed tranſeant iſta cauſsâ brevitatis. Sed in feſto Abdon & Sennes venerunt Friſones cum magno exercitu ad minimum VII. millium, & voluerunt ſubvertere novum caſtrum apud Wede/ quod Comes Gerhardus conſtruxit: tunc ab inſtanti per totam Ambriam pulſaverunt confuſum chaos & ſtatim venerunt in occurſum Friſonibus, & expulerunt eos âbsque morâ. Et eodem die Friſones receſſerunt, qui ibi multos currus habuerunt plenos victualibus, & armis. Et illud totum Friſones fecerunt cum conſilio Mauricii: intendentes etiam poſtea ire in Varle. Iſte autem Mauricius & Bremenſes adhuc erant ante caſtrum Delmenhorſt, & ibi manſerunt VII. hebdomadas, & non valentes deſtruere receſſerunt. Poſt quorum receſſum percipientes Ducem Wilhelmum antiquum de Brunſuick volentem recedere & repatriare venerunt Dn. Mauricius & Bremenſes cum duobus fratribus de Hojâ, videlicet Ottone & Friderico cum magnatibus & curionibus, & cum aliis quampluribus ei in occurſum apud locum qui dicitur Sidenevort/ ubi ad conflictum venerunt. Et Bremenſes primò victoriam habuerunt: mox Comes Gerhardus, qui diu in alienis partibus fuit, venit & cum eo multi, qui tunc ex utrâque parte conflictum magnum habuerunt: ubi Bremenſes fugam inierunt. Et, ut ipſi dixerunt captivatus fuit Dux Wilhelmus, ſed ipſe contradixit. Et plures ex illâ parte captivati ſunt: & ex aliâ parte duo Comites de Hojâ prænominati etiam cum pluribus. Et Comes Gerhardus tam fortiter ſuos æmulos inſequebatur, & tam viriliter cum magno malleo bellico, quem in itinere invenit, hoſtes ſuos proſtravit, quòd multi mirabantur dicentes ſe nunquam talia vidiſſe: & mortui ibi manſerunt triginta ſex & equi triginta: & ſic Gerhardus Comes obtinuit triumphum: & in ſignum victoriæ eum militem fecere in conſpectu omnium. Eodem tempore ante tres dies, videlicet Bartholomæi, Catharina uxor Dn. Mauricii genuit ei filium nomine Jacob. Anno autem Domini MCCCCLXIII. Dominica Invocavit, venit Dn. Mauricius in Oldenborg fratris caſtrum, & expulit ſervitores fratris ſui Gerhardi. Feriâ autem quartâ quatuor temporum per ſuos ſatellites devaſtavit, & omnia abſtulit de domo Decani Nicolai in Oldenborg & nihil ibi manſit. Et ſub ſabbato poſt Lætare navigavit Dominus Mauricius cum phaſelis quatuor, ſecum habens famulos & ſatellites ad civitatem Bremenſem volens tenere placita cum fratre ſuo Dn. Gerhardo in civitate Verdenſi. Satellites autem Dn. Mauricii in reditu à Bremâ ſpoliaverunt apud Weſeram, Riken, Bardenflete, & ſumſerunt lardum & ſupellectilia plurima: & venerunt cum ſpoliis ad mare apud Nien-

broke,

broke, ubi tres ſubmerſi ſunt, quia villani inſequebantur, & aliquos necaverunt, aliquos captivaverunt. Quartâ feriâ poſt Paſcha Gerhardus Comes venerat ad Amriam & die ſequenti venerunt ad eum omnes villici & litones in Ambria.

RELIQUA DESUNT.

HENRICUS MEIBOMIUS Junior

Lectori S.

CHRONICON hoc RASTEDENSE Anonymi ex iiſdem Archivis Oldenburgenſibus, ex quibus antea *Chronicon Bremenſe Wolteri* depromptum dixi, ad Nos pervenit, eſtque fideliter ex MSto expreſſum, in fine tamen mutilum. Uſum illo deprehendo *Johannem Schiphoverum* in *Chronico Archi-Comitum Oldenburgenſium* (quod proximò loco à nobis publicabitur) imò totum penè in ſuum Chronicon transtuliſſe. Habuit etiam illud *Hermannus Hamelmannus*, eoque in Chronico ſuo Oldenburgico contexendo uſus, aliquoties citat. Mereri vero hunc, licet Anonymum, in pleriſque, quæ de Abbatibus ſui Monaſterii narrat, & abunde ſcire potuit, plenam fidem, non dubito aſſerere: quamvis in iis omnibus, quæ de Comitum Oldenburgicorum origine præmittit, à notitia ejus longius remota, defendere eum nolim, fabulasque interdum admixtas non negem, more inter illos recepto, qui in Monaſteriis tum temporis Annales componebant, & quidvis fingendi, vel figmenta & ſomnia propalandi, imprimis circa Monaſteriorum fundatorum occaſiones, licentiam ſibi conceſſam arbitrabantur. Quæ enim à nemine Hiſtoricorum illius ævi narrantur, de Friderico Hunonis filio cum Leone ab Henrico IV. pugnare coacto (cur autem hoc ſiluiſſent illi ex ſacro ordine, qui bile tumentes erga Imperatorem, calamum quoque in eum ſtringere, & omnia ejus, quà juvenilia, quà virilia minus laudanda facta ad poſteritatem traducere non ſunt veriti?) à ſolo hoc *Anonymo Annaliſta*, primo ſive Auctore, ſive propalatore p. 91. referuntur, cujus fidem *Hamelmannus*, *Giſekenius*, *Winckelmannus*, aliique ſecuti ſunt. Dudum vero eam pugnam fabulis accenſere cæpit *Ubbo Emmius* & ante annos ſedecim in libello, cui titulus: Ausführliche Relation des jenigen/ ſo von ſeiten des Fürſtl. Hauſes Holſtein Gottorf in puncto Oldenburg- und Delmenhorſtiſcher Succeſſion, contra das Fürſtl. Hauß Holſtein Plöen & conſortes bißher eingebracht worden/ N. 2. egregie & eruditè examinata eſt.

Origines

Origines hujus *Cœnobii Raſtedenſis* Ordinis S. Benedicti referuntur ad An. MCIX. extatque de eo Diploma Adelberti Archiepiſcopi apud *Hermannum Hamelmannum* Chron. Oldenb. c. 13. p. 37. in quo Fundatores Huno Comes & ejus uxor Gvilla, ſeu Willa, memorantur, quorum ibidem, addito Frederico, Hunonis filio, tanquam Fundatorum, mentio fit in Tabulis Decani & Capituli Eccleſiæ Bardovicenſis apud eundem *Hamelmannum* pag. ſequenti. Fuiſſe verò illam Abbatiam de *Raſtede*, vel de *Radenſtad* ſub Adriano Papa Eccleſiæ Bremenſi ſubtractam & dein ſub Victore Papa eidem redditam, diſcimus ex hujus Bulla data Papiæ An. MCLX. quam inter Privilegia Eccleſiæ Hamburgenſis edidit *Erpoldus Lindenbrogius.* p. 188. Qua occaſione noto, apud Eund. *Lindenbrog.* pag. ſequ. haberi Hartvvici Archiepiſcopi Bremenſis Tabulas confirmatorias eorum, quæ Eccleſiæ collata ſunt, in quibus inter teſtes quarto loco comparet *Donatus Abbas de Rathe*, qui, me judice, non eſt alius, quam *Donatianus*, *Abbas de Rateſtad*, quem illo tempore *Annales Anonymi* p. 97. nobis memorant, ex quibus Tabulis ſimul patet, Abbatem Rateſtadenſem ante Abbatem de Stadio ſubſcripſiſſe & primum inter Abbates locum habuiſſe. De reliquis nihil moneo, publicaſſe hunc Scriptorem in utilitatem eorum, quorum intereſt, contentus.

JOANNIS

Google

JOANNIS SCHIPHOWERI
CHRONICON
ARCHICOMITVVM
OLDENBURGEN-
SIVM.

Digitized by Google

Ad illuſtrem Johannem ſeptimum Oldenburgi Archi-Comitem.

Præfatio Chronicæ Archi-Comitatus antedicti feliciter incipit Anno Domini M D IV. in die prima translationis Divi Patris noſtri ſancti Auguſtini.

GEneroſo, inclyto ingenuo ac eximiæ virtutis viro Johanni Archi-Comiti Oldenburgenſi, frater Johannes Schiphovver de Meppis, inter Bononienſes Studentes minimus de Conventu Oſenbrugenſi in Oldenburg limitator ordinis Fratrum Eremitarum Divi Aurelii Auguſtini, ſalutes dicit non pauciores quàm æſtas gignit ariſtas. Quia propter labilem memoriam hominum, omniumque actuum humanorum inconſtantiam oportet, ut ea quæ perpetuitatem ſortiri debeant ſcripto firmari, maximè ne poſterorum verſutia occaſionem inducat in contrarium ambigendi, hinc eſt, vir præclarisſime, quòd de nobilibus avis ac proavis tuis, pro ut in certis antiquis Chronicis reperi, ſcribere diſpoſui. Et quia multa contigerunt temporibus elapſis, quæ digna ſunt relatu & notatione, quæ ſilentio nullo modo ſunt prætereunda inſerere curavi. Ego verò multis occupatus laboribus id facere non attentaſſem, niſi violentioribus tuis precibus ſtimulatus extitiſſem. Quicquid tamen huic operi inſertum eſt, non meo adſcribendum eſt ingenio: nulla enim vel pauciſſima mea ſunt præter laborem quo præſens opus collectum in unum ex diverſis, jam compilatis & collectis Chronicis, recollegi. Statuemus præſentem Chronicam potius ſortiri nomen Recollectionis, quàm collectionis, ne mihi videar attribuere, quod non immerito valentiſſimis viris, quorum ſcripta recollegi, eſt attribuendum. Tu enim, vir præclare, hoc glorioſo nomine Johannes es inſignitus, ſimiliter & ego. In catalogo ſummorum Pontificum invenio Johannem viceſimum tertium. Inter Imperatores Johannem nullum. Ratio quia ſtatui gratiæ ſicut & nomen plus ſanctitati convenit Ec-

[illegible] (Q) 2 eccleſiaſticæ,

Digitized by Google

cleſiaſticæ. In libris de Hæreſibus Divi patris Auguſtini & inter hæreſes poſitas ab Iſidoro V. Etymologiarum cap. VIII. & poſtea in Canone XXIV. q. cap. ultimo nunquam invenies Johannes. In libro Macchabæorum Johannes Hyrcanus de religione Sacerdotii & Ducatu commendatus fuit. Undecim famoſos Johannes in martyrologio ſanctorum invenies. Maximus Doctor ultimus veteris & primus novæ legis fuit Johannes Baptiſta, quem ſecutus eſt Johannes Evangeliſta. Poſt quem Johannes Chryſoſtomus, qui in docendo fuit aureus. Deinde Johannes Damaſcenus: Et plures veteres Doctores hujus nominis reperti ſunt. Sed iſtis quatuor qui veluti quadriga ſunt, vehitur ſacra Scriptura. Johannes Andreæ ſuper Decretum ponit XII. Doctores Bononienſes inter quos Johannes Teutonicus fructu fuit & ordine primus. Inter Doctores Anglicanos Johannes de Beverlaco ſingulariter eſt ſanctus. In noſtro ordine Eremitarum ſancti Patris Aurelii Auguſtini Johannes de Fabiano Doctor in Theologia egregius. Johannes de Immola in ſacra pagina, Johannes Klenke de Hervordia, M. Johannes Zachariæ Haſſo, Magiſter Johannes de Dorſten Erphordienſis. Inter quos omnes non re ſed nomine Johannes, ſum minimus utinam in aliquo gratiam conſecutus. Breviter ergo Petrus, id eſt, cognitio, dum aſcendit in templum, nihil valuiſſet, niſi Dei gratia Johannes adfuiſſet. Eſt enim nomen inter homines communiſſimum, quia multi ſunt qui habent iſtud nomen, & communius hominibus imponitur, quam alia nomina, ut Conradus, Gerhardus & Andreas. Inter Prophetas eſt ſanctiſſimum Matth. IX. Inter natos mulierum non ſurrexit major Johanne Baptiſta. Inter Evangeliſtas eſt excellentiſſimum Ezech. I. Aquila deſuper illorum quatuor, in quo notatur Johannes Evangeliſta. Inter Apoſtolos & diſcipulos eſt dulciſſimum. Quia cum Johannis ultimo dicitur: Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat JEſus. Scientia inflat enim, ſed gratia & caritas ædificant. Literæ Prælatorum & Dominorum non valerent, niſi Johannis nomen ponerent. Quid enim dicere vult Henricus de Svvarzeborg Dei gratia Epiſcopus Monaſterienſis, quàm Henricus Johannes. Bugslaus Dei gratia Dux Pomeraniæ & Stetini, quàm Buglaus Johannes. Nolo commendare peramplius quoniam materiæ commendatio ſuſpicione non caret, nec commendare ſum validus. Unum tamen dico quod nullius viri nomen eſt in Scripturis honoratum peramplius excepto ſolo nomine JESU Chriſti. Latro bonus in cruce Geſmas Johannes interpretatur. Hoc ergo gratioſum nomen omnes ipſum habentes veneremur, ut concordet vita noſtra cum nomine gratiæ, ſic nobis correſpondebit poſt hanc miſeriam ſtatus æternæ. Inſtructione enim in rebus bellicis non eges arma magis quàm jura ſcire milites ſanctiſſimus legiſlator exiſtimavit C. de jure in l. Sanximus. Sed milites ruſticos magis ſcire rura, quàm jura exiſtimant. Non eſt meum docere Minervam. Tu, vir præclare, tua utere induſtria. Ingenium enim tibi tuum tibi modum & ordinem dabit quo inimicos tuos perjuros facile ſuperabis. Tu enim & tui proavi Archi-Comites ſunt de proſapia generoſi & inclyti, de ramis regum procreati. Claritudinem ſuam ex nobilium Romanorum ſanguine meritorum ſuorum claritudine ditaverunt, introductique in hanc terram per Karolum ſecundò & primò per

Julium Cæſarem ibidem translegati gentilitatis tempore, ſicut poſtea tempore Karoli Magni in Chriſtianiſmo. Tibi enim, ô vir præſtantiſſime hoc carmen cano:

Salve, ſæpe canam, patriæ clariſſime ſplendor
Cui Deus & cœli ſydera cuncta favent.
Salve quique tuis dignus celebrarier oris
Princeps Oldenburgæ dexteritate potens.
In te ſancta fides, probitas, clementia, mores
In te virtutum nunc viget omne genus.
In te ſic pietas placido nam pectore regnat
In te fixa ſimul ſic jacet omne bonum
Regula militiæ Latii tu candor haberis
Cui gens multiplici ſanguine regna tuo.
Sæpe quidem referam multum celebranda per orbem
Geſta tui priſcis anteferenda viris.
Concelebret quiſquis magnos per ſæcula Reges
Cæſaris & nomen tollat ad aſtra ſimul.
Pompeii laudes quæ tunc meruere triumphos
Hannibaliſque canat denique facta Ducis.
Prælia Gallorum quondam ſuperata Camillo
Sanguine quem fuſo Roma ſuperba tulit.
Tu modò ſolus eris cum nunc mea carmina condam
Ore licet rauco linguâ noſtrâ ſonet.
Quo genitum claro memorem te ſanguine namque
Clara domus ſatis eſt nobilitate ſua.
Hæc nam cœleſti rutilans cum lumine felix
Eſt Comitum atque Oldenburgia nomen habet
Hoc Duce mirificos ſumſit perſæpe triumphos
Quin etiam per te florida portus erit.
Ut quondam nituit magno ſub Cæſare Roma
Sic modò per te Oldenburgia docta nitet
Oldenburgia docta nitet per te nunc pulcra juventus
Artibus atque armis militiæque vacat.
En tibi magnus honos & præmia grandia ſemper
Et tua nec perdet nomina Poſteritas.
O mihi Pegaſides dictarent carmina Muſæ
Scribere tentarem nobile gentis opus.

At deſunt vires numeris nec credere ſeſe
Audet tam magno cymbula noſtra ſalo.
Jam valeas tandem minimum nec ſperne clientem
Dii tibi ſint faciles donent pro munere pacem.
Sæcula Cumæa perpetuumque decus.

Dabis veniam religioſorum fautor attrito calamo, ignoſceſque animo occupato & parce feſſis digitis. Vale in eo, qui imperat terris & aſtris. Ex Oſenburg Anno M D IIII. altera die Simonis & Judæ. Iterum vale & me, ut ſoles, ama.

Chronica Oldenburgenſium Archi-Comitum.

CUm poſt univerſalem cataclyſmum, qui peccatis hominum exigentibus tempore Noë legitur accidiſſe & ſalvatis tantum octo animabus ex omni genere humano ira Dei conquieviſſet, rurſum data benedictione multiplicandi ſeminis filii Noë creviſſent in turbas populorum ipſisque ædificantibus turrim Babel confuſionem labii ſuſtuliſſent, trium filiorum Noë filii & nepotes tres Orbis partes ſuſceperunt incolendas. Ex quibus filii Sem totam Aſiam in ſuam receperunt portionem: Filii Cham Africam: Filii Japhet totius Europæ confinia adierunt, & ibidem in multitudinem populi convaluerunt. Igitur aliis eorum fratribus filiis Japhet Europæ regna ædificantibus primogenitus Japhat qui Magog dicebatur, & ejus frater Togorma ad plagam Septentrionalem diverterunt, & ex omni natione, quæ ſub cœlo erat, primum in orbe regnum, quod Scytharum dicebatur illic fundaverunt. Populis quoque dicti regni inæſtimabiliter multiplicatis tandem dicti fratres regnum Scytharum taliter diviſerunt, quòd Filii Magog omnia montana & maritima, quæ à Mari Britannico longo tractu per Daciam, Sveciam, Norwegiam, Islandiam, Gotthiam, Seſpiam, Hyperboream: & ab inſulis Orcadibus usque ad montes Caſpiæ per latera Aquilonis prætenduntur liberè poſſiderent. Inter quos antiquitus Gotthi primatum tenuerunt. Qui indignè ferentes aliud regnum ex oppoſito eis in meridionali plaga ſcilicet in Ægypto conſurgere ad demoliendum regnum Ægyptiorum contendebant. Et profecti viriliter Ægyptum invaſerunt, & totum iſtud regnum usque ad fluvium Nilum vaſtaverunt ac tandem transmiſſi amplius contra Libyæ montana locum eis aptum invenerunt ubi expulſis loci iſtius habitatoribus manendi ſedem poſuerunt. Ipſum quoque locum Getulia, quaſi Gotulia, id eſt, minorem Gothiam vocaverunt ex ſe. Viris verò Gothicis ibidem remanentibus, uxores eorum de maritorum diuturna abſentia multum attædiatæ, & ipſæ arma ſumſerunt & mares ſecutæ. Cum ad montes Thymiſſerios Aſiæ undique mari & montibus circumcinctos perveniſſent, illic eis innotuit maritos ſuos alias uxores in terris manſionis eorum elegiſſe. Unde ipſæ commotæ in iracundia non maritos amplius ſequi, nec ad terram, unde exierant regredi ſtatuerunt: ſed ejectis de terris illis qui habitabant illic permanſerunt. Earumque regnum Maſſagetarum, id eſt, mulierum Gothorum, ſed à Græcis Amazonum fuerat nuncupatum, ut inquit rigidus Doctor Hieronymus in prologo ſuper Biblia. Quorum utique regnum longævo tempore perdurans, quanta bella clariſſima contra Herculem & Achillem obſidione Trojana per Erichiam & Pentheſileam: contra Alexandrum Magnum per Marpeſiam & adverſus Regem Perſarum ſcilicet Cyrum per Thamaritarum reginas commiſerint ad plenum enarrare foret tædioſum. Similiter & viri Gothici alternis vicibus & temporibus fines proprios exeuntes, non ſolum nunc Aſiæ nunc Africæ regna colliſerunt ſed etiam populoſiora regna totius Europæ penitus attriverunt. Et nunc Pannonias nunc Gallias nunc Hiſpanias nunc vero Italiam inquietabant. Erantque formido non ſolum Romano Imperio, ſed etiam orbi univerſo. Reliqua verò pars Gothiæ remanens ad Auſtrum ab antiquo Meſia erat dicta à meſſium proventibus, quibus abundant. Unde à Poëtis vocabatur horreum Cereris, quæ eſt Dea frugum. Sunt enim fines hujus latiſſimæ regionis à flumine

mine Tanai, ubi eſt finis Alemanniæ & etiam Aſia terminatur & protenditur per vaſtiſſimas ſolitudines Bulgarorum usque ad paludes Mæotides: Et fluvium magnum Danubium à meridie habens ab occaſu terminum fluvium Albiæ & ad Aquilonem regna Scythiæ ſupra-dicta. Intra quos fines olim plurima regna erant labii tamen & linguæ unius ſcilicet Slavicæ, ſicut ſunt Rutheni, Lithuani, Sameites, ſive Samaltani, Bulgari, Welati, Servii, Ruſſii ſive Galati ad quos beatus Paulus legitur ſuas Epiſtolas direxiſſe, Pruteni, Bohemi, Karinthi, Pomerani, Caſſubii, Zorabes, Moravi, Luſatii, Hunni, Poloni, Staderani, Redarii, Circipani, Rugii, Obotriti, Polabi, Stormari, Wageri, Detmarci ac Nordalbingi, cæterosque Slavorum terminos, qui omnes intra prædictos terminos commorabantur & ſinguli olim reges leguntur habuiſſe: quamvis à primo hujusmodi vaſtiſſimi regni ſub unico regno & rege poteſtas fuerit comprehenſa. Sed nomina & actus atque anni regum in dicto regno viciſſim regnantium certitudinaliter non habentur eò quod antiquitus hujusmodi regnum conventus appellabatur Barbarorum propter indomabilem dictarum nationum tyrannidem & barbariem, quæ nec Græcos nec Latinos imitabantur. Certum tamen eſt, quòd ante Incarnationem Domini Reges dicti regni terras Aſiæ invadentes & quamplurimos de finibus propriis ejicientes terras ipſas inhabitare cœperunt. Sicut in Armenia tàm majori, quàm minori ubi adhuc nullo alio idiomate utuntur, quàm Slavico. Ac etiam tàm in Perſide, quàm Nabathæa poſteritas Sclavicæ nationis abundat die hodierno. Hi verò qui enucleatius tractant de regno ſupra-dicto in ſuis ſcriptis reliquerunt qualiter ante tempora Nativitatis Domini ſed mox poſt Alexandrum Magnum quidam potentiſſimus nomine Graccon omnibus prædictis nationibus tanquam unicus Rex imperavit. Qui cum filium & heredem ſucceſſorem non haberet ſed tantum unicam filiam nomine Wanda reliquerat Slavi propter merita patris & probitatem ejus, ipſam filiam regnare permiſerunt & fluvium qui nunc Wisla vocatur ejus nomine Wandam vocitabant. Qui fluvius, quod per medium regni decurrebat prædicti quaſi centrum ipſius regni fuit reputatus. Sicque dictum regnum Wandalia, & populus Wandali à dicta virgine & fluvio receperunt nomen & denominationem. Poſt verò Nativitatem Domini Wandali propriis finibus non contenti armis & potentia non ſolum transmarinas verum etiam finitimas Europæ terras invaſerunt transgredientes amnem Danubii ſub rege eorum Modogiſile, temporibus Gratiani Imperatoris. Romanorum finibus Pannoniæ & Italiæ ſe violenter intruſerunt & per XXX. annos terras illas occupabant. Mortuo verò dicto Rege Gundericus filius ejus taliter cum Imperatore fuerat pacificatus, ut Wandalis omnes terras Hiſpaniæ perpetuo poſſidendas delegarit. Quo facto Gundericus relicta Italia Hiſpaniam cepit & in ea regnavit annis XV. Poſt eum regnavit frater ſuus Genſericus annis XLIIX. poſt quem filius ſuus Honoricus regnavit VIII. annis poſt eum Gundabundus IX. annis. Quo defuncto in Hiſpania frater ejus Thraſimundus XXVI. annis regnavit ibidem. Qui accepta Eudoxia filia Valentiniani Imperatoris de ea illum famoſum Hildericum licet de gentilitatis errore fuerant ad fidem converſi Chriſtianitatis, attamen labe Arrianæ hæreſis quæ tunc in illis partibus populum efferbuit perfectiſſimus erat Chriſtianus. Nam dicta Eudoxia cathenas beati Petri, quibus ſub Herode fuerat colligatus de Jeruſalem aſportabat. Idemque Hildericus devotiſſimus in reparandis Eccleſiis legitur extitiſſe. Valentinianus quoq; Imperator Reipublicæ cupiens providere miſſo Bonifacio Duce Romano ad Wandalos in ipſos ad debellandos rebelles Africanos invitavit. Sicq; Rex Hildericus & Wandali ad Africam transfretarunt, & totam illam Africam, quæ tertia pars orbis reputatur violenter obtinuerunt. Ubi mortuo dicto Hilderico Gilemer quinq; annis regnavit. Et poſt eum multis annis per diverſos reges Slavicæ originis eſt regnatum de quorum nominibus & annis quamvis poſtmodum vera certitudo apud Latinos ſit relicta, indicibile tamen ſiſtit eorum genus & poſteritatem adhuc ibidem perſeverare quoniam apud Latinos jam non agnoſcitur quia non diu poſtquam Africa à Vandalis fuerat obtenta Abdiamara filius Mahumet eam à fide catholica avertens & erroribus Sarracenicis involvens usque ad præſens tempus, per Soldanos Babyloniæ & Alpiæ nec non reges Alexandriæ atque Marochiæ quæ olim Carthago dicebatur, dominari procuravit ibidem. Wandali verò qui in patria remanſerant, pariter fines ſuos non modicum dilatarunt. Nam & ipſi terram, quæ nunc

In Ungariæ regno Slavonia nuncupatur cum multis Inſulis Adriatici maris potenter obtinuerunt, ubi adhuc poſteritas generis & cognitio idiomatis perſeverat. In qua ergo tam in ſua Africa & Europa numeroſitas Slavonicæ linguæ excreverit enarrare vel ſcribere neminem poſſe æſtimo. Omnes tamen prædictæ poſteritates licet linguæ aliquantulum diſſonæ mutuo tamen ſe intelligunt ipſeque mutuus intellectus eos repræſentat de una radice proceſſiſſe. Sed quo-ad ritum & quo-ad ſitum atque cultum hæ nationes diſcrepare multum videntur. Nam quædam earum adhuc paganicis erroribus irretitæ detinentur: ſicut Waloti & Bulgares & qui in paludibus inacceſſibilibus Mæotidis commorantur. Quidam autem paganico errore derelicto ad orthodoxæ fidei lumen peruenerunt. In Africanis tamen partibus & Hiſpaniis cismarinis legem perfidi Mahumeti accipere ſunt coacti, eo quòd languente Romano Imperio contra exteros & ab infidelium inſultu non ſit qui eripiat, aut defendat. Quidam etiam velut neophyti jam noviter dicuntur Chriſtianæ veritatem fidei agnoſcere ſicut Samaides [illegible] amaritæ atque Lithuani. Quidam etiam quamvis Chriſtianitatis titulo decorantur, nullam tamen habentes cum Latinis converſationem, per quos vel quomodo aut quando Chriſtianitatis nomen ſunt adepti certum non habetur. Sicut ſunt Rutheni, qui hodierno tempore per reges Neogardis, Smolentzik & Muſcoviæ & alios gubernantur. Similiter & Ruſſii, qui Regibus Galatiæ & Linburg ſubjiciuntur. Et hi omnes quo-ad cultum & fidem ſedi patriarchæ Conſtantinopolitanæ ſubmiſſi Græcos univerſaliter imitantur. Aliæ verò Slavicæ nationes quoad cultum Latinis ſunt conformes exceptis Armenis & Plavonibus, qui propriis utuntur elementis, & nec Latinos nec Græcos præterquam quoad fidem imitantur. Hæ verò nationes quæ poſt dicta regna ad partes tendunt occiduas Polones cæteris præferebant. Nam Polonia eo tempore, quo baptiſmatis lavacro renata creditur indeficienter reges in ea regnaſſe comprobatur usque ad tempora quo ſanctus Stanislaus Epiſcopus Wartislavienſis vir ſanctus fuit à Rege Poloniæ martyriſatus. Propter quod factum Polonia amiſit coronam & per Imperatorem in decem Ducatus ſubdiviſa compulſa fuit ſervire Imperatoriæ Majeſtati. Ex quibus Ducatibus poſtmodum Dux Cracoviæ Ottoni Imperatori ſepulcrum S. Adelberti Epiſcopi, apud Prutenos martyriſati, viſitanti multa præbens ſuo itineri obſequia meruit per eundem Imperatorem de conſenſu ſedis Apoſtolicæ, depoſitum dudum regale faſtigium reaſſumere & iterum Rex intitulari. Bohemia quoque ſolo Ducis nomine fungebatur propter fidelitatis ſervitia Friderico Imperatori in obſidione Mediolanenſium exhibita regii nominis titulo meruit deinceps honorari. Inter nationes verò quæ à fluvio Wisla usque ad Albiam commorantur, quæ ſingulis annis ſingulos reges habentes ſub unico regno & rege remanſerunt ante tempora Karoli Magni qui reges regnabant propter barbaricæ feritatis inhumanitatem veraciter agnoſci non poteſt. Et ut ad id redeam unde digreſſus ſum tempore Julii Cæſaris primi qui cum XXX. legionibus ad dictas partes acceſſit, cum quo multi de nobilitate Romana iter iſtas verſus partes arripuerunt. Inter quos de regione Columnæ præcipui erant, de quibus Archi-Comites Oldenburgenſes originem traxerunt. Qui & Marchiones & Archi-Comites à prædicto Julio creati terras infra ſcriptas ab eodem Julio ſuſceperunt regendas. A flumine vidilicet Tzena, in caſtro Harborg & deſcendendo usque in barbaricum mare per Albiam poſſederunt Waltzatiam & partes circa Wunnam, & terram antiquorum Saxonum Laringiam Ruſtringiam, Stedingiam & Ambriam, Detmarciam, Wurſatiam, Hadaleriam & cæteras inſulas ſcilicet Kedingiam & antiquam terram pacificè poſſederunt, usque ad tempora Udonis Marchionis Anno Domini MXXX. Idem Julius civitatem Juliam id eſt Wollin, nec non Juliam Auguſtam, id eſt, Wolgaſt caſtrum, quod nunc Bugslaus Dux Pomeranorum glorioſe renovavit, Anno Domini MDIV. Inſuper Dominam mundi, id eſt Demin, Tributum Cæſaris, id eſt Tribuzees, Magnopolitanam rebellionem id eſt Röbele: Leontiam, id eſt, Lenze & alias civitates legitur fundaſſe, & ſuis vocabulis appellaſſe. Quomodo autem & qualiter hujusmodi terras prædicti nobiles Romani, Columnenſes videlicet, terras ſibi commiſſas, à Julio Cæſare usque ad Henricum patrem Ottonis primi rexerint & quibus nominibus nominabantur pro-nunc ſcribere non curavi. Sufficit ad præſens quòd de ramis Regum procreati ſunt ſicuti inferius clarius apparebit.

TERTIUM CAPITULUM.

HENRICUS Saxonum & Thuringorum Dux filius Ottonis regnavit per regnum Teutoniæ annos XXVIII. Hic Henricus in Fritzlaria electus eſt & benedictionem Epiſcopalem per Archiepiſcopum Maguntinum ſibi oblatam reſpuit & cum per Papam ſit coronatus, nec in Italia regnavit, non inter Imperatores connumeratur. Ipſe poſtquam electus eſt ſtatim proceſſit contra Burchardum Ducem Almaniæ ſeu Sveviæ, & ſubegit eum.

Henricus Rex habuit uxorem, quæ Mechtildis dicta fuit, & ipſa erat filia Diderici Archi-Comitis de Oldenborch. Qui Didericus habuit tres fratres videlicet Widekint, Immet, & Reinberen, & mater eorum erat filia Wedekindi Ducis Saxoniæ & Weſtphaliæ quem Karolus Magnus fecerat Chriſtianum. Prædicta Mechtilt, ſive Mette, peperit ſibi tres filios, videlicet Ottonem primum, qui poſt eum imperavit Henricum, qui poſtea factus eſt Dux Bavariæ & Brunonem qui factus eſt Archiepiſcopus Colonienſis & cum hoc Dux Lotharingiæ. Henricus Rex condidit Goslariam, Quidlingeborg & Miſnam civitatem quam à rivo ibi ſurgente nominavit: Merſeburgenſem civitatem muro cinxit. Et Methilt prædicti Archi-Comitis Diderici filia uxor ſua fundavit monaſterium in Northuſen. Iſtis temporibus Rex Danorum fit Chriſtianus & Spitigeneus Rex Bohemiæ ſimiliter.

Henricus Rex anno ætatis ſuæ LX. obiit regnum relinquens Ottoni filio ſuo. Otto primus filius ejus Edgith filiam regis Angliæ duxit uxorem, & ad inſtinctum uxoris ſuæ Edgith civitatem Magdeburgenſem condidit: quam poſtea quidam curioſi Parthenopolin nominabant, quod ſonat, virginis civitas, quoniam Magdeburg virginum caſtrum vulgò ſonat. Vide ultra in Chronica Coſmodromii, ſi placet.

Anno quinto regni Ottonis monaſterium Schildeſche in diœceſi Paderbonenſi fundatur.

Anno quinto regni Ottonis obiit Mechtildis mater ſua, filia ſæpe-dicti Oldenburgenſis Archi-Comitis ſepulta in prædicto Northuſenſi monaſterio, ab ea conſtructo, quæ etiam poſt mortem miraculis claruit. Fuit enim illuſtriſſima matrona, miræ ſanctitatis & gratiæ ac manſuetudinis mulier, omniumque aliarum virtutum ſplendore illuſtrata de qua nonnulli celeberrimi ſcriptores mira ſcripſere, quæ ſua virtute Oldenburgenſium Archi-Comitum familiam plurimum exaltavit.

Henricus Dux Bavariæ filius Henrici Ducis Saxoniæ & Thuringiæ ac Regis Almaniæ genuit Henricum ſanctum cujus ipſa Mechtilt avia fuit. Duo fuerunt ei nati filii & unica filia. Primus etenim Pius Henricus poſtea Imperator Secundus Bruno Epiſcopus Auguſtenſis. Filia autem Giſila quæ nupta Stephano Regi Ungariæ regnum ad fidem Chriſti convertit. Dominus autem Henricus Imperator uxorem ut ſororem diligens quam nunquam cognovit cùm prolem ſe nunquam habiturum ſciret terrena in cæleſtia commutans ut clarè patet ſua in legenda. Et ſic quamplures principes ex Oldenburgenſibus Archi-Comitibus ortum habuerunt ut patet in genealogia S. Henrici Imperatoris. Henricus Rex fuit avus, Mechtildis de Oldenburg, Sanctus Stephanus Rex Ungariæ, ſanctus Emericus Dux Ungariæ, Bruno Epiſcopus Auguſtenſis frater ſuus, Otto primus frater pater S. Henrici, Otto ſecundus Imperator, Otto tertius. Reinoldus Comes Albertus Comes Bambergenſis, Bruno Epiſcopus Colonienſis & Dux Lothringiæ frater patris S. Henrici. Danckmarus Dux Saxoniæ, Leudolphus primus Dux & Rex Saxonia ſancta Kunegundis Imperatrix uxor prædicti ſancti Imperatoris. Theodoricus Epiſcopus Metenſis, Henricus Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, Karolus Rex Galliæ, Sigefridus Palatinus Rheni, Lodewicus Rex Franciæ, Karolus Magnus Imperator, Lodewicus Imperator. Ergo bene dixi in prœmio quòd Oldenburgenſes Comites ſunt de proſapia generoſi & inclyti de ramis regum procreati claritudinem ſuam ex nobilium Romanorum ſanguine meritorum ſuorum augmento ditaverunt. Quis autem poſt tempora prædicti Diderici patris Mechtildis reginæ in Archi-Comitatu Oldenburgenſi & in Partibus ſupra ſcriptis uſque ad tempora Udonis marchionis regnaverit certa notitia non habetur. Ideo de ſæpe-dicto Udone & ſuis heredibus in ſequenti capite, pro-ut melius potero, dicere intendam.

Caput quartum de Udone Marchione & Archi-Comite & de filio ejus Hunone & geſtis ejus.

UDO Marchio ac Archi-Comes vir nobilis opibusque clarus pater fuit Hunonis Archi-Comitis. Ex quibus fuerunt Huno & Rixa de Hunone & Guilla natus eſt Archi-Comes Fridericus. De Rixa ſorore Hunonis natus eſt Archi-Comes Egilmarus & dictus Udo quieſcit in Gedeele in Eccleſia S. Viti. Sed Ida ſepulta in Eccleſia ſanctorum Criſpini & Criſpiniani in Elſulete quia & ipſa viro ſupervixit. Poſt mortem Udonis Marchionis, qui tunc adhuc poſſedit terras ſupra-dictas, quas ſui avi & proavi à Julio primo Cæſare liberi receperant à Flumine videlicet Tzena caſtrum Harborg & deſcendendo usque ad barbaricum mare per Albiam poſſedit Waltſatiam & partes circa Wunnam & terram antiquorum Saxonum Laringiam, Ruſtringiam, id eſt, Butjadenſes & Stadlandenſes Stedingiam & Ambriam Tiettmariſſagum, id eſt, Ditmarciam, Wurſatiam, Hadeleriam & cæteras inſulas, ſcilicet Kedingiam & antiquam. Ipſa inquam vidua mortuo marito ejus Udone copulata fuit Regi Ruſſorum unde genuit filium nomine Vaterlant qui manſit monarcha Ruſſiæ. Sed mater ejus reverſa eſt in Elſulete & cum Emma nobili vidua in multis Bremenſi benefecit Eccleſiæ, & ibidem in Bremenſi Eccleſia ſepulta ad Auſtrum ſub lapide quadrato. Circa quod inventum eſt hujusmodi ſcriptum in lamina ſtannea. Emma ancilla Chriſti hic ſepulta manet. Ex quo patet quod Comitatus Udonis marchionis circumcinxit totam diœceſin Bremenſem. Et quod modò habent clauſtra vicina totum eſt de patrimonio dicti Udonis & ex largitione regum Franciæ qui hoc ſuo ſanguine lucrati ſunt à Rege Saxonum qui & propinquus carne & ſanguine fuit Comitibus iſtis Palatinis Stadenſibus & Marchionibus. Patet etiam quod Archi-Comites de Oldenborg & Comites de Brockhuſen de ſanguine iſto proceſſerint licet in clypeis & ſignis militaribus rectè diſtinctionis terræ ſint jam diverſificati. Olim enim ſubactis regnis & dominiis Romani terras in provincias & Comitatus diviſerunt & unicuique terræ provinciæ & Cometiæ proprium clypeum tradiderunt.

Huno namque manu potenti & brachio excelſo jure tamen hereditario hujusmodi terminos poſſidebat terram Ruſtringiæ, Stedingiæ Ambriæ partem etiam Saxoniæ & Weſtphaliæ & terram Holtzatorum prope Wynnam. Adhuc enim apud Laras paucæ erant eccleſiæ quæ à ſanctis Willehado, Anſchario & Reimberto patribus ſanctiſſimis ædificatæ. Sola Laringorum pars infima pauca Ammirorum usque Wildeshuſen & Hilgenvelde. Stedingi verò tempore Willehadi ad Machtenſte pertinebat ubi & ipſe capellam ſub caſtro Henrici de Machtenſtede conſecravit. Poſteà verò Anſcharius eccleſias erexit Stedingorum ab utraque parte Hunte, unam in Elſulete in honorem SS. Criſpini & Criſpiniani martyrum quorum corpora Karolus Magnus ad eccleſiam miſit Oſnaburgenſem cæterisque cum corporibus multis. Aliam verò in Berna in honoris ſancti confeſſoris Chriſti Ægidii abbatis venerandi qui & ipſe confeſſor erat Karoli temporibus ſuis. Nondum enim caſtrum in Oldenburg perfectè conſtructum fuerat nec aliqua baſilica in tota Ambria ſive terra Ammirorum præterquam in Wivelſtede ubi pro nunc frater meus Dominus Bernhardus Schiphower de Meppis eſt paſtor anno MDII.

Eo tempore quo nobilis homo generoſus Archi-Comes Huno cum filio ſuo Friderico conſiliatus fuit conſtruere monaſterium Raſtedenſe. Nam diu poſt Anſcharium, qui eccleſiam dedicavit in honorem ſanctorum Sixti & * in Wanga qui etiam eccleſiam in Acken in honorem S. Willehadi egregiè dedicavit: & longo poſt tempore reverendiſſimus in Chriſto pater Dominus Adalbertus eccleſiarum Bremenſis & Hamburgenſis Archiepiſcopus, & in regnis Septentrionalibus Apoſtolicæ ſedis legatus primas Anno Domini MLVII. eccleſiam parachialem primò erexit in Wivelſtede dedicans eam in honore ſanctorum Johannis Baptiſtæ & ſanctæ Radegundis reginæ cujus feſtivitas eſt ſequenti die Scholaſticæ virginis. Ad hanc etiam eccleſiam Wivelſtedenſem omnes prope Hatten jacentes villæ pertinebant & ad id opus traducendi juxta deſertum Stedingiæ via paluſtris facta fuit usque ad collem gentilium proprie

bey den Heiden Wal per trabes alnorum in ceſpite ut orationis cauſa in feſtivitatibus confluere poſſent ad dictam eccleſiam parochialem. Quam Archiepiſcopus Adalbertus Dominica poſt Galli & Lulli cum aliis ſanctis Præſulibus dedicavit in honorem ſancti ſalvatoris & ejus genitricis Mariæ, ſub invocatione ſanctorum præallegatorum: & benedixit illac orationis cauſſa confluentes Apoſtolicæ ſedis auctoritate, qua ut legatus fungebatur.

Anno Domini MLIX. Indictione XII. tertio Septembris glorioſus Huno Archi-Comes ut cultum divini nominis amplius augmentaret non immemor iſtius prophetici O Iſraël quàm magna domus Domini & ingens locus poſſeſſionis ejus: nihilominus ipſius Pſalmiſtæ: Domum tuam Domine decet ſanctitudo quia in ea omnis qui petit accipit, Archiepiſcopum ante-dictum Adelbertum devotis precibus petiit, ut ſibi in honore beati Odelrici olim Auguſtenſis Epiſcopi de proſapia Alamanorum nati, liceret in loco qui Raſtede dicitur unam Baſilicam fabricare. Votis igitur hujus Archi-Comitis cum idem Archiepiſcopus favorabiliter annuiſſet ipſam fundavit eccleſiam S. Odelrici cui has villas attribuit Neten, Hana, Vigendebike, Lemede, Rethe, Horne, Berchorne, Loyge, Oſtmannehorſt, Haddinckhuſen, Michuſen, Ritterſtede ea conditione ut ſalvo honore & debito jure matris eccleſiæ in Wivelſtede ad præfatam Raſtedenſem eccleſiam hæ villæ permaneant & abſque conditione ſubjaceant: ita tamen ſi advocatus ipſius eccleſiæ, puta Huno Archi-Comes & heredes ſui, eidem Archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus obedientiam exhibuerint nec Doctorem juſtitiæ prævaricatione contriſtaverint. Obtinuit itaque dictus Archiepiſcopus ſibi & ſuis ſucceſſoribus plenum jus præſentandi dictam eccleſiam primam ſcilicet Wivelſtede dans Balivo ſuo hujus Archi-Comitis jus patronatus eccleſiæ S. Odelrici juſtitia Archiepiſcopali ſemper ſalva. Fundata verò hac eccleſia ædificiis pulcris Archi-Comes Huno ſpecialiter ſibi & uxori ſuæ cryptam ſive capellam ſub choro præcepit conſtrui in honore beatæ Annæ matris Mariæ in quo ſemotis negociis ſecularibus Deo funderet preces. Nam antea de partibus Friſiæ, puta Ruſtringiæ, à parochia Jedele erant exſiliati proſcripti & profugati. Auxilio autem & favore dicti Archiepiſcopi, ut balivi ejus ſeſe inibi receperunt, homagium eccleſiæ Hamburgenſi farientes miniſteriales ſcilicet effecti Cæſare Romano cum Ducibus Bavariæ & Saxoniæ annuentibus. Nam & Huno cum Guilla conjuge Deo frequenter, ut boni cœlicæ preces indefeſſas fuderunt & ſpecialiter fidei devotione, quam in ſpiritu geſtabant frequenter, & in opere illuc cum vera innocentia comportarent. Statuit itaque de conſenſu Archiepiſcopi memorati in ipſa eccleſia beati Odelrici conventum Monialium bona eis neceſſaria tribuens prout facultas omnium ſuppetebat. Completis itaque omnibus, quæ ad hanc ſtructuram neceſſaria videbantur idem Archi-Comes in Domino glorioſus procuravit dictam eccleſiam ab ante-dicto Archiepiſcopo conſecrari. Poſtquam verò Archi-Comes Huno cum uxore ſua & filio devote vixiſſent multis annis contigit quod Romanorum Imperator Henricus tertius, qui tunc de proſapia Ducum Brunſuicenſium traxit originem in opido reſideret Goslariæ propè Hartonem proprie bi dem Harte cum omnibus principibus, Comitibus & Baronibus Teutoniæ generale celebrare concilium decreviſſet ad quod omnes cum mandato Imperatoris illuc veniendi pertranſiſſent Archi-Comes Huno quia Deo magis, quàm Imperatori militaverat præpeditus orationibus & aliis bonis operibus huic concilio Imperatorio nullo potuit intereſſe modo verum cum in die comparationis requireretur abſentia coram Rege à quibusdam detractoribus hujus Archi-Comitis Hunonis, bonisque ejus operibus invidentibus regalibus auribus ejus rebellio promulgatur. Porrò Imperator ſuſurronum detractionibus in furorem atrociter excitatus ſæpedictum Hunonem Archi-Comitem edictis citatoriis iteratò citaverat addens ut ſecum unum fortem pugilem traduceret qui contra ſuum pugilem more Friſonum dimicaret. Erat enim pugil Regis leo magnus & fortis cui parva dabantur ſtipendia victus pro eo, ut is minus ab ortu non exiret, qui dignus eſſet in ortu hujus puniendus. Ad Archi-Comitem Hunonem cum tale edictum Imperatorium perveniſſet accepto cum filio ſuo & magno comitatu itinere gaudenter ſe ad Imperatorem tranſtulit de divina miſericordia non diffidens, quin bene Deus juſtum tentando probaret & poſt tentationem remuneraret in præſenti ſeculo, vel in futuro. Imperator ergo viſo Hunone Archi-Co-

mite glorioſo præcepit filio ſuo Friderico contra leonem fortiſſimum dimicare: Et hoc in pœnam illius, quia cum omnes principes & nobiles Teutoniæ ad ſuum citati concilium veniſſent ipſe tamen ſolus præ omnibus ſe abſentare ſpecialiter præſumſiſſet. Quo audito pater Friderici dolore nimio conſternatus primò auxilium & gratiam quæſivit à Domino orans, ut quemadmodum Deus Abraham in immolatione filii ſui probaſſet & probato pepercisſet ita & ipſe filio ſuo pro ſua miſericordia dignaretur parcere & eum de morſu leonis miſericorditer liberare. Vovit igitur cum filio ſuo devotè Domino monaſterium in honorem beatæ virginis conſtruere ſi tantum filius ſuus pugnaturus cum tam crudeli beſtia triumpharet. Inter hæc vocatur Archi-Comes Fridericus, leonem aggredi præcipitur qui à patre ut ſe defendat viriliter confortatur. Dum autem leonem aggreditur hoc attendit quòd ſubtilitas & conſilium ſapientis fortitudinem virium frangit manipulum quem ſecum ad ſimilitudinem hominis armati acceperat leonem terruit quem ut beſtia non utens diſcretione hominem armatum putaverat, nec tam ſubtilitate, quàm etiam ferro proſternitur ac adoleſcens ſine aliqua læſione de campo ubi triumphaverat revertitur incolumis atque ſanus. Imperator verò Henricus tertius eum à duello revertentem utrisque brachiis apprehendit cingulo militari ſuſcipit annuum tradit dans ei bona pro triumpho videlicet bona ſita juxta civitatem Zoſatienſem vel prope Zoſatum ad Imperium pertinentia ſcilicet Huvinckhave, Bethinckhuſen, Leverinckhuſen, Bedinckdorp, Smerlate, Mardige, Iſerlo, Aperne, Winſterſterne, Windinckhuſen, Brockhuſen, Harinckdorf, Verder, Aſchebergen, Bunkenhuſen, cum eccleſiis & cum omnibus miniſterialibus & vaſallis, & cum omni proprietate prout ad Imperium liberaliter pertinuerunt ulterius dando ſeu diſtribuendo ut ea poſſideat in perpetuum pleno jure. Contulit etiam & Cometiam ſuam, quam antea habuerat ab Imperio in feudum poſtea in perpetuum liberam & de omni jure infeudationis Imperii ipſam excluſerat & exemit ſcilicet Ruſtringiam, Ambriam & Stedingiam. O quam lætum iter glorioſi nobiles Archi-Comites in reditu direxerunt quia triumphum meruerunt honorem à pluribus perceperunt. Monaſterium pro-ut voverunt beatæ Mariæ virgini conſtruere inceperuot cui prædia & poſſeſſiones de ſuo Dominio ſuperflue largientes & Præpoſituram ſub Præpoſito S. Willehadi conſtituentes. Numerus ſacerdotum irregularium ibidem erat duodenarius juxta numerum XII. Apoſtolorum ut Præpoſitus tertius-decimus eſſet vice Chriſti. Et tunc nobilis Huno Archi-Comes viam univerſæ carnis ingreditur & in dicto monaſterio & collegio clericorum ante altare ſancti Johannis Baptiſtæ dignis exſequiis ſepelitur. Ad cujus etiam ſepulcrum, ut refertur, ægri veniunt & ſanantur. Obiit autem ipſo die commemorationis animarum ſequenti die omnium ſanctorum, qui erat Cæſarii, cujus corpus eſt in Brema. Guilla verò Archi-Comitiſſa monaſterium intravit ſororum & monialium in eccleſia S. Odelrici & ibidem dcificè converſata fuit obedientiam regularem benè & optimè ſervavit & poſt pauxillum temporis moritur & juxta maritum ſuum ſepelitur. Obiit autem ipſo die octavarum omnium ſanctorum in die beati Willehadi Epiſcopi plena operibus bonis migravit ad Chriſtum quem hic dilexit. Ipſa etiam ædificavit eccleſiam in Guilſtede prope, Wunniam Canonici autem eccleſiæ S. Mariæ in Raſtede mira tunc in ejus tumba & miracula fieri teſtati ſunt & non modica. Feliciter igitur inpauſando exſpectat futurum judicem.

Fridericus autem Archi-Comes, qui unicus heres & ſuperſtes iſtius erat Dominii, cum ſine uxore viveret, ſuaſum eſt ei ab amicis, ut conjugem nobilem duceret, quatenus tantum Dominium non deficeret ſine herede & eo mortuo non ſuccumberet manibus alienis. Et hic tamen ad amorem conjugis induci non poterat, quia Dei plus, quàm conjugis amore æſtuabat. Sed cum ad conjugem ducendam induci non poterat de ſalute animæ ſalubriter cogitans imaginem beatæ Mariæ virginis ſibi fecit heredem & ſibi apportari fecit filium ejusdem virginis tribuens ei omnia quæ ad Ambriam pertinuerunt. Et tribus quaſi ſtadiis retro eccleſiam ad Occidentem apparuit ei angelus qui chirothecam cum annulo detulit ei per aëra ut videbatur cantando: Gloria in excelſis Deo & repræſentavit virginis imaginem, quæ adhuc inconvulsè ibidem cuſtoditur. Tandem Canonicos ejusdem eccleſiæ conſentiente Archiepiſcopo Adelberto monachos ordinis S. Benedicti fieri procuravit ut Deo ibi ſub regulari ob-

ſervantia devotius famularentur, & illorum religioſorum quidam de Idele, quidam de diœceſi Bremenſi quidam de Colonia venere, ut dictos novellos in regula de Canonicis irregularibus monachos regulares ordinis S. Benedicti perfectius ibi in regulari obſervantia viverent. Sed tales monachi in Raſtede degentes ſatis irregulariter vixerunt usque ad tempora Johannis Archi-Comitis anno MDIII. qui eos tunc per patres ordinis ad viam veritatis quantum potuit reduxit. Archi-Comes verò Fridericus plenus dierum bonorum moritur, & apud patrem ſuum glorioſum Hunonem feliciter ſepelitur. Creduntur autem iſti nobiles regni cœleſtis meruiſſe introitum, quia non paucis in firmis ſanitatem ab eis deſiderantibus à ſuis languoribus præſtiterunt.

Pro majori declaratione, ô lector, nota quòd ille Henricus tertius de quo ſuperius habitum eſt fuit ſeptimus Germanorum Imperator & imperavit annis XLIIX. vir in bono, ut ajunt, lenis, & in malo pertinax, qui ſuſcepto Imperio factus elatus & immortali Deo ſpreto, religione pœnaque contemta à patriis moribus averſus calcem & cornua contra Dei eccleſiam ſuperbè nimiumque erexit multosque Germaniæ & Italiæ Principes injuriis laceſſere ac vexare cœpit, ut patuit ſuperius in glorioſo Humone & ejus filio Friderico, licet ego pauca de ejus regno atque fine ſcribere diſpoſui, quia hiſtoria ſatis eſt pulcra. Reperi enim in quadam authentica Chronica ea quæ ſequuntur: Imperialis regni gubernacula in Regis Henrici tertii pueritia non modice diſſoluta fuerunt & ipſo, creſcente & adolente non minus. Mox enim ut factus eſt vir, omnem gentem Saxonum atrociter perſequi cœpit. Deinde Ottoni Ducatum Bavariæ, quia Saxo erat abſtulit, & Welponi dedit. Poſthæc ad depreſſionem totius Saxoniæ in Hartico clivo caſtrum firmiſſimum, quod dicitur Hartesborg collocavit. Quamobrem irati principes Saxonum in unum conglobati caſtrum quod ipſis propter jugum impoſitum fuerat ad ſolum diruerunt & obfirmati ſunt animi Saxonum adverſus Regem fueruntque eis Principes Wizelo Magdeburgenſis, Bucco Halverſtadenſis, Otto Dux, Magnus Dux, Udo Marchio pater Hunonis Archi-Comitis Oldenburgenſis & alii multi nobiles. Ad quorum audaciam obtundendam Rex celeriter exercitu cum venit adjuncto ſibi Suevorum Duce Rodolfo multisque regni Principibus. Sed & Saxones nil morati viriliter occurrerunt, in prælium convenerunt exercitus juxta flumen Unſtroth. Cumque non longè abeſſet pugna, factum eſt ex conſilio utriusque partis, ut laudaretur pax usque poſt biduum ſperántes bellum pace ſopiri. Saxones igitur pace delectati ſtatim exuerunt ſe armis, & diffuſi ſunt per latitudinem campi figentes caſtra & curam corporis exſequentes. Circa horam diei nonam, videntes ſpeculatores Regis Saxones remiſſos & diſperſos ſuper faciem campi nihilque ſuſpicantes mali feſtinantes renunciaverunt Regi, quia Saxones præparaverunt ſe ad prælium. Itaque concitatus Regis exercitus tranſmiſſo vado irruerunt ſuper quietes & inermes proſtraveruntque multa millia Saxonum in die illa. Cum igitur Saxones pro tuenda libertate bellum adhuc intentarent Dux Suevorum vir bonus & amator pacis primum regio honori, deinde Saxonum ſaluti conſulens apud Saxones obtinuit, ut ſe in poteſtatem Regis traderent Principes eorum, Wizelo Magdeburgenſis, Bucco Halverſtadenſis, Otto Dux, Magnus Dux, Udo Marchio, pater Hunonis Archi-Comitis Oldenborgenſis interpoſitis ſcilicet conditionibus, ne captivitate gravarentur aut ullam ſuſtinerent læſionis moleſtiam. Statim ergo ubi Saxones conſiliis illecti Regis poteſtati ſe tradiderunt, ille juſſit eos arctiori cuſtodiæ mancipari non reveritus promiſſionis fidem. Et contriſtatus eſt Rodolphus Dux eo, quod promiſſa implere non potuiſſet. Poſt paucos autem dies Principes Saxonum præter voluntatem Regis captivitate abſoluti in propria reverſi ſunt nec unquam de cætero promiſſionibus Regis fidem præbuerunt. Miſſa igitur relatione Saxonum Principes ad Apoſtolicam ſedem conqueſti ſunt reverendiſſimo Papæ Gregorio, qualiter Rex divinæ legis contemtor eccleſiis Dei in ſtatuendis Epiſcopis omnem canonicæ electionis libertatem adimeret ponens per violentiam Epiſcopos quos voluiſſet. Inſuper quod more Nicolaitarum de uxore ſua publicum feciſſet proſtibulum ſubjiciens eam per vim aliorum libidini, aliaque plurima quæ inconvenientia viſa ſunt & auditu difficilia. Quamobrem Dominus Apoſtolicus Zelo juſtitiæ permotus miſſis legatis vocavit Regem ad Apoſtolicæ ſedis audientiam. Qui ſecundam & tertiam vocationem diſſimulans,

ad ulti-

ad ultimum familiarum conſiliis aſtrictus, timentium ne regno juſtè deponeretur, ivit Romam, ubi ſuper his, unde juſte pulſabatur, ſeſe paſtoris permiſit arbitrio. Accepit ergo in mandatis, ut anno integro Roma non diſcederet, equum non aſcenderet, ſed in veſte humili circumiret limina eccleſiarum orationibus & jejuniis reddens dignum pœnitentiæ fructum. Quod Rex humiliter adimplere ſatagit. Videntes igitur Cardinales & hi, qui de curia fuerunt, qui præ timore ſedis Apoſtolicæ contremiſcunt poteſtates, & curvantur ii, qui portant orbem, hortati fuerunt Dominum Apoſtolicum, ut transferret regnum ad alium virum dicentes indignum eſſe, ut talis regnet, qui de publicis convictus eſt facinoribus. Percunctanti igitur Apoſtolico quisnam in Alemania dignus eſſet tanto culmine, deſignatus eſt Dux Suevorum Rodolphus, quòd ſcilicet vir bonus, amator pacis & circa cultum ſacerdotii & eccleſiarum optimè affectus. Cui Dominus Papa auream transmiſit coronam hoc verſu intitulatam:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Præcepitque Maguntino & Colonienſi cæterisque Epiſcopis, ut adjuvarent partes Rodolphi, & ſtatuerent eum in Regem. Quotquot ergo receperunt verbum Papæ, elegerunt Rodolphum in Regem additique ſunt parti ejus Saxones & Suevi. Cæteri Principes & civitates circa Rhenum non receperunt eum omnesque Francorum populi, eo quod juraſſent Henrico, & juramenta temerare noluiſſent. Porrò Henricus conſiſtebat apud Romam mandatis obſecundans malorum ignarus, quæ adverſus ipſum agebantur. Surrexit ergo quidam Strazeburgenſis Epiſcopus, amiciſſimus Regi Henrico & velociter vadens Romam diu quæſitum Regem invenit inter memorias martyrum diverſantem. De cujus adventu Rex lætior effectus cœpit percunctari de ſtatu regni, aut ſi omnia in pace conſiſterent. Cui ille intimavit novum principem electum factuque opus eſſe, ut quantocyus Teutonicam terram reviſeret ad confortandos amicorum animos & conatus hoſtium reprimendos. Cumque Rex prætenderet nequaquam ſibi ſine licentia ſedis Apoſtolicæ abeundum: iſte reſpondit noveritis certe, omne hoc conſpirationis malum, de fonte Romanæ perfidiæ manaſſe. Imo ſi captionem evadere voles de urbe tibi clanculo exeundum eſt. Egreſſus ergo noctu Rex exiit Italiam, firmatisque pro tempore rebus in Longobardia, venit in Teutonicam terram. Lætatique ſunt de inſperato eventu Principis omnes civitates Rheni & univerſi, qui favebant parti ejus. Congregavitque exercitum grandem, ut expugnaret Rodolpum fuitque cum eo famoſiſſimus ille Dux Godefridus de Bullion, qui poſtea liberavit Hieruſalem, multique potentum. Saxonum verò & Suevorum exercitus erant cum Rodolpho. Pugnaverunt ergo Reges mutuo, & victa eſt pars Rodolphi cecideruntque Saxones & Suevi. Porro Rodolphus vulneratus in manu dextra fugit Marcipolin mortique jam proximus, dixit ad familiares ſuos: Videtis manum dexteram meam de vulnere ſauciam. Hac ego juravi Domino meo Henrico utique Imperatori, ut non nocerem ei nec inſidiarer gloriæ ejus. Sed juſſio Apoſtolica & Pontificum petitio me ad id deduxit, ut juramenti transgreſſor honorem mihi indebitum uſurparem. Ecce cauſſa meæ digniſſimæ pœna! Quis igitur finis nos exceperit videtis quia in manu, unde juramenta violavi mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo hi, qui nos inſtigaverunt, qualiter nos duxerint ne forte deducti ſimus in præcipitium æternæ damnationis. Et hæc dicens cum gravi moleſtia diem clauſit extremum. Tunc Rex Henricus elatus proſperis ſucceſſibus grande Epiſcoporum collegit concilium ibique Gregorium Papam, velut regni traditorem, & eccleſiaſticæ pacis perturbatorem, damnari fecit. Inde grandi collecta expeditione tranſiit in Italiam occupansque matrem Imperii Romam, multisque civium ibidem interfectis fugavit inde Gregorium potitusque ad votum urbe & Senatu, Wibertum Ravennæ ſedis Epiſcopum ordinari fecit in Papam, à quo etiam benedictione perceptà à populo Romano ſalutatus eſt Imperator & Auguſtus. Factumque eſt verbum hoc in laqueum magnum in Iſraël, ſiquidem ex illa die orta ſchiſmata ſunt in Eccleſia Dei qualia non fuerunt in diebus antiquis. Et ii, qui videbantur perfectiores & columnæ in domo Dei adhæſerunt Gregorio cæteri quos aut timor aut favor Cæſareus agebat, ſecuti ſunt Wibertum Ravennatenſem Epiſcopum qui & Clemens. Duravitque ſchiſma hoc XXV. annis. Defuncto enim Gregorio ſucceſſit Deſiderius poſt quem

quem Urbanus, deinde Paſchalis ſecundus, qui omnes Imperatorem cum Papa ſuo damnaverunt continentes ſe apud Reges Franciæ, Siciliæ & Hiſpaniæ, qui catholicam partem tueri videbantur. Saxones quoque poſtquam de cæde vires recuperaverunt, ſtatuerunt ſibi Regem Hermannum quendam cognomento Cnuflock, & inſtauraverunt prælium adverſus Henricum Cæſarem. Cumque Saxonus novus Princeps, ſecundo potitus victoria, caſtrum quoddam victor ingrederetur, contigit miro Dei judicio, ut porta cardinibus avulſa Regem cum aliis quam-pluribus attriverit, conatusque Saxonum etiam tunc fruſtratus concidit. Nec adjecerunt ultra creare novum regem nec arma ferre adverſus Henricum Cæſarem, videntes ei regnum conſervari divina voluntate approbante, ſive permittente.

Res digna relatu poſteritatisque memoria contigit in diebus Henrici ſenioris. Nam Petrus quidam genere Hiſpanus, monachus ordinis Fratrum Eremitarum Divi patris Auguſtini ingreſſus fines Romani Imperii vocem prædicationis emiſit in univerſo regno adhortans populum ire Hieroſolymam, pro liberatione civitatis ſanctæ, quæ tenebatur à barbaris. Protulit autem Epiſtolam, quam de cœlo affirmavit allatam, in qua continebatur ſcriptum: Quia impleta ſunt tempora nationum, & liberanda eſſet civitas, quæ calcabatur à gentibus. Tunc ergo univerſarum regionum poteſtates, Epiſcopi, Duces, Præfecti, Militares viri, nec non plebei abbates, monachi egreſſi ſunt ad iter illud Hieroſolymitanum ſub Duce fortiſſimo Godefrido, fretique divinæ virtutis auxilio Nicæam, Antiochiam, multasque civitates à Barbaris poſſeſſas, receperunt. Inde progreſſi civitatem ſanctam de manu Barbarorum liberaverunt. Et cœpit deinceps pullulare in eodem loco incrementum divinæ laudationis, & adoratur Dominus à populis terrarum, in loco ubi ſteterunt pedes ejus.

Poſt tempora dierum illorum mortuus eſt Wibertus, qui & Clemens, & ſopita ſunt ſchiſmata, & rediit univerſa eccleſia ad Paſchalem & factum eſt unum ovile & unus paſtor. Igitur ubi firmatus eſt Paſchalis in ſede, præcepit excommunicari Imperatorem ab univerſis Epiſcopis & catholicæ Eccleſiæ cultoribus & eo-usque ſententia hæc invaluit, ut, collecta generali curia, Principes Henrico diadema tollendum, & ad filium ejus æquivocum transferendum decernerent. Erat autem idem jamdudum ex petitione Patris deſignatus in Principem. Miſſi ergo à Principibus venerunt ad Regem, qui tunc forte conſiſtebat in corte regia Hingelheim, Maguntinus, Colonienſis, Wormatienſis & pertulerunt ad eum mandatum ex ore Principum, dicentes: Fac nobis reddi coronam, annulum & purpuram, cæteraque ad inveſtituram Imperialem pertinentia, filio tuo deferenda. Illo percunctante dejectionis ſuæ culpam, reſponderunt, dicentes: Quid quæris ea, quæ optimè noſti? Meminiſti qualiter univerſa eccleſia tui cauſſa maximo ſchiſmatis errore multis jam annis laboraverit, qualiter Epiſcopatus, Abbates, præterea omnia eccleſiæ regimina feciſti venalia nec fuit in conſtituendis Epiſcopis ulla legitimæ electionis facultas, ſed ſola pecuniæ ratio. Pro his & aliis cauſſis ſanxit auctoritas Apoſtolica, favitque principum unanimitas, te non ſolum regno, verum etiam eccleſiaſtica communione privandum. Quo contra Rex ait: Dicitis quia ſpirituales dignitates precio vendiderimus veſtra quidem poteſtas eſt, tale nobis crimen impingere. Dic ergo ô Moguntine, dic adjuratus per nomen æterni Dei, quid exegimus, aut recepimus, quando te Moguntiæ præfecimus? Tu quoque Colonienſis, per fidem te contestamur, quid nobis dediſti pro ſede, cui noſtra munificentia præſides? Illis fatentibus, nihil pecuniæ hujus rei gratia aut oblatum, aut acceptum, Rex ait, gloria Deo, quia vel in hac parte fideles inventi ſumus. Certè dignitates eæ duæ præſtantiſſimæ ſunt, & magnum quæſtum Cameræ noſtræ referre poterant. Porro Dominus Wormatienſis, qualis in nobis ſuſceptus, ad quid promotus ſi pietate, vel quæſtu erga ipſum uſi fuerimus, nec vos, nec ipſum latet. Condignam ergo beneficiis noſtris rependitis gratiam? Nolite, quæſo, effici participes eorum, qui levaverunt manus adverſus Dominum & Regem ſuum, & temeraverunt fidem & juramentorum ſacramenta. Ecce jam defecimus parumque nobis vitæ reſtat ſenio & labore confectis: ſuſtinete modicum, & nolite gloriam noſtram confuſione terminare. Si autem nobis cedendum omnino eſſe dicitis, & manet fixa ſententia, præfigantur induciæ, ſtatuantur dies placiti, ſi Curia adjudicaverit filio noſtro coronam manibus propriis re-

ſigna-

ſignabimus. Generalem itaque curiæ audientiam expetimus. Illis è contrario nitentibus & dicentibus ſe negocium pro quo miſſi fuerant fortiter expleturos, Rex parumper avulſus ab eis, fidelium ſuorum participavit conſilio. Videnſque quia legati veniſſent ſtipati militia, & non eſſet locus reſiſtendi, fecit ſibi regiam exhiberi præparaturam, qua indutus & in ſedem receptus legatos alloquitur dicens: Hæc quidem Imperialis honoris inſignia mihi præſtitit æterni Regis pietas, & principum regni electio concors. Potens autem eſt Deus, qui me ad hoc culmen ſua dignatione provexit mihi conſervare quod conceſſerit manuſque veſtras à cœpto opere cohibere. Divino enim præſidio nos enixius inniti oportet, omni ſcilicet militia & armis deſtitutos. Hactenus quidem externis bellis impliciti, ſemper in cuſtodiæ noſtræ diligentia conſtitimus, omnes impugnationum jacturas propitia divinitate, partim conſilio, partim virtute prælii evincentes. Hoc autem inteſtinum malum, ſicut nec ſuſpectum habuimus, ita nec præcavimus. Quis enim in orbe Chriſtiano tantum conſurgere crederet, ut jurata Principi ſacramenta fidelitatis irritentur, ſuſcitetur filius adverſus patrem, poſtremò nulla beneficiis gratia, honeſtati reverentia exhibeatur? Certè majeſtas Imperatoria eam etiam erga hoſtes honeſtatis diſciplinam ſervare conſuevit, ut proſcribendis ſive damnandis, vacationum ſive induciarum remedia non negaverit, ante præmuniens, quàm feriens prius invitans ad gratiam, quàm damnans. At nobis contra fas, vocationes & audientia negantur. Ideoque præfocamur, ne audiamur. Quis tantam mentis alienationem à fidiſſimis amicis, maximè verò à Pontificibus crederet? Dominum ergo factorem orbis vobis proponimus, ut ipſius terror vos coherceat, quos pietas non revocat. Quod ſi nec Deum, nec honeſtatem veſtram reveremini, ecce præſentes ſumus, violentiam explodere non poſſumus neceſſarium eſt vim ſuſtinere, cui refragari locus non eſt. Cœperunt ergo Pontifices hæſitare quid agerent: magnarum enim rerum ingreſſus ſemper ſunt difficiles. Tandem Maguntinus allocutus eſt ſocios, dicens: quo-usque trepidamus, ô ſocii? Nonne officii noſtri eſt Regem conſecrare, conſecratum inveſtire? Quod ergo Principum decreto impendere licet, eorundem authoritate tollere non licet? Quem meritum inveſtimus, immeritum quare non deveſtiamus? Statimque accepto conamine, Regem aggreſſi ſunt, eique coronam de capite abruperunt. Deinde ſublatum de ſede, purpura, cæteriſque quæ ad ſacram inveſtituram pertinent, funditus exuerunt. Tunc Rex confuſione circumdatus, ait ad eos: Videat Dominus & judicet, quia inique agitis contra me. Ego quidem luo peccata adoleſcentiæ meæ recipiens à Domino ſtateram æqui ponderis, ignominiam & confuſionem, quantam nemo regum, qui ante me fuerunt, ſuſtinuiſſe dinoſcitur. Non vos tamen ideo immunes à peccatis, qui levaſtis manus adverſus Dominum veſtrum & prævaricati eſtis jusjurandum, quod juraſtis: videat Dominus & ulciſcatur in vos Deus, inquam, ultionum Dominus. Non conſurgatis neque creſcatis, neque proſperetur honor veſter, ſitque portio veſtra cum eo, qui tradidit Chriſtum Dominum. At illi obturantes aures ſuas, perrexerunt ad filium deferentes ei Imperialia, firmanteſque eum in Regem.

Surrexit igitur filius adverſus patrem, & expulit eum à regno: ille fugiens à facie filii ſui, pervenit ad Ducatum, qui dicitur Linburg, pergens & accelerans, ut evaderet manus quærentium animam ipſius. Erat autem in regione illa Princeps nobilis quem Cæſar adhuc ſui compos, Ducatu de Linthburg deſtituerat, & alii dederat. Accidit ergo, ut idem Princeps fortè venationi deditus eſſet prope viam, cum Cæſar tranſiret comitatus viris novem animadvertitque, quia fugeret à facie filii ſui. Jam enim aliquid auditum fuerat. Sedenſque in equo, aſſumtis militibus inſecutus eſt Regem velocius. Quem videns Cæſar & reputans hoſtem, cœpit metuere de vita, & exclamans voce magna cœpit poſtulare veniam. At ille: male, inquit, Domine erga me meruiſtis, qui ſupplicanti omnem negaſtis gratiam, & abſtuliſtis mihi Ducatum meum. Hoc eſt, ait Cæſar, quod nunc luo, quia filius meus ſurrexit contra me & depulſus ſum ab omni honore meo. Videns ergo Princeps ille regem deſolatum miſeratione commotus ait ad eum: Licet quidem poteſtate veſtra in me abuſus fueritis, Deus tamen novit, quia magna ſuper vos pœnitudine movear. Impietas enim maxima adverſum vos commiſſa eſt, ab eis maximè, apud quos pius & benefi-

cus ſemper extitiſtis. Quid ergo vobis videtur, eſtne vobis inter Principes aliquis relictus.

Cumque Cæſar diceret ſe ignorare, eo quod necdum eſſent tentatum, ille ait: Potens eſt Deus adhuc reſarcire honorem veſtrum, eo quod inique actum ſit adverſus vos. Facite ergo, quod ſuadeo, aſcendite urbem hanc, & habete corporis feſſi curam, mittamusque ad regiones & civitates, tentare, ſi poſſimus alicubi invenire auxilium. Forſitan enim non ex toto defecit juſtitia à filiis hominum. Nec mora miſit circum-quaque pro militibus, collegitque quaſi octingento loricatos, aſſumtumque Cæſarem perduxit in civitatem magnam Coloniam. Colonienſes verò receperunt eum. Quod cum audiviſſet filius venit cum exercitu grandi, & obſedit Coloniam. Cumque obſidio vehementer increſceret, Cæſar timens civitati, noctu fugit Leodium. Et convenerunt illic ad eum viri conſtantes, & quorum corda miſeratio tetigerat. Perſpectoque auxiliatorum numero, dimicare ſtatuit. Quem cum filius perſequeretur in manu gravi ille egreſſus eſt in occurſum ejus ad aquas Moſanas. Rogavitque Principes & omne robur exercitus ſui, dicens. Si fortiſſimus Deus nos hodie adjuverit in prælio, factique fuerimus in conflictu ſuperiores ſervate mihi filium meum, & nolite interficere eum. Commiſſum eſt ergo prælium, & prævalens pater fugavit filium trans pontem, multique illic occiſi gladio, plures aquis præfocati ſunt. Rurſus inſtauratum eſt prælium, & Cæſar ſenior victus, concluſus, comprehenſus eſt. Quantas autem contumelias, quanta opprobria vir iſte magnificus in diebus iſtis pertulerit, ſicut relatu difficile, ita auditu lamentabile eſt. Inſultabant ei amici, illudebant illi nihilominus inimici. Denique, ut ajunt, pauperculus quidam, ſed literatus, coram omnibus adorſus eſt eum dicens: Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ prius operaberis judicans judicia injuſta, opprimens juſtum & dimittens noxium. Cui cum adſtantes iraſcerentur, viri ſcilicet ſenſati, Cæſar compeſcuit eos dicens, Nolite, quæſo, iraſci in eum. Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de utero meo, quærit animam meam, quanto magis alienus. Sinite eum ut maledicat, quia voluntas Dei eſt. Erat autem illic Epiſcopus Spirenſis, Cæſari quondam dilectiſſimus: nam & templum ingens Dei genitrici apud Spiram conſtruxerat: præterea civitatem & Epiſcopium decenter promoverat. Dixit ergo Cæſar ad amicum ſuum Epiſcopum de Spira: Ecce deſtitutus regnò, decidi à ſpe, nihilque mihi utilius eſt, quàm renunciare militiæ. Da ergo mihi præbendam apud Spiram, ut ſim famulus Dominæ meæ Dei genitricis cui devotus ſemper extiti. Novi enim literas, & poſſum adhuc ſubſervire choro. Ad quem ille: per matrem, inquit, Domini, non faciam tibi quod petis. Tunc Cæſar ſuſpirans & illacrymans ad circumſtantes ait: Miſeremini mei, miſeremini mei vos ſaltem amici, quia manus Domini tetigit me. Mortuus eſt autem eodem tempore Leodii ſtetitque corpus ejus inhumatum in capella quadam deſerta quinque annis. Tanta enim ſeveritate Dominus Papa & cæteri adverſarii ejus in ipſum ulti ſunt, ut mortuum vel humari nòn ſinerent. O magna Dei judicia, quæ completa ſunt in tam præpotenti viro. Sperandum autem, quòd caminus ille tribulationis decoxerit in eo ſcoriam, tulerit rubiginem: quoties enim in præſenti judicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo condemnemur. Fuit autem Eccleſiis admodum bonus, his videlicet, quas ſibi fideles perſenſit. Porro Romanum Antiſtitem Gregorium & cæteros inſidiatores honoris ſui, ſicut infeſtos habuit, ita etiam infeſtare ſtuduit. Impulit eum ad hoc, ut multi dicunt, gravis neceſſitas. Quis enim vel minimam honoris ſui jacturam æquanimiter ferat? Legimus enim, quia multi peccaverunt, quibus tamen ſubventum eſt pœnitentiæ remedio. Certè David peccans & pœnitens Rex & Propheta remanſit. Rex autem Henricus ad veſtigia Apoſtolorum jacens, orans, ac pœnitens gratis pesſundatus eſt nec invenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore. Sed diſputaverint de his, qui ſcierint, vel auſi fuerint. Unum hoc ſcire licet, quia Romana ſedes adhuc hodie luit factum illud. A tempore enim illo, quotquot regnant de ſtirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare Eccleſias, ne reſumant vires conſurgendi adverſus Reges, nec inferre, quæ intulerunt patribus eorum. Regnavit autem Henricus junior pro patre ſuo, fuitque Concordia inter regnum & ſacerdotium, ſed non multo tempore. Nam nec ipſe proſperatus eſt in omni vita ſua irretitus ſimiliter ut pater ejus, à ſede Apoſtolica.

Googl

Henricus ergo junior ubi depulſo vel potius exſtincto parente obtinuit Monarchiam Imperii, vidit quia univerſa terra quieſcit in conſpectu ejus volens juxta morem plenitudinem Imperialis honoris de manu ſummi Pontificis, cum univerſis ſuis Principibus & maxima multitudine iter verſus Italiam direxit. Tranſcenſiſque Alpibus perrexit Romam. Dominus verò Papa Paſchalis audito introitu ejus non modicè lætatus eſt, miſitque ad circumjacentes regiones accerſere numeroſum clerum quatenus Regem honorabiliter venientem ipſe honoratior exciperet. Suſceptus eſt igitur cum magno cleri urbisque tripudio. Ubi autem ventum eſt ad conſecrationem exegit ab eo Dominus Papa juramenta, quatenus in Catholicæ fidei obſervantia integer in Apoſtolicæ ſedis reverentia promtus, in eccleſiarum defenſione ſolicitus exiſteret. Sed Rex ſuperbus jurare noluit dicens: Imperatorem nemini jurare debere cui juramentorum ſacra ab omnibus ſunt exhibenda. Factaque eſt igitur contentio inter Papam & Regem & interceptum eſt opus conſecrationis. Statim armatus Regis exercitus efferatus eſt in iram, injecerunt manus in clerum, & ſpoliaverunt eos veſtibus ſacris, quaſi lupi graſſantes inter ovilia. His auditis Romani proruunt ad obſiſtendum, eo quòd viderent injuriari clerum ortumque eſt bellum in domo Beati Petri tale, quale non auditum ab annis antiquis. Prævaluit autem exercitus Regis, attriveruntque Romanos interfectione magna nec fuit diſcretio cleri & vulgi, omnia devorante gladio. Illic pugnavit robuſtiſſimus quisque, quousque obrigeſceret gladius in manibus ejus. Et repleta eſt domus ſanctificationis morticiniis & cadaveribus, profluxeruntque de acervis mortuorum rivi ſanguinis adeo ut Tyberina fluenta mutarentur in colorem ſanguinis. Sed quid multis immoror? Dominus Papa & cæteri, qui occiſioni ſuperfuerunt in captivitatem ducti ſunt. Videntes igitur Cardinales funibus in colla miſſis nudos trahi, vinctis poſt terga manibus, & de civibus immenſas cathenatorum catervas duci. Poſtquam ergo profecti de Roma venerunt ad primæ manſionis locum, acceſſerunt quidam Epiſcopi & religioſi ad Dominum Papam dicentes: Magnus dolor eſt cordi noſtro ſanctiſſime Pontifex de tanto facinore, quod commiſſum eſt contra te & clerum tuum & cives urbis tuæ. Sed mala hæc exigentibus peccatis noſtris improviſa magis, quàm deliberata fuerunt. Aſſentire ergo nobis, & complacare Domino noſtro, ut & ipſe complacetur tibi, & perfice in eo opus benedictionis tuæ. Quibus ille reſpondit: Qui dicitis o! dilecti fratres? Virum hunc iniquum, virum ſanguinum & doloſum, à nobis conſecrandum dicitis. Bene expiavit manus ſuas ad percipiendam conſecrationem, qui aras Dei perfudit cruore ſacerdotum, & domum ſanctificationis implevit cadaveribus mortuorum. Abſit à me verbum hoc, ut ego conſentiam conſecrationi ejus, qui ſeipſum execrabilem reddidit. Cumque illi dicerent, cantum eſſe ſaluti ſuæ, & eorum, qui erant in captivitate, ut regem placaret reſpondit cum magna libertate dicens: Non timeo Dominum Regem. Occidat corpus, ſi vult amplius non habet quod faciat. Multum quidem proſperatus eſt in cæde civium & cleri ſui, ſed dico vobis in veritate, quia de cætero non aſſequetur victoriam, nec videbit pacem in diebus ſuis, ſed nec filium generabit, qui ſedeat in throno ejus. Cumq; hæc renunciata fuiſſent in conſpectu Regis, exarſit in iracundia magna, juſſitq; omnes captivos decollari in facie Domini Papæ, ut vel per hoc deterreret eum. Ille verò inſtanter hortabatur eos mori fortiter pro juſtitia promittens eis æternæ vitæ immarceſſibilem coronam. At illi unanimiter provoluti pedibus ejus, orabant dilationem vitæ. Tunc beatiſſimus Pontifex ſuffuſus lacrymis, conteſtatus eſt cordium inſpectorem ſe malle mori, quam cedere, ſi non præpediret ovibus Chriſti jure impendenda compaſſio. Fecit ergo, quod neceſſitas imperarat, promiſitque ſe Regem coronaturum, ut captivitas relaxaretur. Reverſique in urbem Dominus Papa & Cardinales fecerunt Regi ſecundum voluntatem ejus, extorto quidem obſequio, dederuntque ei privilegium ſuper omnibus, quæ deſideraverat anima ejus.

Poſtquam ergo arrepta benedictione Imperator Teutonicas reviſit terras collecta eſt in urbe Roma Synodus centum viginti Patrum, ubi Dominus Papa acrius incuſatus eſt pro eo quòd Regem ſacrilegum capto ſummo Pontifice, tractis Cardinalibus fuſo ſanguine cleri & civium ad Imperiale culmen provexerit. Inſuper conſtitutiones Epiſcoporum, quas patres ſui eccleſiaſtico juri usque ad mortes & exſilia defen-

fuerint, huic omnium indigniſſimo etiam privilegio ſtabilierit. Ille prætendere cœpit neceſſitatis articulum, maximaque pericula minori diſpendio intercepta, ſtrages plebium, incendia urbis non aliter poſſe reſtringi: ſe quidem peccaſſe ſed impulſum: emendaturum ſe hanc noxam ſecundum quod imperaret ſanctum Concilium. Accepta ergo ſatisfactione, accuſantium refriguit fervor, definitoque conſilio, extortum illud privilegium, non privilegium, imò pravilegium vocitandum ideoque anathemate reſcindendum ſanxerunt, ipſum præterea Imperatorem à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſequeſtrandum cenſuerunt. Currit hæc fama per orbem univerſum; omnesque quos novarum rerum cupido trahebat accepta quacunque occaſione rebellionis aggreſſi ſunt molimina. Inter quos præcipuus erat famoſus ille Adalbertus Maguntinenſis Epiſcopus ſociatis ſibi quam-pluribus, maximè verò Saxonum Principibus, quos ad defectionem partim neceſſitas, partim etiam rebellionum vetus conſuetudo illexerat. Siquidem præter nova bella, quæ tum parabantur, cum fortiſſimo viro Henrico ſeniore novies olim conflixerant. Sed quid multis immoror? Sentiens Imperator omnem jam Saxoniam à ſe deficere, & conſpirationum virus latius ſerpere, primò omnium ipſum auctorem rebellionis Moguntinum cepit Epiſcopum. Deinde toti infuſus Saxoniæ, provinciam eorum maxima ſtrage pervaſit, principibus eorum occiſioni aut certe captivitati traditis. Tunc ii, qui ſuperſtites fuerunt de Principibus Saxonum videlicet Luderus dux, Regnerus Halverſtadenſis Epiſcopus, Fridericus Comes de Arensberge multique nobiles conglobati in unum, Imperatori denuo in Saxoniam cum exercitu redeunti occurrerunt in loco, qui dicitur Welpesholte, produxeruntque exercitum ſuum adverſus exercitum Regis, licet impares numero: tres enim contra quinque pugnaverunt. Commiſſumque eſt prælium illud noſtra ætate famoſum Calendis Februarii, quo Saxones ſuperiores inventi virtutem Regis attriverunt. Cecidit in eo bello Hogerus Princeps militiæ Regis, natus & ipſe in Saxonia, deſtinatus ad Ducatum Saxoniæ, ſi res proſperè ceſſiſſent. Tunc Saxones propter victoriam animis ſublevati, perpendentes Cæſaris iram non facilè impunitatem tantæ calamitati præbituram, frequentibus colloquiis cauſſam ſuam muniverunt, ſeditiones, quæ intra provinciam erant, fœderibus conciliant, aliunde auxiliantium manus conſciſcunt: poſtremò ne complices fœdera rumpant omnes in defenſionem patriæ arma conjurant. Quid dicam de Maguntino, qui ſuper omnes adverſus Imperatorem deſævit? Is enim civium ſuorum, qui Cæſarem Moguntiæ obſederant, ſtudio carcere erutus, & ſedi ſuæ reſtitutus, quantas mortes in captivitate pertulerit, non tam exeſi corporis ſpecie, quàm ultionis acerbitate expreſſit. Qui etiam legatione ſedis Apoſtolicæ functus, frequentibus conciliis Epiſcoporum aliorumque quos juſtitiæ ſpecies induerat excommunicationis verbum in Cæſarem depromebat. His motionibus exacerbatus Cæſar tranſiit in Longobardiam cum uxore ſua Mathilde filia Regis Angliæ, tranſmiſitque legatos ad Dominum Paſchalem Papam oratum veniam ſuper excommunicationis verbo. At ille diſtulit cauſſam ad audientiam ſancti concilii legitimas Regi præfigens inducias laxatoque interim excommunicationis vinculo. Obiit interea Paſchalis, cui ſubſtituit Cæſar Burdinum quendam, reprobato Gelaſio, quem canonica electio ſtatuerat. Factumque eſt denuò ſchiſma in Eccleſia Dei. Gelaſius enim fuga elapſus in regno Francorum manſit usque ad diem mortis ſuæ: & longum eſſet per ſingula replicare turbulentias temporis illius.

Anno poſt incarnationem verbi MCXXVI. obiit apud Trajectum Henricus Cæſar: cui ſucceſſit in ſolium regni Luderus Dux Saxonum. Indignati autem Francigenæ virum Saxonem elevatum in regnum, conati ſunt alium ſuſcitare Regem. Conradum videlicet, conſobrinum Henrici Cæſaris. Prævaluit autem pars, quæ fuit cum Ludero abiensq; Romam promotus eſt ad apicem Imperii per manus Innocentii Papæ. Quo etiam ſuffragante Conradus usque eo propulſus eſt, ut ſe traderet in poteſtatem Luderi, qui & Lotharius. Factusque eſt ex hoſte amiciſſimus. Cœpitque in diebus Lotharii Cæſaris oriri nova lux, non tam in Saxoniæ finibus, quàm in univerſo regno, tranquillitas temporum abundantia rerum, pax inter regnum & ſacerdotium.

Et hæc de Henrico tertio & ejus filio dicta ſufficiant. Iſtam hiſtoriam ordinatè & diffuſe retuli ac fideliter quia pulcerrima eſt & notatu digniſſima in qua quilibet conſiderare poteſt, quàm mobilis & inſtabilis ſit fortuna in omni ſtatu mundi. Et ille, qui in rota fortunæ eſt altior, hic proximus eſt ruinæ, nam: Qui jacet inferius non habet unde cadat.

CAPUT QUINTUM DE EGILMARO Archi-Comite & geſtis ejus.

EGILMARUS Archi-Comes filius ſororis Archi-Comitis Hunonis unde & Comites Brockhuſenſes ortum habuerunt. Cujus pater Hajo ſedit in partibus Up-Ruſtringiæ, id eſt, in Butjaden habens in Friſia hereditatem magnam & in Butjaden quatuor parochias ſcilicet Goldeswerden, Rodenkerken, Ezenſen & Ubbehuſen tenens caſtrum, quod dicebatur Hajemannewerf. Præinſertus itaque Hajo accepit in conjugem ſororem Hunonis Archi-Comitis unde dictus Egilmarus originem duxit, cui nomen Rixa. Et poſtea Haddo Archi-Comes, de cujus hereditate dedicatum eſt monaſterium Itzenea, quod olim Kivera dicebatur, fundatum primo loco fundationis in Heyslinge apud Walſatos ultra Winneman verſus Comeciam Palatinam Stadenſem.

Hic venerabilis vir Egilmarus Archi-Comes, de quo loqui incepimus curam bonorum monaſterii in Raſtede in commiſſo habuit, & bene præfuit ſuis ſubditis multis annis. Hic magnas eleemoſynas contulit iſtis monachis, ſcilicet feneſtras chori, & calices, item pixides ex ebore & alia diverſa ornamenta. Archi-Comitiſſa verò uxor ſua nomine Eilica diverſas pallas & pallia altari beatæ Mariæ virginis etiam obtulit.

Anno verò Domini MCXXII. idem Egilmarus in Oldenborg Archi-Comes conqueſtus eſt ſuper hereditate Iden quæ fuit avia ſua & mater uxoris ſuæ Rixedis, quæ vocabatur Ida, & morabatur in Elſulete terræ Stedingiæ contra Principes Stadenſes Udonem juniorem Marchionem & Henricum filium ejus, qui eandem hereditatem hereditarie poſſidebant: Sed Fridericus Archi-Comes impetitionem delevit. Et nota quod illa nobilis Domina Ida nata fuit de Suevia, hoc eſt, de Suevorum regno & morabatur in villa Elſulete & habuit ibi hereditates & bona quæ adhuc bona Iden dicuntur proprie Browt Iden Gutt. Ipſa fuit filia fratris Henrici Cæſaris tertii & Papæ Leonis ſororis filia. Et accepit in maritum legitimum magnæ nobilitatis Lippoldum filium Dominæ Gliſmoder, & peperit Odam ſanctimonialem in Rintelen quæ poſtea ſumta de monaſterio & data Regi Ruſſorum in matrimonium peperit inde filium nomine Waterslaw. Sed rege illo mortuo Domina Oda fodit innumerabilem theſaurum in diverſis locis & finibus & venit cum filio Warteslaw & auro plurimo ac theſauro in Weſtphaliam & fecit occidi illos qui foderant theſauros in terram ne publicarent. Ipſa etiam in diverſis locis eccleſiæ Elſulete in muris & ſub terra in angulis & latebris occultavit theſaurum infinitum. Et ergo ſi à fundamentis deſtrueretur iſta eccleſia, & in alium locum fundaretur theſaurus haberetur in promtu. Poſt hoc filius Idæ Wartelaw de regali ſtirpe natus & regis filius revocatur in Ruſſiam, & regnavit multis annis poſt patrem ſuum ibidem ut bonus Catholicus & tanquam Chriſtianiſſimus princeps & multas ibidem conſtruxit eccleſias & nobilitavit proſapiam Archi-Comitum Ruſtringiæ dictorum de Oldenborg. Patet ergo, uti etiam ſuperius habitum eſt quod hujusmodi Archi-Comites ſunt de proſapia generoſi & inclyti de regum ramis procreati claritudinem ſuam ex nobilium Columnenſium ſanguine meritorum ſuorum claritudine ditaverunt, idcirco magnam partem in Friſia ab Imperatoribus receperunt. Nam Karolus Magnus quatuor Epiſcopos & quatuor Comites Friſonibus præfecit, quatuor ſpirituales judices eis deputati fuerunt & ſunt Oſenburgenſis Monaſterienſis Trajectenſis & Bremenſis Antiſtites. Quatuor verò Comites judices ſeculares ſcilicet Archi-Comes Ruſtringiæ, qui nunc de Oldenborg vocabulum accepit, Tecklenburgenſis, Bentem, & Comes Hollandiæ. Si quid quæſtionis fuerit ortum inter Friſones tàm in ſpiritualibus, quàm in ſæcularibus referant ad eas ſicut fecit Moyſes filiis Iſraël qui præfecit his & Aaron primò & poſtea

Caleb & Joſue qui Duces fuerunt populi ſic & hic. Illo in tempore Jadele fuit manſio Archi-Comitum, Baronum, militum, & habitatio etiam potentum Friſonum habebatur. Qui tempore Karoli Magni cum eo Romam vicerunt & ſic nobilitati & ad Friſiam remiſſi quidam verò ob inſignia meritorum in Franciam traducti Ducatus & Comitatus adepti ſunt: ſicut Dodo domeſticus aulæ regiæ tempore Pipini inibi ab iſtis partibus traductus & Dux Araneæ & Comes Arduennæ eſt effectus qui ſanctum olim refertur occidiſſe Lambertum. Et ideo poſtea Archi-Comites Ruſtringiæ, de quorum ſanguine idem Dux & Comes fuiſſe refertur in honorem S. Lamberti in opido Oldenborg Amirorum id eſt, in dem Amerlande fundaverunt eccleſiam, ut ſic de natione ſua perpetuum delerent opprobrium & ut divina ceſſaret ultio ſæviens in nonam generationem.

Sic etiam eodem tempore plures de Swecia inter Auſtriæ partes in Swiceriam vel in Swicen, in montibus permiſſu Cæſaris locum manſionis elegerunt propter inſuperabilem eorum potentiam locum nacti mores patriæ & libertatem ſectantur omni modo.

Referunt etiam quædam authentica Regum & nationum ſcripta cum Friſonibus habito contra Romanos Cæſare triumpho Karolus Magnus quos Romanos nobiles Romanæ eccleſiæ ſubjectos & pacatos cum nobilitatis Friſonibus ad partes Ruſtringiæ, Wangariæ & Nordendi per Karolum remiſſos ut cum pace & tranquillitate redire valerent nobilitate donati in patriam, quos præfecerunt ſibi Friſones in Archi-Comites & judices cum poteſtate deſtituendi ſi excederent regiminis metas. Si bene, ſecundum quendam librum plebiſciti eorum, quem vocant Aſcbock, id eſt librum judicii (quem fecit Azo utriusque juris Doctor) judicarent, neminem læderent, viduas & orphanos ac Dei eccleſias defenſarent, ut eis tunc Romano more ut poteſtas præeſſent. Et iſti nobiles in terra Auricæ in Eſenſe eccleſias ædificando dotaverunt, ſicut ſunt Comites Holſatiæ qui olim Comites Nordendi, & Archi-Comites Ruſtringiæ ſicut Oldenborg modò nuncupati, de Hoje, & Brockhuſen in Upruſtringen & de Depholte Barones. Qui venientes tempore Henrici Leonis Ducis Bavariæ in Saxonia ſecum de Anglia poſt ſancti Thomæ Cantuarienſis interfectionem ſe inibi receperunt, & etiam quartam curiam in Ezenſe fundaverunt qui ſunt natione Anglici: cæterique generoſi ſunt nobiles Romani cum Friſonibus miſſi juſſu Karoli Magni. Nam antiqui Romani nati creduntur de regum ramis, procreati temporibus Julii Cæſaris à Romanis in his partibus ad ſubjugandum gentes miſſi & inibi relicti, ſicut de Oldenburgenſibus Archi-Comitibus ſuperius habitum eſt. Videntes verò nobiles Romani patriam Friſonum, quæ inſula eſt Saxoniæ juxta partes Oceani longo tractu ſita fore populoſam & ſeptam ceſpite & mari ad reſiſtendum cæteris terris habiliorem inibi ſubſiſtere hujusmodi egregii luctatores Romani maluerunt unde etiam cæteras exoticas nationes bello fatigatas dirè contriverunt. Sed cum Romana refriguit poteſtas & ditio in orbe circumquaque Friſones libertatem acquiſitam potentia & proprio ſanguine volentes conſervare.

Illo in tempore Henricus quartus reformavit Goslarienſem civitatem, & confirmavit illic Comitem de Wernigerode in piſcatorem ſuum in partibus Saxoniæ Comitem de Spegelberge, in venatorem, & fecit ibidem officia cætera. Et Comites hos ex tali officio receperunt clypeos. Comes de Spegelberge cervum cum cornibus in ſignum ſui officii: Comes de Anehalt, qui & de genealogia ex una parte erat Ducum Saxoniæ & de marchionibus Brandenborgenſibus diviſo clypeo factus venator avium in ſylvis & compitis pro coquina Regis. Archi-Comes verò Ambriæ & Ruſtringiæ quia jacuit inter jacentia maritima loca ut factor pontis regalis & magiſter ſtructuræ & carpentarius qui nque aſſeres recepit ſub partitione glauci & rubei qui antea à Julio Cæſare virgineum caput & à Karolo Magno crucem pro armis receperant. Sed ut ad id redeam, unde digreſſus ſum, Dominus Henricus, Leo cognominatus, Dux Saxoniæ & Bavariæ cum Archi-Comitibus Ruſtringiæ & ambria caſtrum Oldenborg cum duabus turribus terete & quadrata & duabus arcubus circularibus & triangulis elevatis ædificavit, ut ex eo ipſe cum ſuis fugam nobilium ſuorum in Friſones exiliatores, proſcriptores ac expulſores Archi-Comitum valeret emendare. Hujus rei gratia longè ante illa tempora factum eſt primo caſtrum Oldenborg Amirorum pro

pro propagine Hunonis, ſicut & caſtrum Oldenborg Slaviæ pro Comitibus Holſatorum. Ad idem verò opus regnum Romanum longo ante tempore puta circa vel infra nativitatem Chriſti per nobilem Romanam Tectam caſtrum habuit in confinibus Friſonibus Tecklenborg. Hojenſes verò prædia de Bremenſi eccleſia in feudum receperunt, ut dapiferi & advocati ſicut antea de Brockhuſen, qui degenere etiam proceſſerunt Hunonis Archi-Comitis, & dicebatur terra illa antiquorum Saxonum, temporibus Sergii Papæ.

Hæc eſt nobilis propago & origo Archi-Comitum Oldenburgenſium & inclyta natio Comitum Holſatorum de Brockhuſen & Hoja radix veneranda. Gaudeat Roma potens in opere, quæ ſeptem caſtra per Julium in honorem ſeptem Planetarum conſtrui fecit, & totam Alemaniam ſibi ſubegit dum ipſe in occidente Pompejus in Oriente ſceptra Regni teneret à Romanis à cujus progenie proceſſit Octavianus Imperator, & ab eo ulterius Reges multi. Et omnes in Alemania & Germania ſoboles Regum, Ducum, Archi-Comitum, Comitum inclyti & præclari unde etiam fuiſſe referuntur nobiles Romani iſti ab antiquo circumquaque in partibus Alemaniæ hinc inde propagati. Et ut exteræ nationes manerent ſubditæ Romanis & Imperatori miſſi fuerunt clariores à Romanis de regum ramis nati præpotentiores ne Romana potentia à ſceptro nutaret. Sic enim patet qualiter Duces Saxoniæ, Auſtriæ, Bavariæ, Brunſwick, Luneborg, Archi-Comites Oldenborges, Comites de Benthem, Holſatiæ, Tekelenborg, Stadenſes, Stotle & Hojenſes cum Brockhuſenſibus natu nobiles ſunt Romani in Friſiam proficiſci ire coacti tempore Attilæ regis Hunnorum: aut poſtea ſub Reimberto Archipræſule à Duce Normannorum & non ſolum Weſtphaliam ſed etiam Saxoniam usque in Friſiam Nordendi horribiliter vaſtaverunt, ut patet alibi.

Anno Domini MCXXIV. idem Egilmarus Archi-Comes conſtrui fecit eccleſiam in Twiſchenaen & erat primo filia eccleſiæ Wivelſtadenſis. Et nobiles de Elmendorpe capellam ligneam inter caſtrum & ſtagnum conſtrui fecerunt & eſt conſecrata in honorem S. Bartholomæi, ſicut alia eccleſia ultra mare in Twiſchena in honorem ſancti Johannis Baptiſtæ. Iſti duo fratres dum eſſent fratres propter eorum inſolentiam expulſi dicuntur de Friſia à terra Ruſtringiæ Jedele proſcripti. Quorum unus qui morabatur in Elmendorpe fratrem ſuum morantem in Twiſchena interfecit. Et ideo amborum progenies clypeum mutaverunt. Nam progenies interfectoris ſex parœcias recepit & de patria ceſſit. Progenies verò interfecti munitiones & clypeum & parœcias quinque. Reliqua progenies fratris occidentis cepit bona in Weſtphalia extra Ambriam & perdidit nomen & gloriam Comitatus, & miniſterialis effecta eſt in Dominio Vechtenſi, & vocatur progenies validorum de Elmendorpe. Dixi etiam quod capella eſſet inter caſtrum & ſtagnum, ideo quia mare interceptum fuit circumquaque Elmendorpe usque in villam Helle, quæ verò vocabulo dicitur Heyla quaſi applicatio navium & ideo caſtra illa duorum fratrum de Friſia proſcriptorum ex diverſis angariis & inſolentiis poſt ædificationem inibi in Twiſchena in medio maris nomina receperunt. Et villa applicationis navium Heyla, quæ nunc corrupto vocabulo Helle vocatur Elmo enim dicebatur, qui primò ibi ædificavit à quo & villa denominativo vocabulo nomen accepit. Alii verò dicere conantur, quod ipſe interfector fratris receſſit ad Archiepiſcopum Bremenſem & ædificavit primò in nemore prope Hacham ultra Brincham in dumo inter Weye & Brincham. Et poſtea ædificavit voluntate Archiepiſcopi in medio amne Weſeræ expulſis validis de Hodenberge à terra antiquorum Saxonum in locum Phem: Et tales ſunt modò Comites Hojenſes. Poſſet utrumque verum eſſe, quod ſit una ab origine progenies licet in ſobole diverſificata. Et nota quòd Fridericus Archiepiſcopus Bremenſis interfectorem fratricidam de Elmendorpe excommunicavit & à patria fugavit donec Deo & eccleſiæ exceſſum emendaret & dignam ſubiret ultionem. Eodem tempore fundata fuit eccleſia in Weſterſtede Amirorum ad quam validi de Fikenzolte locum prædia & poſſeſſiones largiter miniſtrarunt. Iſte Egilmarus cum uxore ſua in eccleſia Beati Viti Jedelee ad Aquilonem ſunt ſepulti ubi tunc nigri monachi S. Benedicti habitabant ſicut in Raſtedis.

Anno Domini MCXXIIII. poſt mortem Egilmari Archi-Comitis quidam nobiles Theodoricus & Milo filius ejus de Alvesleve, quorum caſtrum prope Meyborg ſitum

ſitum eſt quod nunc cum ſuo Dominio ad alios jure hereditario poſt mortem prædictorum noſcitur eſſe devolutum, venientes in Raſtede bona Monaſterii impetierunt dicentes ratione juris hereditarii Archi-Comitum Hunonis & Friderici, quorum ipſi veri heredes exiſterent debere Dominium poſſidere. Ob quod Abbas Monaſterii tantis doloribus eſt compunctus, ut accepto tantum uno pane de piſtrino portam ad Orientem poſitam exivit, necunquam poſtea rediens vitam in peregrinatione finivit. Sed Adelbertus Bremenſis archiantiſtes nolens Monaſterium Raſtedenſe hujusmodi injuſta impetitione deperire, convocatis quibusdam Prælatis cum dictis Theodorico & Milone de Alvensleve, de eorum impetitione taliter definivit, videlicet ut in bonis quæ pii fundatores Huno & Fridericus huic monaſterio ſano corpore legaverunt, & à ſede Apoſtolica jam confirmatis nihil ſibi poſſent juris aliquatenus vendicare, & ſic audita illa ſententia ad propria remeaverunt. Illo in tempore inventa ſunt Romæ civium centum ſexaginta millia: Et tunc Romæ centum ſeptuaginta matronæ damnatæ ſunt propter potionem intoxicatam, quam maritis ſuis paraverunt.

CAPUT SEXTUM DE JOHANNE *primo Archi-Comite & geſtis ejus.*

JOhannes Archi-Comes filius vel primogenitus Egilmari ex Anna nobili adoleſcentula Ducis Brunſuicenſis filia ſuſceptus patre Egilmare defuncto jure hereditario patri ſuccedens vixit annis LX. vir certè magnæ humanitatis & prudentiæ ac liberalitatis inſignis nec non & bonarum literarum egregiè doctus. Qui paterna hereditate ſuſcepta, illam cum magna pace & juſtitia per omne vitæ ſuæ tempus gubernavit & civitatem Oldenborgenſem foſſis novis ex parte Huntæ cingere cœpit, & plurima ædificia in caſtris tum publica tum & privata, & quidem ſuperbiſſima inibi erexit, ac caſtrum miro decore illuſtravit. Et hic Balthaſaris Magnopolitanenſis Ducis filiam nomine Catharinam duxit uxorem, ex qua Borchardum primogenitum miræ pulcritudinis juvenem & virtutibus omnibus adornatum ſimiliter & alios tres Henricum videlicet Mauricium & Chriſtianum. Suis temporibus anno Domini MCLXXXVII. Stedingi ſibi & ſuis filiis rebellare cœperunt & iſta rebellio ita cepit ortum. Erant enim duo caſtra in terra Stedingorum videlicet Lechtenberge & Line in quibus militares habitabant quorum advocati per inſolentiam plurima mala per oppreſſionem puellarum & mulierum agere nitebantur, unde incolæ terræ illius cum viderent mala ſibi emergere conſilium inierunt & in uno loco convenerunt, qui Brodick dicitur nocturno tempore ubi tunc magna ſylva fuerat, ubi villani quam-plures de militaribus trucidarunt. Caſtrum illorum obſedit neceſſitate compulſus, & illis qui caſtra cuſtodiebant ſuperatis, omnia eorum fortalitia complanavit. Illo peracto non diu ſupervixit, in monaſterio denique Raſtedenſi cum conjuge ſua Anna juxta ſuos patres honorificè, ut decuit, ſepultus fuit.

His temporibus Henricus Leo Saxoniæ Dux & Bavariæ dividitur à clypeo & proſcribitur. Qui tempore fugæ ipſo die Simonis & Judæ civitatem regalem Bardewick deſtruxit & incendit pro quo delicto poſt Lubicenſem civitatem Imperio dedit cum aliis multis circa Hartonem. Tempore Johannis Archi-Comitis fuerunt cara tempora & tanta tunc fuit fames in mundo, quod propter cariſtiam annonæ homines mortui & inedia conſumti jacuerunt in plateis civitatum hinc inde, & inventi ſunt in villis multi mortui & legitur quòd in iſta cariſtia homines mortui adjudicati de patibulis ſunt ad comeſtionem depoſiti & alia mira facta ſunt, quia mures catti & canes comeſti ſunt & precio caro vendebantur.

CAPUT SEPTIMUM, DE BORCHARDO *Archi-Comite, Henrico, Mauritio, & Chriſtiano & eorum geſtis.*

POſtquam Johannes Archi-Comes de medio ſublatus eſt Borchardus una cum fratribus ſuis regimen ſuſcepit. Ad illos quatuor fratres omnia bona, quæ

nunc

nunc ad Brokhuſen & ad Delmenhorſt pertinent jure hereditario ad eos pertinebant, Erat autem Borchardus vir fide & ſanctitate memorandus omnibusque virtutibus tam divinis, quàm humanis egregiè inſignitus. In rebus bellicis doctus multorum experientia callebat. Cujus fama cum ad omnes Friſones pervolaſſet, eum tanquam ſingulare ſpecimen omnium virtutum honorabant. Hic Borchardus in alia expeditione contra Stedingos in loco, qui Helmeſcampe dicitur occubuit. Sed Chriſtianus frater ejus factus eſt inimicus Ducis Henrici Leonis & cepit caſtrum in Weye, quod erat Ducis Henrici Saxoniæ. Poſtea Archi-Comes redit Bremam & Dux ſequebatur eum ante civitatem Bremenſem, Anno Domini MCLXIV. Chriſtianus verò ſtrenuè ſe defendebat & ibi jacuerunt Dux & Archi-Comes cum expeditione hinc & inde quatuor diebus. Quinto die voluit Chriſtianus Archi-Comes Oldenborgenſis finem liti imponere optavit ergo à Duce, ut ſimul confluerent ad bellandum pro victoria Chriſtianus & Henricus Leo, ſed Dux receſſit. Poſtea redit cum majore potentia, & Chriſtianus ſeſe recepit in Oldenborg, quantum potuit ſed dum presbyter miſſam celebravit irrüentibus Friſonibus effuderunt calicem ſacerdotis celebrantis ipſi Friſones, & effuſo ſanguine Chriſti ceperunt calicem. Et Dux Henricus Leo cepit civitatem Oldenborg Amirorum, quæ adhuc non habuit libertatem. Et ipſe Dux obtinuit civitatem, donec inde humiliatus foret à Cæſare.

Nam recedens à Cæſare ab expeditione ſua ante Mediolanum, quam circumvallavit annis ſeptem donec eam caperet, & vindicaret injurias uxoris ſuæ usque ad ſcandala oſculorum pudibundæ aſini &c. Quæ hiſtorio habetur in Chronicis Italicis. Volens autem Imperator Fridericus primus Barbaroſſa cognominatus vindicare pudorem ſuum in Duce Henrico Leone humiliavit eum privans clypeo, gladio & caſtris & obedientia ſuorum. Et dedit ſuis miniſterialibus & advocatis prædia & caſtra quæ à Duce habuerunt. Et tandem eundem Ducem ab Oldenborg cedere oportebat propter metum Cæſaris, qui contra eundem graviter ardeſcebat in iram. Et ſic obtinuit Chriſtianus Archi-Comes Comitatū ſuum. Hic Chriſtianus habuit caſtrum prope Hatten in loco qui Borch dicitur, & de peregrinatione ſacri ſepulcri rediens de conſenſu fratris ſui Mauricii in Berchdorpe ad mortem perimitur. Necdum enim erat caſtrum in Delmenhorſt, ſed in Sluttere quod Bremenſi Archiepiſcopo pertinebat cum adjacentibus pleno jure in terra Laringorum datum à Karolo Magno. Nam Borchardus prædictus Archi-Comes frater Chriſtiani in Monaſterio Raſtedenſi ante altare S. Martini ſepelitur: Chriſtianus vero in medio Eccleſiæ ubi frater ſuus poſtea moriens invicem ſunt ſepulti. Hujus mortis ſceleſtæ auctores fuerunt militares de Hatten, & de Doſen ac de Sanden. Ex quibus aliqui profugi de terra receſſerunt aliquos tamen quos capere poterant igni comburentes diverſisque tormentorum generibus conſumſerunt. Aliquibus pro emenda & adhæſione Stedingorum Archiepiſcopus Bremenſis injunxit conſtructionem Eccleſiæ in Hatten in honore duorum ſanctorum, ſcilicet, Secundi martyris & ſancti Anſcharii Archiepiſcopi. Capellam autem conſtrui fecerunt in Berchdorpe ſub invocatione ſanctæ Margaretæ & ibidem primò monachi Ciſtertienſis ordinis qui pro nunc ſunt in Huda ſeſe receperunt donec Stedingi eos ab hinc profugarunt usque in locum qui porta S. Mariæ dicitur ſuffragante Friderico Imperatore ſeſe vili tegmine primo receperunt donec Cæſaris Archiepiſcopi Archi-Comitum & militarium favore non modico regale monaſterium conſtructum ibi haberetur. Et hoc fuit Anno MCXC. Gaudeat Dei genitrix ſe talem egregium pro ſervitoribus ſuis recepiſſe locum. Et ibi Archi-Comites certi de Oldenborg etiam ſepulturam elegerunt. Nam eo in tempore Archi-Comes Chriſtianus multas cruces aureas & argenteas de peregrinatione Sancti ſepulcri Domini plenas ſanctorum reliquiis portavit, quæ adhuc in Raſtede ſunt reconditæ. Eodem in tempore venit primò conventus in Doberan ordinis Ciſtertienſis.

Tempore Chriſtiani Archi-Comitis anno videlicet Domini MCLXXXIII. Fridericus Imperator primus venit Erfordiam, & curiam ibidem celebravit cum multis principibus pro facienda pace inter Principes. Et dum Cæſar ſtaret cum ſuis in quadam curia, in quodam lobio anteriori, propriè, vp einer Louen / & cum occurſus fieret populorum ad videndum Cæſarem & Principes trabes fractæ ſunt, & inferius erat latrina tunc Principes ceciderunt cum lobio in latrinam, in qua octo Prin-

cipes ſubmerſi ſunt, & multi Barones & Comites ante Regem & plures quàm centum milites & nullus Epiſcoporum vel clericorum cecidit nec Cæſar niſi ſoli Principes laicorum. Cæſar recepit ſe per feneſtram & vix ſe retinuit. Comes Henricus de Swarcenborg profundius cecidit, quia jurare ſolitus fuit ſi hoc egero ſubmergar ſic ſibi evenit proprium anathema: & ibidem fuit maximus planctus nobilium. Eodem tempore in diœceſi Lubecenſi cœpit monaſterium in Reivelde.

Poſt hoc Anno Domini MCLXXXV. tempore ejusdem Archi-Comitis idem Imperator Fridericus fecit curiam in Maguntia, quam celebravit cum Principibus. Ab illa curia rediit ad partes Dux Henricus Saxoniæ Leo cognominatus & dicebatur Henricus Dux Brunſvicenſis & non Dux Saxoniæ tali nomine fuit ſpoliatus à Cæſare. Et Rex Angliæ qui ſolitus erat in clypeo militari ferre quinque aureas leænas vel leopardos retinuit ſibi tres dans Duci Henrico duos. Et Dux fuit ibi bene receptus, quia ſatisfecit Regi & Principibus. Iſta curia fuit ita celebriter celebrata, quòd nunquam poſtea auditum eſt tam egregiè celebrata aliqua regalis curia. Ibi enim fuere XL. millia militum &c. In iſta curia proviſum fuit Hermanno de Katzenellenbogen de Eccleſia Monaſterienſi per Fridericum Imperatorem. Hic fuit cum prædicto Friderico in deſtructione civitatis Mediolanenſis quando Reinoldus Colonienſis Archiantiſtes trium Magorum corpora ſecum Coloniam tranſtulit. Hic Hermannus conſtruxit caſtrum Nienborg & caſtrum Landegge contra Hermannum Comitem de Tecklenborg. Hic obtinuit à Friderico Imperatore, quod ipſe & ſui ſucceſſores Epiſcopi Monaſterienſes Principes & Duces in Weſtphalia deberent eſſe & vocari: & tales dignitates & jura; Vrigraviatus & plura regalia jura Epiſcopi prædicti deberent ab Imperatore perpetuo recipere jure homagii & alia bona plurima ſuis ſucceſſoribus Hermannus Epiſcopis ab Imperatore item dignitates & libertates acquiſivit. Quia idem Fridericus primus aſſiduè in Tremonia eſſe ſolebat.

Eodem tempore apud Papiam Longobardiæ nobilem civitatem in monaſterio Beati Petri extra muros, ubi glorioſiſſimi patris noſtri Auguſtini corpus cum Boëthio nobili Philoſopho & martyre Chriſtiano conditum jacet quod cœlum aureum vocatur monachi ordinis S. Benedicti Abbatem ſuum crudeliſſime peremerunt. Quàm ob cauſſam digne expulſi & regulares clerici ibidem pro eis ſunt locati.

Anno quo ſupra Otto Comes de Tecklenborg Eccleſiam Oſſenburgenſem ad nihilum redegit, & Engelbertum fratrem ſuum monachum licet multum renitentem ad Ecceſiam Oſſenburgenſem apud Imperatorem promovit. Qui ſtatim Ottonem fratrem ſuum pro violentia Eccleſiæ ſuæ illata primum excommunicavit deinde XXVI. guerram pro libertate Eccleſiæ ſuæ cum fratre ſuo Ottone Comite habuit, & caſtrum Arkenowe deſtruxit & civitatem ſuam Eſſen cepit & juxta eam Quakenbrugge conſtruxit Anno MCXLIX. & omnes militares & populares qui in Eſſene & in Arkenowe habitabant, & alios plurimos de Dominio Tecklenborg in Quackenbrugge habitare coëgit: & in conflictu in Bergeshovede nobilem Dominum Wickboldum de Diſſen cum pluribus interfecit: Et Ottonem fratrem ſuum Comitem cum pluribus captivavit, & longis temporibus captum detinuit, quem & precioſe exactionavit, & ſedem Vrigraviatus quam Comites de Tecklenborg in civitate Oſſenburgenſi habuerunt & omnia alia jura, quæ nobiles Domini de Diſſen in Eccleſia & civitate Oſſenburgenſi habuerunt liberè dimiſerunt. Et civitatem Diſſen deſtruxit, & in præſentem diem in villam redegit.

Mauritius frater Chriſtiani prædicti habuit uxorem nobilem nomine Salome, quæ nata erat de Wickenrade, & multa clenodia Eccleſiæ Raſtedenſi contulit, ubi moritur & marito ſuo mortuo ſepultura fuit conjuncta. Hæc Salome duos peperit filios Ottonem & Chriſtianum Archi-Comites de Oldenborg. Hic nota, quòd Gerhardus nobilis de Lippia Bremenſis Archiepiſcopus cum Archi-Comitibus Ruſtringiæ, qui modo de Oldenborg in Cappenberge Weſtphaliæ monaſterium & abbatiam Præmonſtratenſium ſtatuerunt, Anno MCXC.

Tempore hujus Mauritii claruerunt quatuor Doctores illuminatiſſimi in Ordine Fratrum Eremitarum Divi patris Auguſtini. Primus fuit Ægidius Romanus de regione Columnæ nobilis Romanus de parentela Archi-Comitum Oldenburgentium. Qui Ægidius fuit primò Prior generalis noſtri Ordinis & Archiepiſcopus Bituricenſis,

nec

nec non Primas Aquitaniæ, qui ob ingenii magnitudinem Theologorum Princeps appellatus eſt: quod quidem conjici poteſt ſi à curioſo lectore ejus volumina perſpiciantur. Hic ex illuſtri Columnenſium Romanorum familia natus cum longo tempore ordinem ſuum omnemque Eccleſiam doctrina & moribus illuſtraſſet plurimoque labore præceptoris ſui Thomæ Aquinatis apud Pariſios defenſaſſet, tandem miraculis clarus bono fine quievit. Quo ſanctitatis miraculo beatus Doctor appellatus eſt, qui hæc quæ ſubſcripta ſunt edidit librorum volumina: De corpore Chriſti Theoremam, quæ incipit, qui inter cætera. De menſura angelorum. De cognitione Angelorum. De gradibus formarum. De eſſe & eſſentia. De generatione & corruptione. De formatione corporis humani. De peccato originali. De prædeſtinatione & præſcientia. De paradiſo & inferno. De reſurrectione mortuorum. Theoremam de eſſe & eſſentia. De diſtinctione articulorum fidei. De fide catholica. De canone Miſſæ expoſitio. De regimine Principum librum digniſſimum, in quo totam Philoſophiam moralem complexus eſt. De renunciatione Papæ librum unum. Super quatuor libros ſententiarum quinq; volumina. Compendium Theologiæ. Quodlibeta multa. Correctorium incorruptorii Beati Thomæ ſuper libros de Anima. Super octo libros Phyſicorum. Super omnes Ariſtotelis libros. Edidit quoque Hexameron libros duos. Super Pauli Epiſtolas. De laudibus divinæ Sapientiæ. De divina Sapientia in beatos. De carcere. De bona fortuna. De ſubjecto Theologiæ. De eccleſiaſtica poteſtate libros tres. Super Cantica Canticorum. Sermones præterea multos per totum anni circulum. Contra exemtos. Super libros poſteriorum Ariſtotelis. Super libros priorum. Tractatum de medio demonſtrationis. Super libro de generatione & corruptione Commentum digniſſimum. Super parvis naturalibus expoſitionem optimam. Super libro de cauſis præclariſſima edidit Commentaria. De gratiarum actione ad Bonifacium PP. Commentaria ſuper Ethicis, Politicis & Oeconomicis. Tractatum de doctrina Ethicorum, Politicorum & Rhetoricorum. Item in metaphyſicis ſuper textum Ariſtotelis edidit egregia commentaria: deinde quæſtiones diſputabiles. Tractatum de erroribus Philoſophorum. De materia cœli. Tractatum ſuper totum canonem Bibliæ. Item ſuper Epiſtolas canonicas. Item ſuper Pſalmum: Eructavit cor meum; digniſſimum tractatum compoſuit. Super Evangelium Johannis tractatus duos. Item librum de quidditate characteris. De compoſitione Angelorum. De motu Angelorum. Item tractatum contra expoſitionem Patris Johannis de Narbona ſuper Apocalypſin mandato Bonifacii VIII. compoſuit. Demum in jure Canonico de ſumma Trinitate & fide catholica. Item clariſſimum & acerrimum defenſorium contra impugnantes S. Thomam confecit. Item librum, quem torrens flumen appellavit contra hæreticos acutiſſimè compoſuit. Multa non dubito alia compoſuit, quorum notitia ad nos citra-montanos non pervenit. Quoniam & ſtudium & tempus ſuum ferè totum Pariſiis & in aliis Galliæ partibus cum Chriſtianiſſimo rege Francorum & in excelſis Pariſienſibus Gymnaſiis conſumſit. De quo profecto non tantum librorum admiranda eſt multitudo, quantum ſui acumen ingenii & tenaciſſimæ memoriæ donum ſtupendum eſt, quod in tot tantisque ejus dictis ne unquam ſibi repertus eſt contradixiſſe, aut quod aliquid dixerit retractandum. Non enim tum hoc, tum illud, ut plærique faciunt, ſed ſemper idem aſſeveravit. Et quidem ita clarus fuit, ut his omnis humanæ & divinæ ſapientiæ ex omnibus doctoribus ſcholaſticis ſolus videatur dilucidaſſe arcana. Non me mendacem dicet, qui ejus fuerit in operibus exercitatus. Hic ob ejus ſingularem ſanctimoniam aut doctrinam cariſſimus Regi Francorum Archiepiſcopus Bituricenſis ut dictum eſt & primas Aquitaniæ creatus eſt. Cardinalium quoque S. Romanæ eccleſiæ cœtui adſcriptus fuit, ſed morte præventus publicatus fuit minimè.

Secundus fuit Magiſter Jacobus de Viterbio, Archiepiſcopus Neapolitanus doctor quidem ſublimis ingenio, qui ſuper ſententiis egregios fecit commentarios: Prædicamenta divina contexuit. Quodlibeta quatuor Pariſiis diſſeruit, & in unum redegit volumen. Edidit librum de regimine Chriſtiano & alia multa, quæ in ejus morte ab æmulis fuerunt occupata.

Tertius fuit Frater Ugolinus de Urbe-veteri Epiſcopus Ariminenſis & Patriarcha

(T) 2 Conſtan-

Conſtantinopolitanus, qui tanto valuit ingenio, tamque acerrimus diſputator fuit, ut in confutando aliorum dicta parem habuerit neminem. Neque apud quemquam, ceu pluries de ſe periculum fecit, diffidebat utramque contradictionis partem defendere ſubtiliſſimus in ſententiis, breviloquus, diſtinctus, & formalis in dicendo communia relinquens ad ſingularia ſe extulit quatuor ſententiarum libros per-quàm altè interpretatus eſt. De trino Deo & uno, de idiomatum differentia ac rerum aliarum multarum libros edidit.

Quartus fuit Frater Bonaventura Pata unus de domo Carariæ in utroque jure ac in Theologia Doctor presbyter Cardinalis titulo S. Ceciliæ. Qui ſuper ſententiis Commentarios egregios fecit: Canonicam Johannis eleganter interpretatus eſt vitas ſanctorum deſcripſit: Sermones ac tractatus plurimos ad diverſos compilavit.

Anno Domini MCXCIX. obiit Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ qui fuit adjutor Archi-Comitum in Oldenborg ad ædificationem caſtri ibidem. Et, ut dicitur ipſe ædificavit arcus rotundos cum turri rotunda ſed Archi-Comites elevatos cum quadrata turri.

Anno MCCXXXIIII. occubuit Archi-Comes Henricus de Oldenborg in Stedingia, qui duos reliquit filios Ludolphum & Henricum. Borchardus itaque Henrici frater à Stedingis occiſus reliquit unum filium ſcilicet Henricum cognomine Bogener / id eſt, Humilem. Qui Cometias Oldenborg, Tecklenborg, Wildeshuſen, Vlotowe ſeu Vlote jure hereditario tenuit & poſſedit. Iſti duo fratres Henricus & Borchardus habuerunt duas ſorores, quæ erant filiæ Regis Scotiæ ex quibus iſtos duos prænominatos Archi-Comites genuerunt.

CAPUT OCTAVUM DE OTTONE Archi-Comite & geſtis ejus.

OTto Archi-Comes Mauricii ſupradicti filius hoc anno MCCXL. patri in regnum ſuccedens regnavit peroptimè annis multis vir certè inclytus & celebri laude dignus. Qui à parentis ſui æquitate minimè exorbitavit, præter hoc quod bellum ſemper pace carius habuit. Dixit enim curſum ſe nunquam acturum, niſi ſi aut in hoſtes rueret, aut fugientes inſequeretur: quod benè patre mortuo oſtendit: quia de nihilo aliud quàm de bello gerendo cogitabat unde principatu in iſto primo congreſſu in Bremenſes arma movit quibus ſuperatis & profligatis etiam Friſones ſibi infenſos plurimum laceravit ac Monaſterienſes pari mulcta affecit poſtmodum contra Hojenſes, qui Bremenſibus ſubſidia tulerant properavit, & eorum patriam perturbavit. Deinde exercitu congregato in Nobilem de Deipholte duxit, quem obſidione concludens eo-usque ipſum perduxit, ut præ fame multi homines ſui herbas, quas pecudes non comedunt, pro ſummis delitiis haberent. Tandem cùm in fame deficerent deditionem fecit. Iſte idem Otto in Berne ædificans habuit uxorem de Woldenberge. Iſte idem ædificavit caſtrum in Delmenhorſt contra Monaſterienſes & Bremenſes & cambium fecit cum miniſterialibus eccleſiæ Bremenſis dictis Brunſtein alias de Mulen. Hic etiam Otto habuit fratrem nomine Chriſtianum, qui manſit in Oldenborg ipſe duxit uxorem de Iſenberge nomine Agnetam de qua genuit Johannem Archi-Comitem, & Otto frater Chriſtiani mortuus eſt ſine herede & in Huda ſepultus.

Iſtis temporibus multi nobiles intrarunt manu armata Stedingiam videlicet Dux Brabantiæ, Comes Hollandiæ, Comes Clivenſis & interfecti fuere de Stedingis ſex millia hominum in brevi tempore, & multi fugam cepere ac ſubmerſi ſunt in Weſera: & omnes qui evaſerant diſperſi ſunt in quatuor partes mundi. Et ſic receperunt mercedem malitiæ ſuæ cum damno & ſcandalo: & ibi interfectus fuit, ut ſupra dictum eſt, Henricus Archi-Comes de Oldenborg & cum eo IX. peregrini. Et rebellio Stedingorum contra fidem Catholicam fuit in toto XLIIII. annis, à principio rebellionis eorundem, usque in finem.

Circa tempore Ottonis claruit S. Wilhelmus Dux Aquitaniæ & Pictavienſium Comes, ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini. Inſuper S. Clara de Monte-Falcone ejusdem ordinis Eremitarum, quæ tantæ fuit ſanctitatis, ut ſi fides Chriſti perdita eſſet, in ea reperiretur. Inprimis in cujus corde omnia ſigna paſſionis Chriſti ſunt

ſtiſſunt ſculpta. Item in felle reperti ſunt tres lapides, quorum unus tantum ponderat, quantum tres ſimul & unus quantum duo: & iſti lapides infrangibiles ſunt & ejusdem magnitudinis & cujus coloris ſint diſcerni non poteſt. Hæc omnia myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis ſunt, cujus ipſa dum viveret magnas habuit revelationes. Corpus ejus integrum eſt & pulcerrimum: ſanguis ejus in ampulla vivus apparet. Claruit tempore S. Nicolai de Tollentino, quæ quamvis ſolemniter canoniſata non ſit, tamen Nicolaus V. hæc omnia approbavit orationem dedit, qua poſſit venerari. Hæc omnia ſunt in Monaſterio noſtro S. Crucis in monte Falcone.

Tempore Ottonis Archi-Comitis, anno quo ſupra, claruerunt, quatuor luminaria mundi ordinis Fratrum eremitarum divi patris noſtri Auguſtini.

Primus fuit Albertus de Padua Doctor præcellentiſſimus qui ob ejus ſingularem doctrinam ac ſanctimoniam in Patavino palatio marmoreum ſimulacrum aureis decoratum literis habere meruit. Hic ſub diſciplina domini Ægidii de Roma educatus Pariſiis ſub eodem magiſtratus ſuſcepit inſignia. Interpretatus eſt optimè totum Moyſis Pentateuchum. Quinetiam Evangelia tam Dominicalia, quàm Quadrageſimalia egregia uberrimaque expoſitione dilucidavit. Ediditque per totum anni circulum feſtivitatum opus egregium. Centum item & quinquaginta ſermones, multosque ad diverſas materias ſingulares compilavit tractatus.

Secundus fuit frater Alphonſus de Toleto provinciæ Hiſpaniæ Epiſcopus Hiſpalenſis, qui quæſtiones de Anima ac librum de potentiis animæ edidit. Commentatus eſt quatuor libros ſummarum tam ſubtiliter, tam altè tamque formaliter & limitatè contra Scotum ut nihil ſupra.

Tertius fuit Magiſter Henricus de Urimaria filius conventus Erfordienſis. Hic libros Ethicorum copioſiſſime ac profundè interpretatus eſt. Vitas ſcripſit ſanctorum. Quodlibeta duo Pariſiis determinavit. Super primum ſententiarum peracutè ſcripſit. Librum de hominis perfectione compoſuit. Decretalem cum Marthæ de celebratione Miſſarum expoſuit. Item pro exemtis contra Ægidium Romanum determinavit. De incarnatione verbi, de quadruplici inſtinctu fecit tractatum. De origine ordinis & rebus aliis pluribus volumen edidit.

Quartus fuit Magiſter Auguſtinus de Iterano generalis noſtri ordinis Prior natione Siculus olim utriusq; juris conſultiſſimus ac Theologus inſignitus hoc ipſo anno haud procul à Senenſi Ethruriæ urbe locello Divo Leonardo dicato multis clarus miraculis beato fine quievit. Qui poſtmodum propter doctrinæ & ſanctitatis excellentiam beatus Auguſtinus novellus appellatus eſt. Et hic primo cum jurisconſultus toto orbe famoſiſſimus haberetur à Manfredo Rege Siciliæ in conſiliarium delectus fuit. Sed poſtquam Rex ipſe à Karolo quodam interfectus fuit ſaluti ſuæ conſulens ordinem Eremitarum Divi Auguſtini in Sicilia inſula loco quodam ſolitario ſtatim incognitus ingreſſus eſt.

Eodem tempore anno Domini MCCXXXV. Otto Nobilis de Lippia Epiſcopus Monaſterienſis emit Dominium Vechtenſe.

CAPUT NONUM DE JOHANNE *Archi Comite & geſtis ejus.*

JOhannes ſecundus Archi-Comes filius Chriſtiani, qui fuit frater Ottonis Archi-Comitis vir præſtabilis famæ, anno quo ſupra patri in regimine ſuccedens pluribus regnavit annis. Et hic cum Friſonibus & Bremenſibus perſæpe pugnavit & quàm-maximè cum Butjadenſibus ſemel apud Boitworden tanta vi illos expugnavit, ut ad duo Friſonum millia uno conflictu interfecerit. Etiam bellum habuit contra Ruſtringios. Nam Stedingi, qui expulſi fuerant de patria eorum ad Ruſtringios fugerunt tempore ſubverſionis terræ intendentes invadere eam, & ſe vindicare. Sed cùm hoc Johanni Archi-Comiti ſecretè fuit nunciatum venit cum expeditione ſua contra Friſones inter Huntebruggen & Elſulete & proſtravit ſecundariò Friſones innumerabiles gladio & Archi-Comes triumphavit per omnia. Hoc itaque bello commiſſo de nece ſuorum dolentes littus Weſeræ propè Hamelwerden invaſerunt & ad ſubmergendam totam terram foſſariis effoderunt. Militares verò & præcipuè

Nicolaus dictus Vleckſchilt, tunc temporis Dapifer Archi-Comitis cum incolis terræ multum ſtrenuè egit & multos Friſonum occidit in ore gladii non verendo aquam proſiliit rabide in eos. De occiſione illorum Friſonum commota eſt univerſalis conventio Ruſtringorum collectis iterum viribus, & grandi fortitudine omnes aquæductus propriè de Silt confringentes terram incendiis & rapinis vaſtantes ita quod ipſa terra inculta abſque inhabitatione hominum per ſeptennium permaneret. Lupi etenim, & alia animalia in eccleſia Elſulete fœtum ſuum, ſicut in deſertis locis nutriverunt. Militares igitur, qui damnum non modicum de ſubmerſione terræ Stedingiæ receperunt ultionem in Friſones facere decreverunt, irruentes in parochiam Boitwerden pro rapina ſe armis præparabant, ſed omnes milites & militares in palude quæ Boirwerder-Mohr dicitur à Friſonibus ſunt occiſi. Friſones autem quia hujusmodi damnum in recompenſationem damni ſui fecerant placati placitis reverendiſſimi Hilleboldi Archiepiſcopi Bremenſis, qui & ipſe erat natu Archi-Comes de Oldenborg, & ad eccleſiam Bremenſem acquiſivit S. Petro opidum Wildeshuſen cum caſtro & villis & advocatia adjacenti usque in Visbeke & hoc fecit cum aſtutia ab Archi-Comitibus in Oldenborg. Motus ergo piè pro ſuis cognatis & nepotibus ac fratre perſoluta pro ſuis occiſis modica pecunia pro unoque videlicet Friſone, quam factionibus ſolutis compoſitionem amicabilem volente Archiepiſcopo Hilleboldo admiſerant.

Iſtis peractis Johannes Archi-Comes duxit uxorem nomine Rixedis vel Richſe filiam Comitis de Hoja anno Domini MCCLVIII. de qua genuit quatuor filios videlicet Chriſtianum, Ottonem, Henricum & Mauritium. Ex his fratribus Henricus mortuus eſt juvenis, & Mauricius effectus Canonicus in eccleſia Bremenſi & alii duo fratres Chriſtianus & Otto diviſerunt Dominium inter ſe. Manſit itaque Archi-Comes Chriſtianus in Oldenborg, & Archi-Comes Otto in Delmenhorſt, & fuerunt amici omnium religioſorum & præcipue Monaſteriorum in Raſtede & in Huda. Et præcipue Chriſtianus fuit contentus ſuis, nunquam Monaſteria aut clerum offendit in Dominio aut extra, nec in aliquo condemnavit unde villici in pace & plena tranquillitate vixerunt. Idem Chriſtianus habens XXX. annos mortuus eſt. Temporibus hujus Archi-Comitis tanta inundatio aquarum per turbines facta eſt ventorum, ut omnes aggeres Friſiæ & Stedingiæ fluvii ſalſi maris tranſierunt. Et hòc fuit circa feſtum Luciæ virginis. Dicitur etiam quòd in Occidentali parte Friſiæ ſubmerſi fuerunt ex hac aqua mille millia hominum utriusque ſexus & ultra. Iſtis in temporibus quidam de Stedingia rurenſes voluiſſent per traditionem ſubvertiſſe iſtam terram & Archi-Comites cum militaribus occidiſſe. Sed hoc proditum fuit per quendam Jacobum Scriver paganum. Pagus idem eſt quod villa: unde pagani idem quod villani. Qui rurenſes ad examen ferri igniti fuerunt adducti, ex quibus rei ſuſpenſi ſunt in Huntebrugge, & innocentes dimiſſi ſunt liberi. Duo autem incendiarii Ciricus & Meynricus primò occurrentes primitus ſunt ſuſpenſi.

Eodem tempore floruerunt quatuor excellentiſſimi Doctores ordinis Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini. Primus fuit Magiſter Antonius de Ancona, qui totus catholicus totus in amore Dei ſuccenſus ſuper actus Apoſtolorum, Apocalypſin & omnes Epiſtolas canonicas duplicem fecit expoſitionem. Alteram in qua antiquos ac ab eccleſia Doctores approbatos in eundem colligans & dirigens ſenſum, quam Aureum vocavit opus. Item ſuper Matthæum opus præclarum non tam elegantes, quàm utiles & claras fecit interpretationes. Super Evangelium Lucæ ea præſertim, in parte quæ miſſus eſt ab eo deſcribitur. De glorioſa ac beata ſemper-virgine Dei genitrice Maria devotiſſimum & pulcerrimum opus, edidit. Canticum item Magnificat interpretans de ſpirituali gaudio & decem chordis voluptuoſiſſimam animo habuit expoſitionem. Epiſtolas quoque Pauli per-quam egregiè interpretatus eſt. Hic primum ſententiarum clarè & doctè expoſuit. Summam auream de eccleſiaſtica poteſtate in magno edidit volumine. De ſpiritu ſancto ſubtiliſſima edidit theoremata. De introitu ad repromiſſionis terram. De animæ potentiis librum edidit. Super duodecim libris methaphyſicæ Ariſtotelis diffuſos & præclariſſimos commentarios reliquit. In libros priorum & alios multos in Dialecticis commentarios compoſuit. De genere & ſpecie & alios plures tractatus condidit. Excellentiſſimum opus ut puto

Millelo-

Milleloquium veritatis Auguſtini hic incepit morte tamen præventus à præclariſſimo Doctore Bartholomæo de Urbino fuit conſummatum. Secundus fuit Magiſter Gerhardus de Senis Ægidianæ diſciplinæ defenſor invictiſſimus. Hic quamvis juvenis obierit, non tamen parva reliquit monumenta. Nam primum, ſecundum & quartum Sententiarum ſubtiliſſimè interpretatus eſt. Item de uſuris, de præſcriptione ac reſtitutione egregios ſcripſit commentarios. Clementinam quoque de hæreticis, de bigaveorum erroribus & aliorum plurium expoſuit. Multos alios edidit tractatus, & quidem magna cum doctrina. Hic ut fertur baccalarius obiit, & mortuus ob ejus ſingularem ſcientiam fuit laureatus.

Tertius fuit Magiſter Gregorius de Arimino generalis ordinis Prior, doctor quidem magnæ peritiæ, prudentiæ & ſanctimoniæ, qui non modò vivens, ſed etiam mortuus Pariſienſia ſublevavit Gymnaſia. Hic ſuper primo & ſecundo Sententiarum egregia compoſuit volumina. Scripſit ſuper Epiſtolas Pauli perquam egregiè. Edidit tractatum de uſuris. De intentione & remiſſione formarum. De moribus Venetorum. De conditionibus Florentinorum: & alios quamplures diverſarum rerum. Hic in omni ſua doctrina formaliſſimus & maximus extitit Peripateticus.

Quartus fuit Magiſter Michaël de Maſſa, Doctor quidem profundæ inventionis. Hic & copioſè & profundè ſuper primum Sententiarum ſcripſit. Evangelium Matthæi perquam diffuſè & doctè interpretatus eſt. Super Geneſin volumen grande compilavit. De quatuor virtutibus & aliis multis ac variis rebus tractatus optimos reliquit.

Eodem tempore Otto Archi-Comes filius Johannis ſupra dicti fuit electus in Abbatem Raſtedenſem. Hic adeo gratus tàm clericis, quàm laicis fuit, ut eum omnes in magna haberent reverentia propter ſuam largitatem, & etiam multiplicem, quam ſemper exercuit honeſtatem. Nam cum Epiſcopus Mindenſis tunc temporis obiiſſet, quidam Canonici ejusdem virtutes ipſius Abbatis in electione ſua recitaverunt propter quas ferè fuiſſet ibidem in Epiſcopum electus, ſi non pauci nobiles pro eodem Epiſcopatu laborantes magnis viribus reſtitiſſent. Hic etiam probus Pater cauſſa ſuæ honeſtatis Præpoſitos Friſiæ canonicos videlicet eccleſiæ Bremenſis cum ad Monaſterium Raſtedenſe venirent pro ſervandis Synodalibus ſuis in Friſia ipſos primò collegit & lautiſſimè recreavit. Iſte Abbas deificè rexit monaſterium præfatum ferè XIIII. annis.

Temporibus hujus Abbatis quidam militares de Oldenborg & præcipuè Robertus miles de Weſterholte cum ſua cognatione cæpit Johanni Archi-Comiti & filiis ejus ſe opponere & acriter rebellare. Quæ rebellio ſeu oppoſitio ad tantam invidiam ſe extendit, ut Robertus miles jam dictus caſtrum in Swippenberge quod nunc dicitur Wardenborg cum auxilio Comitum de Welpia & de Brockhuſen & aliorum amicorum ſuorum militum & famulorum, & præcipuè cum adjutorio Henrici de Brema & Luderi de Huda militum ædificaret in terminis Archi-Comitum & hoc Anno Domini MCCLXX. Expugnavitque opidum Oldenborgenſe. Sed prædictus Archi-Comes conſilio uſus diſcretorum eos de prædicto opido per incendium effugavit. Cum autem militares ad caſtrum ſuum redirent Archi-Comiti damna plurima intulerunt. Tandem in loco qui dicitur Tungelermärſche Archi-Comes & milites ex utraque parte cum magno exercitu in conflictu convenere. Et ibi Johannes Archi-Comes triumphavit, & plures milites & famulos captivavit, quos in turri Oldenburgenſi catenavit. Et vexillum equitum duxit Johannes miles de Manſingen vexillum vero peditum tulit Holtmannus miles de Beverbeke, qui ambo tam ſtrenuè egerunt, quod fama eorum ab iſtis terminis non receſſit.

Poſt hoc circa feſtum Natalis Domini Otto Archi-Comes ac Abbas obiit, ac in medio tumbæ Archi-Comitum de Oldenborg in medio Eccleſiæ Raſtedis eſt ſepultus. Eodem tempore quidam miles nomine Luderus Mundel de Huntebrocke natus Johanni Archi-Comiti rebellare per everſionem terræ Stedingorum intendebat. Cumque Archi-Comes hoc percepiſſet ipſum cum ſua tota cognatione ejiciens Dominio rebus & omnibus bonis ſuis ablatis profugum turpiter de patria expellebat.

His etiam temporibus Archi-Comes Johannes & ejus filii, qui ante caſtrum habuerunt capellam S. Nicolai Epiſcopi in honore Lamberti martyris parochiam ſtatu-

Digitized by Google

erunt aliam in Aurickdorff vel in Aurike in partibus Friſiæ ædificaverunt in Brockmerlande: quam FockeUken traditoriè à prædictis Archi-Comitibus accepit, ſicut inferius plenius dicetur. Cauſſa autem fundationis harum eccleſiarum talis aſſignatur: nam dicitur, quod Dodo Dux Araniæ & Comes Arduennæ in Francia de cognatione eorum procreatus qui in necem Lamberti Epiſcopi propter ſororem ſuam Alpaidam, quam Rex Pipinus tenuerat & propter interfectionem Galli & Reinoldi nepotum conſpiraverat in Lambertum, qui telo gladii interemit faciens martyrem. Cujus ſanguinem atque necem ad preces S. Lamberti dicentis: videat Deus & requirat; Deus omnipotens usque in nonam generationem vindicavit extremè, ut ergo amoveretur vindicta & plaga ab eis antedictas eccleſias parochiales ſic fundarunt & egregiè bonis, prædiis, decimis & areis ſufficientibus dotarunt.

Tempore hujus Johannis anno videlicet Domini MCCLXXXVII. noſter conventus Oſſenburgenſis ordinis Fratrum Eremitarum Divi patris Auguſtini de Holte translatus eſt ad prædictam civitatem, ut in his metris:

Mille tribus demtis annis nonaginta ducentis
In feſto Fratrum fuit hic inceptio Fratrum.

Videntibus, namque vicinis urbium ac villarum incolis monaſterium regulare tam miraculoſe, tamque ſolemniter incoari ſinguli ſuis piis eleemoſynis ſubvenere, ut adeo citius adoptatum conſequeretur effectum. Quadraginta ergo quatuor annis laborioſiſſime hoc monaſterium Oſnaburgenſe in potioribus conſummatum erat, teſtudine tantum eccleſiæ ac dormitorio novo juxta Haſam exceptis. Quibus curriculis annorum elapſis neſcitur quo diſſortunio, quin potius infelici eventu ac communi plaga vicinorum in cineres Eccleſia & dormitorium cum cæteris ligneis ſtructuris igne flammivomo devorante miſerabiliter cum magno dolore Fratrum, incolarum & exterorum eſt redactum. Quod etiam ne memoriis hominum excideret hoc epigrammate eſt annotatum:

Hinc poſt M. ter C. ſuperadde triginta monosque
In feſto Fratrum fuit hic incenſio Fratrum.

Mauricius autem filius Johannis Archi-Comitis obiit anno Domini MCCLXXXVIII. circa S. Stephanum in Bremis: Similiter & Chriſtianus, qui fuit Canonicus Eccleſiæ Bremenſis, & delatum eſt corpus ejus in monaſterium S. Mariæ in Huda. Iſte Chriſtianus fuit conſanguineus Giſelberti Bremenſis Archiepiſcopi & fuit in juventute ſua ſcholaſticus Bremenſis, & ideo valde familiaris loco & incolis & valde dilexit clerum.

Eodem tempore fuit grandis cariſtia, plauſtrum enim ſiliginis ſolvit XII. florenos Rhenenſes: ſed nemo ex tali cariſtia periit. Iſtis etiam temporibus Rex quidam nomine Sween habuit ſub ſe quatuor regna ſcilicet Daciam, Svetiam, Norwegiam & Angliam. Sed oblitus eſt Domini creatoris ſui nam idem Sween accepit matrem ſuam de Svetia reginam in uxorem. Qui correptus à Papa Clemente & à Cæſare Henrico, qui & illuc literas miſerunt. Et ſic rex matrem dimiſit, cum qua antea concubuit & pœnitentiam vovit, quam ex timore non amore fecit.

CAPUT DECIMUM DE ARCHI-COMITE CHRISTIANO, & geſtis ejus.

POſt mortem Johannis Archicomitis & filiorum ejus Chriſtianus ejus filius regimen ſuſcepit vir utiq; magnus & rebus bene geſtis clariſſimo præconio inſignitus. His temporibus, anno videlicet Dominicæ incarnationis MCCXCII. regnavit multis annis. Suam itaq; patriam tanta juſtitia ſapientiaque ac pietate gubernavit, ut potius bonitate ſua, quàm aliis armis aut militibus ſibi ſubegerit. Erat namque multa eloquentia præditus, comisq; ac perhumanus nec non in omnes liberalis atq; doctorum virorum tum Eccleſiaſticorum tumque oratorum ac Poëtarum & Hiſtoricorum familiaritate, dum eſſet in Univerſitate Pariſienſi, conjunctus. Viros eloquentes ob eorum doctrinam & rerum experientiam apud ſe ſedulo habere voluit, & magnis honoribus præmiisque ob doctrinæ præſtantiam ſemper proſequi voluit. Tandem cum civitatem Oldenborgenſem & caſtrum maximis ædificiis aliisque plurimis beneficiis illuſtraſſet,

Anno

Anno Domini M CCC. die XXIII. Julii unicum relinquens filium nomine Johannem civitatis & patriæ Dominium conceſſit. Ejus autem corpus cunctis collacrimantibus cum maxima funeris pompa apud templum juxta civitatis forum ſepultum fuiſſe conſtat.

Anno quo ſupra Otto Comes in Delmenhorſt collegium fecit clericorum in honorem S. Dei genitricis, & contulit eis prædia confirmante Archiepiſcopo Giſelberto.

Illis in temporibus claruerunt quatuor luminaria mundi ordinis fratrum Eremitarum Divi Auguſtini Doctoris clariſſimi. Primus fuit Magiſter Thomas de Argentina, Prior generalis noſtri ſacri ordinis. Hic multa compoſuit ſed ex aliis ejus operibus tam compendioſa & præclara ſuper Sententiis edidit Commentaria ut neſciat horum utrum alteri prævaleat vel compendioſitas claritati, vel è contra claritas compendioſitati. Secundus fuit Magiſter Gerhardus de Bergomo, Magiſter Pariſienſis & Epiſcopus Savonenſis. Hic Pariſiis duo quodlibeta determinavit ſuper Cantica Canticorum & ſuper Epiſtolam ad Hebræos. Inter Salomonem & Paulum fecit Concordantias. Plures Decretales optimè interpretatus eſt. Multas item collationes & diſputationes reliquit in ſcriptis.

Tertius fuit Frater Alexander de S. Elpidio, Prior generalis ordinis & magiſter luculentiſſimus, eccleſiaſticæque dignitatis defenſor acerrimus. Hic tres libros edidit: Unum de Eccleſiaſtica poteſtate: alium de Eccleſiaſtica paupertate: tertium de Eccleſiaſtica unitate. Scripſit ſuper Topicis & prioribus Ariſtotelis. Multos denique ad diverſas materias tractatus edidit.

Quartus fuit glorioſus & ſanctus vir Simon de Caſſia: qui cum ſcientia infuſa plurimum valeret nullum voluit humilitatis gratia unquam gradum accipere. Hic Domini verbi ſuo tempore præco validiſſimus & eccleſiæ Dei utiliſſimus fuit. Scripſit ſuper quatuor Evangeliis maximum volumen in XV. libros diſtinctum, diſertiſſimè & Chriſtianiſſimè digeſtum, quod opus de Chriſtiana Doctrina appellavit. Item edidit Speculum crucis; de patientia, de diſciplina Spiritualium: de vita Chriſti. Scripſit ſuper Symbolum: Scripſit de vita Eremitica: multas Epiſtolas, tractatus & admonitiones tum latino tum materno Sermone conſcriptas ad Florentinos ad Bononienſes, ad Senenſes & alias civitates deſtinavit.

CAPUT UNDECIMUM DE JOHANNE *Archi-Comite & geſtis ejus.*

Chriſtiano ſepulto Johannes tertius ejus filius ei ſucceſſit. Hic, ut quidam ſcribunt, multis equis & canibus, & familia inutili terram Amirorum & Stedingorum in paupertatem nimiam ſubſtravit. Ejus etiam temporibus Stedingi volentes evertere terram de poteſtate Archi-Comitum, quia eis injuriæ & multa incommoda inferebantur prædictus Johannes cœpit in villa Raſtede morari, quaſi unus paganus cum quadam concubina, legitima repudiata, quem & Bremenſis Archiepiſcopus propterea, ut debuit, excommunicavit, & ideo omnibus clericis & eccleſiis infeſtus fuit. Nihil enim profecit ſibi, quod de rapina acquiſivit, nec omnes reditus ſui ſat ei eſſe poterant, quin miſerabiliter venando dilapidaret, & hiſtrionico more. Hic tres genuit filios, videlicet Conradum, Chriſtianum & Johannem ſua in ſenectute. Prius enim ſobolem habuiſſet, ſi ita lubricus & delicioſus non fuiſſet.

Anno quo ſupra de conſenſu Bremenſis Archiepiſcopi nobiles reliquias fundatorum clauſtri Raſtedenſis Hunonis, Friderici & Guillæ poſitas ante altare S. Johannis Baptiſtæ ſuſtulit præſente inclyto & venerando Domino Diderico de Lunenborg Decano Bremenſi, qui & natus Dux Saxoniæ, cum Archi-Comite Johanne de Oldenborg & multis militibus ſtrenuis & validis famulis & militaribus terrarum, ipſasque reliquias in choro ante ſummum altare cum maximo honore divinorum laudabiliter collocavit cum hymnis & canticis, prout decuit.

Anno Domini M CCC X. Archi-Comes Johannes & Otto Comes de Delmenhorſt invitaverunt exercitum Ducis Luneburgenſis ad exterminandum Archiepiſcopum Bremenſem & Eccleſiam ſuam de Stedingia. Sed Archiepiſcopus Giſelbertus in

loco qui dicitur Sluterſile cum ipſis Archi-Comitibus & Comitibus, & cum exercitu dicti Ducis pugnavit & cum auxilio S. Petri glorioſè triumphavit, captivavitque exercitum Ducis Archi-Comitis, exactionavitque exercitum ipſum ad tria millia florenorum.

Tempore illius Archi-Comitis Anno Domini MCCCXLII. Lodowicus nobilis de Haſſia habuit guerras cum Comite Gelriæ. Comes autem Gelriæ habuit in auxiliatorem Regem Bohemiæ, Epiſcopum Leodienſem, Epiſcopum Trajectenſem, Comitem Juliacenſem, Comitem Flandriæ, Comitem Hollandiæ & de Artois & alios plurimos Comites & nobiles in auxiliatores ultra VII. armatorum millia cum dextrariis & gladiis & galeis, cum aliis quampluribus militibus equitum & peditum. Cum talibus diœceſin Monaſterienſem voluit devaſtare, & uno in tempore pertranſire propoſuit. Cui Dominus Lodowicus cum auxilio Domini Epiſcopi Oſenburgenſis & Domini Lippienſis & Comitum de Waltegge, de Seine, juxta Coſtveldiam obviavit, & Dei gratia omnes illos fugavit, captivavit, & in nihilum redegit. Et ille Lodowicus erat primus à fundatione Eccleſiæ Monaſterienſis, cui à ſede Apoſtolica fuit proviſum.

Ante illa tempora Anno M CCC VIII. feria tertia ante Martini Engelbertus Comes de Marka cum Epiſcopo Monaſterienſi Conrado de Monte & aliis pluribus nobilibus Dominis cum Lodowico Comite de Ravensbergc Epiſcopo Oſſenburgenſi inopinabile magnum bellum in campo Hardervelde commiſit, in quo quam-plures Monaſterienſes & præſertim Epiſcopus Monaſterienſis Prior cecidit cum Epiſcopo Oſſenburgenſi. Et reliqui omnes fugerunt, manſitque campus Oſenburgenſibus liber.

Prædictus itaque Lodowicus Monaſterienſis Epiſcopus habuit guerram cum Johanne Archi-Comite Oldenburgenſi Anno M CCC XLII. & deſtruxit caſtrum Wardenborg, ut habetur in Chronica Monaſterienſium.

Anno M CCC XLVI. Otto Archi-Comes de Oldenborg fuit electus in Archiepiſcopum Bremenſem. Hic Archiepiſcopus ante erat Præpoſitus Eccleſiæ S. Anſcharii Bremenſis, & Canonicus Colonienſis, & inde Archi-Comites habuerunt curiam verſus Septentrionem in urbe Brema. Et tunc Mauricius de Oldenborg extitit Decanus, qui multa bona fecit Eccleſiæ Bremenſi, dummodo elevatus fuit cognatus ſuus in Archiepiſcopum.

Anno Domini MCCCXLIX. Godfridus Comes de Arnsberge poſtulatus fuit poſt mortem Ottonis in Archiantiſtitem Bremenſem. Hic antea fuit Epiſcopus Oſſenburgenſis. Tunc incepit bellum civile inter Mauricium Archi-Comitem Oldenburgenſem & Godfridum. Et materia litis fuit propter diœceſin Bremenſem. Dominus Mauricius electus fuit de capitulo: ſed Papa dedit Archiepiſcopatum Godfrido. Et ambo litigabant inſimul, & unusquisque eorum attraxit civitatem, & ideo modicum exſpectabant in lite & pauſabant pariter. Idcirco conſulatus ſuperſedit de adhæſione neutrius. Ultimo tamen invenerunt finem illum conſulatus & communitas Bremenſis circa Mauricium, quia habuit omnes munitiones & caſtra præter Tedinckhuſen quod vicit Comes Gerhardus de Hoja ab Henrico Comite Brokhuſenſi, cui impignorata tamen fuit à diœceſi Bremenſi. Sed res poſt longas altercationes & lites ſic facta eſt quod Godfridus manſit Archiepiſcopus & deberet ſervire Deo: ſed Dominus Mauricius deberet retinere caſtra & manere adminiſtrator ejus in temporalibus ex integro & providere Godfrido. Sed ut hoc obtineret duxit exercitum ante Bremam idem Mauricius, in quo exercitu habuit DCCCC. milites & famulos cum Dominis iſtis, Comite de Marka, qui nunc Dux Clivenſis, Comite de Steinfordia, Epiſcopo Paderbornenſi & Archi-Comite de Oldenborg cum aliis ſuis amicis & Dominis circumquaque & fecit mira ante Bremam. In paſcuis vero interfecit multos cives. Eodem anno erat tanta peſtilentia in Brema, quod Dominus Mauricius potuiſſet civitatem cepiſſe ſi voluiſſet. Sed allegavit illud: Afflictis non eſt afflictio danda, & receſſit. Audiens autem Conſulatus tantam benevolentiam intromiſit ſed de priori compoſitione. Et hoc fuit Anno M CCC L. Poſtea venit ad valvam Orientalem & fecit ibi milites Conradum Archi-Comitem de Oldenborg, Comitem Engelbertum de Marka, Dominum Ottonem de Line, Dominum Henricum de Itzendorp, cum

Dominum

Dominum Martinum de Huda. Et fecit copioſum ignem de omnibus ædificiis ante Bremam, & præſertim cepit caſtrum Borg & deſtruxit & incidit pontem ibidem. Et cepiſſet civitatem Bremenſem, ſi non fuiſſet peſtilentia, ut dictum eſt, & deſtruxit omnia usque Leſmon; Ergo amplius res diſcuſſa eſt, & communitas adhæſit Mauricio & concordia Dominorum eſt facta. Poſtea Comes Gerhardus de Hoja vicit Bremenſes ſolius auxilio Dei, non potentia, ſed propter nimias eorum inſolentias. Et tunc Mauricius manu forti redemit Langwedel, & caſtrum Tedinchuſen à Comite de Hoja qui hoc cepit à Comite Henrico de Brockhuſen, qui hoc habuit in pignus à diœceſi & capitulo, & tunc fuit incaſtellata Eccleſia Lullenhuſen, & omnes incaſtellatores mortui ſunt in integro anno miſerè. De iſto Godfrido Epiſcopo parum boni audivi: avarus enim fuit. Legitur in Chronica Epiſcoporum Oſſenburgenſis Eccleſiæ, quod erat ibi quidam Epiſcopus nomine Benno, Anno Domini MLXVIII. qui ſtatuit certam eleemoſynam dari & ſtipem per Epiſcopum propter glires. Ille quod illæ dabantur nunquam in illa diœceſi glires vel ratti paruerunt. Dum autem Godfridus de Arensberge Epiſcopus illam eleemoſynam dimitteret ſtatim glirium copia rediit, Anno Domini M CCC XLVIII. & Epiſcopus ille miſerabiliter vitam finivit. Iſte Godfridus S. Petro & Eccleſiæ Colonienſi Dominium in Arensberge perpetuè dedit & reſignavit.

Circa idem tempus vixit Henricus de Lucemborg Imperator, quem quidam Jacobita intoxicavit. Nam Ptolemæus Lucenſis in ſua Chronica ubi tractavit de prædicto Imperatore ſic loquitur, & hæc ſunt verba ſua in forma: Unde quidam prævaricator Jacobinus de ordine Dominici, membrum Diaboli, fera peſſima, rancor Acherontis, laqueus mortis, & omnis mali comportator, pejor Juda traditore, qui Chriſtum tradidit tradi volentem, cujus traditio & mors Chriſti ſanctiſſima Chriſtianitati & omnibus fidelibus fuit fructuoſa & totius noxialis pomi redemtiva. Qui traditor & inſidiator peſſimus de genere Guelfino & caninorum habens Originem de Senis oriundus cum ipſis Senenſibus, Florentinis & Lucanis ingreſſus conſilium Pilati qualiter Imperatorem traderet virum pacis, juſtum, pium, ſanctum, & manſuetum, neminem offendentem ſine cauſſa, & unicuique ſecundum præcepta juris Imperialis juſtitiam tribuentem, ſe amicum ſimulans & concordiam ordinare fingens inter ipſum Imperatorem & prædictas malivolas civitates, calliditate, imo verius malitia vulpina, qui prævaricator turpiſſimus rogans, ut ipſa die ſolemni & feſtiva coram prædicto Imperatore divina poſſet celebrare, & eidem porrigere corpus Chriſti, quod & clementiſſimus Imperator indulſit eidem. Canticis ergo celebratis & horis Canonicis, prout moris fuit in præſentia Imperatoris memorati tandem latro & traditor turpiſſimus indutus veſtibus ſacerdotalibus divinum inchoavit officium imò verò profanavit & communione facta ipſi Imperatori corpus Chriſti, quod erat in ara crucis ejus ſanguine rubricatum, toxicatum porrexit ipſum venenando. Verſus

Sub calicis latere potuit neonia latere,
Ungue ferens maculam dextra necans aquilam.

Et ei vertit calicem vitæ in calicem mortis naturalis, & quia non eſt dubium quin ipſe Imperator Sacratiſſimus quo ad ſe receperit verum , & viaticum vitæ ſempiternæ ipſum mundans ab omnibus peccatis & inquinamentis ſuis perducendo ipſum ad æternam vitam. Quo in ſanctiſſimo corpore ſumto & lotione manuum traditoris licet turpiſſimi ſteterit in menſa Domini & loco JEſu Chriſti loco ſanguinis Chriſti cum laicis ſanguis Chriſti non detur. Prædictus glorioſiſſimus Imperator tanquam ovis manſuetiſſima ad ſedem ſuam rediit & videbatur ſibi, quod glacies frigidiſſima tranſiſſet ſua inteſtina & Miſſa completa volens bonum pro malo reddere, quod perfectioris eſt ipſi traditori dixit: Domine recedatis, nam ſi percipiunt Teutonici & noſtri devoti, morte moriemini, quod nobis non placet. Nam ob reverentiam corporis & ſanguinis JEſu Chriſti, qui pro me miſero peccatore & pro omnibus peccatoribus dignatus eſt ſubire mortem crucis vobis ignoſco & remitto, quod calicem vitæ vertiſtis mihi in mortem. Et ille vobis ignoſcat, qui totum hominem ſalvum fecit ſua ſaluberrima morte. Quo traditore turpiſſimo recedent & recepto apud Senas auro ſibi ob hujusmodi traditionis cauſſam promiſſo more Judæ dato ex cujus malæ beſtiæ traditione damnoſiſſima multi & infiniti de ſuis Confratribus Jacobinis ac domus eorũ

in Tuſcia, Lombardia & aliis mundi partibus igne & gladio interierunt. Et merito juxta verbum Domini: Sicut per delictum unius hominis &c. Et iterum: Ego, inquit, ſum Dominus Zelotes, vindicans peccata patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem in his qui fecerint malum. Acta ſunt hæc Anno Domini MCCCXIII. anno quinto regni ſui in caſtro Boncavent. Verſus.

Cæſaris Henrici cœleſtis regis amici
Heu durum fatum doleat ſimul omne creatum
Hic Princeps magnus lenis fuerat velut agnus
Sed virtute leo Judæ ſimilis Machabæo
Ut Salomon ſapiens fidei virtute refulgens
Juſtitiæ cultor in perverſos fuit ultor
Cleri protector caſtus fortis velut Hector
Conſiliis fretus generoſo ſanguine cretus
Pax fuit Eccleſiæ protector fortis ubique
Cui dedit ad plenum Judas pro melle venenum.
Traditor impurus, homo neque, pectore durus
Spernendo legem necat hic pro munere Regem
Unde ſtupet mundus dolet orbis ubiq; rotundus,
Deſlet ſublatum ſe Rege pio ſpoliatum
Hinc petimus CHRISTE tecum conregnet ut iſte
Perfidiæ ſtratum ſemen Chanaan ſceleratum
Omnibus ingratum ſpecimen, ſal infatuatum
Sanctifer inſanus & troſitor undique vanus
Corde levis planus ſimulator & arte trucanus
Fex exſtinxiſti decus orbis deſipuiſti
Ab Antichriſti canis & præco quid egiſti?
Pelle ſub agnina latuiſti fera lupina
Punxiſti ſpina florem trux mente ferina
Sanguineus raptor exactor mortis & actor
Firmius hauſiſti potum pro munere Chriſti.
Ergo tuo morbo læſus ceſſabitur ordo
Dominici, tardus cujus fueras bachalardus
A modo non creſcas non vivas non veteraſcas
Sed computreſcas, loca mortis ubique capeſcas.
Heu nece miranda ruit arte manuque nefanda
Cæſar magnificus Henricus honoris amicus
Qualia ſunt fata quòd relligio maculata
Tanto privavit nos Cæſare quem male ſtravit
Ecce calix vitæ fert guſtum mortis! abite
Corde venenoſi non eſtis relligioſi
Ergo futura cave Princeps vivas ut ave
In varia nave non confidas neque nave.

Idem ſcribit Magiſter in Chronica nona. Idem habes in Chronica Prutenorum, in ſupplemento Chronicorum Magiſtri Philippi Bergomenſis, & quaſi in omnibus Chronicis modernis. In Chronica Prutenorum ſic ſcribitur Anno Domini M CCC XIII. tranſlata fuit ſedes Principalis ordinis Dominorum in caſtrum S. Mariæ. Circa idem tempus vixit Henricus de Lucemborg Imperator, quem quidam de ordine Prædicatorum confeſſor ſuus poſt ſumtionem ſacræ communionis veneno ſub unguibus occultato in ablutione digitorum, quam ſibi ſumendam dedit, interemit. Verſus:

Quomodo ſit geſtum de Cæſare ſit manifeſtum
Verum fertur ita quod quidam proh Jacobita
Per virus ſtravit Miſſam quando celebravit
A Juda credo non venit tanta nigredo.

Et

Et alibi

Jure dolet mundus quod Jacobita ſecundus
Judas quod reſtat mors Cæſaris & manifeſtat
Henricus dictus nullo certamine victus
De Luceborg natus nullo vicio maculatus
Cæſar erat magnus mortem ſubiit velut agnus.

Sed Jacobitæ in contrarium allegam inſtrumentum Johannis Bohemiæ Regis & Lucemborgenſis Comitis contrarium dicentis. Sed in rei veritate, ſi quis bene inſpexerit hujusmodi inſtrumentum videbit, quod per eosdem Fratres eſt confictum, & nullius roboris vel momenti. Nam Ptolomæus in ſua Chronica dicit, quòd traditor erat de Senis Jacobinus vocatus: Inſtrumentum verò dicit, quod erat de monte-Politiano Bernhardus nomine. Vide primò, quòd lyra non concordat cum cithara. Diceret Ptolemæus contra inſtrumentiſtas ſi viveret verba Divi Johannis Evangeliſtæ: Nunquid quæ ſcimus ſcimus, & quæ vidimus oculis noſtris poſſimus non loqui. Et quam plures rationes allegare poſſem contra Inſtrumentum ſi vellem, quas gratia brevitatis dimitto.

Anno Domini MCCCCXCVIII. altera die Aſcenſionis quidam Frater Hieronymus ejusdem ordinis Jacobitarum mettertius incineratus fuit Florentiæ, & cineres pro reliquiis reliquit. Primò ideo, quia traxit populum Florentinum ab obedientia Papæ & eccleſiæ Romanæ ſecundò prædicavit Papam Alexandrum VI. eſſe Simoniacum, hæreticum, Maranum, in fide ſuſpectum adulterum & publicum fornicatorem. Propter iſta inferebat ſuam excommunicationem & cenſuram nullo modo eſſe formidandam quia à non vero Papa eſſet prolata. Propterea fuit accuſatus & pro ſeditioſo & rebelli condemnatus. Et ubi mala perpetravit, ibi & pœnas luit, qui à proprio Prælato & generali fuit igni adjudicatus. Et idem generalis propriis manibus abſtulit ab eisdem habitum ordinis.

Anno Domini MCCCCCV. circa feſtum Viti quidam Frater ejusdem ordinis Jacobitarum de conventu Lubicenſi latro & nequam peſſimus repertus fuit in diœceſi Bremenſi, & in latrociniis deprehenſus circa caſtrum Wordis, qui ſi à villanis occiſus non fuiſſet, præfectus Epiſcopi eundem ſua propter demerita rotaſſet.

Circa idem tempus Guntherus Comes de Swartzenborg vir magnanimus, favore quorundam Electorum electus fuit in Imperatorem & Karolo quarto etiam electo ſe oppoſuit, ſcribens nominansque ſe Romanum Imperatorem. Qui collectis copiis cùm bella acriter contra Karolum Regem Bohemiæ agitaret, & nec prece, nec terroribus flecti poſſet, fumto veneno mortem obiit: in quo ſuſpectum Karolum per quendam Phyſicum habuerunt. Quo mortuo nullo reſiſtente quietè regnum gubernavit. Tempore hujus Archi-Comitis anno MCCCL. peſtis lugubris & miſerrima incepit & per tres annos per totum penè orbem divagata eſt: quæ primò in Aſia apud Indos ob quasdam beſtiolas incipiens per provincias paſſim irrepens usque in Britannos & omnes gentes adeo deſævit, ut vix decimus quisque ex milleſimo homine ſuperfuerit, & plæraque loca prorſus derelicta ſint. In iſto triennio obierunt ex ordine noſtro videlicet Fratrum Eremitarum Divi patris noſtri Auguſtini, quinque millia Fratrum, ut eſt in Chronica ordinis. Exinde univerſi Judæi in toto quaſi mundo extincti ſunt, quibus illud nefas peſtilentiæ ex veneno imponebatur. Illo in tempore plurima prodigia & ſigna de cœlo ſunt facta & oſtenſa. Fuit inaudita fames, quòd homines ſicut beſtiæ diverſas herbas comederunt, & quàm-plurimæ terræ civitates, caſtra, villæ, ex aquarum inundantia ſunt ſubmerſæ. Item anno quo ſupra circa feſtum Jacobi in maxima ſiccitate, nullis pluviis præcedentibus manè ita ſubitaneè aquæ inundantia ex ſicca terra erupit, per quam ex improviſo plures civitates & villæ, quam de priori aquarum inundatione perierunt.

Anno Domini MCCCLXII. obiit Godfridus de Arenſberge Archiepiſcopus Bremenſis & Albertus Dux Brunſuicenſis fuit reelectus contra voluntatem Archi-Comitis Mauricii. Iſta electio facta fuit ex perſuaſione Comitis Gerhardi de Hoja. Ipſe enim Mauricius fortiter infeſtavit Comitem de Hoja & multotiens vicit, & depopulavit Dominium ſuum, & vicit Hojam pluries & Comes de Hoja tenuit Archiepiſcopum

pum Godfridum, qui tunc cum Mauricio in malis punctis ſtetit. Sed tenuit eum propterea, quia dedit ei Tedinckhuſen & ille Archiepiſcopus fuit ſenex & impotens, & ideo magnum libenter habuiſſent principem pro defenſione majori, & ut refrenaret potentiam Archi-Comitis Mauricii Decani, qui ſibi nihil de diœceſi miniſtravit. Et ſic petiit Comes de Hoja, quod Dux Brunſuicenſis nomine Magnus lites moveret civitati Bremenſi & diffidationis mitteret literas, hoc deſerviret, quòd alias ibidem degere non poſſet, quin idem Mauricius eum à Comitatu expelleret. Mauricius etiam pro Archiepiſcopatu inſtitit, ſed procuratores Ducis prævaluerunt, & Albertus Dux obtinuit Archiepiſcopatum. Eodem anno venit Dux Magnus cum filio ſuo Alberto habita confirmatione & pallio à Papa ſuper Bremenſem eccleſiam. Sed Dominus Mauricius reſtitit ſibi fortiter, quia habuit caſtra. Et venit cum fortitudine Ducum, Comitum, & Baronum ante Wordit, & obſedit caſtrum ubi erat Mauricius: Ibi nobilis Baro de Werberge interemtus eſt cum aliis multis. Quo facto concordarunt in hunc modum quòd Mauricius temporibus vitæ ſuæ obtinere deberet Hagene cum omni advocatia & reditibus, & ſic deberet cedere in integro. Et ſic ceſſit de diœceſi & manſit Decanus.

Longe ante illa tempora anno videlicet Domini DCCLXIX. peſtis horrendiſſima fuit, quæ miſerabili ſtrage Italos omnes & præcipuè Ligures proſtravit. Quapropter ſicut Paulus hiſtoricus dicit homines terrore concuſſi velut amentes domos deſeruerunt & per nemora quæque fugere. Unde factum eſt, ut idem ad verbum refert ut nullus paſtor, in vineis in agris cultor aut meſſor inveniretur. Nocturnis quippe horis & diurnis tuba perſonabat, & quaſi murmur gradientis exercitus audiebatur ſed nulla comitantium apparebant veſtigia. Similis hiſtoria habetur in Chronica Euſebii quod tempore Juſtiniani Imperatoris DCCLXVII. apud Papiam in Auguſto & Septembri magna mortalitas facta eſt. Tunc viſibiliter multis hominibus videntibus apparuerunt duo angeli, unus bonus, alter malus tranſeuntes per urbem nocturno tempore: malus tenebat venabulum in manu, & ad permiſſionem boni januam percutiebat & de tali domo quamcunque januam percutiebat altera die omnes de eadem domo moriebantur. Poſt cuidam homini devoto per viſionem dictum eſt, quod ipſa mortalitas non ceſſaret, niſi in eccleſia S. Petri, quæ dicitur ad vincula dedicaretur altare in honore S. Sebaſtiani martyris. Quo facto mortalitas ipſa immediatè ceſſavit.

Circa illa tempora claruerunt quatuor Doctores excellentiſſimi ordinis Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini. Primus fuit Frater Auguſtinus de Eſculo, Doctor quidem in omni dicendi genere clarus. Edidit ſuper ſententiis commentum digniſſimum: In Moralibus & in ſacra Scriptura multa & quidem digna opuſcula.

Secundus fuit Frater Angelus de Camerio, qui in Dialecticis & in utraque Philoſophia plurima edidit volumina: Super Evangeliis ac Epiſtolis Pauli præclaras expoſitiones.

Tertius fuit Magiſter Johannes de Faberno, qui non modo Ariſtotelicus, ſed Platonicus maximus fuit. Unde ex aliis operibus Evangelia interpretatus Platonem cum divina ſcriptura ſemper concordavit: Super Ethicis & Politicis egregios Commentarios fecit; maximus theologus & acerrimus diſputator fuit.

Quartus fuit egregius ſacræ Theologiæ Doctor Magiſter Hermannus de Schildis de conventu noſtro Oſſenburgenſi. Pro quo concludo primum Theologicum Weſtphalicum habuit Oſſenburgenſium conventus ordinis Fratrum Eremitarum. Probo quia ille fuit prænominatus reverendus Magiſter Hermannus, hujus conventus alumnus patet hoc per eundem magiſtrum reverendum in Sermone facto coram clero Oſſenburgenſi, qui incipit: Principium in Oſee, ubi poſtquam pro gloria eccleſiæ Oſſenburgenſis introduxit, quomodo ibidem per Karolum Magnum utriusque linguæ, Græcæ ſcilicet & Latinæ ſtudium fuerit inſtitutum, conſequenter infert nihilominus totius Saxoniæ, excepto venerabili Hugone de S. Victore, qui ſi Saxo fuerit, quod ibidem non declarat, tamen totius Weſtphaliæ ſe primum inſignitum ſacræ paginæ Doctorem pronunciat. Secundò propter hoc idem noſtro ex martyrologio, ubi dum mentio de magiſtro prædicto fit ſic ſcribitur: quem noſter conventus in Chriſto genuit. Tertio magna occaſio vel indicium veritatis pro noſtra aſſertione ex do-

natione

nationelibrorum ſuorum valore ducentorum florenorum. Idem reverendus pater & doctus vir ad multorum eruditionem hæc quæ ſubjecta ſunt edidit opera. In primis videlicet ſuper primum Sententiarum commentum digniſſimum. De materia canticorum volumen unum. Super cantica canticorum magiſtralem expoſitionem. Expoſitionem duplicem Dominicæ orationis. Expoſitionem devotiſſimam ſuper Ave Maria. Breviloquium de expoſitione Miſſæ. Manuale ſacerdotum perpulcrum. De quatuor ſenſibus Sacræ Scripturæ compendium. Hexameron duplex. De vitiis capitalibus librum unum. Clauſtrum animæ librum unum. De conceptione immaculata virginis tractatum pulcerrimum contra ſtolidam & amaram opinionem Jacobitarum. De modo ſtudendi librum unum. Introductorium juris. Collationes prædicabiles per anni circulum. Super librum Rhetoricorum commentum diviniſſimum. De quinque ſenſibus tractatum unum. De vera & falſa amicitia librum unum. De compenſatione orationum Dominicarum cum orationibus canonicis librum unum. Super Decretalem: Omnes utriusque ſexus. Super Geneſin Poſtillam. Contra errores Flagellatorum tractatum. Contra Magiſtrum Conradum de comparatione Miſſæ tractatum. Sermones præterea multos ad populum edidit: ſed & multæ exſtant quæſtiones. De manſionibus librum unum. Scripſit inſuper ſuper X. præcepta. Gaude Oſſenburgica tali ac tanto viro decorata: gaude conventus Eremitarum, à quo lumen tam præclarum primum ſcintillavit. Sed ad propoſitum redeundo præfatus Doctor primus Weſtphalicus deceſſit Anno Domini MCCCLI. in peſtilentia illa magna, quæ in Chronicis modernis nominatur prima, quia ante illam nulla ſævior in Alemannia fuit: de-poſt autem frequentius ſæviit ille amplius morbus peſtilenticus. Anno Domini MCCCXLVI. magna partialitas fuit inter Bremenſes. Et Albertus Archiepiſcopus fuit dux eorum. Sed Archi-Comes Conradus de Oldenborg & Comes Chriſtianus de Delmenhorſt poſt multos dies liberaverunt civitatem quia ſecretè cum ſuis contra Archiepiſcopum venerunt eis in adjutorio ſabbato ante Petri & Pauli, pro quo adhuc tenetur feſtivus reexpugnationis in honorem S. Mariæ.

Anno MCCCLXVIII. in profeſto Praxedis venerunt in Blexen navigio Dominus Mauricius de Oldenborg Decanus, Archi-Comes Gerhardus fratris ejus filius, & Archi-Comes Chriſtianus patruus ejus omnes Oldenburgenſes, & Conradus Comitis Henrici filius de Brockhuſen cum DCC. militibus & multis civibus de Brema abſque equis & omnes ibidem à Friſonibus interfecti ſunt præter Everhardus de Cluveſo. Et dicitur, quòd totum fuit ex vindicta, quia Friſones ſpoponderunt ſatisfacere pro delictis. Et dummodo non volebant eos capere ad gratiam clamabant ad cœlum pro adjutorio, & Deus liberavit eos.

M ter CCC LXV. ternæ cum ſcripta fuere
Oldenborgenſes nobiles cecidere per enſes
Friſonicæ gentis hoſtiliter hunc ferientis
Quo ruit armatus ſimul ipſorum Comitatus
Hujus & obnixè miſerere Jeſu crucifixe
Praxedis in feſto hujus cædis memor eſto.

Anno MCCCLXX. fuit grande diluvium, & tunc ſolvit modius ſiliginis XII. groſſos Bremenſes. Eodem anno Dominus Florentius Monaſterienſis Epiſcopus cum auxilio Melchioris Oſſenburgenſis Epiſcopi & Ottonis Comitis de Tecklenborg fortiſſimum caſtrum Dincklage cepit & deſtruxit. Eodem anno Dominum Johannem de Sotmiſſe captivavit, Johannem Borggravium in Stromberg de patria expulit & ſuis caſtris eum ſpoliavit. Caſtrum Craſſenſtein, quod nunc Lubertus Wend jure hereditario poſſidet ei abſtulit.

Eodem anno idem Florentius Epiſcopus villam Meppen firmavit, & juxta eam caſtrum Palbenſtein, quod ſibi ultra D. marcas conſtitit, conſtruere cœpit. Ex illa electiſſima civitate multi Carthuſiani incoluerunt vaſtam ſolitudinem ſilentio dediti & quieti vacantes & videntes quàm ſuavis eſt Dominus & cum Maria ſepoſitis plurimum diſtrahentibus & turbantibus erga plurima negociis ſecularibus ſoli uni parti optimæ tota aviditate invigilant. Hi militantes Soli Deo negociis implicari mundanis refugiunt quos Dominus rebus mundanis occupari nolens ſuæ dulcedinis participio voluit honorare. Ex hic Prædicatores, Minores, Carmelitæ, Eremitæ S. pa-

tris

tris Auguſti regulares. Sunt & alii perplures hujus ingenuæ civitatis viri religioſi pariter & ſeculares, illuſtriſſimi Epiſcopi, Doctores in Theologia, Baccalarii & Lectores, in utroque jure Doctores qui ſuis inſignibus actibus moribusque præfatam civitatem redimentes haud minimè. Inter quos Dominus Johannes Veneker Laricenſis Epiſcopus, Wibboldus Prædicator egregius & quamplures alii civitatis Oſſenburgenſis incolæ peculiari quadam excellentia præeminent, qui pro ſuæ vitæ merito ab hujus præfatæ civitatis ingenuitate non degenerant. Ego quoque omnium minimus, tanquam abortivus hujus civitatis civis ſum & municeps in ordine Divi patris Auguſtini profeſſus. Qui certis cauſſis extantibus mundo dedi libellum repudii inde huc me transferens, quo exinde non mihi ſoli viverem, ſed & aliis vitæ verba miniſtrarem reputans mecum illud, apoſtolicum; pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut qui vivunt non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit hoc eſt, corpori ejus, quod eſt Eccleſia, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Lecturos quoque hanc Chronicam deprecor; quo ſuis mihi à Domino precibus impetrent, quatenus dare dignetur Dominus verbum in ore meo & in corde meo conſilium corroboret. Judith IX. Meminerit mei Dominus, & oſtendat ſe mihi in tempore tribulationis, & det mihi fiduciam & ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu populi Heſter XIIII. Noli eorum fieri ſimilis qui ſi fortè ad ſcripturas ſanctas poſt ſeculares literas venerunt & ſermone compoſito aures populi mulſerunt quicquid dixerint hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſentiant ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande & non vitioſiſſimum dicendi genus depravare ſententias & ad voluntatem ſuam ſacram ſcripturam trahere repugnantem. Ex illa namque Meppea civitate uno & eodem tempore vixerunt XXXVI. ſacerdotes diverſorum ordinum inter quos Epiſcopi, Doctores curati, &c. O civitas tantorum ferax fructuum, quæ jure meri plena cenſeris ſecundum tui nominis interpretationem, quæ quo abundas temorum tantis monaſteriis & civitatibus regionibusque propinas dum ea filiis ex te genitis tanta fœcunditate donaſti. Tunc montibus undique ſepta campis viridibus, fertilibusque adornata tanquam Paradiſi lignum ſecus decurſus aquarum plantata, duobus limpidiſſimis fluminibus inſtar coronæ cingeris quo ex hoc terra tua variorum ferax fructuum ariditate non marceſcat ſed pullulet imbribus irrorata cœleſtibus. Nam ex te viros contemtu ſeculi ſublimes, honeſtate morum conſpicuos, Chriſti amore ardentiſſimos produxiſti egentes, anguſtiatos, & afflictos, quibus dignus non erat mundus quem mente excelſa & in ſuperna ſubjecta contemſerunt. Verſus:

M œnibus & patris Meppis redimita coruſcas
E t duo circumeunt flumina limpida te.
P iſcibus atque feris variis quoque ſemper abundas
P ræſtas & reliquis munera magna tenens.
I n genti de te nati celebrantur honore
S ic urbs ex multis gloria magna tibi eſt.

Horum ſex metrorum carpens primordia Meppis civitatis famoſiſſimæ vocabulum reperis. In illa civitate Gerhardus Schiphower de Dominio Benthemenſi oriundus pater meus fuit ad multos annos Burgimagiſter, qui obiit Anno Domini MCCCCLXXXIIII. in cœmiterio ibidem ſepultus.

CAPUT XII. DE CONRADO, CHRISTIANO & JOHANNE Archi-Comitibus, & eorum geſtis.

POſt mortem Johannis Archi-Comitis filii ejus Conradus, Chriſtianus & Johannes quintus patriam ſuſceperunt regendam. Fuit autem Conradus vir in dicendo acerrimus eloquentiſſimusque, qui ſua eloquentia magnanimitate, fortitudine, liberalitate atque prudentia & ſapientia veteres quaſi Archi-Comites ſine controverſia ſuperavit. Et in re militari adeo victorioſiſſimus fuit, quòd poſt Imperatorem par illi in tota Weſtphalia & Saxonia non ſit inventus. Hic namque ab ſua adoleſcentia cum Johanne patre ſuo viro fortiſſimo cum militare cœpiſſet etiam

eidem mortuo in rebus bellicis adhuc adoleſcens animoſiſſimè ſucceſſit: qui etiam ipſa in juvenili ætate quantas inprimis contra Friſones obtinuerit victorias multis in locis clariſſima extant trophæa, quæ illum ſuper æthera vehunt. Ipſe enim in ſuo ſeculo Bremenſes terruit, cumque ſæpe-numero confixerit, ut par eſt, nunquam ſine honore diſceſſit, nunquamque certavit, quin profligato victo ac lacerato hoſte palmam ſuæ virtutis retulerit. Chriſtianus verò vir ingenio divino & moribus ſupra hominem in quo nihil fucatum, nihil ſubdolum nihil niſi magnificum aut excelſum aut admirandum erat cujus quidem verba ſapientia plena, opera autem graviſſima & ſemper regia quare ejus oratio hominis tantum, quæque actio regalis erat, & propterea omnia ei ſecunda ſemper fuerunt & fauſta. Deus enim, qui curat & dijudicat omnia, eum quoad vixit in omnibus comitari viſus eſt. Unde & univerſi Principes ipſum tanquam ſimulacrum omnis virtutis & laudis ſemper contemplabantur & venerabantur. Johannes autem Frater Prædictorum vir præclariſſimus apud omnes Friſones & Weſtphalos maximo habebatur in precio, lites permaximas multis in locis extinxit, & pacem prout decuit Chriſtianum Pricipem cum omnibus compoſuit propter quod & ingentem laudem reverentiam & benevolentiam ab omnibus promeruit.

Ante illa tempora anno videlicet Domini MCCC. Johannes & Chriſtianus fratres viri Deo devoti & religioſorum promotores, cleri protectores nobis Fratribus Eremitariis Divi Patris Auguſtini de Oſſenburg in cœmiterio Oldenburgenſi pro domo ædificanda dederunt aream ex mera & libera voluntate: pro quo nota quod altera die Franciſci obiit Nobilis Dominus Johannes in Oldenborg pro cujus anima dicetur omni die Miſſa defunctorum, pro area quam inhabitamus ibidem. Sequitur litera Donationis eorundem datorum in hunc modum. Univerſis hanc literam viſuris ſeu audituris Johannes & Chriſtianus fratres Dei gratia Archi-Comites in Oldenborg ſalutem in Domino. Tenore præſentium recognoſcimus publicè proteſtantes, quod pleno conſenſu omnium heredum noſtrorum religioſis viris Priori & conventui Fratrum Eremitarum ſancti Divi Auguſtini in Oſſenbrugge donavimus & contulimus purè, ſimpliciter & irrevocabiliter propter Deum & animarum noſtrarum parentumque noſtrorum pro ſalute religioſo Fratre Hermanno dicto de Geſeke ejuſdem ordinis & eorum nomine recipiente aream unam ſitam juxta Eccleſiam Beati Lamberti in Oldenborg in oppoſito domus plebani cum omnibus juribus & attinentiis, quemadmodum dicta area ſuis in terminis & circumquaque comprehenſa ea juris ſolemnitate, quæ in hujuſmodi libera voluntariaque donatione fieri conſueta perpetuis temporibus pacificè & quietè per eosdem ſive eorum nuncios abſque ulla impetitione, ſeu inbrigatione noſtri & heredum noſtrorum poſſidendam Volentes ejuſdem firmam & inviolabilem in ſupra-dicta area præſtare Warandiam, quotiescunque provide ab ipſis fuerimus requiſiti: Renunciantes etiam omnibus juribus & proprietatibus, quibus nobis & noſtris heredibus hactenus in ipſa area competere valeat in futurum. In hujus donationis teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Datum Anno Domini MCCCVII. Dominica qua cantatur Lætare Jeruſalem.

Tempore illorum Archi-Comitum claruerunt quatuor Doctores excellentes ordinis Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini.

Primus fuit Frater Wilhelmus de Cremona Prior generalis ordinis & poſtmodum Nonariæ urbis Epiſcopus, & ipſe hæc ipſa tempora cum doctrina celebri, tum morum ſanctitate tumque eloquentia plurimum decoravit; Is namque poſteaquam XVI. annis Generalatus officium peroptimè exercuiſſet à Clemente Pontifice Maximo, propter ipſius excellentiam & multarum rerum cognitionem Nonarienſis Eccleſiæ Epiſcopus deſignatus fuit. In quo quidem officio Pontificatus Beatum Patrem Auguſtinum imitatus XII. ſui ordinis fratres ſecum habere voluit cum quibus ſacra faciens canonicas horas nocturnas pariter & diurnas cottidie vigili cura perſolvebat. Deinde in ſub Epiſcopatu multa ædificia vetuſtate collapſa reſtituit & cultiora reddidit, & caſtellum in prædiis Epiſcopatus maxima impenſa condidit. Divi etiam Patris Auguſtini corpus à Johanne XXII. cum maxima privilegii prærogativa obtinuit, ubi & locum celeberrimum una cum ſepulcro marmoreo toto mundo celeberrimo conſtruere fecit. Sed & conventum Cremonenſem ac monaſterium Nonari-

Nonarienſe maxima impenſa auxit & infinita propemodum beneficia ordini contulit, plæraque etiam ſuæ Doctrinæ monumenta reliquit, Evangeliorum videlicet expoſitionem & orationes quamplurimas & quidem diſertiſſimas: Super Sententiis Commentarios fecit. Et de auctoritate Apoſtolica volumen præclariſſimum.

Secundus fuit Frater Bartholomæus de Urbino Doctor diligentiſſimus & Epiſcopus Urbinas, qui quamvis multa ediderit opuſcula illa tamen admiranda atque ſtupenda ſunt quibus tam Auguſtini mare, quam Ambroſii ſupernatavit flumen: utriusque ſcilicet Doctoris ſingula dicta per Alphabetum redigens in maximam totius fidei Chriſtianæ utilitatem. Appellantur autem opera illa communi vocabulo Auguſtini & Ambroſii Milleloquia. Hic inſuper egregium opus de Spirituali bello compoſuit: Et librum quoque de regimine Principum ab Ægidio noſtro editum in breviorem formam redegit.

Tertius fuit Frater Jordanus de Quedelingborg ſacræ Theologiæ Lector qui multarum Antiquitatum indagator extitit. Hic perquam egregie Dominicalia Evangelia poſtillavit ac Sermones ſuperaddidit. Pulcrum Quadrageſimale fecit. Super Pater noſter & Ave Maria ſcripſit. Diffuſam apologiam ordinis condidit. Apocalypſin expoſuit, multosque Sermones tractatus & conciones de diverſis materiis ſcripſit.

Quartus fuit Johannes Clenke de Conventu Hervordienſi qui totus fuit catholicus ac veritatis zelator. Hic ob veritatis defenſionem ex falſitatis impugnationem multa perpeſſus eſt in civitate Magdeburgenſi. Tandem ad inſtar Apoſtoli Pauli in ſporta per murum ſubmiſſus evaſit manus inſidiantium, in nomine Domini prout teſtatur in Epiſtola Johanni XXII. directa & in Decadicon libello ſuo. Quis eo clarius prædicatoribus & utilius Evangelium Matthæi & Actus Apoſtolorum explanavit penitus ignoro. Magiſtraliter etiam Sententiarum libros duplici in ſtylo, literali videlicet & quæſtionali in ſcriptis dimiſit legendos. Quotlibeta etiam varia juris totius canonum legumque Doctor ſcripta reperitur compilaſſe. Nec poſt eum credo talem Auguſtinum habuiſſe filium in dictis patris ita tritum & perfectum quia & Sententiarum magiſtrum ſuis in allegatis quàm-ſæpius probat in allegando erraſſe.

Anno M CCC LXXIV. Collegium in Oldenborg primò fundatum eſt ab Archi-Comite Conrado & aliquotis annis à fratre ſuo Chriſtiano Capella ſive domus Sancti Johannis Baptiſtæ ante caſtrum Oldenborg inter Huntam & Harnam Oſſenburgenſis diœceſis. Illo tempore Eccleſiæ collegiatæ præficitur, qui rector Eccleſiæ, vel paſtor fuit, Dominus videlicet Johannes Halle primus Decanus Oldenburgenſis: Secundus Gerhardus de Brema, Johannes Scriptoris tertius, Oltmannus Winepenninck quartus, Johannes Scuwe quintus, Gerhardus Steneken ſextus, Nicolaus de Delmenhorſt filius Archiepiſcopi Nicolai Bremenſis, qui & Comes de Delmenhorſt ſeptimus Decanus Eccleſiæ Oldenborgenſis qui ante-dictæ Eccleſiæ annis XLV. bene præfuit verbo & exemplo vir diſcretus & providus, pius, devotus miſericors & benignus pacis amator, religioſorum promotor, neminem offendens magnus eleemoſynarius, qui me Fratrem Johannem Schiphower de Meppis, dum ibidem eram limitator propter Deum ferè ad quinquennium ſuis eleemoſynis pavit largifluè. Obiit autem Anno Domini M CCCC IV. in vigilia exaltationis S. Crucis ſepultusque Oldenburgenſi in Eccleſia in ſiniſtra parte chori in ſtallo, ubi Decanus habet locum ſuum. Infra ſcriptos verſus in laudem prædicti Decani confecit pro-ut antiquorum Epitaphiorum moris eſt:

Turbida me cogis, ô mors, inſignis Herois
Heu minus egregio geſta referre ſtylo.
Verſibus alternis claudis gradior, quia ſpernis
Gaudia: cur anima triſtior hoc eligo
Mors viri illuſtris Nicolai turbida luſtris
Fluxis virginei quinque C. cum IV. puerperii.
Obiit ſepultus Decanus virtute multus

Hinc fuit ipſe bonus pater Eccleſiæque patronus
Excolit ornatus hanc per eumque datus

Divinum

Divinum cultum dilexit creſcere multum
Donis magnificus quod fuit isque pius
Si quis erit, dubito, permunificentior iſto

Dividit ut leo Judæ ſimilis Machabæo
Sic virtus gemina protulit acta ſua.
Hinc generoſorum quod haberet more decorum
Nunc Mauſolæum valdè deceret eum.
Terra oſſa tegit: animam, qui Tartara fregit
Lucis perpetuæ collocet in requie.

Poſt ejus obitum anno quo ſupra in die Seraphici Franciſci hora octava Canonici Eccleſiæ Oldenborgenſis intus & extra congregati fuerunt propter electionem novi Decani, & per eos electus fuit quidam Canonicus Verdenſis Eccleſiæ nomine Jacobus Poppe de Buxtehuden oriundus.

Anno M CCCC LXXVIII. Conradus Archi-Comes genuit Johannem Archi-Comitem in Oldenborg. Mater ejus erat de Deipholte Kunegundis nomine. Eodem anno Conradus & Chriſtianus fratres ſpoliaverunt & combuſſerunt parochiam in Golsworden in Stadlande, & plures Friſones ibidem occiderunt. Similiter in Ruſtringia plura loca deſolaverunt, & præſertim eccleſiam in Witzale cum ceteris domibus & allodiis S. Johannis. Chriſtianus Archi-Comes vaſtavit & unam domum combuſſit pro qua in una Eccleſia Ruſtringiæ ſnangulatus, ne poſſet abſcedere, devovit unam Eccleſiam in honore S. Johannis Baptiſtæ velle reſtaurare & fundare ac dotare. Et per eum dum per Beatum Johannem priſtinæ fuiſſet reſtitutus libertati fratres S. Johannis quæſivit & clericos patriæ ſuæ tres veſtiri fecit & ordinari, quos ædificata capella ante caſtrum ibidem præfecit, ſubdens capellam & fratres monaſterii dominio Commendatoris in Laghe circa caſtrum, tho dem Vorden Oſnaburgenſis diœceſis, quod ſubeſt Magiſtro & Balivo Steinfordiæ in Weſtphalia. Et primus, qui ibi præficiebatur, fuit Frater Johannes filius Archi-Comitis Conradi licet à latere, cognomento dictus Domini mei filius. Nam Archi-Comes dedit quosdam reditus duodecim ſolidos in domo Helniken in Manſingen & multos alios reditus.

Anno Domini M CCC LXXX. Conradus prædictus Archi-Comes genuit filium nomine Mauricium. Dehinc frater dicti Conradi nomine Chriſtianus capellæ S. Johannis fundator genuit duos filios Archi-Comitem Didericum & Chriſtianum fratres. Cui Chriſtiano fuit uxor nomine Agneta de Honſtein nata ex Comitibus ultra Hartonem prope Northuſen. Nam longa fuit inter fratres concertatio de Dominio. Nam Chriſtianus Canonicus fuit Eccleſiæ Colonienſis & ſperabatur fieri Prælatus magnus & manere Spiritualis, ut alius germanus Conradus Dominium poſſideret: Sed Alberto Archiepiſcopo Bremenſi laborante materteram ejus Agnetam accepit uxorem unde progeniti Didericus & Chriſtianus germani. Alii duo fratrueles Didericus & Chriſtianus aliam dimidiam partem tenuerunt, elaborante hoc Archiepiſcopo qui ad idem opus dictis nepotibus ſuis & patri caſtrum Haghene in Borda Branſtede conceſſit, unde & Dominium ſuum emendarunt.

Eodem anno fuit peſtilentia in Monaſterio & circumquaque, ita quòd in curriculo medii anni multa millia hominum moriebantur. Et in civitate Monaſterienſi plusquam octo millia hominum & præcipuè juvenes pulcri homines utriusque ſexûs. Multi locum mutabant ſperantes dictam peſtilentiam evadere poſſe, ſed in hoc erraverunt, quoniam in reverſione moriebantur, eò quod jam infecti fuerant, antequam locum mutaverunt.

Circa idem tempus claruerunt ſex Doctores ordinis Fratrum Eremitarum Divi Patris Auguſtini viri famoſi & docti.

Primus fuit doctiſſimus atque excellentiſſimus Pater, ſacrarum literarum Doctor, devotiſſimus Frater, Jacobus Magnus Toletanæ provinciæ qui omnem ſacram ſcripturam ſic tritam habebat, ut nulla ejus pars cum quoque pacto præteriret, & ipſius ferè majorem partem interpretatus eſt. Multa fecit opera utilia & digna me-

moria: Sed ex aliis Sophologion edidit præcellentiſſimum ad inducendos animos hominum ad acquirendam ſapientiam, quod quidem volumen quanti faciendum ſit ejus demonſtrat Epigramma, ubi ait:

Iſtud clarorum contendunt dogmata Patrum
Doctos atque bonos ut faciant homines.
At cum non leviter poſſit percurrere quiſque
Auctores cunctos multa neglecta manent.
Omnia Doctorum quo ergo monumenta legantur
Hunc Jacobus Magnus condidit ecce librum.
Tu quoque ſi bonus eſſe velis ſapienſque videri
Quod manibus tractas diſce Sophologion.
Quicquid enim veterum tetigit præceptio digne
Mille voluminibus clauditur hoc opere.

Secundus fuit venerabilis Pater, Frater Petrus de Bruniquello Doctor egregius & Epiſcopus civitatis Novæ. Hic Magiſtrum ſententiarum expoſuit. Omnia Salomonis opera interpretatus eſt. Bibliam quaſi totam poſtillavit. Et poſt multa digna opera opus illud aureum fecit, in quo omnes novi ac veteris Teſtamenti hiſtorias per alphabetum & ad ſingulas appropriavit materias.

Tertius fuit venerabilis Pater Frater Dionyſius de Burgo S. Sepulcri, qui in omni arte dicendi fuit perdoctiſſimus. Poëtas, hiſtoriographos, oratores & Philoſophos denique univerſos exaravit, quod ſui Commentarii, quos ſuper Valerium Maximum, ſuper librum Metamorphoſeos ſuper Maronis operibus ſuper Tragediis Senecæ, ſuperque Rhetoricis & Politicorum libris compoſuit teſtantur. Hic fabulas omnes ad tam præcellentem Tropologicum ſenſum reduxit, ut in admonendis populis nihil vehementius, nihil jucundius, nihil denique utilius poſſit adferri.

Quartus fuit beatus Auguſtinus de Roma primò Prior generalis ordinis, ſubinde Archiepiſcopus. Hic & nomine & re alter fuit Auguſtinus. Sic enim Aurelii patris Auguſtini opera familiaria habebat, ut ab eo edita viderentur. Sic copioſus & profundus Theologus, ut flumen quoddam divinæ ſapientiæ videretur. Teſtantur Volumina quæ ſuper ſententiis edidit, Teſtantur interpretationes ſuper Epiſtolas Pauli. Teſtantur commentarii ſuper Ethicis de libero quoque arbitrio, de Sacramento Unitatis corporis & eccleſiæ, de poteſtate Papæ, de caritate Chriſti circa electos & ejus infinito amore, de perfecta juſtitia militantis eccleſiæ. De peccato originali, de meritis Chriſti. De ſacerdotio Chriſti & electorum. Commentarii ſuper Apocalypſin. Quod Chriſtus in triduò mortis fuit verus homo contra S. Thomam & pro defenſione magiſtri & plurima alia ſcriptitavit.

Quintus fuit Magiſter Venetus, qui omnem Dialecticam & Philoſophiam ad tantam deduxit evidentiam ut eo neque clarior neque copioſior tum in logica tum in Philoſophia tum etiam in Theologia fuerit nemo. Tot ac tanta ſcripſit & ita diffuſè, ut non mediocri tribuat lectoribus cum voluptate ſtuporem. Hic imprimis digeſſit logicam parvam, ſubinde magnam compoſuit. Hic omnia Ariſtotelis opera triplici ſcilicet parvis, mediocribus, & magnis commentariis expoſuit. De conceptione virginis. De incarnatione Dei, de verbi Dei excellentia & innumeris rebus Theologicalibus pulcherrimos tractatus edidit. Quadrageſimale ac ſanctuarium confecit. Super ſententiis ſæva morte præventus commentarios non explevit. Qui tam facilè docuerit nunquam habuit parem facundus in diſſerendo, acutus in judicando. In omnibus gymnaſiis glorioſiſſimum ſemper deportavit triumphum. Sic item catholicus, ut non dubitaverit pro fide Chriſti ad pœnam ignis, cum immaniſſimo doctiſſimo & potentiſſimo & aliis invictiſſimo hæretico Franciſco Porcario Senenſi aggredi certamen quem Deo propitio in conventu omnium, tanquam alter Auguſtinus, malleus hæreticorum diſputans publicè ſuperavit, ac etiam intentiſſimo fecit igne cremari ſicque totam Thuſciam à peſte & contagione hujus hæreſiarchæ liberavit.

Sextus fuit venerabilis Magiſter Andreas de Biliis de Mediolano. Hic tam univerſalis homo fuit, ut Græcam, Hebraicam, Latinamque linguam haberet optimè cognitam. Hic è duabus primis in noſtram multa traduxit & in arte Oratoria alter

Cicero

Cicero, in Philoſophia ſecundus Ariſtoteles, in Theologia patris ſui Auguſtini pediſſequus perfectus erat. Quæſtiones de anima, interpretationes Evangeliorum, Longobardorum & maximè Mediolanenſium Hiſtorias & alia multa aptè & diſtinctè compoſuit. Juvenis è vita deceſſit, qui ſi diu vixiſſet æternum poſteris reliquiſſet nomen.

CAPUT DECIMUMTERTIUM DE JOHANNE Archi-Comite Sexto, Mauricio ejus fratre, Diderico & Chriſtiano filiis Chriſtiani & eorum geſtis.

POſt mortem Chriſtiani & Conradi Archi-Comitum filii eorum Johannes & Mauricius, Didericus & Chriſtianus, hi quatuor fratrueles Dominium inter ſe diviſerunt. Et ut dictum eſt caſtrum Oldenborg Mauricius dimidium, alii duo Didericus & Chriſtianus aliam dimidietatem tenuerunt. Johannes igitur Frater Mauricii juvenis pulcerrimus obiit in quintodecimo anno poſt mortem Johannis qui ſenio excellebat Mauricium & ætate. Archicomes Mauricius duxit uxorem filiam Ducis Brunſuicenſis cui nomen Elizabeth ex quâ genuit filios, qui non diu vixerunt. Hæc Elizabeth vocatur de Monaſterio Quedelenborg, & habuit duas filias, una deſponſata fuit Comiti de Woldegge Ottoni alia cuidam Friſoni Ockoni de Broke filio Kenonis militis Friſiæ, qui poſſedit jure hereditario caſtrum Aurike & Brockmerlant. Quia proprietas terræ cum eccleſia antiquo jure ſpectat ad Archi-Comites Ruſtringiæ, & Ambriæ, qui modò vocantur de Oldenborg. Hæc ultimis temporibus exſiliata, & à Fockone Uken proditore decepta recipitur in Donderswe, & viro mortuo angelicam duxit vitam.

Temporibus illius Archi-Comitis anno Domini MCCCC. fuit in Daventria quidam Magiſter Gerhardus Grote nuncupatus domus Fratrum Lullerdorum primatum gerens. Hic divino inſtinctu admonitus & edoctus oraculo primum monaſterium regularium in Alemania dictum Windenheim inſtituit eliminatis alterius factitiæ religionis monachis introducensque canonicos, qui paulatim per incrementa temporum dilatati perſonarum & monaſteriorum adaucti numero alienum ab aliis religionibus habitum & conſtitutiones novas eis condidit. Obſervandum, hæc novella plantatio circa annum Domini ut ſupra cœpit, non video quomodo traditum ſibi ab Auguſtino habitum per legitimas ſucceſſiones ſervaverit, cùm alius aliorum, & alius ſuus ſit habitus quomodo ergo credendum ſit eos ab Auguſtino inſtitutos fuiſſe non video veritatem quippe in hoc medicabitur guttur meum, & labia deteſtabuntur impium. Proverb. 8. Nam ut verum fatear ipſi regulares in multiplici ſunt differentia & à ſe ipſis moribus, habitu atque ſtatutis diſſident & pro regnorum diverſitate plurimum à ſeipſis ſunt diſcordes. Neque opus eſt ingenti ratione hæc ipſa fulcire cum cunctorum oculis aperta ſint atque perſpicua. Qui altius repetentes ſuæ primitivæ inſtitutionis originem arte quadam & ingenio antiquitatem ſibi uſurpare & acquirere ſatagunt, aſſerentes ſe à Beato Marco Evangeliſta religionis ſuæ ſumſiſſe primordia atque cùm temporum procurſu eorum intepuiſſet religio à Beato Auguſtino ſeſe aſſeverant reformatos. Quod pio magis deſiderio opinantur & fucatæ rationis ſtabiliunt munimento, quàm inconcuſſa veritate defenſare potuerunt. Putant enim (quia pondere nova carent) ſi neophyti probentur atque novitii, pro nihilo habeantur & inter religioſos reliquos noviſſimum obtineant locum. Unum eſt, quod eos maximè convincit, quo adſtruere modis omnibus invigilant ſanctum Auguſtinum ſubtile geſſiſſe & in ſuo inceſſiſſe habitu, reſpondeant, quo obſitus fuerit amictu regularium? Quid ergo pro regionum provinciarumque diverſitate eorum quoque habitus diverſus ſit. Neque enim poteſt verum eſſe, quod diverſum & varium, ut ait rhetor eloquentiſſimus Beatus Hieronymus. Hic non habeant quid reſpondeant: ſed ut & hoc inſeram ſuorum habitus adhuc intra centum annos ab Apoſtolico eis in privilegio decretus atque collatus, qui non ille fuit, qui eis prima ſucceſſione obvenit. Hoc de regularibus refero, qui ſub capitulo Windenhemenſi degunt: de aliis, qui eundem

titulum habent, vide in Sermone de ordinibus, quem ego Fraterculus prædictus ex diverſis Chronicis anno MD. in civitate Oldenborgenſi collegi. Hic nota, quod in Aquitania & Anglia quaſi annos eccleſiæ ſunt regulares ita dicitur olim fuiſſe per totam eccleſiam totius orbis in hujus ſignum in Adventu & in Quadrageſima adhuc Canonici irregulares & vicarii portant cappas nigras, quaſi habitum regularium, ut aliquid religioſitatis habere videantur. Ulterius nota quòd idem ſignificat canonicus & regularis & eſt inculcatio verbi, vel nugatio dicendo, canonicus regularis, quod idem eſt ac ſi diceretur regularis regularis. Et dicendo canonicus ſæcularis eſt implicatio contradictionis vel oppoſitum in adjecto: idem eſt enim ac ſi diceretur regularis ſæcularis, quæ duo inter ſe repugnant. Quia ſæcularis in quantum talis, magis eſt irregularis, quàm regularis. Sed per uſum loquendi & inolitam conſuetudinem talis locutio roboratur. Illos ergo irregulares ſacerdotes ſanctus Pater Auguſtinus factus Epiſcopus in eccleſia Hipponenſi regulavit, & nullum habitum eis determinavit, & revera in plærisque locis magis neceſſaria foret in clericali ordine reformatio, quàm in ordine monachali.

Anno Domini MCCCCI. frater dictæ Elizabeth Otto Archiepiſcopus Bremenſis, Dux Brunſuicenſis, & Bernhardus, Fridericus, Henricus ejus vixerunt. Qui Henricus captus fuit à Bernhardo Domino de Lippia & valdè inhumaniter ab eodem detentus. Qui poſtea pro ſui liberatione fidejuſſores dando centum millia florenorum Rhenenſium promiſit. Sed liberatus nihil ſolvit, multaque damna Domino de Lippia intulit, & ſe à juramento abſolvi fecit. Quidam tamen ſui fidejuſſores ſolverunt XV. millia florenorum.

Anno quo ſupra Archi-Comes Didericus duxit uxorem nomine Alheidin natam Ottonis Comitis de Delmenhorſt, ſororem Nicolai, qui poſtea factus eſt Archiepiſcopus Bremenſis. Sed Archi-Comes Didericus Chriſtiani filius diu ante hoc habitavit cum Alheidi ſorore ſua in caſtro Welsborg, & ibi Alheidis moritur, & in Huda ſepelitur. Et ſtatim poſt hoc caſtrum deſtructum eſt annuente patre dictæ Alheidis, ut de Diderico alienaret ſe & terram ſuam, quia deceſſit abſque liberis in brevi tempore.

Poſt hoc aliquanto tempore Bremenſes ſpoliaverunt Stedingiam & incenderunt usque in Oemſtede incluſive. Statim autem poſtea captivarunt Archi-Comitem Chriſtianum fratrem dicti Diderici cum quibusdam miniſterialibus & conſulibus ac civibus Oldenburgenſibus pro quorum redemtione terram ſive parochiam in confinio Archiepiſcopatus in Wichmodia prope Winſingerlant Bremenſes vadio obtinuerunt.

Iſte Chriſtianus conſtruxit caſtrum apud Jade vocans Vrijade. Didericus verò frater ſuus conſtruxit domum, tanquam caſtrum in Hundesmölen retro Tungele verſus ceſpitem de Everſe. Et poſtea in Bekehuſen & rurſum Konevort: etiam innovavit foſſatum circa caſtrum Oldenborg magnis laboribus. Ante verò obitum Archi-Comitis Mauricii tempore peſtilentiæ dixerunt Archi-Comites Didericus & frater ejus Chriſtianus, quòd vellent injuſta deponere, ſi eos contingeret ſupervivere Mauricio quia ligna & alia bona à villicis Monaſterii Raſtedenſis veherentur ad caſtrum Oldenborg. Sed re peracta manſit ut ante: ſicque factum eſt, quòd idem Chriſtianus poſt dimidium annum moreretur, ſepultusque eſt in Oldenborg ad S. Lambertum. Iſte Chriſtianus fuit omnium multum amicabilis & probus.

Mauricius verò, qui erat vir famoſus in omni terra circumjacente & amicus religioſorum, poſtquam deſponſaſſet filiam ſuam Ockoni de Broke, filio Kenonis militis. Ocko autem in extremis conſtitutus literis ad ſe vocavit præfectum ſuum Fockonem Uken, in quo multùm confidebat. Sed ut Magiſter Wolterus officialis in Brema ait: maledictus homo qui confidit in Friſone. Focko enim acceptis literis eo citiùs quo poterat iter arripuit, & usque ad eum pervenit. Quo viſo Ocko miles recommendavit ſibi uxorem ſuam cum caſtro ejus Aurike & Brockmerlant. Et ut fidelitas in Fockone Uken inveniretur, Ocko ante ſe fecit celebrare Miſſam, & ſacerdos in três partes hoſtiam diviſit conſecratam. Unam partem accepit Ocko, aliam uxor ejus, tertiam partem Focko Uken præfectus prædicti Ockonis. Poſt mortem verò Ockonis uxorem ejus cui juramento firmato fidem promiſit de patria expulit, &

tanquam

tanquam traditor peſſimus Aurike & Brockmerlant ſibi & ſuis appropriavit. Pro his & aliis ſuis facinoribus è patria pulſus miſerè in fine obiit, & in magna paupertate vitam finivit, velut hoc genus hominum ſolet, in conventuque fratrum Eremitarum Divi Auguſtini in Appingdamis ante altare S. Annæ ſepelitur. Hæc omnia Magiſter Henricus Wolterus Officialis Bremenſis.

Circa ipſa tempora claruerunt ſex Doctores multum excellentes ordinis Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini. Primus fuit Magiſter Gabriel de Spoleto, qui ex *aliis* virtutibus divini verbi præco excellentiſſimus, debellator hæreticorum & inſtitutor religionum fuit. Contra Fratricellos de Opinione, & alios dignos tractatus fecit.

Secundus fuit Magiſter Gregorius de Alexandria, qui tantùm in evangelizando verbum Dei valuit, ut alter Paulus diceretur copioſiſſimus in omnibus dictis ſuis ſicuti innumeri ejus teſtantur Sermones.

Tertius fuit Magiſter Julianus de Salen. Hic tum legendo tum diſputando tum & in componendo ſuo tempore extitit clariſſimus. De medio demonſtrationis, de ſophiſmatibus, de terminis naturalibus Commentarios ſive tractatus compoſuit.

Quartus fuit Magiſter Alexander de Saxo-ferrato, qui primò Prior generalis, ſubinde Cardinalis titulo S. Suſannæ exſtitit. Hic eſt ſanctimonia & doctrina clarus in agendis circumſpectus in diſputando acutus in prædicando elegantiſſimus fuit. Multa quidem procul dubio compoſuit, ut mihi etiam conſtat, ſed ab invidis ſervitoribus ac æmulis in ejus morte fuerunt occupata.

Quintus fuit Magiſter Johannes de Immola. Hic profectò vas ſcientiarum erat, acerrimus diſputator, memorioſus valde, Ægidianæ diſciplinæ defenſor parum facundus, ſubtilis multùm & copioſus. De attributi, de priori & poſteriori, de potentiis animæ & aliis multis materiis tractatus compoſuit contra Fauſtum de Trinitate & alia multa Auguſtini volumina in concluſiones reduxit. Moritur ſatis juvenis & Imolenſis Epiſcopus electus.

Sextus fuit Magiſter Onofrius de Florentia Doctor clariſſimus & Archiepiſcopus Florentinus, qui multa digna confecit opuſcula, actus Apoſtolorum interpretatus eſt. Super Evangeliis fecit Commentarios & innumeros edidit tam ad populum, quàm ad clerum ſermones.

Anno Domini MCCCCX. menſe Majo, Rex Poloniæ in die diviſionis Apoſtolorum venit contra Prutenos cum multis: nam Rex Poloniæ in ſuo exercitu habuit XXX. millia virorum. Imperator Tartarorum CC. millia & XL. millia: Turci C. & L. millia: Rex Muſciæ C. millia & LXX. millia: Samitti CC. millia. Dux Witoldus C & L. millia: Letwani CC & XXX. millia. Dominus Walachiæ CC. millia & dicitur quòd Magiſter Pruciæ dedit aut miſit Regi Poloniæ in adjutorium, quare forte Deus permiſit eum cadere ante pedes adverſariorum.

Eodem tempore ut à fide dignis audivi in Anglia ſunt eccleſiæ Parochiales XLVII. millia, & LXI. villæ LXXII. millia & CCCCLXXXIX. feuda militum LX. millia & XVII. Canonicatus XXXVI. & dimidium.

Anno Domini MCCCCXX. obiit Mauricius Archi-Comes tertia die poſt Egidii abbatis, qui in medio eccleſiæ Raſtedenſis dignè eſt ſepultus. Poſt ſex verò ſeptimanas uxor ſua Eliſabeth cum eſt ſecuta in peſtilentia ſimiliter & apud Archi-Comitem Archi-Comitiſſa eſt ſepulta. Super quos Ingeborg filia eorum maritata in Friſia, ſicut ſuperius dictum eſt, Ockoni de Broken, decenter ornavit ſepulcrum lapidi imagine inciſa, ſicut hactenus in medio eccleſiæ cernitur. Quæ etiam dedit togam ſericam, unde habetur cappa, dedit calicem perpulcrum opulenter deauratum & alia ornamenta ad antependium ſummi altaris.

Poſt hoc Anno Domini MCCCCXXIII. Comes de Hoja Otto dictus combuſſit Wardendorp, Weſterſtede & Hatten in profeſto Viſitationis Mariæ: propterea Didericus Archi-Comes de Oldenborg ſpoliavit caſtrum in Syke. Et ſtatim poſtea combuſſit idem molendinum. Eodem etiam anno captivavit Comitem Ottonem de Hoja ſacrilegum cum XVIII. miniſterialibus ſuis cum rapina non parva in profeſto Conceptionis Mariæ: & creditur hoc à virgine ſibi in plagam fuiſſe perpetratum, ut qui non verebatur in vigilia Viſitationis ejus manus in Eccleſiam ſuam extendere, mereretur

mereretur etiam capi in vigilia viſitationis & ligari, ut meruit, quod Anno Domini M CCCC XXIV. actum eſt.

Poſt mortem Mauricii Didericus Archi-Comes duxit uxorem Heilewigis de Ducatu Sleswicenſi, anno quo ſupra ex qua genuit tres filios Chriſtianum, Mauricium & Gerhardum. Dux verò Holtſatiæ & Sleswicenſis Adolphus frater matris iſtorum Archi-Comitum hos filios diu apud ſe retinuit, videlicet Chriſtianum & Gerhardum: Mauritium verò ad ſtudium primò Roſtock deinde Erfordiam miſit ſibi bene providendo.

Iſte idem Didericus Dominium Delmenhorſt, quod diu alienatum fuit per Domicellum Ottonem patrem Nicolai Archiepiſcopi Bremenſis magnis impenſis ad Dominium Oldenburgenſe, cooperante eodem Archiepiſcopo Nicolao, recuperavit. Nam cum Dominus Nicolaus ceſſit Archiepiſcopatu non habens defenſionem ab Eccleſia Bremenſi quia ſuccenſis villis, vaſtatis prædiis & poſſeſſionibus, opido etiam Delmenhorſt incenſo & quaſi perdito ſubſidium petiit à novo electo & confirmato Archi-Epiſcopo Baldewino de Wende qui in nullo fuit ſibi auxilio vel conſilio vel favore aliquo caſtrum Delmenhorſt dicto Nicolao vivente & Dominium in nullo defenſavit, volens ut met-tertius curiam in Brema inhabitet, & ut ajunt, Patrimonium S. Petri, puta caſtrum cum attinentiis ſuis, quod erat hereditatis ejus relinquati quod nequiens facere ſalvo pudore ſororium ſuum nobilem Didericum, Archi-Comitem de Oldenborg accerſivit, & pro defenſione ſua ad caſtrum Delmenhorſt admiſit, qui unà ſecum, quoad vixit ibidem pro defenſione inhabitavit, practicantibus hoc quibusdam vaſallis Bremenſibus & conſulatu civitatis ejusdem ne Archiepiſcopus eorum nimis inſolens eis in poſterum loca & meatus viarum ad cæteras terras indignando eis cum vellet obſtrueret. Si enim dictus Archi-Comes, ut dicunt Bremenſes, Didericus conniventes oculos cum Bremenſibus Conſulibus non habuiſſet cum favore caſtrum Delmenhorſt & Dominium nequaquam arripuiſſet nec poſſediſſet, licet ſua cum grandi tamen jactura. Memoratus Archiepiſcopus Nicolaus pacem fecit inter Didericum & omnes Friſones. In illo tempore idem Didericus cenſum cepit per totum Dominium ſuum, de qualibet domo florenum, & totum Delmenhorſt pro relevatione debitorum diſpendit.

Anno M CCCC XXIV. Fuit vir multum ſtrenuus in Oldenborg nomine Didericus Bardewiſche, ipſe fuit dapifer Archi-Comitis Diderici ibidem. Hic captivavit Ottonem Comitem de Hoja, & combuſſerunt eodem tempore Oldenbrockhuſen.

Eodem tempore cives Oſenbruggenſes nobili Ottone de Hoja Epiſcopo Monaſterienſi & Adminiſtratore Oſenbruggenſi die Lucæ Evangeliſtæ per triduum obſederunt Eccleſiam Oſenbruggenſem, & narrantur in memoriam claudicationis eorum hi verſus:

A Chriſto mille bis XX. quater I. quatuor C.
Jam poſt Ottonis fultam de Hoja coronam
Flebilis & mœſtum die Lucæ contigit actus
Oſenbruggenſes principare cupientes
Conſul, conſultor, communis officiator
Surgunt in cleros frendunt quaſi mortificandos
Famulos armigeros recludunt proceres heros.
Et vallant poſtes templi Petri velut hoſtes
Armis vexillis tenſis galeisque baliſtis
Pulſant, deprædant, devaſtant, oſtia ſervant,
Jurgant, blaſphemant, ſchiſmant, enormia clamant
Lædunt emunia libris olim pie lata
Ædes frangentes manibus ſacra vaſa legentes
Componunt dictant conſcribunt, velle ſigillant
Pelliculas cleri ſic poſſeſſi triduani
Anteponunt Chriſti corpus ad genua ſiſte
Orantes fantur peccatum confiteantur
Spectant eventum ſanctum cum ſanguine ventum

Non

Non evaſiſſent niſi petita fuiſſent
Cœpta ſic meta ſit tota concio læta
*Ipſis hac hora tenebrarum quoque **
Ab ubi libertas ubi lex ubi jura majeſtas
Sanctio Canonica Papæ regnum modo vana.

Fuit etiam in Diœceſi Oſenbrugenſi circa annum Domini M CCCC XLI. quædam notabilis in clero & populo facta diviſio : ejus occaſione Dominus Ericus de Hoja Epiſcopus, Lubertus Weſtphal Præpoſitus, Hugo de Schagen Oldenburgenſis Decanus cum eorum fautoribus de ſuis ſedibus realiter fuerunt expulſi, de quorum numero pauci fuerunt reſtituti.

Anno Domini MCCCCXXVI. Dominus Nicolaus Archiepiſcopus & Comes Johannes de Hoja fuerunt captivati in Friſia ut prædictum eſt. Didericus Bardewiſche præfatus fuit dapifer ſuper caſtrum Auricke. Iſte idem Didericus tertia die poſt captivitatem prædictorum Dominorum videlicet in feſto Michaëlis archangeli cum ſuis ſequacibus captivavit & proſtravit CCCCL. Friſones, & obtinuit equos ſellatos CCCXL. cum quibus erant equi Dominorum, quos ipſi prius captivaverunt. Iſte etiam Didericus cum conſulibus Bremenſibus liberavit, & quitavit ſine exactione Dominum Archiepiſcopum Nicolaum & Comitem de Hoja cum ſuis. Fecit etiam Fockonem Uken tam profugum, quòd nullibi eum exſpectare auſus fuit.

Poſthæc Anno Domini M CCCC XXVI. Focko Uken obtinuit Langhene & Deterne contra ſuum juramentum, ut ſupra dictum eſt, & multa adverſus Ockonem Dominum ſuum mala exercuit.

Eodem etiam anno Friſones vaſtaverunt caſtrum Vrijade, quod Chriſtianus frater Diderici prius conſtrui fecerat propterea Didericus combuſſit & ſpoliavit Deterne.

Eodem Anno MCCCCXXVI. in profeſto Coſmæ & Damiani occiſi ſunt in Friſia Comes Johannes de Rethberge & Conradus Domicellus nobilis de Deipholte, qui in monaſterio Raſtedenſi ad caput Archi-Comitum in medio Eccleſiæ ſunt ſepulti. Dominus autem Nicolaus Archi-Epiſcopus Bremenſis & Comes Johannes fuerunt captivati cum CC. minus decem, hoc fuit antequam Archiepiſcopus Nicolaus ceſſit Archiepiſcopatu Bremenſi, Anno MCCCCXXIV. admiſſio verò Diderici ad caſtrum Delmenhorſt fuit Anno Domini MCCCCXXXI. effectualiter & completè, licet prius ſecrete diverſi extiterunt tractatus.

Nota quòd monachi Raſtedenſes multa mala de ſuis Prælatis & Abbatibus ſuis Chronicis inſeruerunt. Nam de quodam Abbate Reinero ſcribunt, quòd bene præfuit monaſterio XXXVI. annis. Et poſt pauca : Hic valde amabilis cunctis, amorerium tamen habuit mulierum : Et in ſenio cujuſdam Alheidis, cum qua & monachi ſui commiſcuerunt : habuit etiam filiam ad partem monaſterii meridionalem, nomine Bertam, quæ multos enixa filios, filiam inceſtuoſam quandam habuit, quæ cum quodam Gerhardo Corengele filio ſororis patris ejus ſe commiſcuit, & enixa eſt. Hic ribaldi nequam & meretrices inter nobiles numerantur, ſicut Pilatus inter ſanctos in Symbolo Apoſtolorum. Mortue iſto Abbate, ut monachi ſcribunt, quidam fatuus Johannes Dravelus iterum electus fuit lubricus & libidinoſus, hic quia contra regulam S. Benedicti pecunioſus erat, ergo Simoniacè intravit, & ſic ſemper in egeſtate vixit, juxta illud :

Hac tibi damna feres fueris ſi Simonis heres
Mortuus ardebis & vivus ſemper egebis.

Nam omnis Simoniacus in paupertate moritur. Hic abbas Bremam venit pro filio ſuo deſponſando & ſolemnitates exercuit proceſſionis cum eo in foro, pro quo eum Archiepiſcopus durius correxit & incarceraſſet, niſi de receſſu aviſatus fuiſſet, & præterea florenos de Rheno exſolvit XL. Prior ejus Meinhardus cum ſocio etiam Monacho per officialem Archiepiſcopi in monaſterio S. Pauli incarcerati fuerunt, eo quòd abſque propria veſte religionis ſcilicet cappa auſi tranſire fuerunt, pro quo & Archiepiſcopo XL. marcas ſolverunt. Sed mirum, quòd illi pecuniam ſolverunt, qui nihil habere debuerunt, & unde monachis tanta pecunia, qui vivere ſine pro-

prio in paupertate voverunt: propter hæc & alia incedunt pulli pede nudo. Hic prædictus Abbas ſemper in populo & clero zizaniam ſeminavit, litigioſus & rixoſus fuit.

Eodem tempore præfectus Diderici Archi-Comitis in Oldenborg captivavit vectorem unum pro eo, quod currus prope caſtrum de ponte cecidit. Venit igitur præfectus ad eum cum captivo exponens factum in domo Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini in præſentia venerabilis lectoris Bernhardi de Monaſterio qui eodem tempore fuit Prior noſtri conventus Oſnaburgenſis & limitator ibidem in Oldenborg videlicet dixit Archi-Comes ad Droſatum: Quid enim mali fecit? Debemus habere pontes confractos & vias malas & ſi ſic caderent homines, ſi reciperemus eorum vitam & bona valde ditaremur: Sed non eſt rectum, æquum & juſtum: redde ſibi ſua, & compenſa ſibi damna, quia hoc juris eſt. Perſequi debemus inimicos, & non innocuos. Similem ſententiam ego Frater Johannes Sciphower de Meppis audivi in domo Ordinis ibidem à nobili Johanne Archi-Comite M. CCCCC. V. in die Viti.

Circa idem tempus floruerunt ſex Magiſtri in Theologia ordinis Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini. Primus fuit Magiſter Nicolaus de Aqua-pendente præco maximus divini verbi. Hic de Baptiſmo, de Peccato Originali, De inferno limbo & purgatorio, de mercatura, de Sortilegiis, de evitanda ingratitudine dignos tractatus fecit. Feſtivum Sanctorum & Quadrageſimale optimum & alios ſermones multos de diverſis materiebus confecit.

Secundus fuit reverendus Magiſter Hieronymus de Neapoli, Philoſophiæ ac Theologiæ ſuo tempore Princeps, Nicolai V. præceptor, à quo præſul Calabriæ effectus eſt, & Græcas litteras in ſuo ſenio didicit: in quibus ſic evaſit peritus, ut de Græca in Latinam, ac etiam e contra de Latina in Græcam multa memoratu digna traduxerit, ac etiam in utraque compoſuit.

Tertius fuit Magiſter Wilhelmus Vechius de Florentia, Prior ordinis generalis, ſubinde Epiſcopus Feſculanus. Hic in ſua doctrina reſolutus erat patriæ ſuæ præter communem conſuetudinem in prædicando ac legendo gratiſſimus. Libros Ethicorum clariſſimè interpretatus eſt. Fecit librum de poteſtate Papæ, de lege Mahometana, Apologiam Ordinis, Sermones multos tum ad populum, tum ad clerum. Quæſtiones Itinerales & alia plura opuſcula. Gerhardum etiam Senenſem in libris Sententiarum abbreviavit.

Quartus fuit Magiſter Laurentius de Colonia, qui jam dudum ſua doctrina Pariſienſia decoravit gymnaſia: magnus quidem Theologus, diſputator acerrimus, ad cuncta objecta reſpondere promtiſſimus. Multa, ut accepi, edidit opera, ſed quoniam nondum in publicum illa dedit refero minimè.

Quintus fuit egregius & doctiſſimus Magiſter Johannes Zachariæ de conventu Eſchwegenſi, eruditiſſimus Theologus, & utriuſque juris vir conſultiſſimus. Per hæc tempora Erfordiæ & alibi, quam-maximè autem in Conſtantienſi Synodo, ob ejus doctrinam & elegantiam clariſſimus fuit, & ſuæ eruditionis experimentum fecit. Hic invictiſſimum & doctiſſimum Johannem Hus hæreticum diſputando ſuperavit, ac immerſo igni cremari fecit. Nemo etenim Theologorum potuit eundem Johannem Hus convincere, niſi iſte ſenex Pater ſolus. Hic perquam egregiè in Magiſtrum Sententiarum commentatus eſt. Scripſit inſuper in Apocalypſin volumina duo, & quamplura alia.

Sextus fuit Magiſter Johannes de Huxaria Doctor celeberrimus quondam provincialis Provinciæ Saxoniæ, qui his temporibus claruit, & commentarios in omni Theologiâ compoſuit, ut eſt videre in noſtra Bibliothecâ Magdeborgenſi.

Circa hæc tempora reformatio magna plurimorum Monaſteriorum in diverſis mundi partibus fuit. Et nota quòd hujusmodi reformationes leguntur factæ, ſed penè nulla remanſit, quin ſolito more per ſucceſſum temporis ad priſtinum relaberetur languorem, poſt venerabilium patrum mortem, videlicet in Monaſterio Raſtedenſi, ſimiliter & in noſtro Oſſenbrugenſi conventu. Ex illis reformatoribus in religione Fratrum Eremitarum Divi Patris Auguſtini primus fuit reverendus Magiſter Henricus Zolter, filius conventus Oſſenbrugenſis. Nam ille ſanctus Pater poteſt dici

dici primitiæ obſervantiarum antedictæ provinciæ, pro quarum reformatione quantum fecerit, quantos labores ſuſtinuerit noverunt quaſi omnes, qui præſentes ſunt Fratres. Fuit enim primus inceptor vitæ regularis in conventu Portæ cœli, poſtquam expulſus fuit de conventu Offenburgenſi: quibus illa vita regularis pro tunc non placuit. Ad iſtam reformatam vitam plures aſpiraverunt etiam de alienis provinciis ſcilicet de Provincia Bavariæ & præſertim conventus Nurembergenſis, ubi nunc permaximè viget ordo in regulari obſervantia, & de noſtra provincia conventus Magdeborgenſis & alii multi conventus ejuſdem provinciæ.

Illo in tempore librorum impreſſionis ſcientia ſubtiliſſima ac omnibus ſæculis inaudita reperitur in urbe Maguntina. Hæc eſt ars artium, ſcientia ſcientiarum; jam veriſſimè impletum eſſe cernimus, id quod dicitur Proverb. primo: Sapientia foris prædicat, in platea dat vocem ſuam: in capite tubarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba ſua dicens: Usque quo parvuli diligitis inſaniam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt ſapientiam. Quamvis verò porcos ſpernere margaritas ſciamus, nihil in hoc prudentis læditur opinio, quo minus oblatas comparat margaritas.

Anno Domini MCCCCXL. ipſo die Valentini Archi-Comes Didericus in caſtro Delmenhorſt ſubitaneè moritur, & nocte in Oldenborg ad eccleſiam S. Lamberti defertur, & ibidem apud fratrem ſuum Chriſtianum & apud conjugem ſuam ſepelitur, quæ dudum antea defuncta fuerat. Hic virtuoſus vir fuit, magnus fautor noſtræ religionis, & venerabilem lectorem Bernhardum Priorem noſtri conventus & terminarium ibidem ut patrem dilexit. Nam ſuis temporibus quidam ex paſtoribus & capellanis conſpirationem fecerunt contra mendicantes limitatores ibidem exiſtentes impugnantes privilegia Apoſtolica, & præſertim de confeſſionibus audiendis ignari & juris Canonici imperiti vix primis literis imbuti, qui vix ſine confuſione, ut ait Paſtor in tractatu de curiatorum miſeriis, requiem cantare ſciunt, & tamen ſingulis doctis viris, tanquam cornutæ beſtiæ rebellizant & in ſua aſineitate perſeverantes ſuper omnes ſe extollunt. Quomodo autem prædicabunt, qui literis operam non dederunt? aut quam in prædicando indoctus ſacerdos utilitatem auditoribus ſuis afferre poterit, qui ſcripturas neſcit verum temporibus noſtris in quibus eſt ſicut populus, ita & ſacerdos, ſtudium ſcripturarum miſerrimi ſacerdotes abjiciunt, pro libris ſcripturarum calices exhauriunt & cotidie ſe inebriant. Viderint epiſcopi, qui tales idiotas & inſcios ad ſacerdotii dignitatem promovent, qui imperitis curam ovium Chriſti commendant. Sedent in inſidiis cum potatoribus in tabernis, ludis & commeſſationibus vacant, non eſt timor Dei ante oculos eorum. Nomine ſacerdotes ſunt, converſatione aſini nihil penitus de ſcripturis intelligunt diſcere contemnunt & latina lingua loqui vel ſcribere neſciunt vix in vulgari exponere Evangelia didicerunt. Quantos errores, fabulas & hæreſes in eccleſiis prædicando populis enuncient quis niſi expertus credere poſſet? Pro libris liberos ſibi comparant, pro ſtudio concubinas amant. Tales quamvis inſcii, quamvis indocti quamvis ignari adhuc, contra privilegia Apoſtolica contra viros doctos latrare non erubeſcunt. Sed Archi-Comes Didericus audiens injuſtam perſecutionem religioſorum ſuorum, qui longo tempore etiam ante cauſſam ibi fuerunt, acriter collegiatos correxit, & eos ſtallis ſuis privavit religioſis clavem eccleſiæ commiſit, quousque iſti indocti errorem ſuum cognoſcentes veniam ab eo petiverunt.

Anno Domini MCCCCXLVI. Didericus de Morſa Archiepiſcopus Colonienſis invitavit exercitum Regis Bohemiæ ad expugnandam Zoſatienſium civitatem. Illo in tempore Johannes de Hoja Comes captivatus fuerat ab Oſnaburgenſibus, & per ſeptennium ibidem detentus. Audientes autem Oſnaburgenſes, quanta mala Bohemi in ditione Lippienſi perpetraſſent, terrore concuſſi Johannem Comitem liberè abire permiſerunt. Inſuper ne diœceſi & civitati damna inferrent, quaſi amentes cereviſiam & cibaria eis gratis dederunt, atque cum magno diſpendio ſuorum eis obviam miſerunt. Hervordienſes & Lemgenſes ſimiliter fecerunt. Verſus.

Viti profeſto Mons-Florum cecidit illo
Hoc Bohemorum fecit exercitus Dominorum

 Tunc

Tunc Hervordenſes nec non cives Lemegenſes
Pacem theſauris redimunt ipſi ſuis.
Fraudem cum fraude repellunt ſtant ſine laude.
Lippenſes cives ſimul & cum paupere dives
Sunt digni laude tota Weſtphalia gaude
Quod ſic ſteterunt Lippienſes nec perierunt.

Sed prædictus Archiepiſcopus cum tanta hominum multitudine contra Zoſatum nihil profecit, ſed ipſe cum ſuis confuſus receſſit, civitasque in libertate remanſit ac Ducem Clivenſem in protectorem elegerunt. Circa idem tempus vixerunt in conventu Oſnaburgenſi ordinis Fratrum Eremitarum Divi patris Auguſtini duo luminaria mundi.

Primus fuit venerabilis lector Johannes de Widenbrugge, vir ſincerus & doctus. Quis eo clarius librum Eccleſiaſten explanavit penitus ignoro. Quem librum Vaniloquum intitulavit & in duas partes diviſit. Sermones multos ad clerum & ad populum dereliquit.

Secundus fuit doctiſſimus lector Didericus Vrige, qui fuit vir magnæ ſcientiæ & ſanctitatis & in ſcripturis reliquit librum de conſolatione Eccleſiæ, qui incipit: Regi regum citra exemplum, quem librum Imperatori Sigiſmundo poſt Concilium Conſtantienſe propinavit, in die SS. Philippi & Jacobi ſicut ipſe fatetur in Poſtillis ſuis in ſermone, qui incipit: Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen. Cosmologion ſive librum apum. Tractatum de conceptione immaculatæ virginis. Sermones multos de feſtivitatibus virginis glorioſæ. Sermones æſtivales & hyemales ſuper Evangelia. Scripſit ſuper decem præcepta. Item de intentione & remiſſione formarum contra Marſilium de Padua. Logicam magnam & parvam. Quadrageſimale egregium quod habetur Coloniæ noſtra in libraria, & multa alia quæ ego videre non merui.

CAPUT DECIMUM QUARTUM, DE Chriſtiano, Mauricio, Gerhardo Archi-Comitibus & eorum geſtis.

POſt obitum Diderici Comitis filii ejus æqualiter Dominium rexerunt. Chriſtianus ſenior aliis vir generoſi animi, atque à pueritia magnanimus atque eloquentiſſimus. Ob ejus eloquentiam & magnanimitatem anno MCCCCXLIX. ſubordinante ſummo opifice & Duce Sleſuicenſi circa feſtum Michaëlis in Regem Danorum & Norwegiorum conſtituitur, & Reginæ regis prioris Chriſtophori nati Ducis Bavariæ legitimè copulatur, quæ fuit regina horum regnorum. Etiam regnum Sueonum tenuiſſet ſi Chriſtiano quidam Karolus contrarius non fuiſſet. Dux quoque Adolphus dum fuit in Dominio Oldenburgenſi conſtituit dapiferum validum Freſen, fratrem Proconſulis Bremenſis. Rex autem Chriſtianus, tanquam prudens princeps rexit regna ſua multis annis.

Anno MCCCCL. quum celebraretur Jubileus à latere Ducis Sleſuicenſis ad Dominium Oldenburgenſe miſſus eſt Gerhardus Archi-Comes frater Regis Chriſtiani & Mauricii Bremenſis canonici, & cepit Dominium in Oldenborg & Delmenhorſt, vir magnanimus, bellicoſus prudens & fortis. Frater verò ſuus Mauricius artibus imbutus, in utroque jure Baccalarius, fuit tunc temporis apud dictum Ducem Adolphum Sleſuicenſem.

Eodem tempore quidam Archi-Præpoſitus eccleſiæ Upſalenſis in regno Sweciæ à Romana curia egregiè veniens cum quatuor equis Doctor Decretorum, cui Papa Nicolaus V. ſalvum conductum dedit ſcribens eum eſſe verum ſuum cubicularium, quem ut oratorem Papa miſit. Hic veniens ad opidum Delmenhorſt, ibidem à Gerhardo Archi-Comite captivatur & ad quidenam arreſtatus ibidem detinetur licet non incarceratus: Percipientes hanc cauſſam Bremenſes congregatis tribus capitulis concilium inierunt mittentes pro liberatione ejus venerabilem Johannem de Schonenbeke canonicum Bremenſem, ſed nihil profecerunt. Archiepiſcopus Gerhardus fecit eum monere per quendam ſecretius pro liberando hujusmodi nuncio Papæ etiam

iam nihil profecit. Sed Præpoſitus & Decanus Hamborgenſes elaborare cœperunt cum Duce Sleſuicenſi, quod de conſilio Epiſcopi Lubecenſis & aliorum ſine intermiſſione inclytus Dux Adolphus ad nepotem ſuum Gerhardum mitteret & redditis ſuis Præpoſitum Upſalienſem captivum ex integro quitaret, & ſecum absque mora componeret, aliàs poſſet maledici usque in quartam generationem à Papa quia impediret delatorem literarum ſuarum, ſacerdotem & Prælatum captivando. Poſt ſcripturam Ducis immediate abſolutus & liberatus eſt Præpoſitus, & reddita ſunt ſibi bona ſua ex integro, & remiſit Archi-Comiti injuriam.

Eodem anno circa feſtum Michaëlis ſequenti die exaltationis S. crucis Dominus Didericus Grove rector Parochialis eccleſiæ in Twiſchena à quodam villico dicti Archi-Comitis per dolabram occiſus eſt. Occiſor verò fugit verſus Oytam, & cum ibi elaboraretur pro detentione nocte receſſit eundo ad curiam Romanam absque ſatisfactione, & tota parochia eſt ſuppoſita eccleſiaſtico interdicto, & amici ejus & conſanguinei interfectoris maledicti ſunt & excommunicati usque in nonam generationem. Frater ejus Henricus Grove civis Bremenſis in judicio fecit dictum interfectorem & conſanguineos exſortes Pacis, proprie Fredelöß / & advocatus Archi-Comitis cum Holla Unverzagt erat præſens in judicio in area ante cœmiterium Twiſchena feria ſecunda poſt Lucæ. Ecce qualiter unum malum non vult eſſe ſolitarium Archi-Comes captivavit Præpoſitum, ſed lito ſuus interfecit ſacerdotem. Nunc apparet quomodo abyſſus abyſſum invocat, & quod dato uno inconvenienti plura ſequuntur. Unum væ abiit & alterum acceſſit. Dixit enim Propheta: Nolite tangere Chriſtos meos & in c. XVII. q. 4. cap. ſi quis ſuadente Diabolo manum violentam.

Anno Domini MCCCCL. in nocte S. Willehadi Bremenſes captivarunt quendam vicarium eccleſiæ S. Willehadi, nomine Sigfridus de Mandelslo & incarceraverunt eum in loco deſpectiſſimo & tenebant eum usque ad meridiem compeditum in Hurleberge. Et ceſſavit clerus partim, & partim non: & miniſtri conſulatus digitis eundem conclavatum & conſtrictum infra prandium usque ad collegium S. Willehadi perduxerunt. Ante etiam illa tempora anno MCCCCXXXVIII. quendam cuſtodem ordinis minorum, virum doctiſſimum & ſermocinatorem eloquentiſſimum Johannem Sporken quidam civis Bremenſis de nocte in plateis captivavit, & in domum ſuam ducens ligavit & illuſum deſpexit ac cereviſia & lotio ac urina perfuſum abominabiliter deluſit. Iſtorum malorum Brema nutrix & mater, ibi enim interdum majoris auctoritatis eſt vilis piſcator, quàm alibi legum doctor.

Anno quo ſupra in vigilia Nativitatis convenere Brockmanni, Nordendi & Harlingi ante caſtrum Deterne, quod Ambriæ vicinum eſt, & ibidem jacturam non modicam ab Hamburgenſibus ſoldatis & Stipendiariis accepere ſuffragantibus famulis Archi-Comitis de Oldenborg, qui affluxerunt de Apen & Weſterſtede Ammirorum.

Eodem tempore Lubbe Omeken ejusque filius & Aleke caſtrenſes in Innehuſen terræ Aſtringiæ multos in Schortenſen trucidarunt, & quosdam occiderunt propter eorum mala opera.

Eodem anno poſt Martini Roddardus rector eccleſiæ in Waddenſe Butforkkenſis à famulis dicti Lubbonis Oneken interfectus eſt, eo quo dictus ſacerdos ſuam propriam eccleſiam incaſtellavit, & incaſtellatores baliſtarios ad offendendum alios in eccleſia tenuit & ideo gladio interiit, & ſuorum laborum præmium ſuſcepit. Circa finem anni Jubilæi invictiſſimus Rex Danorum Chriſtianus Archi-Comes de Oldenborg Ammirorum de Regina conjuge prolem procreavit & ad nutum conſiliariorum regni ejusdem filium Olaum vocari fecit, & multi Archiepiſcopi & Epiſcopi regnorum compatres effecti ſunt. De poſt genuit ex Regina duos filios & unam filiam. Senior filius Johannes accepit in uxorem Erneſti Ducis Saxoniæ filiam: Fridericus verò frater ejus Dux Holſatiæ accepit in conjugem filiam Marchionis Brandenborgenſis in Stendalia. Joachim autem Marchio Brandenborgenſis ibidem in uxorem legitimè ſibi deſponſavit filiam prædicti Johannis Regis Daciæ circa feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis. Filiam Regis Chriſtiani in uxorem accepit Rex Scotiæ ante illa tempora.

Eodem tempore anno MCCCCLI. Idem Rex Daciæ miſit Gerhardo fratri ſuo Archi-Comiti in Oldenborg multos baliſtarios in ſubſidium contra nationem Friſonicam Ulricum in Norda capitaneum & complices ejus verſus Deterne, ubi quidam

Friſo Popeke nomine caſtrum contra civitatem Hamborgenſem & Dominium Oldenborg inſtauraverat in deſtructionem, quod eodem tempore Hamborgenſes conſules & plebei cum Emeda poſſederunt capto olim Imelone Præpoſito in Emeda ceperunt bona ſua in Friſia, quod ſic factum eſt nam idem Imelo plura fecit gravamina negociatoribus, ut refertur, civitatum & præcipuè Hamburgenſibus. Oportunitate igitur accepta multi ibidem venientes de civitate prædicta cauſſa mercimoniorum dictum Præpoſitum laicum Imelonem ad prandium in navim invitarunt datis ratibus ventis advehuntur Hamborg, & eundem ibidem cuſtodiæ compeditum apud molendinum tradiderunt. Unde & reverendus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Henricus Monaſterienſis Epiſcopus plurimas dictæ civitati intulit jacturas, & multiplicia incommoda. Sed tandem annis prioribus MCCCCXLIX. Archiepiſcopus Boldewinus Bremenſis cum eodem Epiſcopo ſapienter ad dictæ civitatis inſtantiam optimè terminavit.

Anno quo ſupra conſulatus Monaſterienſis cum vaſallis diœceſis & eccleſiæ ac opidanis opidum ejusdem diœceſis contra modernum eorum Epiſcopum Walravum caſtrum Dulmen cum opido lucrati ſunt manu forti. Et primicerius eorum erat nobilis Johannes de Hoja Comes, qui propter fratrem ſuum Ericum à plebe petitum cum civitate immobilis permanſit. Eodem tempore eadem Monaſterienſis communitas circumvallavit caſtrum in diœceſi Monaſterienſi in quo ſedit capitulum Monaſterienſe cum eodem electo Walravo fratre Colonienſis Archiepiſcopi, & graviter percuſſis civibus & quibusdam armigeris nobilis Comitis Johannis de Hoja, qui fuit capitaneus exercitus in expeditione capituli, & quidam nobiles ibidem interierunt.

Eodem anno videlicet MCCCCLII. Henricus Wolteri officialis Bremenſis pro concordia venerabilis Tiderballer Præpoſiti S. Willehadi cum Gerhardo Archi Comite facienda ſuper disbrigatione Synodalium exceſſuum miſſus dictos Archi-Comitem & Præpoſitum cum ſufficienti numero miniſterialium aſſociante ſe Decano & capitulo Oldenburgenſi in hunc, qui ſequitur, modum concordavit: quod Præpoſitus dictum Archi-Comitem in omni jure & laudabili conſuetudine ſuorum progenitorum hactenus ſervata ſineret pacificè permanere uti videlicet quòd ſervorum, familiarium in caſtro & operariorum & officialium ibidem, quos pons caſtri nocturno tempore tegeret & qui eſſent veri & continui ejus familiares & commeſſales exceſſus Officialis Præpoſituræ antedictæ, aut Præpoſitus corrigere non deberet, ſed forum domini ſui ſortirentur, puta Archiepiſcopi, ſicuti & Archi-Comes ſimiliter & vice-verſa. Nec Archi-Comes Præpoſitum in corrigendis exceſſibus ſuis quovis modo amplius impediret, nec pro quibuslibet indiſcretas preces aut minas faceret, ſed dictum Præpoſitum Synodo ſua libere, quietè & pacificè cum Deo uti permitteret, & quos vellet juſte corrigere auxilio eſſet & favori, & ad id requiſitus à Præpoſito vel ejus officiali per ſe & ſuos operam daret realiter cum effectu. Sicque prædictus Henricus Wolteri in his & ad concordandum dictas brigas & ad corrigendum exceſſus hujuſmodi Synodales legitimè conſtitutus officialis liberè, quietè, & pacificè ſanctam Synodum tenuit, & ad juſtitiam & gratiam legitimè correxit corrigenda cum eccleſiaſtica diſciplina, nam dictus Archi-Comes juvenis per quosdam malè informatus taliter deſævit eo tempore. Dictum eſt ſuperius; quòd vellet juſte corrigere, iſtud dictum jure vertitur magnum in dubium nam tales officiales magis ſitiunt pecuniam, quàm ſalutem animæ. Pro majori hujus dicti declaratione ponam hic aliquas concluſiones. Non ſic Prælati, quantùm eorum officiales minùs juſtificant parvos & magnos homines beſtiales. Probatur iſta concluſio, quia tota officialis intentio eſt, ut omnes Epiſcopi ſuæ jurisdictioni commiſſas oves miſeras quaſi vice illius tondeat, emungat, & excoriet, ut domino reſpondeat, & ſibi etiam partem reſervet. Unde oportet, quòd amplius eos gravet, quàm met-ipſe dominus. Quare ſcribit de his Petrus Bleſenſis in Epiſtola XXV. ad unum talium: Officiales, inquit, ſunt Epiſcoporum ſanguiſugæ evomentes aliorum ſanguinem, quem biberunt. Quia teſtimonio ſcripturæ divitias quas congregavit impius evomet, & de faucibus illius extrahet eas Deus. Et ſubdit: Iſti ſunt quaſi ſpongia in manu prementis & quaſi quædam colateria divitias ſuis dominis influentes nihil ſibi præter peccati ſordes & feculentiam retinentes. Quæ enim congregat per oppreſſionem ipſe officialis, Epiſcopis quidem ad delitias cedunt, officialibus autem ad tormentum. Verſus:

Sic

Sic vos non vobis mellificatis apes
Sic vos non vobis accumulatis opes.

Iſti ſunt ſecretiora & oſtiola per quæ miniſtri Belis ſacrificia, quæ ſuper menſam ponebantur à Rege clanculo aſportabant. Sic Epiſcopus quaſi longa manu bona aliena diripit, & notam criminis à ſe removens ſuis officialibus culpæ & infamiæ crimen impingit. Ideo quaſi ſub umbra Epiſcopi & obtentu juſtitiæ palliatæ ſubditos opprimunt, eccleſias gravant, reditus alienos violenter invadunt, oculos habent ad munera pupillo & viduæ non intendunt. Hæc ille. Legitur de quodam ſacerdote, qui canem mortuum ſepeliit in cœmiterio non à propoſito ſed à caſu. Citatus per officialem veniente ſacerdote quid vellet quæſivit: reſpondit quòd canem ſepeliiſſet in cœmiterio, propter hoc eſſet puniendus. Reſpondit ſacerdos: Canis, inquit, Domine Officialis erat valde rationalis, ſi habuiſſetis eum, etiam ſepeliiſſetis eum in cœmiterio. Et Officialis: qualiter erat rationalis? Reſpondit ſacerdos quia rationabiliter teſtamentum ſuum ordinavit, quia omnibus dedit & ſimiliter vobis decem florenos Rhenenſes. Tunc ait Officialis: Si fuit ita rationalis permittas eum jacere in cœmiterio. Ecce quod primum fuit injuſtum, data pecunia fuit juſtum factum. Similiter faciunt Officiales propriè die Droſten vnde de Vögede temporalium Dominorum, qui per fas & nefas exactionant pauperes villanos fingentes cauſſas contra eos. Correlativè ſequitur, quod dicitur, & metricè ponitur:

Officit eſt verbum, crudele nimis & acerbum
Dictio plena malis hinc dicitur Officialis.

Patet quia hujuſmodi Officiales, non ab officio nomine, ſed ab officio verbo mutuati ſunt vocabulum. Nam quoddam eſt hominum genus, quod dicitur Officiperdum, Officium eſt Officialium hodie (ut inquit mellifluus doctor Bernhardus) jura confundere, ſuſcitare lites, transactiones reſcindere, immittere dilationes, ſupprimere veritatem, fovere mendacia, quæſtum ſequi, vendere æquitatem, inhiare exactionibus, verſutias continuare, verborum inſidiatores & aucupes ſyllabarum tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ. Jura, ſi ſciunt, interpretantur ad libitum & ea pro voluntate ſua nunc abdicant nunc admittunt benedicta deturpant, prudenter allegata pervertunt, & rumpunt fœdera, fornicationes diſſimulant, matrimonia diſtrahunt, adulteria fovent, penetrant domos, & mulierculas honoratas peccatis captivas ducunt, diffamant innoxios, nocentes abſolvunt & ut multa ſub verborum paucitate concludam, dum omnia venaliter agunt filii avaritiæ ſive mammonæ, Diabolo ſe venales exponunt.

Sequitur Correl: Rectius diceretur ab officiendo Officialis in bono exſequendo & mala prohibendo. Probatur, quia hoc utique melius eſſet, & ſtatui aptius conveniret. Unde Beatus Ambroſius primo de officiis: legimus, inquit, à nobis officium dici poſſe, nec ratio ipſa abhorret, quandoquidem officium ab efficiendo dictum putamus, quaſi efficium, ſed propter decorem ſermonis una mutata litera officium nuncupari vel certè, ut ea agas quæ nulli officiunt proſint omnibus. Hæc ille. Sed utique Officiales Dominorum ſe habere deberent & rectè Officiales Epiſcoporum hoc intendentium dicerentur.

Secunda concluſio. Permittens vitia pecuniæ gratia quæcunque ſint publicè perpetrata, ſciat ſe pondere conſilii & onere peccati prægravari. Probatur, quia pondus ſuper ſe tollit, qui malo communicat & crimini: Sed permittens vitia pecuniæ gratia eſt hujuſmodi, ut illi, qui permittunt adulterium per annum pro certa pecuniæ ſumma, ut nunc, proh pudor! Officiales faciunt. Quemadmodum Conſulatus N. qui pro adulterio commiſſo per civem accuſatum niſi ſe juramento mediatè expurgaverit accipiunt unam marcam ſuæ monetæ in pœnam. Sed quia pro una pœna permittunt peccatum per integrum annum cum tamen ad facinus duplex non ſufficit ultio ſimplex, immò ſicut gravius peccat quis per obſtinationem, ita gravius deberet puniri. Nec debet principaliter quæri pecunia, ſed correctio peccati & emendatio vitæ.

Gravi periculo Archidiaconi & Officiales frequenter ſe exponunt cum reperiantur tales. Patet ex eo, quòd hujuſmodi in Synodis pro adulterio commiſſo accipiunt pecuniam pro anno ſemel & tunc permittentes per annum tale peccatum. Sicuti in diœceſi

Sed ad propoſitum redeundo. Circa feſtum Michaelis inter Ruſtringos ſive Buth Fockenſes oritur dirum bellum procurantibus Hamburgenſibus, pro jure ſuo, quod vi antea cœperunt habere in terra. Et cum effectus litium ſint varii, quid reſtet ſupereſt quod fit hinc inde jactura pauperum ſatis gravis, victoria tamen de cœlo quæ ſemper aſſolet venire juſtiori. Injuſtum enim quenque conturbat folium arboris volantis. Et non eſt differentia aut vincere in multis, aut in parvis Deo volente.

Eodem anno circa feſtum ſancti Laurentii Gerhardus Archi-Comes cepit caſtrum in Wildeshuſen à Capitulo Monaſterienſi & poſt feſtum decollationis Johannis conſtitutus eſt dapifer quidam cruce ſignatus, Ilies nomine, ſatis malitioſus qui fuit quondam advocatus in Covörde. Iſte tenuit placita cum Gyrico de Fredeborg & aliis Friſonibus in vigilia Matthæi Apoſtoli. Poſt hoc in profeſto Dionyſii prædictus Archi-Comes ſpoliavit villas in Friſia prope & ultra caſtrum Fredeborg & qui cum eo erant pecora & ſupellectilia multa. Eodem tempore ſpoliavit Dielhuſen in vigilia aſcenſionis Domini & combuſſit ibidem villas multas.

Anno Domini MCCCCLI. Friſones rapuerunt pecora in Bekehuſen in vigilia aſcenſionis Domini poſtea in feſto Pentecoſtes compoſitio facta eſt inter Archi-Comitem Gerhardum & Ulricum capitaneum Nordenſem cum communibus Friſonibus. Anno quo ſupra Hamburgenſes placita tenuerunt cum Ulrico in civitate Bremenſi pro quorum compoſitione amicabili vocati fuerunt Dux Adolphus Slesvicenſis, qui ibidem miſit Archi-Comitem Mauricium utriusque juris Baccalarium una cum fratre ſuo Gerhardo. Similiter & Lubecenſes præſentes fuerunt ſed concordati non erant. Demum in Stadis compoſiti ſunt per Adolphum Ducem, Gerhardum Archi-Comite abſente qui tunc per æſtatem fuit cum rege Daciæ fratre ſuo. Cum autem diſceſſiſſet idem Gerhardus à fratre ſuo rege ſpoliavit Hollandrinos inimicos ſuos & obtinuit naves XXII.

Anno Domini M CCCC LIII. Gerhardus Archi-Comes accepit in uxorem nobilem Alheidim Comitiſſam de Tekenborg ex qua genuit ſex filios & quinque filias, Gerhardum, videlicet, Adolphum, Didericum, qui obiit juvenis, Johannem, Chriſtianum & Ottonem. Item filias Armegardim, Heillewigim, Alheidim, Elizabeth & Annam.

Poſt hoc anno ſequenti idem Gerhardus fuit in regionibus Danorum & Norwegiorum, ubi naves habuit. Interim Mauricius frater Gerhardi ſpoliavit Oytam & accepit pecora ibidem, combuſſitque villas prope Vechtam circumjacentes. Statim conſules civitatis Monaſterienſis & cives ibidem Vechtenſes cum Oytenſibus ac eorundem complicibus miſerunt literas diffidationis Mauricio Archi-Comiti. Tunc in feſto Lamberti combuſſerunt Hatten cum aliis villis. Poſtera die Mauricius fuit cum ſuis prope & ultra Vechtam ubi combuſſerunt villas adjacentes. Item in profeſto Criſpini & Criſpiniani Vechtenſes combuſſerunt allodium Hundesmölen, Bummerſtede, Gramberge & Adeſtorpe & alia quæ remanſerant. Et tunc in vigilia Andreæ fuit Mauricius cum civibus utriusque civitatis Oldenborgenſis apud Cloppenborg ſpoliando villanos ubi aliqui interfecti fuerunt.

Eodem anno in profeſto S. Silveſtri venit Archi-Comes Gerhardus in Delmenhorſt qui poſtea in profeſto beati Pauli primi Eremitæ cum fratre ſuo Mauricio accepit boves CCC. & captivavit XIV. viros in Langworde prope Vechtam. Et tunc Gerhardus Comes pacificavit diſcordiam, quæ fuit inter Mauricium fratrem ejus & Vechtenſes.

Anno Domini M CCCC LV. in die Servatii Archi-Comes Gerhardus cum ſuis fecit reiſam in Friſiam ubi cum Tannone in Jeveris aliquod ſubjugavit in terra Ruſtringorum & incaſtellavit Eccleſiam Dowenem. In feſto verò Mauricii fecerunt treugas Archi-Comes Gerhardus & Ulricus de Norda usque ad Dominicam Cantate poſt Paſcha.

Anno Domini M CCCC LVI. Gerhardus accepit frumenta circa Weſeram de domibus villanorum capituli Bremenſis in ſummo & aliorum capitulorum & vicariorum. Eodem anno infra octavam aſcenſionis Domini Mauricius incaſtellavit Eccleſiam Elſulete ad aliquod tempus & tunc in profeſto Antonii Friſones combuſſerunt Apen. Poſt hoc in feſto Scholaſticæ virginis Gerhardus combuſſit Deterne, Holne, & alias

Digitized by Google

& alias domos magno in numero. Statim ambo Archi-Comites proficiſcebantur in longinquas partes. Nam Mauricius fuit apud regem fratrem ſuum & Gerhardus apud Adolphum Ducem.

Circa tempora illa claruerunt quinque Doctores præclari Ordinis fratrum Eremitarum Divi Auguſtini. Primus fuit Magiſter Thomas Penket Anglicus qui non modo Anglicana ſed etiam Italica illuſtravit Gymnaſia. Hic Doctor ſubtiliſſimus ſic Johannis Scoti opera menti habet ſoluta & trita ut ſi perdita eſſent ea poſſet facilimè reficere: cui omnes multum Scotiſtæ debent quoniam ipſe opera ejus elucidavit, emendavit & in publicum dedit, multos in Dialectica & Phyſica edidit tractatus & quidem ſubtiliſſimos.

Secundus fuit Galfredus Habedi non minus Philoſophus & Theologus quàm Rhetor & Grammatticus. Hic egregiè in Magiſtrum Sententiarum commentatus eſt. Scripſit librum perpulcrum de Evangelica perfectione, quo certè noſtro ſeculo nihil utilius excogitari potuiſſet pro quibus eum omnibus Theologis, qui ſunt aut unquam fuerunt magna audacia præponere non formidamus.

Tertius reverendus Magiſter Paulus de Roma Prior quondam ad S. Mariam de populo Theologus & juris Pontificii Doctor egregius divini verbi præco excellentiſſimus, domini noſtri Papæ pœnetentiarius qui de uſu & exercitio clavium opus quoddam magnum & excellentiſſimum compoſuit. Apologiam noſtri ordinis & vitam ſanctiſſimæ matronæ Monicæ perquam egregiè deſcripſit. Multos item egregios tractatus edidit innumeros etiam ſermones tum ad collegium reverendiſſimorum Cardinalium coram ſummis Pontificibus tum ad clerum tum ad populum & quidem elegantiſſimos habuit.

Quartus fuit vir magnæ ſanctitatis atque doctrinæ Magiſter Petrus de Rubeis de Senis, qui & logicam & philoſophiam & ſacram paginam interpretatus eſt optimè. Super de civitate Dei & aliis pluribus beati Auguſtini operibus commentarios egit. Super totam Bibliam expoſitionem digniſſimam confecit. Super quatuor libros Sententiarum ſcripſit. Gratis pro Deo libenter docebat imo pauperibus ſtudentibus è ſuo ſubveniebat patrimonio divinis operibus, ſemper intentus plenus dierum & ſanctarum actionum migravit ad Dominum & in conventu Auguſtinianorum eſt ſepultus.

Quintus eſt Magiſter Anſelmus de monte Falcone homo quidem & ſanctimonia & ſcientia clarus. Hic cautus tum in legendo, tum in diſputando eſt. Scripta ſua, ut opinor multa, nondum in apertum duxit.

Peſtis anno, quo ſupra multis in locis Italiæ & quàm maximè Mediolani deſæviit ubi ad LX. millia urbanæ multitudinis extinxit: per agrum Mediolanenſem fœda ſtrage etiam deſæviit. Sequenti verò adeo ubique peſte laboratum eſt, ut pauci de multis ſuperfuerint. Quod quidem malum poſt penuriam magnam etiam ſuperior Solis defectio & frequentes terræ motus indicarunt.

Circa idem tempus mirabilia facta ſequuntur quæ Deus operari dignatus eſt in Comitatu Oldenburgenſi. Nam feria ſecunda poſt Lætare venerunt Friſones quaſi quinquies millie & ultra, & deſtruxerunt villas in Ambria, videlicet Weſterſtede, Linswede, Hulſtede, Manſingen, Linderen & cecinerunt tubis propè Eccleſiam Weſterſtede multum ovando & graſſando contra Oldenburgenſes: quia Friſones habuerunt ſagittarios MDCCCC. Dominus autem omnipotens reſpexit in eorum inſanias & diſſipavit gentes bella volentes. Quindecim enim villani primitus eis obviaverunt & pugnaverunt cum eis & interfecerunt Friſones & eorum complices numero CC. & captivaverunt CCC. Et talis conflictus fuit inter Manſingen & Fikenſolte. Omnes alii in fugam converſi poſtponentes & omittentes inſtrumenta bellica videlicet bombardas baliſtas clypeos mille caleptras & lanceas præacutas & alia inſtrumenta bellica. Interim Ulricus capitaneus Nordenſis fuit in Aurike ubi Abbatem Raſtedenſem, qui fuit ibidem propter treugas ſecum detinuit ad tempus X. dierum, & non permiſit eum diſcedere donec iſta res ſa eſſet completa. Sed poſtquam percepit, quòd Edo Boing advocatus in Aurike cum aliis pluribus fuerunt captivati tunc licentiavit Abbatem. Illo in conflictu unus villicus habuit plauſtrum plenum lanceis numero CXII. Poſt receſſum autem Friſonum aliqui defecerunt & laſſati ſunt, jacentes in via infra Apen &

Deternen

Deternen ex quibus multi captivi ducebantur in Oldenborg. Et omnia quæ in iſto bello contigerunt ad plenum narrari non poterunt. Iſto tempore Archi-Comites Mauricius & Gerhardus fuerunt in Dacia apud Regem fratrem eorum.

Tunc temporis Karolus, qui ſe intruſit regno Suedorum accerſivit Epiſcopum Upſalienſem qui ſub eo fuit qui tamen ei conſenſum minimè dedit. Iſte Epiſcopus venit cum magno comitatu ad caſtrum magnum nomine Stockkesholm ut ibi cum ſuis pranderet Karolo abſente qui receſſit ad comburendum ſuos contradictores æſtimans ſe ſequi prædictum Epiſcopum. Epiſcopus verò miſit nuncium poſt eum mittens ſibi literas diffidationis & obtinuit illud caſtrum cum ſuis. Et ex templo intimavit Regi Chriſtiano qui ſtatim miſit ad eum fratrem ſuum Mauricium qui ſuſcepit caſtrum ad manus fratris Chriſtiani regis & ita quievit dictus Karolus. Eodem tempore in vigilia Pentecoſtes Oldenborgenſes fuerunt ante caſtrum Fredeborg ibi ceciderunt & captivati fuerunt XXXVI. Illud caſtrum vendidit Didericus Archi-Comes pro M. florenis poſtulatenſibus communibus Friſonibus. Poſthoc filius ſororis Vlrici nomine Cybe congregavit exercitum contra amicos Archi-Comitis videlicet Tannen in Jeveris & Alliken. Ipſi fautores Oidenborgenſium captivaverunt Friſones & eorum Soldatos numero quaſi CCCC. Illo tempore ante feſtum Dionyſii venit Archi-Comes Gerhardus ad Tannen in Jeveris, qui cum auxilio Ailiken acceperunt omnes boves ſine numero.

Anno MCCCCLVIII. Mauricius Archi-Comes factus eſt miles in prælio & duxit conjugem nomine Catharinam filiam Ottonis Comitis in Hoja & hoc factum eſt in media quadrageſimæ in præſentia Domini Gerhardi Archiepiſcopi Bremenſis.

Illo in tempore Gerhardus frater Mauricii combuſſit Lengene & irritavit Friſones, & Dominus Mauricius ſpoliavit ditionem Verdenſem. Nam frater ejus Gerhardus habuit ditionem Verdenſem in manibus & ſteterunt ſua ſub protectione.

Poſt hoc in Autumno venerunt Friſones cum XXV. navibus ſuper Wiſeram & Huntam & combuſſerunt domos & Grevenwerder. Iterum ambo fratres arripuerunt iter Daciam verſus, ad viſitandum regem Chriſtianum fratrem eorum, ubi manſerunt usque ad adventum Domini incluſivè & cum magna diſcordia à rege receſſerunt.

Anno Domini MCCCCLXII. Ante Paſcha Lubecenſes, Hamborgenſes & Bremenſes attentabant & laborare cœperunt pro concordia Archi-Comitum, ſed non potuerunt. Tunc Dominus Mauricius fecit firmum contractum literatoriè cum Bremenſibus, ut ſecum ſevirent contra fratrem ſuum Gerhardum. Idcirco Gerhardus incaſtellavit eccleſiam in Hamelworden quam poſt feſtum Pentecoſtes Bremenſes deſtruxerunt. Et Dominus Mauricius incaſtellavit cum Bremenſibus eccleſiam in Elſulete. In hac diſcordia cives Oldenborgenſes fuerunt in magno timore, & poſuerunt vigiles ad portas civitatis & per plateas ad cuſtodiam & defenſionem. Et unus frater captivavit ſatellites & famulos alterius & econverſo. Nemo tantam inſolentiam enarrare poteſt. Cauſſa diſcordiæ fuit talis: Quia Dominus Gerhardus voluit detinere Dominium in Oldenborg ratione electionis & Dominus Mauricius ratione ſenii, quia ſenior Gerhardo. Et quia Mauricius diviſit ambos Comitatus, videlicet Oldenborg & Delmenhorſt & Gerhardus elegit Oldenborg. Poſt hoc facti ſunt capitales inimici, quia Dominus Mauricius combuſſit domos extra & prope Delmenhorſt & habuit Bremenſes in ſubſidium.

Anno Domini MCCCCLXIII. In octava Petri & Pauli venit Mauricius cum Bremenſibus ante Delmenhorſt cum magnis bombardis & diverſis armis volentes deſtruere caſtrum. Sed unus bombardiſta qui fuit in caſtro Delmenhorſt interfecit quamplures ex Bremenſibus & maxima damna intulit tam hominibus, quàm inſtrumentis bellicis & ſtructuris, ita quòd Bremenſes multos clàm ſepelirent, de quibus plura erant dicenda, ſed tranſeant iſta cauſſa brevitatis. Eodem anno in feſto Abdon & Severi venerunt Friſones cum magno exercitu ad numerum ſeptem millium volentes ſubvertere novum caſtrum apud Wede, quod Archi-Comes Gerhardus incepit conſtruere, ſed filius ejus nobilis Johannes magnis expenſis & laboribus perfecit. Tunc ab inſtanti per totam Ambriam pulſaverunt campanas, & ſtatim Ambri venerunt in occurſum Friſonibus & expulerunt eos abſque mora. Friſones verò fuga lapſi

 curſus

currus plenos victualibus cum aliis bellicis inſtrumentis ibidem relinquerunt, & illud totum Friſones fecerunt cum conſilio Domini Mauricii intendentes etiam poſtea evertere turrim in Varlo. Iſte Mauricius & Bremenſes obſederunt adhuc caſtrum Delmenhorſt ubi fuerunt ſeptem hebdomades: percipientes verò Bremenſes cum Mauricio, quòd Dominus Johannes de Bavaria Epiſcopus Monaſterienſis & Dux Wilhelmus Brunſuicenſis ſenior cum multis nobilibus & viris armatis Bremenſes acceperunt fugam ſicut ſemper ſoliti ſunt facere. Nam poſt receſſum amborum Principum videlicet Epiſcopi & Ducis inſequebantur Ducem Wilhelmum Epiſcopo dimiſſo volentem repatriare cum auxilio Comitum de Hoja Ottonis videlicet & Friderici apud locum, qui dicitur, de Sydenforde & ibidem ad conflictum venerunt. Bremenſes primò victoriam habuerunt mox Archi-Comes Gerhardus, qui diu in alienis partibus fuit ſupervenit cum ſuis, ubi tunc diu ex utraque parte pugnatum eſt. Iterum miſeri Bremenſes fugam inierunt, & ut ipſi dixerunt, Dux Wilhelmus captivatus fuit ſed ipſe contradixit & plures ex parte Ducis: captivati ſunt etiam ex alia parte duo Comites de Hoja prænominati etiam cum quampluribus. Archi-Comes Gerhardus tam fortiter æmulos inſequebatur & tam viriliter cum magno malleo bellico, quem in itinere invenit, hoſtes ſuos proſtravit, quòd multi de ſua fortitudine mirabantur, dicentes ſe nunquam talia vidiſſe & multi ibidem interfecti ſunt, & Gerhardus obtinuit triumphum, & in ſignum victoriæ ibidem creatus fuit in militem in conſpectu omnium. Eodem tempore Catharina uxor Domini Mauricii in die Bartholomæi genuit ei filium nomine Jacob.

Anno quo ſupra Dominica Invocavit venit Dominus Mauricius in Oldenborg & expulit ſervitores fratris ſui Gerhardi de caſtro. Feria autem quarta quatuor temporum per ſuos ſatellites abſtulit de domo Domini Nicolai de Delmenhorſt Decani omnia contenta. Qui Nicolaus vir fuit pius, benignus & pacificus, obiit anno MDIIII. ſicuti ſuperius dictum eſt. Sabbato poſt Lætare navigavit Dominus Mauricius cum ſuis famulis & ſatellitibus ad civitatem Bremenſem volens tenere placita cum fratre ſuo Gerhardo in civitate Verdenſi. Satellites autem dicti Mauricii in reditu de Brema ſpoliaverunt apud Weſeram Reken Bardenflete & ſumſerunt lardum & ſuppellectilia plurima & venerunt cum ſpoliis apud mare apud Niendike, ubi aliqui fuerunt ſubmerſi, quia pagani eos inſequebantur: aliquos necaverunt & aliquos captivaverunt. Feria quarta poſt Paſcha venit Dominus Gerhardus ad Ambriam & die ſequenti venerunt ad eum omnes pagani & litones in Ambria exiſtentes & adhæſerunt ei tanquam homagium facientes quod Domino Mauricio diſplicuit. Et tunc feria quarta poſt Quaſimodogeniti venit Dominus Gerhardus Archi-Comes in Raſtidde & obſedit & circumvallavit undique & fecit munitiones & qui cum eo erant ligaverunt equos in piſtrinum & ambas coquinas & ante æſtuarium & alii in capella propeque capellam: Sed equeſtri receſſerunt cum Domino Gerhardo feria ſecunda poſt Jubilate & multi ſatellites ibi manſerunt usque ad feſtum Johannis ante Portam Latinam tunc enim Dominus Mauricius & Dominus Gerhardus ibidem fuerunt pacificati poſtponentes diverſas machinationes & inſolentias Domino largiente quod & diu deſideratum eſt ab omnibus. Etiam in profeſto Nerei & Achillei fuerunt ambo fratres placita tenentes cum Bremenſibus circa Varlergraven ad tres dies non valentes autem concordare. Et Dominus Mauricius ingreſſus eſt civitatem Bremenſem & manſit ibidem diebus VI. Dominus Gerhardus manſit foras. Tandem fecerunt treugas ad tres hebdomadas: interim pacificati ſunt in Oldenborg ſimul converſantes. Anno quo ſupra Nobilis Henricus de Swartzenborg electus eſt in Archiepiſcopum Bremenſem. Intravit civitatem die Apollinaris cum multis videlicet MCCC. Sed quia Dominus Mauricius non præſentavit Domino Gerhardo fratri ſuo eccleſiam in Elſulete ſed ibi retinuit ſatellites ſuos cum Bremenſibus: ideo nova diſcordia & guerra inter eos eſt ſubſecuta, & major quàm antea. Nam in profeſto decollationis Johannis Baptiſtæ invaſerunt Oldenbrock diſcordiis & rapinis. In feſto Egidii combuſſerunt Varle: Lamberti rapuerunt pecora in Blanckenborg: in feſto Michaëlis fuerunt Dominus Mauricius & Bremenſes ante Oldenborg. Friſones ante novum caſtrum Wede receſſeruntque cum damno & magna confuſione & non fuerunt auſi expectare Ambros usque ad ortum Solis. Eodem tempore Bremenſes captivaverunt

Stedin-

Stedingos in die Feliciani & aliquos interfecerunt. Etiam captivaverunt unum ſacerdotem in Oldenborg quem etiam incarceraverunt ſine cauſſa, nomine Johannes Bödeker. In ſancta nocte Apoſtolorum Simonis & Judæ venerunt Bremenſes cum ſatellitibus Domini Mauricii & combuſſerunt Nienbroke: & tunc Henricus Elimer dapifer Domini Gerhardi fuit in Stedingia & Helmericus de Fikenſolte & alius dapifer nomine Nicolaus de Duven & cum eis pauci, qui cum Stedingis expulerunt Bremenſes & obtinuerunt ſeptem magnas naves cum victualibus & armis diverſis & captivati ſunt aliqui ex famulis Domini Mauricii & ex Bremenſibus LXVI. & multi interfecti & aliqui cum navibus, aliqui per pedes inceſſerunt confuſibiliter. Quapropter omnes in Ambria lætificati fuerunt. Tunc in vigilia beati Andreæ ſatellites Domini Gerhardi combuſſerunt Hasbergen minantes ſecum pecora oves & boves in magno numero & aliquos captivaverunt.

Eodem anno MCCCCLXIII. Ego frater Johannes Schiphower de Meppis fui natus in prædicta civitate. Item in octavo anno poſt mei nativitatem traditus fui in Scholis, quas frequentavi usque ad annum XV. & eodem anno intravi ordinem fratrum Eremitarum Divi Patris Auguſtini in civitate Oſnaburgenſi.

Anno Domini MCCCCLXIIII. die Fabiani & Sebaſtiani venit Heineke de Mandelslo cum Bremenſibus de Elſulete ad Stedingiam & combuſſerunt domos in Eckulete & aliqui de Ambria inſequebantur eos cum Stedingis & de Nienbroke, Bremenſes juxta eorum antiquam conſuetudinem fugam inierunt projicientes arma videlicet clypeos baliſtas caleptras & veſtimenta & ex eis XLIII. fuerunt captivati multi interfecti quamplures vulnerati. Poſtea ante feſtum S. Gregorii Bremenſes deſtruxerunt aquæductus, Teutonicè de Syle / Stedingorum, quod non eſt auditum, ex quo plurima damna Stedingi habuerunt.

Eodem anno Dominus Gerhardus conſtruxit caſtrum apud Adeſtorpe ſuper ripam Hunte contra Mauricium fratrem ſuum, nomine Weſterborg. Deinde in profeſto Petri & Pauli venerunt Bremenſes cum navibus prope Nienhuntorpe cum magna pompa & potentia & combuſſerunt domos in Oemſtede & in Donderswe: tunc cives Oldenborgenſes cum Ambris eos vehementer invaſerunt, ipſique ut ſemper conſueverunt fugam ceperunt arma projecerunt baliſtas, lanceas & clypeos in tanta multitudine, ut omnes ibidem præſentes mirarentur. Et ex eis captivati fuerunt CCCLXXXIIII. & multi interfecti, ac ſubmerſi in Hunta CCLIII. obtinuerunt etiam bombardam & captivos minaverunt Oldenborg verſus. Altera die tres magnas naves victualibus onuſtas & unum faſelum ceperunt. Item in die Ulrici Varlenſes una cum Raſtedenſibus fuerunt in Oſterſtede quibus magnum intulerunt incendiis & rapinis damnum. Eodem tempore Oldenborgenſes fuerunt apud Ethmundam & ceperunt boves C. equos LXX. & porcos CCL.

Anno quo ſupra in vigilia Laurentii obiit Dominus Mauricius in peſtilentia & ſepultus eſt in Huda & Domina Catharina uxor ejus ſtatim poſt eum obiit. Tunc omnes inhabitantes Delmenhorſt & extra fecerunt homagium Domino Gerhardo in Oldenborg Archi-Comiti & pacificè ſe habuit cum illis. Etiam pacificatus eſt cum Ottone de Hoja. Illo tempore ſoldati Domini Gerhardi fuerunt ante civitatem Bremenſem & fecerunt damnum magnum inhabitatoribus in pecoribus & frumentis. Inſuper Oldenburgenſes cum Stedingis ceperunt navem ſuper Weſeram, quæ vulgariter Bardeſe dicitur cum diverſis mercantiis & captivarunt nautam cum ſuis & hoc factum eſt poſt Egidii. Poſtea Archiepiſcopus Bremenſis & Dominus Gerhardus laboraverunt pro pace & nihil profecerunt. Et ſic in profeſto omnium Sanctorum Dominus Gerhardus accepit dominium in Delmenhorſt.

Anno MCCCCLXV. in abſentia Domini Gerhardi magnum damnum incurrerunt habitantes in utraque ripa Weſere in hyeme. Et poſt Paſcha dapifer Domini Gerhardi Henricus Elimer cum ſuis & aliquibus de Delmenhorſt pecora multa rapiunt ante Bremam. Eodem tempore Dominus Gerhardus reverſus eſt ad patriam & iniit amicabilem compoſitionem cum Ulrico de Norda. Et Stedingi ceperunt duas naves cum bonis de Weſera Bremenſibus. In craſtino Margaretæ Dominus Gerhardus venit in Raſtedis pro reformatione monachorum ſed nihil proficit. In profeſto Praxedis fuerunt Soldati de Delmenhorſt ante Bremenſem civitatem & ceperunt

 CCL. bo-

CCL. boves & equos CLII. Eodem anno vincula Petri venerunt Bremenſes cum magno populo, & eorum Epiſcopus cum eis volentes depopulare & deſtruere terras dominii de Delmenhorſt: manſerunt in Hasbergen: ubi aliquatenus damnum fecerunt ſed non valentes ultra nec retro ipſo die inventionis S. Stephani fecerunt amicabilem compoſitionem Epiſcopus Bremenſis & quidam miles cum eo nomine Gerhardus qui multum laboraverunt pro pace. Item in feſto Hippolyti fuit Dominus Gerhardus cum ſuis ultra Fredeborg & combuſſit Rapesholte & alias villas captivavitque Friſones & ſpoliavit eos.

Anno Domini MCCCCLXV. circa feſtum Purificationis venit Dominus Gerhardus de Holtſatia & voluit exactionare villicos validorum & monaſteriorum in Dominio ſuo, licet ipſi contradixerunt. Tunc conſilio unius cruce ſignigati in Bredehorne nomine Ilies, qui pravum conſilium ſicut Balaam ſecundus dedit Archi-Comiti ut videlicet faceret regiſtrum exactionis & inſcriberet omnes divites cum pauperibus contra voluntatem validorum & monaſteriorum quod & factum eſt. Eodem anno poſt Paſcha cœpit idem Gerhardus ædificare turrim in caſtro Niemborg prope Wede propter quod Friſones multum fuerunt irati.

Anno quo ſupra Dominus Gerhardus emit den Wildenlo à monaſterio Raſtedenſi. Eodem tempore in profeſto Coſmæ & Damiani martyrum obiit Ulricus Friſo capitaneus in Vorda poſt cujus mortem Dominus Gerhardus iterum viſitavit regem Daciæ Chriſtianum fratrem ſuum in Holſatia ubi habitavit multo tempore & obtinuit iſta caſtra Rensborg Tile, Kile, Sunderborg, Gottorp, Segeberge Flensborg & Hadersleve. Hæc caſtra habuit in poſſeſſione pacifica.

Iſtis temporibus nobilis Dominus Henricus de Swartzenborg Archiepiſcopus Bremenſis fuit electus in Epiſcopum Monaſterienſem & adminiſtratorem Bremenſem quod Capitulo Bremenſi & diœceſanis multum diſplicuit.

Anno MCCCCLXVII. in medio quadrageſimæ venit Dominus Gerhardus ad monaſterium Raſtedenſe manens ibidem usque ad octavas Paſchæ & elegit ibidem in dapiferum Rembertum Bernevur & fuit ibi cum LXXX. equis.

Eodem anno ante feſtum Bonifacii cives in Varle occiderunt advocatum Domini Gerhardi nomine Hilmer, pro quo facto acriter puniti fuerunt. Illo anno Oldenburgenſes conſtruxerunt turrim ad Spiritum Sanctum anno MCCCCLXVIII.

Poſt feſtum diviſionis Apoſtolorum Chriſtianus rex Daciæ, Norwegiæ & Sueciæ captivavit Dominum Gerhardum fratrem ſuum ſed in brevi liberatus iterum venit ad dominium ſuum Oldenborgenſe in profeſto Dionyſii martyris. Et intravit cum ſuis monaſterium Raſtedenſe præcipiens monachis ibidem exiſtentibus, ut omnia eſſent eis communia, & quòd unusquisque ſua reſignaret ad manus Abbatis ſed iterum nihil profecit.

Eodem anno in Lombardia in civitate Parma non parva ſed horrida viguit peſtis cui nunquam ſimilem audiſſe, nec audire credo. Nulla caritas, nullus amor in Parmenſibus erat, ſed omnis inhumanitas & crudelitas in eis regnabat. Vicinus vicino opem præſtare nolebat: frater fratrem, viri uxores & uxores viros, parentes filios & filii parentes derelinquebant. Homines non tam peſtilentia, quam potius neceſſitate moriebantur & quod pejus parochiani nec confeſſionem, nec ſanctiſſimum corpus Chriſti nec extremam unctionem infirmis dare volebant. Fratres mendicantes, fratres Eremitæ ſancti Auguſtini, Carmelitæ, Prædicatores, Minores defunctorum corpora ſepelire vetabantur. Quamprimum ad aures officialium veniebat, quod unus aliqua ægritudine laboraret immediate officiales cum magna ſatellitum caterva greſſus ſuos cum furore & impetu ad domum illius accelerabant hunc in domum recludebant, iſtum domo exire & ad S. Leonardum ſe conferre jubebant qui locus erat hominum macellum & in quo omne genus luxuriæ committebatur; magis inhumanitas & latrocinia in dicto loco vigebat, quàm amor & caritas. In urbe verò tanta facinora perpetrabantur quod nec lingua dici, nec manu ſcribere poſſim. Per urbes ſubiratores officialium ibant, & ſi pauperum porcos reperiebant illos interficiebant & vendebant. Ex dictarum carnium porcinarum comeſtione magno regnante calido, prout regnabat, mille homines interfecti perierunt. Cùm ergo regnat peſtis tanquam mortem porcinas fug te carnes. Ceſſante epidimia medici, qui peſtilentiatis

tiatis medebantur ab officialibus detenti & incarcerati fuerunt illiſque imputabant
mille latrocinia & homicidia commiſſa & pecunias quas cum magno labore & pericu-
lo lucrati fuerant eis eripuerunt.

Anno Domini MCCCCLXXI. feria quarta poſt Invocavit venit Dominus Ger-
hardus tertia vice cum Abbate ad S. Paulum cum quo reformati ibidem fuerunt ma-
nentes cum fratribus usque ad feſtum aſcenſionis Domini. Etiam ibidem erat ab-
bas Fridericus de Huda nomine Schole, & aliqui cum eo. Et tertia vice propoſuit
monachis de reformatione monaſterii & præ omnibus voluit, ut omnia eſſent com-
munia & quòd nullus ex monachis intraret tabernas & de dilectione ad invicem, quod
minimè ab illis ſervatum fuit. De-poſt in craſtino S. Laurentii Stipendiarii Domini
Gerhardi ſpoliaverunt villanos ante Wildeshuſen accipientes oves & boves ſine nu-
mero. Et poſt feſtum Egidii combuſſerunt Reken & Nienkerken. Eodem tempore
altera die poſt exaltationis ſanctæ crucis Monaſterienſes combuſſerunt Edemechte &
in craſtino Mauricii obtinuerunt Stedingiam ultra Huntam. Et feria quinta poſt Mi-
chaëlis Monaſterienſes deſtruxerunt caſtrum Weſterborg & Bremenſes Elſulete. In
profeſto Thomæ apoſtoli fuit Dominus Gerhardus in civitate Verdenſi ubi pacifica-
tus eſt cum Epiſcopo Monaſterienſi & Bremenſi & Comitibus de Hoja & obtinuit
omnia ad Oldenborg & Delmenhorſt pertinentia.

Anno Domini MCCCCLXXII. in craſtino decollationis Johannis Baptiſtæ Do-
minus Gerhardus cum magno apparatu videlicet famulis & ſtipendiariis & navibus
magiſtraliter præparans tranſtulit ſe ad partes Holtſatiæ intendens ibidem Domini-
um tenere: ſed inhabitatores & caſtra tenentes taliter ei reſiſtebant, quòd omnes ſui
captivati fuerunt, & ipſe non ſine periculo recedebat ſuſtinens damnum non modi-
cum in navibus & omnibus ad eum pertinentibus. Iterum reiſa illa peracta venit in
Delmenhorſt, in profeſto Coſmæ & Damiani.

Anno Domini MCCCCLXXIIII. die Remigii Dominus Gerhardus fuit in Fri-
ſia in Strackholte & ſui ibidem ſpoliaverunt villanos. Et Friſones e converſo ſpo-
liaverunt Apen & de Jade. Eodem anno in craſtino Pontianæ virginis Bremenſes
cum quampluribus miſerunt Domino Gerhardo literas diffidationis. Et tunc in pro-
feſto Urbani Wildeshuſani die Greten vulgariter nominati deſtruxerunt Hatten
cum circumjacentibus. Poſt hoc in feſto Petronellæ caſtrum in Herghen fundatum
funditus à Bremenſibus evertitur. Item die Petri & Marcelli venerunt aliqui ex ſti-
pendiariis Lubbonis Omken/ & deſtruxerunt Oldenbrock. Et tunc in craſtino Viti
Friſones victoriam habuerunt in Repesholte. Etiam illo tempore Bremenſes ſup-
peditarunt ſegetes prope Delmenhorſt, Hasbergen & Harpſtede.

Anno quo ſupra nobilis Henricus de Swartzborg Epiſcopus Monaſterienſis &
adminiſtrator eccleſiæ Bremenſis una cum ſuo capitulo & civitate ac tota diœceſi mi-
ſerunt literas diffidationis in Oldenborg. In craſtino Odelrici Monaſterienſes obti-
nuerunt Harpenſtedium caſtrum perpulcrum. Et poſt hoc die ipſo Arnolphi præ-
dictus Monaſterienſis Epiſcopus venit cum quampluribus ſtipendiariis, quos nume-
rare nemo poterat in Ambriam, & ſui combuſſerunt Schepeſen, Edewechte, Roſtor-
pe & Twiſchenaen. Dominus Gerhardus obviavit ei & oppoſuit ſe cum ſuis, ſed ni-
hil profecit: quia tantæ multitudini & tot viris armatis reſiſtere ſibi & ſuis videbatur
quaſi impoſſibile. Circumvallavit autem prædictus Princeps civitatem Oldenbur-
genſem una cum Bremenſibus. Monaſterienſes cum Friſonibus partem Aquilona-
rem, Bremenſes verò Auſtralem cuſtodiebant. Bremenſes cum XXIII. navibus ma-
gnis victualia portabant, quæ non ſufficiebant tantæ multitudini ad unam hebdoma-
dam. In die Apollinaris bombardæ ſonuerunt mirabiliter. In die Jacobi Monaſte-
rienſes deſtruxerunt Wivelſtede, Everſen cum ceſpitibus combuſſerunt & multa da-
mna Archi-Comiti intulerunt. Cum autem ſeptem hebdomadis civitas obſeſſa fu-
iſſet victualibus deficientibus in craſtino inventionis Stephani interveniente Comite
Nicolao de Tekenborg Epiſcopus cum ſuis receſſit combuſtis primò caſulis ſuis in
quibus degebant. Nam aliqui ex familiaribus Domini Gerhardi clam exibant civi-
tatem & naves quas Bremenſes cum victualibus verſus exercitum Domini Monaſte-
rienſis dirigebat ſubmergebant. Sed cum Dominus Gerhardus dolum percepiſſet,
valde iratus eſt ſocero ſuo Nicolao & bombardas præparavit valedixitque eis, quaſi
continua fierent tonitrua. Anno

Digitized by Google

Anno Domini MCCCCLXXV. Dominus Gerhardus arripuit iter verſus Nuziam, ubi tunc inclytus Dux Burgundiæ Karolus ſua erexit tentoria ac Nuziam Colonienſis agri opidum ad Rheni ripas duriſſimè integrum per annum obſedit. Nam Archi-Comes Gerhardus à Duce honorificè ſuſceptus eſt cognovit enim & relatu veridico didicit, quàm bellicoſus fuit idcirco annuatim quatuor millia florenorum ſibi promiſerat ut campi-ductor ſui exercitus fieret. Annuit Dominus Gerhardus & literæ deſuper confectæ ſunt, quas adhuc Johannes Archi-Comes ſæpedicti Gerhardi filius ſua in arca cuſtodit. Nam poſt exterminatam & depopulatam Leodienſium terram civitatibus ipſis Leodio, Dinanto & cæteris collapſis atque dirutis ac ſubactam inermem & ſibi nihil reſiſtentem totam Gelriam Duce ſuo neſcio quo exigente merito, capto Karolus prædictam civitatem Nuziam vallavit patrono Sancto Quirino ſua protegente & viri illuſtris Domini Hermanni Lantgravii Haſſiæ juvenis maturiſſimo conſilio ac inconcuſſo onere Weſtphalorum ac cæterorum illæſis viribus ſe tuentium murorum turribus magna ex parte bombardarum ictibus collapſis, civitatem iſtam protexerunt. Dux ſpe obtinendæ civitatis fruſtratus ſuorum magna clade, quæ ad XX. millia hominum exiſtimatur jumentis, equis præter numerum frigore perditis ac extinctis fame cum nec ſuaſu Chriſtiani regis Daciæ pacifico & amabili ab incepto flecti potuit cogente Imperatore Friderico cum Principibus Alemanniæ ab obſidione ceſſavit. Dictus autem rex animo ſedandæ peſtiferæ controverſiæ inter Robertum Archiepiſcopum Colonienſem cum ſuis complicibus ab una & Dominum Hermannum Lantgravium in Nuzia obſeſſum & capitulum ac civitatem Colonienſem parte ex altera cum quibusdam Principibus Coloniam venit videlicet Friderico Duce Brunſuicenſi, Magno Duce Megapolenſi & Johanne Duce Saxoniæ. Sed poſt multiplices labores & expenſas non modicas fruſtra factas cum dictis Ducibus per Rhenum ad regna ſua remigravit. Vix credibile fuit ut confluentibus quaſi omnibus Germaniæ Principibus Cæſare mandante ad bellum ventum non eſt: ita nulli dubium divina bonitate diſponente factum eſt quòd ſanguinem innocentum conſervari maluit, quàm pertinacia ſublimium ſive ſuperborum effundi. Tunc in campis Nuziæ jam Imperatore caſtra metante vicinus Dux Burgundiæ, Dux Imperatorem incautum ſperans inſidias parat armis ipſum impetit: Quod Dominus Henricus de Schwartzeborg Epiſcopus Monaſterienſis attendens ſe Duci cum ſuis Weſtphalis & cæteris, qui Imperatori cum mille & ſeptingentis equitibus in ſubſidium venit animoſe oppoſuit, & quaſi tunc toti Imperatoris exercitui præſidium fuit.

Anno quo ſupra Chriſtianus rex Daciæ, Sueciæ, Norwegiæ & Gotthorum, Dux Holtſatiæ, Stormariæ, in Oldenborg & Delmenhorſt Archi-Comes, vir quidem Chriſtianiſſimus, Romam ſolvendi voti gratia per univerſam Lombardiam Thuſciamque tranſiit, ab omnibus potentatibus honorificentiſſimè exceptus fuit. Inde Romam ingreſſus prodeunte obviam honorato Cardinalium collegio à Sixto Pontifice maximo celebri honore exceptus eſt, tanquam vir omnibus virtutibus ornatus ac pro ſingulari munere roſa aurea, quam Pontifices ſingulis annis in Dominica Lætare alicui ex Principibus Chriſtianis donare conſueverat ipſe à Sixto Pontifice donatus eſt. Ibidem etiam de univerſali Italicorum Principum pace agi cœpit, ut ſcilicet uno animo contra Turcum coirent, ſed res perfici non potuit. Inde digreſſus per omnes Italiæ urbes tranſiens perbenignè ubique habitus eſt domum denique reverſus aliquot annis cum omni ſanctitatis exemplo ſupervixit.

Poſt hoc in nocte Michaëlis Domino Gerhardo abſente cives Oldenborgenſes ſpoliaverunt dat Byland. Ante feſtum Aſcenſionis Dominus Gerhardus conſtruxit caſtrum apud Huntam prope Elſulete magnis laboribus & expenſis vocans Altena. Eodem tempore die Gervaſii & Prothaſii Bremenſes obtinuerunt caſtrum novum Altena. Similiter in profeſto Hipolyti Bremenſes combuſſerunt Stedingiam & Nienbroke & multa hujusmodi facta ſunt ex utraque parte damna. Sed quis omnia hujusmodi poteſt enarrare ſcribere & legere quia tædium generaret audienti?

Anno Domini MCCCCLXXVI. In feſto Panthaleonis reverſi fuerunt Monaſterienſes cum Bremenſibus & Friſonibus in magna multitudine in Dominium Oldenburgenſe & combuſſerunt Edewechtw / Twiſchena / Weſterſtede / Linswege & ſuppeditarunt ſeteges & frumenta in campis & arvis. In craſtino Petri ad vincula, manè

venerunt

venerunt ad monaſterium Raſtedenſe, & combuſſerunt ibidem aliquot domos, & tanquam canes famelici multas inſolentias fecerunt, confringentes munimenta monaſterii, quia famem & ſitim grandem habuerunt, & manſerunt ibidem una nocte: In die inventionis S. Stephani manè receſſerunt. Et dum Bremenſes venerunt ad Ghelve ad Stedingiam, Dominus Gerhardus cum paucis ſtipendiariis & civibus ſe præparavit, ut inſequeretur eos. Et primò vix XL. viri cum eis conflictum habuerunt, tandem congregatis multis Bremenſes trucidaverunt, captivaverunt & obtinuerunt currus DCC. onuſtos cum ſpoliis de Ambria, & captivos DCCVII. interfectique ſunt D. & computati ſunt MDXIV. captivi & interfecti & tulerunt bombardas XV. Oldenburgenſes à Bremenſibus. Una mulier Oldenburgica captivavit XX. Bremenſes. Miſeri Bremenſes peſſimè perierunt, quia Eccleſias & capellas ſine miſericordia ſpoliaverunt. Tandem eodem anno in feſto Dionyſii inſimul convenerunt Dominus Conradus de Depholte Epiſcopus Oſenburgenſis, Epiſcopus Verdenſis & Dominus Gerhardus de Oldenborg cum ſuis: ſimiliter & Lunæburgenſis conſulatus in Quakenbrugge pro pace facienda. In octo diebus parum profecerunt die decima pax firmata eſt tali modo: Nam Bremenſes pro omnibus captivis ſolverunt Domino Gerhardo M. florenos Rhenenſes potuiſſent hoc vitare ſi reverendo ac nobili Domino Conrado Epiſcopo Oſenbruggenſi indefeſſe pro pace & induciis inter Epiſcopum Bremenſem & Monaſterienſem ab una & Gerhardum conſanguineum ſuum parte ex altera laborare conanti acquieviſſent. Sed brevi tempore pax iſta duravit nam Heineke de Mandelslo pacis inimicus una cum Haſpelkampe non bene erant contenti de iſta familiari compoſitione arbritantes utilius eſſe iterum moleſtare Bremenſes ſimiliter Monaſterienſes atque Friſones. Ceſſaverunt tamen iſta hyeme ſequenti ſed poſt feſtum Paſchæ iterum infeſtaverunt Wildeshuſenſes Friſones atque Bremenſes & ſic novus error factus eſt pejor priore, ut inferius patebit.

Anno Domini MCCCCLXXVII. obiit nobilis Alheidis de Tekenborg in Oldenborg Archi-Comitiſſa ac uxor Domini Gerhardi matrona omni laude digniſſima & amatrix pauperum quos ſuis eleemoſynis jugiter ſuſtentabat.

Circa idem tempus obiit valens ac doctus lector Gotſchalcus Howe, ſepultus noſtro in conventu Oſenburgenſi: qui à teneris annis virtuti incubuit vigilanter & literis: cui natura non defuit in eo pulcherrima dona diffundens: neque ipſemet ſibimetipſe defuit, ſed dictas naturæ dotes officiis & literis clariorem ſe fecit in tantum, quòd hominis gratia Oſenbrugenſi in urbe ſua ſe virtus evexit, ut meo judicio digniſſimus eſſet. Erat enim in Canonico jure & in legibus ita tritus, & plenè didicerat quorum tenorem ita memoriter habebat, ut ſingula recitaret quaſi ſub oculis liber eſſet. Splendidum ſibi ingenium conceptus velox, memoria ſervans: ſic quòd multi viri docti doctrinam ſuam admirantes maxima laude eum honoraverunt. Et præſertim inter alios quidam Magiſter Johannes de Rodenborg, vicarius in majori Eccleſia Oſenbrugenſi, infra ſcriptos verſus ſuam in laudem cecinit dicens:

Docti Gotſchalci ſarcofagus obtinet abdi,
Hic recubat ſubtus funebre corpus ejus.
Lector magnificus Prior hic quàm ſtrenue nactus,
Auguſtinenſi dogmate dives ei.
Canone ſublimis, qui pragmate vixit opimus,
Sicut Ariſtoteles, vir bonus & ſapiens.
*Gratia doctrinæ quem pingunt * **
Prædicat egregiè ceſpite Weſtphaliæ.
Aufugium populi qui claret gratia cleri
Hervort hunc veſtit, Corbea quem peperit.

Confectus ſenio cecidit nece lumine deno,
Annis M. quater C. tunc L. ter X. quoque primo
Felix aſtriferam ſcandit in ætheream.

Scripſit venerabilis iſte pater quamplurima volumina inprimis ſuper Pauli Epiſtolas volumina duo & de ſeptem Sacramentis unum de ſeptem peccatis mortalibus volumen. De officio Miſſæ volumen ſuper decem præcepta de novem peccatis alienis. Sermones

quamplurimos ad populum & ad clerum. De Sacramento Euchariſtiæ in Blomenberge & quamplura alia.

CAPUT XV. De Archi-Comitibus Adolpho, Johanne, Chriſtiano, Ottone & rebus geſtis eorum.

POſt mortem Archi-Comitiſſæ Dominus Gerhardus propter diſcordiam exortam inter eum & filios ſuos iter arripuit Scotiam verſus ubi cum rege affine ſuo per aliquot tempus manſit. Qui multis & magnis donis à rege ſuſceptis ad Angliam navigio profectus eſt & à piratis captivatus ſed per ſtipendiarios ſuos fuit liberatus. Anno Domini MCCCCLXXXII. illuſtris Henricus de Swartzborg Monaſterienſis Epiſcopus ac Bremenſis Eccleſiæ adminiſtrator adverſus Archi-Comitem Gerhardum iterum movit arma, & Delmenhorſt cum Bremenſibus & ſuis obſedit, magnaque clade damnisque Archi-Comitem iterum iterumque afficiens, quod & pertinaci cinctum obſidione in cujus & dura oppugnatione fratrem Guntherum ſtrennè obnixiſſimeque pugnantem amiſit, & Delmenhorſt magnis eidem viribus abſtulit, & Eccleſiæ Monaſterienſis ditioni ut belli jure partum poſſidendum adjecit. In qua obſidione Johannes Archi-Comes filius Domini Gerhardi quot labores quot pericula ſubiit tædioſum eſſet legentibus audire. Nam tribus vicibus nocturnis temporibus è caſtro egrediens cibaria & alia vitæ neceſſaria ad caſtrum cum ſuis portavit. Tandem cum Ambris & Stedingis idem Johannes opidum, Monaſterienſibus ignorantibus eò quòd nebula denſiſſima terram obſcuraſſet mettertius intravit & bannerium Monaſterienſium, quod quidam baliſtarius nomine Engelbertus manu armata tenebat ab eodem vi accepit cæteriſque utputa Ambris & Stedingis fuga elapſis metdecimus pugnavit. In qua pugna Engelbertus Junior de Langen filius Rudolphi extinctus fuit & contra velle adverſariorum ab eis non ſine gloria receſſit ſicque victualibus deficientibus caſtrum captum eſt anno quo ſupra die Sebaſtiani martyris. Depoſt Gerhardus de Francia & Anglia rediens Oſenburgum usque pervenit ubi tunc Petri cathedram regebat nobilis Conradus de Rethberge cum quo Brunſvick verſus ſe transtulit, quòd tunc Henricus Dux eorum cum multis principibus obſedit & non ſine laude pace firmata ad ſua rediit. Fratribus igitur & patre diſcordantibus Johannes ſeptimus patriam regendam ſuſcepit: Adolphus verò frater Johannis Bothforde caſtrum in medio Ambriæ ſituatum inhabitavit. Otto vero Wardenburg & Hundesmölen in ſui tuitionem recepit Chriſtano de medio ſublato Anno Domini MCCCCXCII. Otto fuit Canonicus Eccleſiæ Colonienſis ſimiliter & Bremenſis. Johannis igitur patria ſuſcepta omnibus carus fuit tam civibus, quàm plebeis. Fuit enim natura admodum jocundus religioſus & ſacerdotibus affabilis, omnibus humilis, hoſtibus terribilis, pauperibusque pius & largus prudens in agendis ſtrenuus in armis juſtus Deum timens cui nihil ad excellentiam laudis deeſſe videbatur. Robuſtiſſimo quidem corpore ac pulcerrimo aſpectu viguit conſilio quoque ac magnitudine animi ac egregia liberalitate extitit decoratus implicatus multis agendis in ſuo Dominio propter collapſa caſtra quæ hic glorioſus vir in Oldenborg & extra ſplendidè erexit & caſtrum ſuum ibidem à fundamentis innovavit muros caſtri in Nienborg prææaltos & latos incoavit & magnis expenſis perfecit. Sunt enim Teutonici mirabiles mathematici omnes quoque gentes in architectura ſuperant ut videre poteris in caſtris prænarratis. Cum Wildeshuſenſibus tempore juventutis conflictum habuit & Diabolum captivavit. Apud Apen Gajen to Stickhuſen cepit & Siveken virum bellicoſum cum multis Friſonibus trucidavit. Infra Fredeburgum & Novumcaſtrum Dominum Mauricium fratrem Magiſtri Ikonis cum multis captivavit, & aliquos extinxit, qui pro ſui liberatione magnam pecuniæ ſummam dedit. In bellis fuit audax & manu promtus, ut inferius patebit clarè.

Eodem anno in Oſenbrugge fuit maxima diſcordia inter cives, ſutores lanifices, fabros, & communis populi parte ex una, & conſules ibidem parte ex altera. Quam diſcordiam quidam ſartor dictus Lenethun / cum quibusdam ignobilibus ſibi adhærentibus Diabolo ſuadente incoavit: qui poſtea in foro ibidem decollatus eſt, & ceſſavit quaſſatio.

Anno Domini MCCCCLXXXI. Ego frater Johannes Sciphower de Meppis

poſt

poſt profeſſionem, quam feci, fui promotus ad ſtudium particulare Lippienſe. Poſt hoc MCCCCLXXXIII. ad ſtudium provinciæ fui promotus in opido Dammis de poſt Anno Domini MCCCCLXXXIV. celebravi primam miſſam in conventu Oſenbrugenſi. Eodem anno fui promotus pro Studente generali Bononienſi & manſi in Italia tribus annis & reverſus fui ad provinciam quando in Oſenbruggenſi conventu celebratum fuit capitulum Provinciale. In quo capitulo fuerunt multi viri docti & ibidem promotus fui pro curſore in ſtudio noſtro in conventu Northuſenſi. De poſt in convocatione Holmeſtendi fui promotus ad Italiam in deſpectum quorundam & acceſſi ad Studium Senenſe annos habens XXVI.

Anno Domini MCCCCXCI. celebratum fuit generale capitulum in curia Romana in quo capitulo fuerunt in unum congregati CCCV. Magiſtri in Theologia ordinis fratrum eremitarum S. Auguſtini viri doctiſſimi. Poſt illud capitulum accepi inſignia lectoratus in Univerſitate Senenſi & poſui concluſiones de Prædeſtinatione & Præſcientia, habens annos XXVII. & eodem anno fui reverſus de Italia.

Eodem anno fuit celebratum capitulum provinciale in Haſſia noſtro in conventu Northuſenſi Eſchwegenſi in quo capitulo fui electus à patribus provinciæ in Priorem Tangklemenſem & ibidem multas vexationes paſſus ſum ab iniquis & falſis fratribus & præſertim à curatis & capellanis de confeſſionibus audiendis, miſſis dicendis qui palam in ambone cavillabantur contra privilegia Apoſtolica. Sic ego neceſſitate cogente certamen diſputationis cum illis indoctis beſtialibus mire compulſus ſum, & eos invitavi, ſed minimè comparuerunt.

Anno MCCCCXCII. In feſto Petri & Pauli apoſtolorum erat magna ſiccitas, ſic quòd diu non pluebat & fructus æſtivales deficcati ſunt: tunc modius ſiliginis vendebatur pro VII. ſolidis, hordei VI. avenæ II. ſolidis. Et magna cariſtia erat in Brabantia: ſed anno Domini MCCCCXCIII. omnia victualia erant in bono foro.

Anno MCCCCXCIII. Ezardus Comes Friſiæ orientalis literas diffidationis miſit Her Omeken & Edoni capitaneo in Jeveris, & caſtra eorum obſedit terras deſtruxit patriam eorum depopulatus eſt. Sed nobilis Henricus de Swartzeborg Edoni & Her Omeken adjutorio fuit caſtrum Fredeburgum cum innumeris viris armatis circumvallavit cum adjutorio Johannis Archi-Comitis ſed neſcio quo diſfortunio nihil ibidem profecerunt. Iſte Omeke fuit miles animoſus & filiam Domini Gerhardi in uxorem accepit ſimiliter & Edo. Sed Edonis conjunx Armegard nomine obiit anno Domini MDII. feſto cathedræ Petri in puerperio relinquens poſt ſe unum filium & tres filias.

Circa idem tempus fuerunt in conventu Oſenburgenſi ordinis fratrum Eremitarum Divi patris Auguſtini IX. lectores ſacræ Theologiæ, viri famoſi, & docti duo magiſtri in Theologia duo ſuffraganei. O quàm fructifera ætas! quam florida juventus! inter quos ego fui minimus, utinam in aliquo gratiam conſecutus! Illi prænemorati venerandi Patres in ſapientiæ ſtudiis floruere animarum quærentes ſalutem prædicationibus diſputationibus & aliis bonis operibus hoc in loco reperio viguiſſe.

Anno MCCCCXCVI. illuſtris Henricus de Swartzborg diem clauſit extremum cùm idem reverendus Pontifex ingentem expeditionem eſſet meditatus ac Phriſionum inſolentes ſpiritus pro viribus eccleſiæ ſuæ pugnantes bello viciſſet, cum minimè congruebat obiit.

Eodem anno Dominus Johannes de Meppis Laricenſis eccleſiæ Epiſcopus ſuus ſuffraganeus obiit, circa feſtum Martini ſepultus in majori eccleſia Monaſterienſi. Hic venerandus pater multa ſcripſit primo de Euchariſtiæ Sacramento librum unum: de ideis librum unum: de oblationibus librum unum: ſermones multos ad clerum & ad populum: & ſuper Tobiam ejus extant ſcripta. Hic vir eximius liberalis in pauperes fuit & mihi in ſubſidium promotionis XI. Rhenenſes florenos dedit in cujus laudem quidam infra ſcripta decantavit:

Anno milleno cum quingenteſimo deno
Recubat in Chriſto lapide qui clauditur iſto
In auram ſiſtit Meppen baptiſma Johannem
Hunc Auguſtini divi quoque normula pavit
Ac Erpbort dotat ſacro quoque dogmatenotat

Et poſt Bononia evexit ad ardua dona
Theoticum Phyſicum meruit geſtare monile
Promotus Laricenſis præſulatus gaudet honore
O! Deus æternis fac hunc diteſcere donis

Ambroſius etiam de Chora Prior quondam generalis his temporibus Philoſophiæ ſacrarumque literarum dogmatibus clariſſimus & eloquentiæ ſtudiis ac humanitate plurimum decoratus hac tempeſtate ordinem noſtrum doctrina & dicendi congruitate, vitæ & morum honeſtate ſpectabilique vita exornavit, qui Prioratum ordinis oneribus plenum per IX. annos ſplendidè accurateque & viriliter maxima cum gravitate & circumſpectione adminiſtravit & poſtea diem obivit. Etiam cum illi perſpicax ingenium & rerum multarum notitia eſſet, hæc, quæ ſubjecta ſunt memoratu digna edidit opuſcula videlicet de regimine reipublicæ: de inventione artium: de dignitate ſacerdotii: de modo orandi: de veritate fidei Chriſtianæ: commentum ſuper arte veteri: de ſapientia & ſcientia Chriſti: de conceptione virginis Mariæ: de circumciſione Chriſti: Defenſorium ordinis: commentarium ſuper primum Sententiarum: commentarium ſuper poſteriorem: de ſphæra virginis Mariæ: de immortalitate animæ: de Ideis: de proprietatibus angelorum: commentum ſuper tractatum de ſphæra: de eſſe Dei libri: de ineffabili verbo Dei: de laudibus urbis Romæ: commentarium ſuper tres regulas Divi Patris Auguſtini: Sermonum volumina duo de diverſis materiis quos coram ſummis Pontificibus, ſacroque Dominorum Cardinalium cœtu peroravit, & alia multa, quæ videre non potui. Obiit autem vir prudentiſſimus multis laceſſitus injuriis anno quo ſupra.

Peſtis miſeranda & lugubris illo tempore incepit, quæ primò in Weſtphalia Oſenbrugenſi in civitate anno MCCCCXCIIII. & Bremis ac Hamborg incipiens paſſimque iterum per provincias irrepens & hoc MCCCCXCV. in Stadis, Lubeck, Wiſmaria, Roſtock, Sundis, Gripeswaldis, Anclam: in Daciam Pomeraniam, Pruſſiam, Saxoniam & omnes gentes adeo deſævit, & quidem ita inclementer, ut horreſcat calamus luem hujusmodi depingere, quæ plurimos juvenes ſtravit innumerosque cives extinxit nec aliud video quam multos timore pavoreque contabeſcere. Jam peſtifer annus nobis incubuit mortique ſavit denſiſſimus aër multus undique dolor multi lugubres ejulatus. Quid multa dicam? En lacrymis deflevimus mœrore conficimur, dolore vexamur acerbo & hoc noſtra propter peccata. Propter iſtam peſtem ego terrore concuſſus veluti amens monaſterium Tangeklemenſe deſerui & in Paſewalkenſi civitate cum quodam magiſtro Johanne Matthæo ibidem plebano & officiali mihi in caritate ſingulariſſimo moram traxi.

Anno Domini MCCCCXCVII. ego Frater Johannes de Meppis dictus Sciphower miſſus fui diffinitoris loco ex parte provinciæ Saxoniæ ad generale capitulum quod tunc Romæ celebratum eſt in quo capitulo poſt mortem Anſelmi de monte-Falcone egregius vir ac reverendiſſimus pater, Magiſter Marianus de ſancto Geneſano ſuo tempore tertius Italiæ prædicatorum Princeps electus fuit unanimiter & concorditer in priorem generalem totius ordinis fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini. In præfato capitulo ego prædictus Fraterculus fui promotus in baccalarium Sacræ Theologiæ in præſentia CCCL. magiſtrorum in Theologia ut eſt in libro ordinis & in litera ſigillata reverendiſſimi Patris noſtri generalis.

Anno Domini MCCCCXCVIII. illuſtris Johannes Archi-Comes duxit in uxorem nobilem Dominam, principiſſam Annam, natam de Anhalte, fœminam ſatis devotam & honeſtam, quæ ipſi genuit tres filios & unam filiam Johannem videlicet Georgium Chriſtophorum & Annam & adhuc Deo dante quamplures. Johannes natu ſenior communem aërem intravit anno MD. in profeſto beatæ Mariæ Magdalenæ: Annam genuit MDI. feria tertia poſt Martini.

Anno MCCCCXCIX. Johannes ſæpedictus Butjadenſes & Stadlandenſes manu armata invaſit: Butjadenſibus verò Worſti adhæſerunt. Sentientes autem Butjadi adventum Archi-Comitis non exſpectatis hoſtibus obviam pergunt primasque Olſenburgenſium turmas incidunt ſtragem dant plurimosque neci præbent Butjadi, dtatlandi, Worſti, retro pedem fugientes ad majorem exercitum ſe recipiunt Friſones ſanguinis cupidi & avidi victoriæ dum gloriam quærunt, propriam ſalutem amittunt

runt dum autem ſubjugati fuerunt omnes ad genua Archi-Comitis ceciderunt eique fidelitatem juraverunt quidem, ſed minimè ſervaverunt. Nam qui ſe nequiter humiliat interiora ejus plena ſunt dolo, ſicut iſti fecerunt. Ventum eſt ſecundò ad pugnam apud parochiam Wadenſe ubi univerſa multitudo Butjadenſium, Statlandorum, & Worſatorum in Oldenborgenſes irruunt nonnullis ante prædictam eccleſiam poſitis qui exeuntes obſervarent cederentque. Committitur atrox & miſerabile prælium in vigilia Pentecoſtes caduntque ex Butjadenſibus & Worſtis CCL. ex Oldenburgenſibus pauci. Prælium uſque ad finem tractum eſt ad extremum victi Butjadenſes & fugati campusque liber Archi-Comiti manſit. Dum hæc aguntur iterum aliqui ad Johannem Archi-Comitem mittuntur ex Butſockis nonnullique ex Statlandia perſcrutatum an tales ſecundario perjuros ad gratiam recipere velit. Fuit enim ante-dictus Johannes ab ineunte ætate miſericors & relapſos Butjadenſes miſericorditer ad gratiam recepit. Patria obtenta Worſti non ſine neceſuorum ad propria cum dolore & mœrore ſunt reverſi.

Eodem anno in vigilia Ceciliæ erat in opido Oldenburgenſi quorundam ſatellitum congregatio ex omni quaſi natione, quæ ſub cœlo eſt, numero VI. millium, mulierus juvenibusque ſecluſis. Quæ congregatio vulgariter **de Swarte Garde** dicebatur: quorum maxima pars miſerabiliter in Dethmaria occiſa fuit.

Anno Domini MD. ipſo die Julianæ virginis in Dethmaria nobiles atque illuſtres Archi-Comites Oldenburgenſes Adolphus & Otto uterini occiſi fuerunt, qui ibidem fuerunt cum conſobrino eorum Johanne rege Daciæ.

Eodem anno, in die Cathedræ Petri, obiit nobilis generoſus ac ſtrenuus vir, Dominus Gerhardus, de Oldenborg & Delmenhorſt Archi-Comes, pater Adolphi & Ottonis ſupradictorum, non in proprio, quod alterius fuit, Dominio, ſed peracta peregrinatione S. Jacobi in Gallicia, ſepultusq; in Francia. Fuit prædictus Gerhardus liberalitate & fortitudine clarus: ſtatura ejus procera fuit: nervoſum & validum habuit corpus: facies terrifica: more noſtro raſa barbam ſuperius labrum intonſum erat: veſtis haud ſplendida: catena aurea (ut militem decet) collum cinxit nec unquam lateri defuit enſis. Talem virum virtute refertum qui tanta diligentia per tot viarum diſcrimina torque itinerum nemorum ſilvarumque pericula mundi totius peragravit climata ut animam ſuam ſalvaret poſtpoſuit honorem dignitatem potentiam divitias cæteraque plurima, quæ eloquio ſolent inter humanos repræſentari. Vivat igitur cum Chriſto in æternum.

Eodem anno feria ſexta poſt Lætare poſtquam Archi-Comes Johannes integrum per annum patriam Butjadenſium pacifice ſub ſuo Dominio rexiſſet illi, qui ex patria fugati erant, cum Worſtis & cum cæteris trina vice perjuris Archi-Comiti inſidiabantur tandem ipſe cum favore Johannis Rowilden traditoris, qui eccleſiam Rodenkerken incaſtellatam cuſtodiebat, quaſi derelictam ſtantem abſque cuſtodia quadam nocte per vaſerunt captis ſervis in ea præſidium ponebant. Si tunc Johannes Archi-Comes ſuos Ambros, Stedingosque vocaſſet & eccleſiam ipſam obſidione concluſiſſet patriamque prædis & incendiis devaſtaſſet adhuc ſua ſub proprietate fuiſſent. Capta igitur patria Archi-Comes cum cæteris Principibus, Henrico Duce Brunſwicenſi, Her Omeken, & Edone capitaneo Jeverenſi, de reſtitutione Butjadenſium tractatus plurimos inivit. Quia prædicti Friſones nequaquam juramentum fidelitatis, ut victoribus jurare moris eſt, ſervabant, immo ad Archi-Comitem reverti noluerunt: ſed Ezardo Comiti Orientalis Friſiæ obedientiam promittebant. Quapropter Archi-Comes una cum prædicto Duce Brunſwicenſi, congregato exercitu, inter quos & Monaſterienſes erant, parochiam Goldeswarden obſidione concluſit, quam & incaſtellavit. Sed, neſcio qua de cauſa, cum tanta populi multitudine parum profecerunt. Illi verò, qui obſeſſi erant, **in dem Steinhauſſe** / in parochia Eckworden, audita ſuorum clade, Steinhaus tradiderunt & ipſi cum ſuis dimiſſi ſunt. Videns igitur Archi-Comes ſe æmulorum ſuorum fraudibus non poſſe reſiſtere viribus ſuis, ad tempus ſuperſedit. Quid autem futuris in temporibus acturus ſit Deus novit.

Eodem anno poſt Lætare poſt mortem venerabilis patris Henrici Koken ordinis Fratrum eremitarum qui obiit in vigilia Valentini, ego Frater Johannes Sciphower

 fui

fui deſtinatus Archi-Comiti Johanni & capitulo Oldenburgenſi pro vero & indubitato terminario & ibidem ab omnibus benigniſſime receptus fui.

Anno quo ſupra fuit hyems multum ardua & nix multa, quæ in pluribus locis duravit usque ad feſtum Pentecoſtes & tunc in pluvia periit & fuit maxima aquarum inundatio, quòd pecora communiter perierunt.

Anno MDIII. & IIII. fuit æſtas ferventiſſima & ſiccitas inaudita & in Dominio Oldenburgenſi ignis ſub terra ſuccenſus fuit usque ad arenam & illa ſiccitas duravit duobus annis.

Anno MDIIII. In nocte S. Bartholomæi fuit in civitate Oſenburgenſi & circumquaque maximus terræ motus. Inſuper terræ motus adeo magni in Bononia anno quo ſupra circa feſtum trium Regum fuerunt, ut maxima urbis ædificia corruerint, & ingentem hominum multitudinem oppreſſerint. Eodem anno fuit Jubileus introductus in civitatem Oldenburgenſem, per reverendum magiſtrum Henricum Went ſacri ordinis Prædicatorum de conventu Sundenſi.

Eodem anno fuit in Dominio Oldenburgenſi quidam peſtifer hæreticus indoctus præcurſor anti-Chriſti nomine Hermannus de Riſwick de Gelria oriundus diſtortus multum: qui eo in tempore multa ex damnatis libris Wilhelmi Ockam Armicani Wilhelmi de S. Amore & Felicis Hemerlia contra mendicantes Fratres confinxit beſtialis homo vix primis literis imbutus contra viros excellenter doctos latrare non erubuit. Nam in eodem homine natura erravit voluit enim producere Salomonem ſed errando produxit Marcolphum. Molendinarii officium ſatis aptè & inſulsè ſibi uſurpat. Sicut enim primum Chriſti adventum Patriarchæ & Prophetæ multi præceſſerunt ſic & multi pſeudoprophetæ ſunt venturi, qui Antichriſtum futurum prædicent & cum eo finale poſt judicium æternam damnationem mereantur. Superbe, pedeſter, pileo tectis oculis incedit panno ſus & laceratis veſtibus ſicut farinæ & olerum portitores veſtitus hinc inde per loca vagatur per villulas & opidula ut ab indoctis videatur. Nam ſub veſte viliſſima latitat ſæpe mens tam elata ſicut ſub purpura Imperatoris deaurata. Sectatores plures nactus virus diffundere cœpit ac nonnulla alia nefanda in populum ſeminans, qui novitate gaudebat. Contra quem ego ſæpe dictus fraterculus tractatum perpulcrum de paupertate Chriſti intitulatum cum multis concluſionibus & earum probationibus ex diverſis Doctoribus collegi.

Eodem anno mihi proviſum eſt de camera in conventu Oſenbrugenſi quam nunc inhabito. Et circa reformationem ejusdem ex mandato reverendi Magiſtri Hermanni Dreyers pro nunc Provincialis laboravi, caminum erexi pavimentum ex lapidibus & calce ſtravi lobium teſtudine ornavi & cætera cum pictura perfeci, ut ibidem apparet ad oculum.

Eodem tempore fuit grandis peſtilentia in Bremis, Wildeshuſen, Vechta & Oldenborg in qua quamplures exſtincti ſunt. Similiter anno MDII. in civitate Oldenborgenſi ultra quatuor millia obierunt.

Circa illa tempora reverendus pater meus Magiſter Gerhardus ſacræ Theologiæ humilis & doctus profeſſor ex ſuis procurationibus hortum noſtri conventus muro cinxit braxatorium noſtrum renovavit ac novam domum pro equis & beſtiis conſtrui fecit librariam novam ſolemniter & magna cum gloria conſummavit & bene præfuit noſtræ communitati.

Anno MDV. Altera die Prothi Hiacynthi obiit nobilis Elizabeth in Oldenborg Archi-Comitiſſa virgo Deo devota cujus anima requieſcat in ſancta pace.

Anno Domini MDV. in die Coſmæ & Damiani martyrum obiit nobilis Anna in Oldenborg Archi-Comitiſſa prædictæ Elizabethæ ſoror virgo XXVI. annorum: ambæ peſte defecerunt. Supra dicta Elizabeth erat in triceſimo ſeptimo anno.

Finis Chronicæ Archi-Comitum Oldanburgenſium diverſis ex libris extracta, laboris mercedem in Samaritano Domino noſtro JEſu Chriſto finaliter ſtatuens. Si quis autem oppoſitum alibi horum dictorum invenerit, ſciat quod mundi ætatibus & principum geſtis diverſi Doctores diverſimodè locuti ſunt. Et quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam me tædet hujusmodi ſcriptis amplius occupari. Cum magno enim labore liber iſte conſcriptus eſt ſub humilima correctione magiſtrorum: nam

num ſub Pio tertio incoatus eſt, & ſub Julio ſecundo Pontificatus ejus anno ſecundo, anno Dominicæ incarnationis MDV, in octava Divi Nicolai de Tollentino noſtri ſacri ordinis, illuſtriſſimo Maximiliano, Romanorum rege, in ſceptris agente, conſummatus, anno ætatis meæ quadrageſimo primo, hac Eccleſiæ Oratione communi concludendo: Da nobis Domine, ut & mundi curſus pacificè nobis tuo dirigatur ordine, & Eccleſia tua tranquilla devotione, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Non moveat lectorem, ſi quædam prætermittuntur, quæ poſtea reperiuntur: quia alius eſt ordo naturalis, alius artificialis. Unde etiam Poëta ſcriptorem monet:

Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

Nec tamen propter ſtili ſimplicitatem materia quæque venit deſpicienda, vel contemnenda: cum ſæpe-numero ſub duro cortice bonus nucleus, ſub groſſa palea bonum gramen, & ſub burſa deſpecta optimum aurum lateat. Completa ſunt hæc in loco habitationis noſtræ Oldenborgenſi tempore Johannis ſeptimi Archi-Comitis Anno MDVIII. in die S. Stephani per me Johannem Schiphower ibidem limitatorem.

Epitaphium compilatoris.

Ortum Weſtpalia produxit terra Johannem,
Schiphower dictum, Meppen & hunc nutriit.
Doctrinas petiit ſtudio per tempora vitæ:
Pierides ſua cui cantica contulerant.
Ut meruit dignè diadema ſubire magiſtri,
Italiam verſus tunc iter arripuit.
Quò vigil extiterat operam tribuens Thelogiæ,
Ut poſt examen, quod fuerat rigidum,
Obtinuit culmen ibi lectoratus honoris.
De quo laus illi digna ferenda fuit.
Jam jacet hic corpus ejus mœrore ſepultum:
Oret, qui tranſit, vivat ut in requie.

HENRICVS MEIBOMIVS
Junior
Lectori S.

JOHANNES SCHIPHOWERUS, qui hoc *Chronicon Archi-Comitum Oldenburgenſium* ſcripſit, quodq; ex Eorundem Archivis habuit Avus meus, quis fuerit, & quando vixerit, non opus eſt, ut pluribus exponam, cum id ex ipſo Chronico, & non aliunde rectius, diſcere liceat. Ipſe in Epiſtola Dedicatoria vocat ſe *Fratrem Johannem Schiphower de Meppis, inter Bononienſes Studentes minimum de conventu Oſenbruggenſi in Oldenburg limitatorem ordinis Fratrum Eremitarum Divi Aurelii Auguſtini.* Patriam ſuam in Chronico ipſo inſigni encomio ornat, refertque, ſe natum An. cIↃ CCCC LXIII, & XV. ætatis anno intraſſe ordinem Fratrum Eremitarum D. Patris Auguſtini in civitate Oſnabrugenſi,

genſi, ſtudia ſua in Bononienſi Academia per triennium tractaſſe, & in Senenſi quoque, in eaque etiam Lectorem egiſſe, & Anno cIↃ CCCC XCVII. iterum in Italiam miſſum eſſe. Ut non ſine cauſa *Gerhardus Giſekenius* in Apolog. pro Hamelmanno p. 29. (qui hoc Chronico in ſua hiſtoria contexenda uſus eſt & eum p. 305. Vicarium & Terminarium Oldenburgi factum, & p. 328. Chriſtophori Comitis Oldenburgi & Delmenhorſti primum informatorem fuiſſe notat.) vocaverit *virum, ut ante centum & plures annos tempora iſta tulerunt, ſatis clarum & doctum.* Meminit etiam ipſe aliorum librorum, quos compoſuerit, uti *de Conceptione Immaculata Virginis*, item *de Ordinibus*, quem ex diverſis Chronicis An. cIↃ CCCCC. in urbe Oldenburgenſi collegerit. Hoc Chronicon, quibus temporibus ſcripſerit, ipſe in fine ejus exponit; fatetur vero pauciſſima in eo ſua eſſe, ſeque illud ex aliis Chronicis jam tum compilatis contraxiſſe; quorum tamen cum nullum (præter Raſtedenſe fortè) hodieque ſuperſit, gratias debemus Schiphovvero, ejusque operam tanto magis æſtimamus. Ordinem temporum, aliquando turbatum, ipſe excuſat. In ſui ordinis hominibus claris enarrandis prolixus eſt, nec erubeſcit fabulas interdum admiſcere, qualis eſt illa de lapidum in veſica fellea S. Claræ repertorum pondere. Quo anno mortuus ſit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Carmen Epitaphium, (an ab ipſo, an ab alio ſcriptum?) quale in MSto codice comparuit, ſub finem appoſitum eſt.

Non mirabetis etiam Lector, à *Schiphowero* vocari Oldenburgenſes *Archi-Comites*: Clariſſimus enim *Johannes Juſtus Winckelmannus* in Notitia Hiſtorico-Politica veteris Saxo-Weſtphaliæ c. XI. S. 37. Inſcriptiones producit, in quibus An. MCCCCXCIX. *Oldenburgenſis Archi-Comitatus*, & An. MCCCCCV. *Elizabeth & Anna Archicomitiſſa in Oldenborch* nominantur, additque in Germanicis Chronicis MStis eodem ſenſu eos vocari Arſegreven. Vale, & fave.

ERDWI-

ERDWINI ERDMANNI
CHRONICON
EPISCOPORVM
OSNABURGEN-
SIVM.

Incipit Chronica Epiſcoporum OSNABURGENSIUM

Adſit ad inceptum virgo Maria meum.

QUoniam præcedentium antiquorum geſta crebrò ad memoriam revocare utile fore dinoſcitur, ut bona ac virtuoſa exempla trahantur ad imitationem, mala verò cognita quæ in perditionem tendunt, prorſus vitemus: illud & permaximè, quòd Sancta Eccleſia Oſnaburgenſis, quæ multis corporibus & reliquiis Sanctorum eſt ditata atque decorata, primatum habet in Saxonia ex ejus primæva fundatione, & inſtitutione, ſuorum indubie multorum Sanctorum Pontificum geſtorum habeat conſcriptam relationem, quæ proh dolor hactenus parva vix in vulgari Teutonico aliqualem obtinet commemorationem nominum propriorum & annorum duntaxat, actis ſæpiſſimè prætermiſſis. Non etenim ſpero quòd Doctores & Magiſtri fulgidi, quorum doctrinis & ſcientia ſæpe Eccleſia civitas & diœceſis Oſnaburgenſis dinoſcuntur illuſtrati, ita fuiſſent deſides, quod manum pro tempore cartæ apponere neglexiſſent: ſed præſumo, ſi quæ diligenter ſunt conſcripta, illa malignorum ſtudio tecta, aut prout ſæpe contingit, per poſteros refutata, parvi-penſa, vel in nihilum redacta. Ego enim quandoque diligens indagator veterum geſtorum, præſertim ſanctorum Oſnaburgenſium, & ſuos dignos bonæ memoriæ Epiſcopos, Prælatos & ſubditos concernentium quædam ſub ſcamnis reperiri feci antiquorum Prælatorum, qui parvam aut omnino nullam de his habuere curam, conſiderans ad honorem omnipotentis Dei, unde & totius mundi elementa proceſſerunt, & eorum diſpoſitio in orbem terrarum producta eſt, quem humiliter invoco, prout ille invictiſſimus Imperator Juſtinianus in l. Deo auxiliante. C. De veteri jure enucl. meritò iterum atque iterum auxilium imploro, quo prætermiſſo nullum ritè valet fundari exordium, glorioſiſſimæ virginis Mariæ matris Domini noſtri JEſu Chriſti, cujus quoties nomen illud recolitur, flectere debemus genu cordis, quod capitis inclinatione dignatur, ut in c. Decret. de immunit. Eccl. lib. VI. ac præſertim Principis Apoſtolorum S. Petri, cui Dominus claves regni cœlorum ligandi & ſolvendi dedit, & ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani, patronorum prædictæ ſanctæ Oſnaburgenſis Eccleſiæ, quorum ſanctorum martyrum corpora ſæpefatam Eccleſiam Oſnaburgenſem principaliter ſanctificant, totiusq; curiæ triumphantis & ad beneplacitum reverendi in Chriſto Patris & Domini, Domini Conradi, nobilis natu de profapia nobilium Dominorum de Deipholte, ac Ducum & Comitum orti, Epiſcopi Oſnaburgenſis moderni, quem virtutes multifariè decorant, clericatus ultra quinquaginta annos cum beneficiorum eccleſiaſticorum titulis & Pontificalis dignitatis ordo nunc ad XXIV. revolutos annos pro libertate eccleſiaſtica ad requiſitionem cum mandatis Apoſtolicis contra Eccleſiæ rebelles bellavit, adeo quòd athleta & miles clamaretur, nunc pacificè ſæpedictam Eccleſiam Oſnaburgenſem cum grege ſuo commiſſo digne gubernat, Domini utique mei dilecti & gratioſi, quem ſancta & individua Trinitas conſervare velit, & ad bonum finem perducere, meritò exoro, venerabilisque Lamberti de Beveſen, eccleſiarum Cantore majoris, & ſancti Johannis Oſnaburgenſis Præpoſiti admonitionem, & ſæpefatam interpellationem, ego *Ertwinus Ertman* utrius-

que Juris quandoque in Studio privilegiato imbecillis Scholaris, ex nunc inutilis proconſul civitatis Oſnaburgenſis, amore Patronorum Sanctorum prædictorum Eccleſiæ & patriæ, cui etiam ut fidelis vaſallus occaſione bonorum feudalium, quibus inveſtitus, juramento fidelitatis adſtrictus, cuncta in unum duxi colligenda, non nova ſcribens, ſed antiqua revolvens, atque uniens, intendo leviſſimo ſtylo, à lectoribus veniam petens, melius de narrandis ſentientibus, proteſtans tamen, quòd falſitatem ſcienter inſerere aſſertivè non intendo.

Rem ergo non novam conformiter prout ille inviĉtiſſimus & ſereniſſimus Imperator Juſtinianus legiſlator C. de judiciis. l. rem non novam; incipit, aggredior, videlicet, quòd cum glorioſiſſimus & inviĉtiſſimus S. Karolus Magnus, Pippini & honorandæ Dominæ Thebergæ, apud nos Berthæ, filius, poſtquam ſanctæ Romanæ eccleſiæ auxilium, ſicut & pater ejus, etiam primum interpellatus, impertiebatur, contra Aſthulfum regem Longobardorum, quod Conſtantinus & Leo denegaverint, propter quod etiam Stephanus Papa ſecundus, natione Romanus, Imperium Romanum in perſonam ejusdem Karoli Magni à Græcis ad Germanos tranſtulit, de quo in c. Venerabilem. extr. de elect. in textu & gloſſa. Qui Saxones & Weſtphalos, olim duriſſimum populum, poſt multa bella & prælia graviſſimè habita, à gentilitate ad fidem convertit Chriſtianam. Et quia Adrianus Papa Romanus eundem Regem Karolum ad defendendum res eccleſiæ poſtulavit, ipſe quoque Rex Romam veniens Papiam obſedit ibique relicto exercitu in ſancta Reſurrectionis Dominica ab Adriano dignè ſuſceptus, poſt ſanctam reſurrectionem reverſus eſt Papiam, cepit civitatem, ac Deſiderium regem. Deinde Romam reverſus, conſtituens ibi Synodum cum Adriano Papa in patriarchatu Lateranenſi, in eccleſia Sancti Salvatoris, quæ quidem Synodus celebrata eſt à CLIII. Epiſcopis & religioſis Abbatibus. Adrianus Papa, cum univerſa Synodo, tradiderunt Karolo regi jus & poteſtatem eligendi Pontificem & ordinandi Apoſtolicam ſedem, Patricium fecit & patrem ac advocatum urbis Romæ, dignitatem quoque Patriciatus ei conceſſerunt. Inſuper Archiepiſcopos & epiſcopos, per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, ut niſi à regelaudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur. Et quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo innodatus, & niſi reſipiſceret, bona ejus publicari præcepit. Et hoc clarè patet in c. Adrianus. LXIII. Diſt. In vim enim & auctoritatem iſtius decreti Apoſtolici de anno Domini DCCLXXII. IV. Kal. Aprilis idem inviĉtiſſimus Imperator S. Karolus in Saxoniam perrexit, & Paſcha Oſnaburgi regia curte devotè celebravit, ubi eccleſiam, quam primam in Saxonia profitetur fundaſſe, venerabilem Patrem Guihonem, natione Friſonem, primum Epiſcopum deſignavit atque inveſtivit. Quem videlicet glorioſiſſimum & ſanctum Karolum Magnum, fundatorem ſacræ eccleſiæ Oſnaburgenſis, tam quoad illuſtris innatæ nobilitatis exordium, prout ex ſtirpe Imperatorum, Regum & majorum Francorum Germanorum & Græcorum ortum traxit, quàm quoad proceritatem & fortitudinem corporis & permaximè quoad geſta & prælia, fatigationem, vulnera, & onera quæ habuit & paſſus fuit pro ſanctiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine, ac fide Chriſtiana, laudare parvum foret, & non aliud quam laticem ad mare deferre. Hoc igitur relinquo, & me deſuper ad extenſa ſcripta famoſorum hujusmodi venuſte Epiſcoporum tantùm refero. Illud tamen, in quo plures religioſos errare audivi, non intendens omittere, videlicet quòd hic ſanctus vir Karolus Magnus, in regno hujus ſeculi ſocietatem angelorum & de anno MCLXV. IIII. Idus Januar. tempore & auctoritate ſanctiſſimi Domini Alexandri III. canoniſatus fuit, & præſente quondam ſereniſſimo Imperatore Frederico I. viro utique magnorum operum, etiam adeo quòd, prout quidam referunt, poſt eundem S. Karolum Magnum in geſtorum magnificentia orbis ſimilem non habuit, Aquisgrani venerabiliter transfertur, ſicque catalogo ſanctorum dignè inſeri meruit. Idem etiam Karolus Magnus ſub hujusmodi tituli forma: *Karolus ſereniſſimus Auguſtus à Deo cognominatus, magnus, pacificus, Romanum gubernans Imperium quietum, per miſericordiam Dei, rex Francorum & Longobardorum, ob amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti & reverentiam, ceſſit vel condonavit hoc ad mercedem, augmentum, vel ad ſtabilitatem regni ſui, pro-ut in Dei nomine pertinere confidit. Donavitque ad baſilicam S. Petri principis Apoſtolorum & SS. martyrum*

tyrum Criſpini & Criſpiniani, quam conſtruxerat in loco Oſnabrug & corpora illorum illuc tranſtulit. Et, ut ulterius verbis ſuis utar, ſcripſit: ubi præeſt venerabilis vir Guitho Epiſcopus omne regale vel ſæculare judicium ſuper ſuos ſervos, & litones, ac liberos in alinam & mundinam & omnes utriusque ſexus homines ad eandem eccleſiam pertinentes, quos modò poſſidet & deinceps acquiſierit & perpetuam de regia poteſtate confirmavit abſolutionem ita ut nullus judex publicus, Dux, Comes vel vice-Comes vel Scultetus vel miſſi Dominici vel ipſa diſcurrentes loca illius Epiſcopatus ad placita habenda vel freda exigenda vel aliquem de eccleſiæ pertinentium ad ſua placita bannire vel usque ad remota terrarum dijudicare vel aliquo modo ullo tempore aggravare audeat ſed liceat præfato Epiſcopo ſuisque ſucceſſoribus & ſuo advocato res prædictæ eccleſiæ cum omnibus ſibi pertinentibus quieto ordine poſſidere, ordinare, atque diſponere. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur, & à diuturnis temporibus melius conſervetur manu propria ſubtus illa roborare decrevit & annulo ſuo ſigillari juſſit. Acta hæc & data XIIII. Kalend. Januar. anno III. Chriſto propitio Imperii ſui & XXXVI. regni ſui in Francia & XXX. in Italia, Indictione II. Aquisgrani in Palatio. Rurſus ipſe ſæpenominatus Sanctæ memoriæ Karolus M. inter alias donationes largifluas decimarum de conſilio & aſſenſu Adriani Papæ ſuperius recitati (quia tunc temporis alia non erant donaria) factas cum quibus ipſa ſancta Oſnaburgenſis eccleſia erat dotata & à venerabili Engelfrido Leodienſi Epiſcopo conſecrata à quatuor ſanctis Romanis Pontificibus Leone, Paſchali, Eugenio & Gregorio poſtmodum ſtabilita ſub titulo majeſtatis ſuæ prout ex originalibus ſcriptis didici. Iſte Divus Karolus Imp. Auguſtus Romanum gubernans Imperium, Divus Rex Francorum & Longobardorum nec non & modò dominator Saxonum in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis ob ſuæ mercedis augmentum Guihoni Oſnaburgenſi Epiſcopo ſuæque eccleſiæ, quam, inquit, primam omnium in Saxonia in honorem beati Petri Principis Apoſtolorum & ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani conſtruxerat quoddam nemus vel foreſtum intra hæc loca ſituatum Farnewinckel, Ruſtenſtein, Angaria, Oſninch, Senethe, Bergeshovet, Dienanameri, Egeſtervelt, Dumeri collaudatione illius regionis potentum cum omni integritate in porcis videlicet ſilvaticis, cervis, avibus & piſcibus, omniumque venationum, quæ ſub banno uſuali ad foreſtum deputantur ad ſimilitudinem foreſti ſui Aquisgranenſis pertinentes in ſilva Oſingen in perpetuum proprietatis uſum donavit ea videlicet ratione quòd ſi quisquam hoc idem nemus ſuæ majeſtatis banno munitum ſine prædictæ ſedis Epiſcopi licentia ſtudio venandi vel ſylvam exſtirpandi vel aliquod hujuſcemodi negocium peragendi unquam intrare præſumſerit, ſciat ſe tam divinæ quàm regiæ ultionis vindictam incurſurum: nec non pro delicto LX. ſolidas regii ponderis quos pro banno violato reddere debent. Idem ſtatuit: Inſuper eidem Epiſcopo ejusque ſucceſſoribus perpetuam conceſſit libertatem & ab omni regali ſervitio confirmavit abſolutionem, niſi fortè contingat, ut Imperator Romanorum & Rex Græcorum conjugialia fœdera inter filios eorum contrahere diſponant: tunc Epiſcopus eccleſiæ illius omni ſumtu à rege vel Imperatore adhibito laborem ſimul & honorem illius legationis aſſumat. Et hoc ea de cauſſa ſtatuit in eodem loco Græcas & Latinas Scholas in perpetuum manere & nunquam clericos utriusque linguæ gnaros ibi deeſſe in miſericordia Dei confidit. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & diuturnis temporibus melius conſervetur manu propria ſubtus ea roborare decrevit & annulo ſuo ſigillari juſſit. Data XIV. Kal. Jan. anno IV. Chriſto propitio Imperii ſui & XXXVII. regni ſui in Francia atque XXXI. in Italia Actum Aquisgrani in palatio in Dei nomine feliciter Amen.

Præmiſſa & alia multa privilegia S. Karolus fundator eccleſiæ Oſnaburgenſis pie donavit, quæ latius enarrare prolixum foret: neque cunctis manifeſtari expedit: quare de his ad præſens ſuperſedeo. Et quia, ut præfertur, venerabilis Guiho à S. Karolo fundatore ad eccleſiam Oſnaburgenſem noviter extunc fundatam inveſtitus eſt atque per Pontifices canonicè Epiſcopus ordinatus, ſummè eſt attendendum, quòd indubiè iſte pater ſuis neophytis dignè præfuit. Cum enim extunc ipſa Saxonia noviter ad fidem Chriſtianam, converſa & ſæpè iteratò perverſa à fide Chriſtiana aſcripta nitebatur recedere ſummè opus fuerit prædicationibus & doctrinis. Quia

cum de anno regni ſui ſecundo Saxoniam ingreſſus Idolum quod dicitur Irmenſuel deſtruxit & accedens usque ad Weſeram obſides XII. accipiens receſſit. Et dehinc anno DCCLXXVII. Saxones poſt multas cædes, & varia bella, majores Saxonum habitantium inter Rhenum & Weſeram, demto Widekindo, Paderborne venerunt: ſed poſtquam Karolus profectus erat in Italiam, Saxones, poſtquam jam fidem Chriſtianam ſuſceperunt primò, Widekindo Duce, vel Rege eorum ſuadente, Francorum terminos usque ad Rhenum ferro & igni devaſtarunt. Hic Widekindus Dux habuit apud Oſnaburgam caſtrum, cujus adhuc apparent fundamenta, quod caſtrum-regis vulgariter appellatur. Et cùm adhuc Saxones ad ſuaſionem ejusdem Widekindi regis aut Ducis rebelles effecti Karolo, reverſus in Saxoniam Widekindo fugato: & quos divinus amor à malo non revocavit temporalis pœna coërcebat à peccatis. Quatuor millia & quingenti mortis ſupplicio à Karolo Sancto fuerunt puniti propter quod maximè à ſua majeſtate ſedes liberæ ſunt conſtitutæ, quæ extunc & meritò ex fundationibus per Nobiles legales & virtuoſos gubernari conſueverunt, in defenſionem fidei Chriſtianæ & pœnam malignorum ad forum & cognitionem earum ſpectantium, prout & ego legi in vetuſtis literis, ubi nobiles milites ſcribebantur Vrigravii. Nunc proh dolor illud judicium per pauperes & infames pervertitur & viles cauſſæ illic attrahuntur. Et anno dehinc DCCLXXXIV. Karolus F. Karoli Weſtphalos devicit in loco, qui Detmulde dicitur & Paderborne eſt reverſus. Anno DCCLXXXV. Widekindus Rex vel Dux Saxonum & Albio Saxo Karolum viſitarunt, & ab eo ad gratiam ſunt recepti & fidem Chriſtianam ſuſceperunt & depòſt tota Saxonia baptiſata & in fide eſt inſtructa.

Hic reverendus Guiho Epiſcopus ſuos ſubditos novellos in fide inſtruxit verbo prædicationis ac vitâ exemplari: hunc boni mores & virtutes ornaverunt. Cùm enim in c. Cleros XXI. Diſt. patet epiſcopus ille ſit, qui ſuperintendat epiſcopi etiam Græcè ſpeculatores interpretantur Pontifex princeps ſit ſacerdotum vel quaſi via ſequentium dicatur Antiſtes quaſi anteſtans. Iſte enim noſter primus ſanctæ eccleſiæ Epiſcopus ſuperintendebat, curam geſſit ſubditorum ſpeculabatur & proſpexit populorum infra ſe poſitorum mores & vitam, hinc merito Epiſcopus dictus. Ipſe etiam effecit ſacerdotes & Levitas: ipſe omnes ordines eccleſiaſticos diſpoſuit & quid unusquisque facere debuit, oſtendit, non immeritò Pontifex atque Antiſtes primus in ordine eccleſiæ vitâ, exemplo, verbo prædictis antiſtans, nomina & vòcabula convenienter habere meruit. Hic enim dignus noſter Epiſcopus primus, quem S. Karolus fundator novellis Prælatis præeſſe voluit, ex multis ſanctis & doctis patribus prælegit proprietates Epiſcoporum quas Apoſtolus enumerat indubitanter in ſe plenè habuit ſuos ſubditos in fide novellos verbo prædicationis & vita exemplari inſtruxit. Absque etiam hæſitatione affirmo, quod iſte venerabilis fidei Chriſtianæ prædicator ſolùm examinatus prout, c. qui Epiſcopus XXXIII. Diſt. recitat verum etiam comprobatus, prudens, docilis, moribus temperans, caſtus, ſobrius, pervigil in ſuis negociis humilis affabilis miſericors in lege Domini inſtructus ſcripturarum ſenſibus acutus & documenta fidei ſuis ſubditis utriusque ſexus ad XXXII. annos prædicavit laudabiliter eccleſiam & diœceſin ſibi commiſſam rexit atque gubernavit ſuis poſteris exemplum relinquendo. Et ſicut altiſſimo placuit in menſe Aprili ad Epiſcopatum aſſumtus fuerat, ſic etiam in Kalendis Aprilis anno incarnationis Dominicæ DCCCIII. migravit ad Dominum.

Infra præmiſſa tempora de anno Domini DCCLXXVI. S. Karolus etiam in honorem omnipotentis Dei, beatiſſimæ virginis Mariæ, & S. Pauli Apoſtoli, fundavit eccleſiam cathedralem, in loco, qui extunc Mimigevord, nunc verò Monaſterium, ſive Monaſterienſis vocatur eccleſia, ubi S. Ludgerum, natione Friſonem, nobilem genere, vita, ſanctitate, moribus & ſcientia decoratum, præfecit eccleſiæ, atque inveſtivit. Qui laudabiliter gregem ſibi commiſſum rexit: de cujus ſanctitate plurima ſunt conſcripta. Innumeras etiam gentes Saxonum, Friſonum ac aliarum nationum ad fidem convertit, & prout altiſſimo placuit ad æthera ſcandit, anno incarnationis DCCCIX. IIX. Kal. Apr. Triceſimo verò obitus ſui die cruentans & fragrans in Werdena monaſterio, ſeu clauſtro, quod inter alia ſuæ pietatis opera de paterna ſua hereditate fundavit, honorificè eſt ſepultus. De iſto Pontifice habentur iſta metra:

Hujus

Hujus ego templi Ludgerus mœnia ſtruxi,
Primus & hanc ædem poſſedi Pontificalem.

Et cum de anno Domini DCCXCV. & ſexto S. Karolus adhuc multa bella in Saxonia habuiſſet, expeditionemque feciſſet ad Oceanum ultra paludes, & loca invia & obſides accepiſſet, & circa Weſeram in Herſtelle de menſe Novembri caſtra poſuiſſet, & rebellantibus adhuc Saxonibus tranſalbiana caſtra poſuiſſet in Minda, totam Saxoniam inter Weſeram & Albiam devaſtando peragraverat, in Franciam fuit reverſus. Sed de anno DCCCIIII. Saxones Tranſalbianos cum mulieribus & natis tranſtulit in Franciam. Idem quoque fecit poſtquam Weſtphalos ſubegit. Circa hæc tempora S. Meinulphum de fonte baptiſmatis levavit, ac matrem ejus Wychtrad d[illegible]ctam, patre ejus jam defuncto, in ſuam protectionem ſuſcepit, quam ſuper marit[illegible] def[illegible]ncti vim ſtupri ſibi conabatur inferre. Hic Meinulphus ex nobilibus parent[illegible]busortum duxit. Epiſcopus in Eccleſia Padebornenſi de bonis paternis monaſterium extunc Monialium, nunc Deo inſpirante reformatorum Canonicorum Regularium in Bodeke dicto, Padebornenſis diœceſis fundavit. Miraculis poſt mor[illegible] Dies obitus ejus, VI. menſis Octobris in Padeborne celebris habetur.

[illegible] pefatus quoque ſanctus Carolus Imperii ſui Anno XIV. & regni ſui XLVII. [illegible], filium ſuum Ludowicum miſſis Legatis de Aquitania vocat, & ipſi Coronam [illegible]tis Imperialis imponens, Monarchiam regni commiſit. Et ſic Anno Domini DCCCXIV. Indict. VII. in Aquisgrani Palatio, V. Kal. Febr. ſacra communione percepta deceſſit, maximoque populi luctu corpus Eccleſiæ illatum & humatum fuit eadem die qua defunctus eſt, in Baſilica Aquisgrani, quam propriis ſumptibus conſtru[illegible] in honorem beatæ & glorioſæ virginis Mariæ, ubi in ſepulchro ſuo iſte titulus eſt [illegible]tus. *Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli Magni, orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit & per annos XLII. feliciter rexit. Deceſſit ſeptuagenarius V. Kal. Februar.*

Item iſtius beati Caroli Magni Magiſter fuit ſanctus Alchwinus, vir doctiſſimus & ſacræ vitæ qui multa ſcripta dereliquit, & inter alia bona opera reformavit Monaſterium S. Martini apud Thurones; & quia Monachi ejusdem deliciis & pompis va[illegible] omnes uno dempto ab angelo ſuffocati ſunt.

Iſto tempore ſanctus Gangolphus martyr claret miraculis. In Gallia fontem emit, quem in Burgundia facit oriri, divortiatus ab uxore ſua adultera, quæ poſt mort[illegible] ab odio ceſſare nolens, cum ſibi diceretur, quod miraculis clareret, reſpondit [illegible] effectu, ſi ipſe fecit miracula, avus meus cantet. Et ſic factum eſt juxta illud A[illegible]: Quod turpe ſonat facit edi * * *

Item lamina aurea inventa in Conſtantinopoli ſuper corpus cujusdam defuncti in [illegible] ſepulchro, in qua ſic ſcriptum erat: Chriſtus naſcetur de virgine Maria & [illegible]edo in eum, & Sol iterum me videbis ſub Conſtantino & Hirene. Hic Conſtan[illegible]it Imperator Conſtantinopolitanus, & Hirenam matrem ſuam amovit à regn[illegible] femineis negociis intenderet. Sed ipſa ex rancore natum ſuum exo[illegible]it, & voluit nubere Carolo Magno, quod Græci percipientes, ipſam in mona[illegible]uſerunt.

Poſtquam ſanctus Gviho, primus Epiſcopus, migravit ad Chriſtum, ſucceſſit M[illegible]dus, ſecundus Epiſcopus Oſnaburgenſis Eccleſiæ, & populo præfuit laudibus dignus XXIX. annis diemque, ſicut altiſſimo placuit, clauſit extremum Anno Domini [illegible]CXXXIII. Idus Aprilis.

[illegible]tem[illegible]oribus fuit Gerfridus, nepos S. Ludgeri, Epiſcopus ſecundus Mona[illegible], [illegible]tus in Werdena, ubi habentur illa metra:

Iſti Gerfridum ſedi gerit ordo ſecundum:
Moribus atque fide imitaris avum Gerfride.

[illegible] præmiſſum eſt, ſæpefatus Carolus Magnus filio ſuo Ludowico Coronam [illegible] dignitatis impoſuit & per eum Monarchiam regni fecit. Secundo igitur [illegible] ſui Stephanus Papa in civitate Remenſi in Francia, ubi ad eum venerat, e[illegible] Imperatorem Romanorum coronavit, recepitque ab eo juramentum fide[illegible]tis, quod ſponte præſtitit. Et idem Ludowicus ſtatuit *Regulam Canonicorum* in Almania, quæ *Regula Ludovici* appellatur. Ipſe etiam anno Imperii ſui ſexto inchoavit

avit Monaſterium Corbejenſe in diœceſi Paderbornenſi, quo etiam poſtea quintodecimo anno corpus S. Viti tranſtulit de villa piſcium. Ipſe etiam Ludowicus Theodulphum Epiſcopum Aurelianenſem, falſo tamen accuſatum, incarcerari mandavit. Qui Epiſcopus Andegavi in carcere dictavit Hymnum: Gloria laus & honor &c. Et cum in die Palmarum ipſe Imperator in proceſſione ivit, cepit Epiſcopus prædictus primum cantare alta voce. Unde Imperator miſericordia motus Epiſcopum quitavit & relaxari fecit.

Goſwinus tertio loco ſucceſſit in Præſulatu Eccleſiæ Oſnaburgenſis. De illo ſcribitur in querimoniis Egilmari Epiſcopi Oſnaburgenſis infraſcriptis ad ſanctiſſimum Dominum Stephanum Apoſtolicum; quod cum tres filii Lodowici Imperatoris eundem filium Lodowicum ſæpedicti S. Caroli M. in cuſtodiam mitterent, noſtræ Eccleſiæ fundatoris, cui in conſilio una conſpirationem, conſenſum & adjutorium prædictæ ſedis noſtræ, inquit Egilmarus, in honorem S. Petri Apoſtoli dedicatæ, Epiſcopus nomine Goſwinus præbuit, ita ut mucronem ab eo violenter ipſe discingeret. Cum autem rurſus ex eadem cuſtodia Deo volente per adjutorium filii ejus homonymi Lodowicus ad regnum & honorem remeaſſet (hunc filium ex alia hab[illegible] uxore) prædictus Epiſcopus ſuæ perfidiæ & infidelitatis conſcius, ad Cœnobium [illegible]denſe confugiens, monaſticum habitum aſſumpſit, & ſemel in anno Epiſcopat[illegible]cum inviſere ſolebat. Sic Epiſcopalis curia ſine præſide & rectore ea tempeſtate [illegible]manebat. Hic Goſwinus ſcribitur poſt adeptum Præſulatum vixiſſe XXXII. annos & deceſſiſſe Anno DCCCLXVI.

Item puella quædam duodecim annorum, filia cujusdam Wilhelmi, literatiſſimi Pallatii Cancellarii, lapſi in Judaismum, quamplurimos ad ejus ſuggeſtionem in Judaismum traxit: Eadem puella poſt ſacram Communionem ſex menſibus in pane & aqua jejunavit, deinde per triennium omnino abſtinuit. Quia cum Alphridus tertius Epiſcopus Monaſterienſis, vir devotus, & magnæ humilitatis & ſanctitatis, ut ex operibus ejus cognoſci poteſt, prædictæ filiæ Wilhelmi Cancellarii venerabile Sacramentum dedit, hic Epiſcopo Alfrido ſcripſit, quod illa particula panis, quam filiæ ſuæ dediſſet, tantum poſſet paſcere animam, ſicut paſcere poſſet corpus, & tam verum eſſet, quod de S. Trinitate prædicatur, ſicut filia ſua ex iſta particula panis absque alio cibo & potu per triennium poſſet ſuſtentari. Ita mira res ſupra enarrata evenit. Ipſe tamen Wilhelmus per triennium in perfidia ſua ſordens, quibus elapſis fidem Catholicam aſſumpſit & S. Trinitatem venerabatur; & quam primum filiam ſuam per manum arripuit, in momento quaſi à ſomno animam Deo tradidit. De iſto Epiſcopo Alfrido Monaſterienſi habentur hæc metra:

Tertius Alfridus ſedit probitate verendus:
Tertius Alfridus fulſit clero quaſi ſidus.

Et cum, prout præfertur, ipſe Goſwinus monaſticum habitum in cœnobio Fuldenſi aſſumpſerit, Eccleſia Oſnaburgenſis ut ſedem querimoniæ Reverendi Domini Patris Egilmari Epiſcopi infraſcripti atteſtantur, à multis invaditur, recipitur, diſpergitur & diſſipatur.

Quidam Comes ditiſſimus, Cobbo, fidelis illius Imperatoris Lodowici de prædictæ Eccleſiæ Oſnaburgenſis Epiſcopo quicquid voluit agere adeptus germano ejus nomine Werin in Monaſterio Huxarienſi tunc temporis Abbate, & Sorore ejus in puellarum cœnobio Hervordenſi Abbatiſſa degentibus, quantum voluit de decimis, quæ ad eundem Epiſcopatum pertinebant, tradi fecit ad eadem Monaſteria. Quomodo enim hoc Laico licuit, quivis literis eruditus & rationis capax poteſt cognoſcere. Subditur etiam in eisdem querimoniis in hæc verba: *Cum interim &c.*

Gosbertus de Gente Sveonum, quo ordinatus erat, cum perſecutione ejectus eſſet, neceſſitate compulſus, prædictum Cobbonem Comitem adiit, quo impetrante & rege concedente, ſuſcepit gratulabunde eundem Epiſcopatum, decimis, unde [illegible] ſummodo conſtitutus eſt, maxima ex parte vacuatum: eoque favente & timente, ne forte ei ad quod ordinatus non erat, auferretur, ſuo tempore ſine aliqua contradictione ita permanſit.

Attendat hic Lector, quomodo Cobbo, qui dicitur fuiſſe Comes in Tekenenborg, iſtam ſanctam Oſnaburgenſem Eccleſiam non diu poſt ejus fundationem dila-

niare

niare, eique decimas, quæ juris ſunt divini, auferre conabatur, prout & ſui ſucceſſores ſæpe jura tam Eccleſiaſtica quam civilia, limites diœceſis, prædia, reditus, jurisdictiones, fructus & alia tollere non verentur, dietimque prætendunt. Sed Deus eſt omnipotens, qui non deſerit in ſe ſperantes, licet ipſam Eccleſiam ad inſtar naviculæ B. Petri ſæpe fluctuare permittit: eam tamen ſua ſingulari miſericordia protegit & defendit, prout indubie ſperatur, bonorum operum & orationum hominum devotorum cleri & populi, utriusque ſexus interventu. Prædictus Gosbertus Anno DCCCLXXIV. III. Id. Aprilis, & Cobbo Comes qui eundem promovit, DCCCLXXXIII. etiam tertio Aprilis obierunt.

Eigbertus, computato Gosberto Epiſcopo Sveonum inter Epiſcopos Oſnaburgenſes, quod tamen certificare recuſatur, eſt quintus Præſul Oſnaburgenſis, de quo bonum per ejus ſucceſſorem Egilmarum eſt teſtimonium. Qui multum diligenter pro recuperatione decimarum ablatarum Eccleſiæ ſuæ & Jurium laboravit, ac multa ſanctorum patrum decreta allegavit, querulose ad Reverendiſſimum Eccleſiæ Metropolitanum, Colonienſem Archipræſulem Willibertum ſcripſit, quomodo in Juribus ſui Epiſcopii gravaretur, & advertens quomodo magnus & admirabilis Princeps Carolus, qui gentem Saxoniam per ſtrenua bellorum certamina Deo adminiculante ad fidem Chriſtianitatis convertit in primo ejus adventu Romæ in Baſilica S. Petri Papæ Adriano Epiſcopatum in honorem Principis Apoſtolorum B. Petri ibi ſe ordinaturum devovit. Hic enim vota quam primum potuit adimplevit, & decimis more ſuo, quia alia ibi defuere donaria, altare Oſnaburgenſe ab Egilfrido Leodienſi Epiſcopo primitus conſecratum dotavit; hortando ut ſibi conſilio & ope aſſiſteret, dulciter & humiliter ſic concluſit Epiſtolam. *O pater venerande, veſtrum eſt præceptum, veſtrumque conſilium, meum eſt vobis præbere obſequium. Valete & ſemper in Domino gaudete.* At ipſe Reverendiſſimus Archi-Epiſcopus reſcripſit, Eigbertum confortando inter cætera inſerens, tali modo: *Tuum eſt frater, iſtiusmodi laboris ſarcinam, qualiter Epiſcopium tuum, quod eſt decurtatum & injuſte dilaceratum, iterum redigatur in unum, ſublevare, dorſo, & ambobus humeris ſuppoſitis, meum toto niſu, prout vires ſuppetunt ſuſtentando adjuvare, ut impleatur ſcriptura: Alter alterius onera portate &c.* Hic venerabilis pater rexit Eccleſiam Oſnaburgenſem & gregem ſibi commiſſum annis X. Occubuit quoque in Domino Anno DCCCLXXXIV. XIII. Kal. Maji, regnante Carolo tertio, dicto Groſſo.

Egilmarus, communi computationi inſerto Gosberto, ſextus Antiſtes ſucceſſit Eigberto, cujus ſcripta ad Sanctiſſimum Dominum Stephanum Papam transmiſſa, eundem pervigilem in & circa Eccleſiaſticos ſuæ Eccleſiæ elegantiſſimè compendioſeque ditata venerabilem fuiſſe prædictum patrem manifeſtant. Cum enim ſua veneranda paternitas detentionem ſuarum decimarum, earumque uſurpationem adverſum Abbatem Novæ Corbejæ & Abbatiſſam Hervordenſem, Juſtitiamque denegatam per Arnulphum Imperatorem, ſimulationem etiam novem Epiſcoporum, videlicet Colonienſis, Wilberti, Wirtzburgenſis, Trajectenſis, Nemidenſis, Spirenſis, Hildeſemenſis, Verdenſis, Halverſtadenſis & Padebornenſis, qui Imperatori aderant, Sanctiſſimo Domino Stephano Apoſtolico antedicto chirograpbo expoſuit: ſæpefatus Dominus Papa Stephanus eum ſanctum aſſerens confortavit, & qui ad decimas obſtricti, qui etiam ab his dandis merito immunes eſſent, dilucide declaravit: inſerens etiam ſuo reſcripto Epiſtolam quam Bononi Abbati Novæ Corbejæ ad ſuam ſupplicationem remiſit. Ut hic dignus noſter Præſul intellegatur æquum ad ambas partes transmiſſum, etiam ut refert, cum convocatione amplius quam quinquaginta Epiſcoporum, ſalubre judicium.

Ipſe etiam Eigilmarus venerandus Antiſtes poſt multiplices querelas & fatigas, quas inceſſanter habuit, earum ab Arnolpho Imeratore obtinuit decimarum adjudicationem contra Monachos Huxarienſes & puellas Hervordenſes. Quia ipſe Arnulphus Imperator in literis ſuis deſuper datis fatetur, in ſui præſentia, ſuorumque fidelium, ne dum literis magni & admirabilis Karoli Imp. Auguſti ſigillo conſignatas in medium productas, verum etiam Adriani Papæ, quibus innotuit decimis ipſam Eccleſiam Oſnaburgenſem fuiſſe dotatam, & à quatuor Apoſtolicorum virorum privilegiis, videlicet Leonis, Paſchalis, Eugenii & Gregorii ſtabilitam eſſe. Conceſſitque

Digitized by Google

que idem Imperator Arnulphus donavit atque tradidit pro remedio animæ ſuæ ad Eccleſiam Oſnaburgenſem quinque Eccleſias cum pertinentiis ſuis, unam in Bocharſen, aliam in Moſendorp, tertiam in Duren, quartam in Hirinchberge, quintam in Foraceshem, & manu ſubtus hæc propria confirmavit, & ſigillo ſuo ſigillari juſſit, ſub dato III. Id. Decemb. anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXIX. Indict. VII. anno regni ſui II. Data in Foracheim curte regali.

An Eccleſia Oſnaburgenſis prædictas Eccleſias donatas ad aliquod tempus poſt largitionem prædictam pacifice poſſedit, non reperio conſcriptum. Quod ex nunc non habet, ſcio. Amiſit quoque multa Jura, jurisdictiones & bona, in quibus nunc utile, nunc directum, nunc vero utrumque habuit dominium: tum propter guerrarum diſcrimina, tum etiam propter diſcrepantiam & diviſionem membrorum à capite, quandoque controverſiam inter Clerum & populum, quos nunc omnipotens Deus unitos in ſancta pace & tranquillitate conſervare dignetur, Amen.

Præfatus etiam venerabilis Eigilmarus, qui pervigil fuit pro recuperandis & augmentandis juribus Eccleſiæ ſanctæ Oſnaburgenſis, obtinuit ab eodem Arnulpho Imperatore Anno Domini DCCCXCV. Indict. XIII. anno octavo Arnulphi, privilegium, in quo idem Imperator dilucide ſuum recognoſcit errorem, & multum devote dicit, quod ob amorem Domini noſtri JEſu Chriſti, & beati Petri Principis Apoſtolorum ac Sanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani nec non pro veneratione Karoli Imperatoris, ejusdem Eccleſiæ fundatoris, filiique ejus bonæ memoriæ Lodowici, nec non Karolomanni, ut aſſerit, pro patris ſui animæ remedio, ac pro ſua anima, cæterorumque ſuorum anteceſſorum regum, qui in eandem Eccleſiam peccaverunt, ut fatetur, liberationem, ac ejusdem Epiſcopi pro ejus apud Deum interceſſione aſſenſum præbentis. Quem etiam Epiſcopum Egilmarum in eodem privilegio ſcribit eſſe Dei ſervum. Nam atteſtatur, fatetur & recognoſcit, quod Abbas Corbejenſis & Abbatiſſa Hervordenſis, ac ſui, Hermannus & Allo Comites ipſi faventes, qui etiam extunc nondum ab errore ceſſaverunt: quod actum eſt, poteſtate magis factum, quam juſtitia, ipſi non veraces Epiſcopum accuſabant. Cum ſubdit Imperator ipſe Arnulphus, quod tam diu Epiſcopo & juſtis ejus precibus præbere peccatis Imperatorum exigentibus renuit, quousque manu Domini (ut verbis ejus utar) & ut meruimus tacti; & patrum noſtrorum Apoſtolicorum, Formoſi ſcilicet & Stephani, juſſis & hortationibus inſtructi, diutius contra ſtimulum calcitrare non præſumſimus &c. Unde utrorumque ſententiis iteratis & dijudicatis Archi-Epiſcopi, Epiſcopi cum omni Clero, Duces, Comites, etiam ipſis prius faventes, Epiſcopi petitionibus conſentire debere, juſtitia exigente, cum cætera multitudine unanimi conſenſu omnes affirmabant. Quare Imperator præcepit ac juſſit, ut contentio inter eos, eorumque ſucceſſores amplius oriri non deberet. Sed liceat venerabili Epiſcopo præfato decimas ſui Epiſcopatus ex integro reipſa & quiete poſſidere, nemine contradicente, exceptis decimis ad Dominicanos Monachos pertinentibus, quod Vorwerck vulgariter dicitur, ut Stephanus Papa diffinivit.

Item idem Imperator Arnulphus ad eundem Epiſcopatum Comitatum cæteraque beneficia jam dicti Allonis collaudatione in quibuscunque pratis ac locorum finibus, totum ex integro in jus & dominationem principalis Eccleſiæ ejusdem Epiſcopii, in honorem S. Petri dedicatæ, tradidit atque contulit, cum famulis & mancipiis, curtibus, cultis & incultis agris & paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, in omnibus rebus ad easdem res rite pertinentibus, & ipſi Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus cum omni utilitate & ſui arbitrii diſpoſitione actualiter firmandum decrevit.

Et quia, ut præfertur, ipſe Imperator Arnulphus recognovit precibus illius venerabilis Epiſcopi noſtri, tum peccatis ſuis exigentibus, quod aſſenſum præbere renuit, quousque manu Domini dure fuerat tactus: quomodo autem, ut à veteranis audivi, aſſerere non audeo. Sed illud in plerisque legi Chronicis, quod iſte Arnulphus à medicis deſperatus, mirabili infirmitate, ita ut à pediculis conſumeretur, defecit & mortuus eſt.

Reformatio prima Ordinis S. Benedicti per Cluniacenſes facta fuit per hæc tempora, & nunc divino pneumate ordinante in plurimis monaſteriis fit & pollet. Ille venerabilis Pontifex poſtquam annis XXXIII. ſuam Eccleſiam Oſnaburgenſem, & gregem

gregem ſibi commiſſum devote rexerat, Anno Domini DCCCCXIIX. III. Non. April. migravit ad Dominum. Requieſcat in ſancta pace, Amen.

Dodo ſeptimus Pontifex Eccleſiæ Oſnaburgenſis fuit. De eo non reperi aliqua geſta: Sed de uno Dodone, qui ab Ottone extunc Romanorum Rege primo, de Anno Domini DCCCCXXXIIX. immunitatis & libertatis præceptum impetravit. Et quia in vetuſtiſſimo libro legi, quod hic noſter Epiſcopus Anno DCCCCXXXVIII. Idib. Maij deceſſit ab hoc ſeculo, ſibi aſcribere hujusmodi impetrationem formido, nec ex adverſo ſecundo Dodoni, qui Ludolpho de Anno Domini DCCCCLXXXIII. ſucceſſit: cum extunc privilegium ipſum fuerat datum.

Tempora illa quoad Papatum & Imperium, usque ad Ottonem, ſatis confuſa leguntur fuiſſe, unde ſufficiat, quod privilegium ſit obtentum ſive per primum Dodonem ſive ſecundum, ſeu erratum ſit in annis quibus præfuerunt, Eccleſiæ Oſnaburgenſi Imperator dicit, quod venerabilis vir Dodo, Oſnaburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, fideliſque ſervus ſerenitatis ſuæ clementiam adiens, poſtulavit, ut eidem Eccleſiæ ſuæ immunitatis & libertatis præceptum fieri decernatur, per quod res & poteſtates, quæ ſuo Epiſcopo jure debentur, firmius & plenius habere valeat &c.

Et obtinuit quod ſedes ſancta Præſulis Oſnaburgenſis ſtabilita conſiſteret: ita ut nullus Judex publicus judiciaria poteſtate, aut Comites vel miſſi Dominici per tempora diſcurrentes in locis ipſius Epiſcopatus placita habenda, aut freda exigenda in pratas faciendas, vel fidejuſſores tollendos, in ſervos & cæteros, & eos qui cenſum perſolvere debent, qui Muntſchatt vocatur, à nemine præſumantur conſtringere. Sed quod liceat Domino Epiſcopo præfato, ſuisque ſucceſſoribus res prædictæ Eccleſiæ, cum omnibus quæ poſſidet, vel deinceps acceſſerint, quieto ordine poſſidere, ſuasq; Eccleſias juſte corrigere, earumque cauſſas absque ulla contradictione, ordinatione atque diſpoſitione &c. Quod quidem privilegium Divus Rex manu ſua firmavit & annulo ſuo ſigillavit.

Drogo primus, Dodoni primo in ſede incluta Pontificali Oſnaburgenſi per mortem vacante, octavus Epiſcopus ſucceſſit, & præfuit ſuæ Eccleſiæ ad longa tempora. Primum etiam ſub Ottone M. primo, tunc Imperatore privilegia impetravit. Nam Imperator prædictus ſic in privilegio ſuæ majeſtatis dicit: Quod ob petitionem dulciſſimæ matris ſuæ Mechtildis, quæ fuit filia extunc illuſtris Comitis Theodorici de Oldenborg, & fundavit pro nobilibus Abbatiam & Canoniſſarum in Quedelenborg Collegium, atq; per interventum Alheidis amantiſſimæ ſuæ conjugis, & ob frequens ** venerabilis, ut aſſerit, Epiſcopi Diogenis quoddam nemus vel foreſtum, infra hæc loca poſitum Farnewinckel, Rutenſtein, Osninck, Sevede, Bargeſchovet, Diamanamori, Eigeſterfeld, Dummen, in perpetuum proprietatis uſum dedit atque donavit, ea ſcilicet ratione, ut nullus contumaciæ deditus nemus prælibatum, Imperiali videlicet banno munitum, ſine prædicti Epiſcopi licentia ſtudio venandi vel aliquid hujusmodi negocium peragendi præſumat intrare. Quod ſi quisquam parvipendens tentaverit, ſciat ſe tam divinæ quam Imperialis ultionis incurriſſe vindictam, nec non debitum in Regalem fiſcum redditurum. Et ut hoc firmum ſtabileque perpetuo permaneat, cartam deſuper conſcribi & in Quedelenborg juſſit ſigillari Anno Domini DCCCCLXV. Indictione VII. anno regni XXX. Imperii autem IV.

Idem etiam venerabilis Epiſcopus à præfato illuſtriſſimo Domino Ottone extunc Rege Romanorum, de Anno Domini DCCCCLII. Indictione IV. data Widenbrugge, Idus Junii, impetravit & obtinuit Monetam & Mercatum publicum in loco Widenbrugge. Et idem divus Rex pro remedio animæ ſuæ Eccleſiæ Oſnaburgenſi ſub poteſtate Epiſcopi prædicti, & ſuorum ſucceſſorum, quicquid pars regia inde obtinere potuit, vel in moneta vel in telonio aut in qualibet actione publica tradidit: & ut nullus inquietaret Epiſcopum præfatæ ſedis & ſucceſſores prohibuit: prout hæc latius in privilegiis deſuper datis continentur &c.

Idem Drogo quem geſta & impetrationes vigilem atteſtantur circa profectum eccleſiæ ſuæ Anno Domini DCCCCLXIX. IIII. Idus Aprilis prout altiſſimo placuit diem clauſit extremum. Sit ei requies ſempiterna. Amen. Quam ſi habuerit, prout ſperatur, quæſumus ut intercedat ad Dominum Deum pro ſucceſſoribus ſuis, eccleſia, & diœceſi.

& diœceſi. Nam à certis laicis, Comitibus & droſſatis in juribus ſuis vexatur, mo-
leſtatur & dietim perturbatur injuſtè.

Infra tempora prædicta præfuit ſanctæ metropolitanæ eccleſiæ Colonienſi reve-
rendiſſimus & illuſtriſſimus Dn. Bruno frater prædicti Domini Ottonis Imp. qui ce-
pit urbem inſignem Pariſienſem & ſpoliavit. Et Ducem Lotharingiæ latrocinantem
in bello victum in vincula conjecit. Caſtrum Thuſienſe confregit, & corpora ſan-
ctorum Evergisli, Patrocli, Eliphii & Privati de diverſis locis collecta Coloniam
tranſtulit: cathenam Beati Petri cum baculo ejusdem à Metenſibus extorſit: multas
eccleſias fundavit & Colonienſes à tributis liberos fecit.

Hic Otto primus prædictus Imperator eccleſiam Magdeburgenſem fundavit, &
Archiepiſcopus ejus eſt Primas in Almania: Et tempore Ottonis tertii fuit ibi Udo,
de quo dicitur:

Ceſſa de ludo, quia luſiſti ſatis Udo.

Ludolphus nonus epiſcopus Oſnaburgenſis ſucceſſit Drogoni. Hunc Ludol-
phum Otto Imperator ſcribit ſuum Conſanguineum narrans, quòd ob memoriam
divinæ remunerationis nec non interventum dilectæ conjugis ſuæ Theophaniæ cui-
dam viro venerabili ſanctæ Oſnaburgenſis eccleſiæ epiſcopo Ludolpho quicquid præ-
dii vel hæreditatis ipſa Imperiali auctoritate in proprium donavit, Ipſe Imperator red-
didit in Comitatu Bernardi ducis in locis ſubſcriptis, videlicet Apelderbach, Hoſ-
nem, Linga cum curtibus ac ædificiis mancipiis terris paſcuis ſilvis, molendinis &c.
Subdens in eodem Imperiali privilegio quòd hujusmodi ſicut prædixit Ludolpho Oſ-
naburgenſis eccleſiæ epiſcopo ſuo conſanguineo reddidit atque donavit eo tenore ut
liberum habeat arbitrium vendendi atque commutandi ſeu eidem eccleſiæ & ſuis ſuc-
ceſſoribus relinquendi anno DCCCCLXXV. Indictione II. anno Imperii VII. in Lon-
gobarden. Hic Antiſtes Ludolphus obiit anno Domini DCCCCLXXXIII. II. Kal.
Apr. & in perpetua pace quieſcat, Amen.

Dodo alias Duodo hoc nomine ſecundus ſanctæ eccleſiæ Oſnaburgenſis decimus
epiſcopus decedente Ludolpho eccleſiam obtinuit ſub Ottone ſecundo & tertio ean-
dem rexit eccleſiam & anno Domini DCCCCXCVI. II. Idus Apr. obdormivit in Do-
mino. Circa hæc tempora Ottone ſecundo quidam Walramus archipræſul Colo-
nienſis eccleſiæ, qui ante-ceſſorem ſuum Geronem videlicet, utrum affectu vel in-
cauta negligentia neſcitur adhuc, viventem fecit ſepeliri, & extitit infirmatus. Et
acceſſit ad Romanam curiam pœnitens fuit. Et impetrata à ſede apoſtolica de hac re
indulgentia monaſterium S. Martini collapſum reædificavit & poſſeſſionibus abun-
danter ditavit & melioravit.

Gunthardus vel Guntherus undecimo loco eccleſiæ Oſnaburgenſi præfuit. De
iſto Gunthero ſic legitur in vita reverendi patris Domini Dethmari epiſcopi Oſnabur-
genſis quod regnante tertio Ottone Dodo, ſeu Duodo Oſnaburgenſis epiſcopus obiit,
cui Guntherus ſucceſſit. Idem verò Guntharius cappellanus & Camerarius Gyrel-
heri Archiepiſcopi Magdeburgenſis & familiaris Dethmari Merſeburgenſis epiſcopi
fuit, qui hanc hiſtoriam de eo in ſua Chronica (lib. 4.) inſeruit hoc modo. Iſte Gun-
therus cauſſa legationis ad cæſarem venit: quem ille gratanter excepit & cauſſæ lega-
tionis ejus piè annuit & juſſu ejus ibidem pernoctavit. In ipſa autem nocte vidit glo-
rioſos patronos noſtros Criſpinum & Criſpinianum ad ſe venire & ſi epiſcopatum eo-
rum accipere vellet interrogare. Quibus ille reſpondit: Si Deus voluerit & vobis
placuerit, perfixus eſt ab eis duabus haſtis. Evigilans autem nullatenus per ſemet-
ipſum valuit de lecto ſurgere. Percunctantibus autem amicis, cauſſam depromit.
Altera autem die legati Oſnaburgenſes in Italiam veniunt, Imperatorem adeunt, le-
gationis cauſſam aperiunt, pontificalia inſignia repræſentant, de ſubſtituendo Pon-
tifice interpellant. Imperator vero perſonam Guntheri eis proponit eique adhuc in
eadem infirmitate laboranti baculum & annulum pontificalem tradidit juſſitque lega-
tis ibidem eum preſtolari quoadusque recepta ſanitate convaleſceret. Et ſic cum eo
repatriarunt factumque eſt ita & ſic gravi itinere Oſnaburgam venit, à clero & populo
honorificè excipitur acceptaque Pontificali benedictione continuo graviter cœ-
pit infirmari, & in eadem moleſtia penè quatuor annos degit & VIII. Kal. Decemb.
de hoc ſeculo migravit.

Item

Item ſubdit idem epiſcopus Merſeburgenſis de noſtro epiſcopo Gunthero ſcribens hæc verba: Neſcimus quid Deo, vel ſanctis martyribus ſuis in eo diſplicuerit, hoc vidimus, & aliis referentibus audivimus, quòd vir juſtus & bene timoratus fuit, mitis & caſtus. Et ſic hi aſſerunt, cum quibus modò requieſcit, plurimum eum nunc apud Deum valere in pluribus ſignis probatur. Ego hoc veraciter ſcio, quod reum Deus non judicat bis in idipſum. Tale teſtimonium dedit Dethmarus epiſcopus Merſeburgenſis noſtro Gunthero qui anno M. requievit in pace, Amen. Scribitur in quibusdam libris deceſſiſſe, ſicſui regiminis non fuiſſent niſi duntaxat duo anni, cùm tamen in præmiſſis habeatur quod penè quatuor annos degit in præmiſſa infirmitate.

Item circa hæc tempora fuit apud Eccleſiam Monaſterienſem quidam vitæ commendabilis venerabilis pater Suederus epiſcopus ibidem, qui per Imperaticem & ſuos æmulos apud Imp. accuſatus citatus comparuit, & in via circa Wormatiam par turturum in campo Vangionum reperit, quod adjurans in nomine Domini ſecum volare præcepit & in præſentia Imperatoris & Imperatricis & ſuorum æmulorum mandavit ut ad eum volarent Imperatrici pro munere dedit dicens, Ecce ſicut hæ aviculæ ſunt abſque felle, ſic ego ſum innocens de omnibus mihi objectis. Imperator & Imperatrix turtures reſervantes eidem aſſurgentes veniam petierunt accuſatores calumniantes confuſi receſſerunt. De eodem epiſcopo habentur iſta metra.

Gaudet Suederi meritis devotio cleri:
Regnat in cœlis paſtor Suedere fidelis.

Wotilolophus epiſcopus, qui in vita Dethmari epiſcopi Oſnaburgenſis &c. Wanonus, ac etiam Wacholphus appellatus eſt, poſt mortem Guntheri duodecimus epiſcopus Oſnaburgenſis eſt factus. Ipſe etiam paucis annis Pontificatum adminiſtravit, unde de anno Domini MII. ſicut Deo placuit III. Non. Aprilis migravit ab hoc ſæculo, qui & in perpetua pace requieſcat, Amen.

Theitmarus, ſeu Dethmarus, dignus ſanctæ Oſnaburgenſis eccleſiæ Antiſtes Wotilolopho decimus tertius ſucceſſit. De cujus laudabili vita, & quem fructum fecit, eſt una commendabilis ſcriptura apud eccleſiam S. Johannis Baptiſtæ Oſnaburgæ (quam idem epiſcopus fundavit) reſervata, quæ vita Theitmari ſolet appellari. In qua inter cætera narratur, quòd bonæ memoriæ hic præſul in provincia Orienta- *vide Dithmarum*
lium Saxonum oriundus fuit, & in eccleſia Magdeburgenſi eccleſiaſticis diſciplinis imbuendis à parentibus fuit traditus. Canonicus ſancti Mauritii effectus creſcens in *lib. 7.*
virtutibus à Giſilero Archiepiſcopo Magdeburgenſi ad ſacros ordines promotus, & ab eo dilectus ſuis prudentiſſimis rationibus fuit uſus. Qui ob petitionem Willigiſi Archiepiſcopi Moguntinenſis eundem noſtrum Theitmarum epiſcopum, largiflua benedictione ditatum, eidem deſtinavit. Hic. Theitmarus eccleſiæ Maguntinæ perutiliter & Archiepiſcopo ſervivit: in vinea Domini laborans probabilis habebatur carusque, ab eodem, prudentia & morum probitate delectato. Regebat illo tempore gubernacula regni Henricus Secundus, qui nobile epiſcopium Babenbergenſe à fundamentis conſtruxit, qui & ipſe divinæ religionis ardentiſſimus erat amator. Idem rex cernens venerabilem virum Theitmarum probis actibus decoratum, impetravit à memorato archipræſule Willigiſo, ut eum ſibi concederet, & continuo Aquisgrani præpoſituram ei regendam contradidit. Vir autem Domini in eodem loco pervigil in Dei opere ſollicitus perſiſtebat: ſubjectus regi, devotus Deo: in commiſſo providus, in omni morum probitate erat conſpicuus. Decedente ergo prædicto Wotilolopho primores eccleſiæ Oſnaburgenſis Imperatorem tunc temporis Aquisgrani exiſtentem adeunt paſtorem eccleſiæ expetentes. Quibus rex communi conſilio omnium aulicorum decernens præpoſitum ſuum Theitmarum utiliter eis præfecit. Igitur anno MIIII. Dominus Theitmarus annuente Henrico II. Imperatore Oſnaburgenſis epiſcopus conſtituitur & à S. Heriberto Colonienſi metropolitano Pontificali benedictone conſecratur. Illis etiam diebus erant egregii viri eccleſiarum Chriſti rectores & doctores Willigiſus Moguntiæ & Heribertus Coloniæ, Licuiſo Bremenſis Godehardus Hildeſemenſis, Suederus aliàs Suitgerus Monaſterienſis, Meinwercus Paderbonenſis: & iſte noſter Pontifex hanc eccleſiam ſuis meritis irradiavit ut lucifer. His autem temporibus etiam claruit Theitmarus epiſcopus Merſe-

Merſeburgenſis qui nobis hanc materiam ex ſuis Chronicis ſubminiſtravit, qui eum cognitum penes ſe educatum meritò dilexit. Hic etiam noſter paſtor ad dedicationem eccleſiæ Babenbergenſis noviter fundatæ ab Henrico Imp. petitus cum XXX. epiſcopis gaudia dedicationis ipſius eccleſiæ celebravit. Et iſto tempore in Synodo villæ regiæ Dortmunde vel Trotmunde in præſentia Henrici Imp. etiam cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & cæteris ubi multa Decreta utilia fuerunt aſſcripta ibi præſens fuit & laudabiliter ſe habuit & promulgata cum aliis epiſcopis ſubſcribendo confirmavit. Sedulus etiam fuit in prædicatione: intentus in oratione: aſſiduus in divina lectione: in acquirendis & conſcribendis libris elegans ſtudium habuit. Quinquaginta libros ſua induſtria conſcriptos bibliothecæ eccleſiæ Oſnaburgenſis donavit. Eccleſiam etiam collegiatam S. Johannis Baptiſtæ cum fundatione Præpoſituræ & adunatione Canonicorum à fundamento conſtruxit, ut in Dei ſervitio & famulatu S. Johannis Baptiſtæ illic aſſiduè orarent & pſallerent pro requie animæ ſuæ ad Dominum jugiter ſupplicarent. Hæc enim fundatio ſalubris & inſtitutio facta eſt anno incarnationis Dominicæ MXI. regnante Sancto Henrico II. XII. anno Imperii: epiſcopatus noſtri epiſcopi Oſnaburgenſis anno X. Unde verſus:

Hoc Dethmarus ego præſul templum tibi lego.

Et cùm noſter præſul utiliter eccleſiæ & ſponſæ ſuæ XX. annis præfuiſſet omnipotens Deus hunc dilectum ſuum flagellans voluit ut oculorum exteriorum careret uſu attamen ſemper gratias Deo referens interiori lumine Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſemper contemplabatur. Poſt quam longam examinationem in aliis reperi, quòd anno Domini MXXIII. XVII. Kal. Maii de hoc exilio eductus translatus ad patriæ cœleſtis civitatem ſepultus eſt in majori eccleſia Oſnaburgenſi ante altare SS. Criſpini & Criſpiniani martyrum. Laus & gratia Deo. Quia in præmiſſis ſcribitur, quòd temporibus venerabilis noſtri Theitmari Suederus eccleſiæ Monaſterienſi præfuit de quo etiam ſupra narratum eſt circa Guntherum non eſt ſilentio prætermittendum. Quia ille, alias dictus Suitgerus, ſemel pileum ſuum per camerarium ſubtractum qui licet inficiando innocentem hujus criminis ſe dixerat, dum in menſa reſidebat cultellum ante ſe poſitum clam ſigno crucis ſignavit & camerario juſſit ut ſibi porrigeret. Cùm enim cultellum tetigit ſtatim digitos ſuos ut ferrum candens exuſſit. Qui ilicò de manu projiciens rubore perfuſus ad veſtigia Pontificis proſtratus veniam petiit. Sic res amiſſa patuit ſanctitasque epiſcopi innotuit.

Mencherus decimoquarto loco venerabili Theitmaro ſucceſſiſſe ſcribitur eccleſiam Oſnaburgenſem duntaxat ad quatuor annos ut pontifex rexiſſe. Qui de anno Domini MXXVIII. ab hac luce dicitur migraſſe ad Dominum: cujus anima requieſcat in perpetua pace.

Anno autem Domini MXXV. obiit S. Henricus Imp. ſecundus qui habuit Kunegundin pro uxore cum qua in virginitate permanens cœlibem duxit vitam. Habuit etiam ſororem virtuoſam, quæ S. Stephano regi Ungariæ fuit nuptui tradita, & totam Ungariam ad fidem Chriſtianam perduxit.

Goſmarus XV. loco rexit Oſnaburgenſem eccleſiam. Hic à sereniſſimo Conrado Imp. anno incarnationis Dominicæ MXXVIII. anno regni IIII. Imperii autem primo Paderborne obtinuit præceptum de Foreſto prout & multi ſui anteceſſores habuerunt ac de ſervis liberis portis ſylvaticis &c. diemque ſuum ut Domino placuit clauſit extremum anno Domini MXXXVII. V. Idus Aprilis, cui omnipotens Deus æternum retribuat præmium, Amen.

In his temporibus ad eundem Conradum Imperatorem in Minda venerunt Domini de Santensleve de diœceſi Magdeburgenſi, tempore Sigeberti epiſcopi Mindenſis. Et Adolphus, vir ſtrenuus fidelis atque prudens, Urticarum montem, vulgariter dictum de Nettelenberg/ in feudum recepit, & factus eſt Camerarius epiſcopi: caſtrum Schowenborg, ſive ſpeculationis fundavit, ab Imperatore prædicto Comes creatus atque inveſtitus eſt.

Elvericus, aliàs Alvericus, decimus ſextus epiſcopus Oſnaburgenſis XV. annis præfuit eccleſiæ Oſnaburgenſi & dicitur migraſſe ad Dominum de anno Domini MLII. XIII. Kal. Maji, cujus anima in perpetua pace requieſcat, Amen.

Iſtis temporibus floruit Guido magnus Muſicus in Italia qui invenit cantum manualem

Digitized by Google

nualem per flexuras digitorum notas dinumerando pro pueris informandis. Circa hæc tempora etiam illius noſtri præſulis, videlicet, de anno MXLII. Reverendus & illuſtris Pater & dominus, S. Bruno epiſcopus Mindenſis fuit ex marchionum Brandenburgenſium ſanguine ortus pervigil Dominici gregis cuſtos, qui monaſterium circa inſulam Mindenſem, prout in antiquis ſic legi, ordinis S. Benedicti, in quo ſepultus eſt, fundavit.

Werincherus aliàs Benno I. hoc nomine eum nuncupatum invenio. Sed in quibusdam vetuſtis libris ante venerabilem & ut ſpero ſanctum Bennonem ſecundum quendam alium Bennonem primum lego fuiſſe. Et fortaſſe idem Werincherus aliàs dictus fuerat Benno nunc apud nos Bernhardus. Sit ergo Werincherus aut Benno primus ſcribitur tamen præfuiſſe in Pontificatu eccleſiæ Oſnaburgenſis decimus ſeptimus antiſtes & diem ſuum clauſiſſe extremum, anno Domini M. LXIIX. Sit ei ſine fine requies ſempiterna. Amen.

Circa hæc tempora, anno Chriſti M. LXII. Civitas Mindenſis, & monaſterium S. Petri ibidem, XI. Kalend. Junii, præſente Imperatore Henrico III. per ignem deſtruuntur: quæ pòſt anno decimo reparantur, & per Rodolphum epiſcopum Sleſuicenſem denuò reconciliatur. Ad cujus inſtaurationem hic Imperator bona in Lezeringen, ad petitionem ſancti Annonis Colonienſis epiſcopi, ob juge & fidele ſervitium epiſcopi Engelberti Mindenſis, largitus eſt. Nam in privilegio deſuper edito ſic inquit: Curtem noſtram, quæ vocatur Lezeringen, in pago Angeri dicto, in comitatu Ottonis Ducis, ad reſtituendum damnum, quod præfatæ eccleſiæ, peccatis exigentibus, in noſtra præſentia per incendium contigit cum omnibus appendiciis ſuis, id eſt, utriusque ſexus mancipiis, areis, ædificiis, lignis & pratis &c. eccleſiæ Mindenſi tradimus.

Deinde venerabilis Benno ſecundus decimus octavus epiſcopus Werinchero vel Bennoni primo ſucceſſit. Hic in Sueviæ partibus dicitur fuiſſe incola, à parentibus non nobilibus quidem, attamen plebejam conditionem transgredientibus, claris apud ſuos vitæ integritate & amore religionis, procreatus. Qui licet ad quinquennium poſt matrimonium inter eos contractum ſobolis ſolatio erant deſtituti limina ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum viſitando puerulum argenteum Romæ obtuliſſent ob devotas orationes & opera pietatis meruerunt hunc noſtrum Bennonem venerandum antiſtitem generare: qui ſcientia & multifariis virtutibus proficiens perdoctus ab Epiſcopo Hildeſienſi Erelino in eccleſia ſua Scholarum conſtituitur magiſter, deinde præpoſituram inibi adeptus adminiſtrationis curam totius epiſcopatus coactus recepit. Hic ad inſtar dignus Benno cum eccleſia Oſnaburgenſis per mortem Bennonis primi vacavit per Henricum Imp. in Goslaria ad eccleſiam Oſnaburgenſem in die S. Clementis eſt promotus. Unde ad honorem Dei & S. Clementis altare conſtructurum humiliter devovit. Et anno Domini M. LXIIX. Kalend. Januarii à reverendiſſimo & ſancto Annone archipræſule Colonienſi eſt conſecratus epiſcopus, cooperantibus venerabilibus Friderico Monaſterienſi, qui & illuſtris natu & frater Marchionis Miſſenenſis erat & Eilberto Mindenſi Epiſcopis. Rediens in feſto Purificationis Oſnaburgam triennio ante Saxonicum bellum verbum Dei fructiferè ſeminavit. Ipſe etiam Epiſcopus Benno religioſis monialibus in Harſebroke quas cum minus regulariter vivere comperiſſet ad loci mutationem cœpit inducere ſed renitentes licet prope Oſnaburgam in honorem S. Gertrudis Eccleſiam conſtruxiſſet, illam cum omnibus clauſtralibus officiis diligenter extructam ſucceſſoribus ad expeditionem fortaſſis celeriorem dimiſit. Quasdam etiam invias paludes præſertim in Wittenfelde pro itinerantibus vias fecit & coæquavit: Et cum tria præcipua & eminentiora caſtella concordi relatione antiquorum ſcribuntur videlicet in Herisburg in Saxoniæ Haſſionumque ſitum confinio: Sigeburg quoqe ſuper Ruram fluvium poſitum & noſtrum Iburg quod ex jucundo ſitu terrarum egregium fuiſſe nemo eſt qui dubitet. Mons iſte tempore Karoli Magni in ſolitudinem eſt reductus ad Duſiam curiam Epiſcopalem pertinebat. Hunc montem amœnum prælegit diviſitque in una parte Eccleſiam & clauſtrum religioſorum ad honorem omnipotentis Dei, beatiſſimæ virginis Mariæ, Sanctorum Petri Apoſtoli Patroni Eccleſiæ Oſnaburgenſis, Clementis Papæ, Benedicti confeſſoris ac totius curiæ cœleſtis fundavit. In alia verò parte

caſtrum

caſtrum pro ſe & ſuis ſucceſſoribus Epiſcopis Oſnaburgenſib. conſtruxit. Etne ſibi imputari poſſet, quòd de bonis Epiſcopi Oſnaburgenſis ad Epiſcopum ſeu menſam ſuam ſpectantibus hanc ſtructuram pro monaſterio fundando tanquam de non ſuo faceret, ſive alienaret ipſe venerabilis pater quoddam prædium à nobili vidua Cimiſſa acquiſivit nomine Honwide quod concambio dedit pro eodem. Item idem Antiſtes apud Ratisbonam Bavariæ urbem Anno Domini M. LXXV. coram Imperatore iterum obtinuit decimas ſpectare ad Epiſcopum Oſnaburgenſem ac Eccleſiam Oſnaburgenſem injuſtè fuiſſe ſpoliatam. Et Imperator Henricus tertius Abbatis Corbejenſis & Hervordienſis Abbatiſſæ nullam deinceps querimoniam ſuper hac re fore reſiduam decrevit. Et hujus rei ſeriem continentem aureis literis juſſit conſcribi manu propria ſignum inſigens regio inſignitam ſigillo depoſitum apud Eccleſiam Oſnaburgenſem & Romam adiens à Papa Hildebrando, qui alio nomine Gregorius dicebatur confirmationem hujus obtinuit.

Hic reverendus pater Henrico tertio ſemper fidelis, Papæ tamen nunquam inobediens, cum in Italia plures Epiſcopi congregati coram Imperatore apud Ticinum Italiæ civitatem, aliàs ſcribitur apud Wormatiam, quos etiam novit plus ex odio, quàm juſticia procedere, & alium Papam eligere, & Gregorium deponere vellent, ipſe latitavit retro in altari, & peractis illis rediit ad altare omnibus mirantibus.

Hic noſter venerabilis Præſul, qui moribus, vita & exemplo prælatis, clero & populo præfuit, ab Abbate S. Albani in Maguntia XII. monachos petiit, pro inſtitutione & ordinis obſervantia in clauſtro Iburg, quod fundaverat: & quosdam ab Abbate S. Panthaleonis in Colonia obtinuit. Sed cum cœperunt monachi irregulariter converſari tempore conſtructionis clauſtri, quosdam remiſit, retentis ſibi ſolum quibusdam de monaſterio Mindenſi. Ipſe etiam multum in Iburg ſolummodo manens competentius ut credidit cum ſervis Dei inſiſtens ſervitio, rarò usque exire ſolitus erat, niſi fortè gravi compellente cauſſa, & Dominicis diebus Oſnaburgæ docere populum & Miſſarum celebrare ſolemnia. Quod cum aliquando ex more feciſſet & jam ſumto cibo ad Iburg extra civitatem opidum reverteretur egreſſus reſpexiſſe & dixiſſe ſilenter ſe locum illum ulterius non viſurum: & paulò poſt febre correptus ex pluvia, quæ ea die fortè extitit inter equitandum collegiſſe credidit atque medicamentis adhibitis ſolito ſe more ſperabat declinare poſſe infirmitatis moleſtiam. Sed Abbas qui de ejus jam morte per minorem fratrem, qui eam per viſionem imminere prænoverat eum de ſingulis monere cœpit. Ipſe acquieſcens locum ſepulturæ in Abbatis electione permiſit, in die Beati Jacobi Abbati & omnibus presbyteris confeſſus fuit publicè ac ab ipſo ſacerdotalibus indutus Dominici corporis viaticum accepit & ſic penè triduum ſupervixiſſe dinoſcitur. Circa horam IX. inter orantium manus ſpiritum reddidit, Anno Domini M. XXCIIX. XI. Kalend. Auguſti Indictione XI. Temporibus etiam ſuis in ædificatione monaſterii ſolicitus fuit quando aliqui collaboratores inter lapides & muros per caſum murorum includerentur, incolumes tamen ſatis miraculosè ſunt inventi. Sic Epiſcopo piè defuncto corpus ejus in Iburg clauſtro quod fundaverat per pontificalis baculi divinitus deſignationem in loco ubi cernitur per Abbatem clerum & populum lacrymosè traditum eſt Eccleſiaſticæ ſepulturæ: cujus anima requieſcat in ſancta pace, Amen. Leventur & porrigantur meritò orationes ad Dominum pro iſtō venerabili Epiſcopo, ut ſi in pœnis foret, quod non ſperatur, citiùs liberetur. Si in requie glorioſus coronetur, prout utique confidimus, quod conſortio Sanctorum aggregatus ſit apud Dominum.

Iſte venerandus pater excommunicavit glires de civitate & diœceſi Oſnaburgenſi per certam eleemoſynam quam Gotfridus de Arnsberg dimiſit & tunc redierunt glires, & ſic in CC. & XXC. annis non erant ibi glires, ut notat venerabilis Magiſter Johannes Kleinkock ordinis Eremitarum Beati Auguſtini.

Epitaphium venerandi patris Bennonis prædicti.

Quis ſim lecturi quid ſunt quandoque futuri
Dicte præſul habe Benno perenne vale.
Quem mea ſpes ſtruxit locus hic mea funera luxit
De Juli novies tres peragente dies.

Item

Item his temporibus præfuit Eccleſiæ Monaſterienſi illuſtris Fridericus frater Marchionis Miſſenenſis, de quo ſupra narratum eſt. Qui fundavit Eccleſiam & collegium extra muros civitatis Monaſterienſis & ibidem in Eccleſia venerabiliter eſt ſepultus: requieſcat in pace.

Marquardus primo Abbas in Corbeja, qui ſcribitur eſſe depoſitus: Cauſſam depoſitionis ſuæ non legi præfuit tamen Eccleſiæ ad VI. annos. Depoſitionis tempus ſcribitur fuiſſe Anno Domini M XCIII. Tempore Henrici regis inter Papam Gregorium & eum fuerunt multæ turbationes & diſcordiæ. Similiter inter Paſchalem Papam & filium Imperatoris Henricum quartum ſuper inveſtituris Epiſcoporum. Iſte Henricus quartus manus violentas miſit in patrem, & quia patrem dehoneſtavit meritò Dei judicio ſine prole deceſſit.

Viceſimus Oſnaburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus qui Marquardo depoſito ſucceſſit fuit Wido. Cujus temporibus fuit exuſta Oſnaburgenſis Eccleſia unde multorum ſanctorum corpora & reliquiæ de uno loco in alium collocata ad longa tempora fuerunt hominibus abſcondita: quæ deinde, altiſſimo favente ſunt revelata. Tempus verò conflagrationis Eccleſiæ fuit Anno Domini M. C. Et hic Wido Anno Domini M. C. I. XI. Kalend. Maji, prout altiſſimo placuit diem ſuum clauſit extremum cujus anima requieſcat in pace, Amen.

Johannes viceſimo primo loco Widoni ſucceſſit, præſulatum Eccleſiæ Oſnaburgenſis adeptus qui novem annis rexerat. Et Anno Domini M. C. XI. tempore Henrici IV. qui Paſchalem Papam cum Cardinalibus ad duos menſes in vinculis tenuit. Hic autem Paſchalis Papa contra Imperatorem ſuper altercatione Inveſtituræ Epiſcoporum & Abbatum triumphavit, prout lucidè hæc in Chronicis videri poſſunt.

Gotſchalcus de Deipholte de iſtorum nobilium Dominorum proſapiâ nobilis filius viceſimum ſecundum locum præſulatus Eccleſiæ Oſnaburgenſis obtinuit. Primò fuit Eccleſiæ Mindenſis præpoſitus, & Oſnaburgenſis Epiſcopus conſtituitur antequam Henricus quartus rex de itinere à Romanâ curiâ reverteretur. Nam extunc adhuc contentio ſuper inveſtituris Epiſcoporum inter Papam Paſchalem, & regem Romanorum non fuerat ſedata, tamen Anno Domini M. C. II. Papa injuriam ab Imperatore ſibi illatam cauſſâ Dei remiſit: Et in Eccleſia Beati Petri Romæ regem his verbis ſub ſilentio alloquitur dicens: Perceptio corporis & ſanguinis Domini noſtri JEſu Chriſti utriſque nobis ſit ad damnationem, ſi aut ego vel tu à ſententiis ſanctorum Patrum in quæ ad Dei & Eccleſiæ honorem fuit exorbitaverimus & communicates invicem oſculati ſunt. Deinde Anno Domini M. C. XII. Imperator Goſlariam venit.

Item temporibus iſtis etiam in Minda fuit Epiſcopus Gotſchalcus nomine qui extunc moritur, & noſter Antiſtes poſtquam ſuam Eccleſiam laudabiliter rexerat de Anno Domini M. C. XIX. diem ſuum clauſit extremum, ſepultusque eſt in cœnobio Iborg, cujus Epitaphio ſunt illa metra ſculpta.

Nobilium natus Deipholt jacet hic tumulatus
Annis octo ſuæ præfuit Eccleſiæ.
Cui vitæ finis fuerat cum fine Decembris
Hic Gotſchalcus erat: Chriſtus ei faveat.

Viceſimo tertio loco aſcendit ad cathedram Oſnaburgenſis Eccleſiæ Dethardus in hunc modum Gotſchalco defuncto venerabile capitulum Oſnaburgenſe Canonicè elegit præfatum Dethardum, eumque repræſentarunt * qui patronorum uſus conſilio pro eo Conradum Hildeſemenſem præpoſitum intrudere nitebatur. Clerus verò, miniſteriales & populares electioni firmiter inſiſtentes 3. Idus April. cum ipſum electum reverendiſſimo Domino, Archi-Epiſcopo Colonienſi præſentari fecerunt, ad nutum obtinuerunt ita etiam quòd in die Palmarum ab eodem Archiepiſcopo ſolemniter fuit confirmatus & conſecratus ſic cum honore remiſſus & in cathedra Pontificali collocatus eſt. Ob hanc cauſſam Eccleſia Oſnaburgenſis gravia diſcrimina per quinquennium eſt experta à Comite Friderico ejus complice incendia, rapinas, homicidia, deprædationes quouſq; Divina favente clementia præfatus Epiſcopus Dethardus cum adjutorio Friderici Archi-Epiſcopi gratiam Imperatoris obtineret. Et ſic data eſt pax Eccleſiæ prædictæ Tyranno defuncto. Fertur de eodem Dethardo Epiſcopo, quòd viriliter ſe & Eccleſiā ſuam defendens quantum potuit bello etiam inimicos vicit.

Et in bello nobilis Domicellus Gotſchalcus Dominus in Deipholte gladio fuit interemtus. Gubernavit Eccleſiam Oſnaburgenſem X. & IIX. annis & tunc migravit ab hoc ſeculo ad Dominum requieſcit, prout ſpero, in pace, Amen.

Item his temporibus incepit ordo præmonſtratenſis de quo habentur iſta metra:

Anno milleno centeno bis duodeno
Sub patre Nortberto Præmonſtrati viget ordo.

Item his temporibus videlicet Anno M. C. XXI. præfuit Eccleſiæ Monaſterienſi quidam Epiſcopus Theodoricus de Winſenborg nepos Ducis Saxoniæ. Hic poſtquam per Capitulares & cives Monaſterienſes fuiſſet repulſus in craſtino Johannes ante portam Latinam per Lotharium Ducem Saxoniæ & Comitem de Winſenborg cum exercitu valido fuerat reductus. In qua reductione tum cathedralis Eccleſia Monaſterienſis extunc eminenter extructa & tota civitas incendio perierunt: demta etiam Eccleſia S. Ludgeri aliæ Baſilicæ fuerunt combuſtæ: tandem etiam poſt deſtructionem murorum civitatis ad gratiam accepit clerum & populum. Dux quoque defenſores civitatis nobiles & miniſteriales captos abduci fecit: Et anno præcedenti Imperator Natalem Domini in Monaſterio celebravit. Et poſt hoc Anno Domini M. C. XXVI. corpus S. Matthiæ Treveris ſubtus altare S. Johannis Baptiſtæ repertum fuerat quod dignè meritò locatum deinde ab omni populo Teutonico cum devotione veneratur. Deinde de Anno M. C. XXVII. pridie Kal. Maij prædictus Theodoricus Epiſcopus Monaſterienſis migravit ab hoc ſeculo. Iſtis temporibus videlicet Anno Domini M. C. XXVI. de menſe Februario Lotharius aliàs Luderus Imp. cum grandi exercitu & expeditione Bohemiam intrans quorundam principum ſuorum traditione magnam ſtragem militum ſuorum quingentis & quadraginta occiſis paſſus eſt. Inter hos Hartungus Comes ſecundus in Schowenburg occiſus eſt. Et iſto tempore Johannes de temporibus, qui armiger fuit S. Karoli Magni Imp. diem ſuum clauſit extremum.

Udo ſanctæ Eccleſiæ Oſnaburgenſis Epiſcopus viceſimus quartus fuit: qui licet paucis annis videlicet quattor duntaxat in Epiſcopatu vixit: attamen in honorem Dei omnipotentis & glorioſiſſimæ virginis Mariæ ſanctorumque Benedicti & Gertrudis virginis in monte nunc vulgariter dicto, Sunte Gertrudenberg prope civitatem Oſnaburgenſem cœnobium ſanctimonialium conſtruxerat: quod per reverendum patrem, Dominum Conradum de Deipholte, Eccleſiæ Oſnaburgenſis antiſtitem, de Anno Domini M. CCCC. LXXV. divino adjutorio fuit reformatum: & nunc ad laudem Dei ibidem vita monaſtica obſervatur. Hic etiam reverendus Epiſcopus Udo apud majorem Eccleſiam Oſnaburgenſem reædificatam turres aptari procuravit. Circa hæc tempora, videlicet de Anno Domini M. C. LXIIX. Dux Henricus Brunſvicenſis dictus Leo, curiam & bona Lothen, vel Lode, Mindenſis diœceſis, & brachium S. Gorgonii martyris precioſè adornatum dedit Eccleſiæ Mindenſi ad honorem Dei: Quia filia regis Angliæ Mechtildis ſibi in Eccleſia præfata ante altare Beati Petri matrimonialiter fuerat copulata.

Philippus de Catzenellenbogen illuſtris Comes natus, viceſimum quintum locum inter Epiſcopos Oſnaburgenſes dignè habuit. De illo legitur, quòd divinum cultum multum augmentavit. Ipſe enim multum concors erat cum nobili & virtuoſo domino Symone Comite in Techenborg, à quo Dominus Ludolphus de Ozede caſtrum illud extunc tenuit in feudum. Illum caritativè induxit, ut conſenſum adhiberet, prout & fecit, quod Dominus Ludolphus prædictus, in honorem Dei omnipotentis, & glorioſiſſimæ ſemper-virginis Mariæ, Sancti Johannis Baptiſtæ præcurſoris, & Beati Benedicti, de caſtro erectum fuit clauſtrum ſanctimonialium Ordinis S. Benedicti, totaſque terras & nemora largifluè erogando, reſervata duntaxat ſibi & poſteris ſuis advocatia ibidem. Quæ quidem bona, ſic piè donata, Epiſcopus Philippus mortificavit, & aliquid adverſum ea violenter conantes, auctoritate Beati Petri & ſua anathemiſavit. Præmiſſa acta ſunt præſentibus venerabilibus Dominis, Præpoſito Arnoldo, Decano, & capitularibus, ac miniſterialibus Eccleſiæ Oſnaburgenſis ac nobilibus Arnoldo de Droſcat, qui donationem iſtam ad proprietatem accepit Eccleſiæ, & Florentino de Schowenborg, de Anno Domini M. C. LXXV. Indictione tertia regnante extunc Friderico I. Non. Febr. in Oſnabrugge apud S. Petrum confirmavit &c.

Hic

Hic etiam dignus Præſul Monaſterium in Quernheim monialium, quod nunc iſto Anno M. CCCC. XXCV. de auctoritate venerabilis & nobilis Domini, Conradi de Retberge, Epiſcopi Oſnaburgenſis, cum adjutorio nobilis Domini, Bernhardi de Lippia, advocati, exſtat reformatum, ad honorem omnipotentis Dei, & virginis glorioſæ Mariæ ibidem patronæ, ac Sancti Auguſtini fundavit, multumque prædiis, curiis & bonis dotavit. Ipſe ſtrenuè Eccleſiam ſuam Oſnaburgenſem defendit & quos caritativè inducere non potuit, ut de incendiis, rapinis, & damnis, ac pauperum oppreſſione ceſſarent, illis ſtrenuis viribus reſtitit. Nam in ſua diœceſi circa unum miliare propè civitatem Oſnaburgam fuerunt quidam nobiles de Holte qui caſtrum ut prætendebant habebant inexpugnabile quique rapinis incendiis damnis violentiis inſudantes manus ſuas damnificantes retrahere non volebant adverſus quos ritè & canonicè procedens cum ad ultimum pacem tenere non volebant temerariis ſuis forefactis finem imponens juſto bello Eccleſiam ſuam defendendo contra violatores pacis ad arma proceſſit caſtrumque Holte ſatis forte circumvallavit, & ut dicitur ad ſeptennium obſedit tandemque de Anno Domini M. C. XLIV. cum maxima fuiſſet inundatio & pluvia devaſtavit. Adhititque ſibi & juvamen præſtitit nobilis Comes de Ravensberge qui etiam ex hoc liberas ſedes in Moddendorpe & judicium Marke ſive ligneum in Marca ſive nemore Hiltermarke dicitur acquiſiviſſe. Et extunc Comes Egbertus de Holte moriebatur: Engelbertus verò Anno Domini M. C. L. diem clauſit extremum. In certis locis ſcribuntur Nobiles Domini: in quibusdam verò Comites. Sed verius puto, ut in ſcripturis & privilegiis ab iisdem dati legi fuerunt Nobiles Domini, vel majores Barones.

Ipſe etiam venerabilis Præſul obtinuit ab Henrico Comite in Tekenenborg & fratribus ſuis Ottone, Theodorico & Gerardo, cum collaudatione matris eorum Alheidis & auctoritate ſui curatoris Domicelli Leiffhardi à Deipenheim certa ſua bona patrimonialia videlicet curiam in Werſen cum capella, & multa alia bona, prout in privilegio, quod penes venerabile capitulum Oſnaburgenſe habetur ſpecificata & expreſſa, de Anno Domini M. C. L. Indictione XIII. Sed de illis multum proponere vel ſcribere eſt invanum: cum tamen Eccleſia noſtra de his & aliis multum querulatur.

Item rurſus idem Pontifex venerabilis controverſiam inter eccleſiam majorem Oſnaburgenſem & eccleſiam S. Johannis ſedavit ſtatuendo quòd in prima & ſecunda veſpera dedicationis eccleſiæ majoris & feſtivitatibus SS. Criſpini & Criſpiniani & in vigilia Petri & Pauli Apoſtolorum ad veſperas & in die ſancto ad Miſſam & in die purificationis Beatæ Mariæ virginis minor majori tanquam filia matri ad concelebrationem divinæ laudis præſentetur. Et Hetlage / Borſtorpe / Mulenzotte / Dodoſtorppe / Hickingen / Noem / Quendorpe / Brokeshoren / Blatendorpe / Brockſetten / Stoveten / Bomede / Wezenbecke / Rothorſt / Malemberge / Holthuſen / Wulſten / Wedinckhuſen &c. minori eccleſiæ in augmentum parochiæ adjecit, etiam turres in civitate Oſnaburgenſi parochiis illis ſtatuendo, prout hoc etiam in privilegio apud capitulum Oſnaburgenſe de anno Domini M. C. XLVIII. Indictione IX. luculenter clarent.

Et licet, ut ſuprà narratum, per venerandum Dominum Philippum epiſcopum noſtrum caſtrum Holte fuerat devaſtatum fuit tamen de origine illorum nobilium reverendus pater Borchardus de Holte, epiſcopus Monaſterienſis qui licet de iſta Monaſterienſi eccleſia conjurantibus adverſus eum miniſterialibus expulſus captus & Imperatori traditus incippatus erat: Attamen cauſa per Imperatorem examinata per Henricum Cæſarem perſonaliter in Monaſterio eccleſia ſibi fuerat reſtituta. Hic etiam circa immunitatem eccleſiæ Monaſterienſis duas portas cum capellis, videlicet Sanctorum Michaëlis & Georgii ob protectionem & defenſionem cleri conſtrui & ædificari inſtituit: aliaque multa bona eccleſiæ Monaſterienſi impendit. Circa hæc tempora noſtri domini Philippi præſulis, fuit quidam venerandus pater Reynaldus de Daſſele, prius Præpoſitus Hildeſemenſis ſedens ſub Friderico primo Imperatore, Archiepiſcopus Colonienſis, qui de anno M. C. LXIIII. corpora beatiſſimorum trium regum, nec non duorum martyrum, videlicet Felicis & Naboris, ab Imperatore Friderico, cujus Cancellarius fuit, & eidem aſtitit in civitate Mediolanenſi capta & deſtructa, acquiſita & eidem Archiepiſcopo tradita cum gaudio & exultatione omnium in

um in vigilia Beati Jacobi Apoſtoli Coloniam apportavit usque in hodiernum diem relinquendo. Et iſto Reynaldo de Daſſele defuncto ſucceſſit ſibi in Pontificatu Colonienſi ſecundus ſub Friderico primo & filio ejus Henrico Philippus majoris eccleſiæ Colonienſis Decanus prædicti Friderici Imperatoris Cancellarius natione de Hinsberg oriundus. Huic autem Philippo archipræſuli Colonienſi ob virtutum ſuarum merita, & ſucceſſoribus ſuis Imperator contulit Ducatum Weſtphaliæ & Angariæ, & eum in præſentia principum Imperii in curia apud Geilnhuſen celebrata de dictis Ducatibus vexillo Imperii & banno ſolenniter inveſtivit. Prædictus noſter reverendus præſul poſtquam ſuam eccleſiam rexerat XXXII. annis viam univerſæ carnis ingreſſus eſt cujus anima per piam Dei miſericordiam requieſcat in pace, Amen.

Arnoldus XXVI. Epiſcopus Oſnaburgenſis eſt effectus de quo legi, quod in terminis eccleſiæ Oſnaburgenſis in Barchuſen / quod nunc Bordinchuſen dicitur, propè villam Ozede & circa montem nobiles Comites in Tekenenborch habuerunt caſtrum ac etiam ſylvas & lucum qui Zunndervogel vulgò dicitur, domum Bordinghuſen / vel quod Bordeburg dicebatur, & alia bona, quorum omnium & poſſeſſio & utilitas ſcribuntur fuiſſe domini caſtri Tekenenburgenſis jure hereditario. Poſtmodum poſſidente Philippo ſanctæ Oſnaburgenſis eccleſiæ epiſcopo Henricus comes Tekenenburgenſis cum conſenſu Simonis filii ſui legitimi hereditatem eandem cum aliis poſſeſſionibus hereditariis Beato Petro contradidit jure proprietatis pro quibusdam beneficiis quæ ab eccleſia obtinuit. Ipſo Henrico comite decedente poſt mortem Simon Comes filius ejus ſucceſſit, & omnia ſimiliter pactione ratificavit. Et quia extunc florere cœpit novella plantatio in loco Ozede, Domino inſpirante atque virtuoſiſſima Domina Elica Comitiſſa interveniente à fidelibus illius loci captatis de rebus Comitis benevolentia ad ſolatium Domino Deo illic famulantium prædicta poſſeſſio fideliter eſt collocata hoc modo: Nam idem Comes Bordinchuſen hereditario jure dudum poſſeſſum, ſed jam beneficii conceſſione habitum ſpontaneè ad manus epiſcopi Arnoldi, eo videlicet pacto, ut Domino Deo, ac beatiſſimæ ſemper virgini Mariæ ſimulque Johanni Baptiſtæ in loco, qui Ozede nominatur, ad ſubſidium illarum Chriſti fidelium pauperum ex devotione ipſius epiſcopi liberè traderetur. Qui noſter epiſcopus Arnoldus eandem domum in Bordinchuſen cum omnibus appendiciis ſuis eidem loco delegavit, & tam ſpiritualis potentiæ, quam ſecularis juſtitiæ, ut ſuis verbis utar, legitima confirmatione munivit in hac forma: In nomine patris, & filii & ſpiritus ſancti, auctoritate beati Petri Apoſtoli, per miniſterium noſtri ſacerdotalis officii firmam pacem & invariabilem ſtabilitatem in iſtis omnibus roboramus, ſicut in agris, paſcuis, & molendinis, &c. Item approbavit etiam donationem Comitiſſæ Eiliken prædictæ factam de manſo & agris in Brincke / non longè inde poſitam. Itemque donationem trium arearum ac etiam domorum factam eidem cœnobio Ozede per Dominum Dethmarum tunc cuſtodem majoris eccleſiæ Oſnaburgenſis & Dominam Alheidin, quæ etiam bona ſua devovit ibidem Deo extunc proponens ſtabiliter ſervire prout indubiè propoſitum ejus Domino adjuvante adimplevit.

Idem epiſcopus Arnoldus confirmando in hac verborum forma banno ſuo munivit: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & auctoritate S. Petri Apoſtoli per miniſterium noſtri ſacerdotalis officii qui obliquo tempore aliqua malitioſa machinatione aliquid horum irritare vel infringere tentaverit anathema ſit, & cum Domino Deo nulla pars ſit ei abſolutionem verò nullam accipiat niſi in toto corde reſipiſcat, & condignam de omnibus emendationem ſatisfaciat. Unde ejus larga & devota munificentia intelligi valet. Acta ſunt hæc anno M. C. LXXX. præſentibus Præpoſito Lantfrido, cæterisque pluribus canonicis eccleſiæ Oſnaburgenſis & nobilibus de Ozede ac aliis miniſterialibus eccleſiæ Oſnaburgenſis.

Hic Arnoldus primò præpoſitus deinde epiſcopus Oſnaburgenſis ad XXII. annos præfuit eccleſiæ poſtea decubuit in Domino, Amen.

Gerhardus viceſimo ſeptimo loco inter epiſcopos Oſnaburgenſes numeratur. Et in tabula quadam vulgari quæ in eccleſia Oſnaburgenſi circa ambonem publicè dependet legitur fuiſſe parvæ laudis in cœmiterio S. Viti non circumdato muro ſepultus ſine reverentia ſine lapide. Attamen iſte Gerhardus de anno Domini M. CC. IIX. videns quod eccleſia in Herſebrocke diœceſis Oſnaburgenſis propter defectum interioris diſci-

diſciplinæ multùm fuerat deſtituta & moniales ibidem diſſolutè & irreligiosè viventes unde ex paſtorali quia abbatiſſa defuncta fuit, ſororem ſuam Beatricem extunc abbatiſſam in Barſen ibidem deputavit inſtituens, ut moniales quæ ſe ſecularibus negotiis multùm immiſcebant peramplius incluſæ manerent vota ſua ſubſtantialia emitterent religiosè ſecundum regulam beati patris Benedicti viverent. Et licet hæc omnia abolita erant & prætermiſſa iterùm venerandus pater Dominus Conradus de Deipholte ad petitionem nobilis & venerabilis Dominæ N. ibidem abbatiſſæ filiæ Borchardi de Stromberge easdem moniales primò monitis caritatis deinde cenſuris ecclesiaſticis adhibitis denuo reformavit. Sicque modò obſervantia regularis vitæ ibidem rigidè obſervatur ad laudem Dei omnipotentis, beatiſſimæ virginis Mariæ, & beati patris Benedicti, totiusque curiæ triumphantis. Idem etiam Gerhardus plures nobiles inveſtivit de feudis, de quibus erat controverſia videlicet fratres H. & H. de Waldecke de quibus quidem beneficiis ſive feudis primum anteceſſor ſuus Arnoldus epiſcopus nobilem Ottonem de Bentheim infeudavit. Unde idem Gerhardus ſi eccleſia & diœceſis inimicitias incurreret pollicitationem accepit à Comitibus in Waldecke, ut X. milites mitterent propriis expenſis donec bellum duraret eccleſiæ & diœceſi in ſubſidium & tuitionem. Et hoc erat anno Domini M. C. XCIII. indictione XI. Domino Cœleſtino Romanæ ſedis Epiſcopo: Imperante Domino Henrico VI. Brunone Archiepiſcopo Colonienſi exiſtente. Idem etiam Gerhardus duos fratres de Oldenburg inveſtivit, & neque in literis deſuper confectis neque in literis inveſtituræ Comitum de Waldecke expreſſit vel ſpecificavit beneficium quod in feudum contulit prout etiam ſæpè in aliis vidi & legi unde multa bona feudalia per ignorantiam ſunt omiſſa. Iſtam inveſtituram fecit anno Domini M. CC. III. Indictione VII. Et quia, prout in certis literis deſuper confectis legi inter eundem epiſcopum Gerhardum ex una, & Præpoſitum, Decanum, Capitulum &c. miniſteriales & laicos ab altera, partibus multiplex fuit diſcordia quæ per ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalem & Archiepiſcopum Colonienſem ſedata fuit & extincta & an poſtea obſervata fuerit ignoro cum ut præmittitur poſt mortem illius epiſcopi in vulgari prout præmiſi in principio in eccleſia Oſnaburgenſi ſcripta horrenda ſint geſtis epiſcoporum interclusa. Legi tamen in Chronica nobilium Comitum de Schowenborg Holſatiæ & Stormariæ quod circa illud tempus poſt amicabilem compoſitionem Epiſcopi Gerhardi & venerabilis capituli miniſterialium & laicorum eccleſiæ & diœceſis Oſnaburgenſis quidam Gerhardus de Lippia epiſcopus Oſnaburgenſis, factus ſit Archiepiſcopus Bremenſis cùm Stedingi fidem Chriſtianam abnegaſſent caſtra & munitiones terræ ſuæ igni tradentes jugum dominorum ſuorum epiſcoporum à ſe excuſſerunt. Idem Gerhardus Archiepiſcopus Bremenſis contra Stedinges viriliter dimicans juxta Hojam multa bella vicit & caſtrum Ottersberg, quod fuerat Bernhardi comitis de Welpe capit. Contra hunc Gerhardum Otto Dux de Luneborg bella movit Stedingorum parti & malitiæ in odium Epiſcopi favens uſque Bremam incendiis & ſpoliis maximè propter Comitatum Stadenſem, quem avus ſuus Henricus Leo Dux &c. dederat Eccleſiæ Bremenſi devaſtavit. Poſt idem Gerhardus epiſcopus cum fratre ſuo Domino Hermanno de Lippia ipſo die Nativitatis Chriſti cum manu valida & armata bellant Hermannus interfectus eſt, & epiſcopus cum confuſione fuit reverſus. Et domum malitia & obduratio Stedingorum illorum ad XXXIII. duraverat per Comites Hollandiæ & de Clivio, & multitudine nobilium & aliorum cruce ſignatorum Henrico Comite de Aldenborg cooperante ſunt devicti, & ultra quatuor millia interfecti. Et ſubditur ibidem; quod hic præſul annis XL. ſedit, & eccleſiam Bremenſem rexit. Unde verſus:

Stedingi ſexto Junii cecidere Kalendis
Anno Gerbardi quinto decimoque ſecundi
Lippia Pontificem quem tibi Brema dedit.
M. duo CC. quartus ter denus tunc fuit annus.

Item in Chronica Trajectenſium ubi ſcribitur de promotione Ottonis Comitis Gelriæ ad eccleſiam Trajectenſem inſeritur, quod Gerhardus epiſcopus Oſnaburgenſis cum Adolpho Colonienſi Archiepiſcopo, & Ottone Epiſcopo Monaſterienſi Wilhelmo Comite Hollandiæ & Gerhardo Comite in civitate Gelriæ, Trajectenſi

pro eodem Ottone interceſſit. Item de anno Domini M. C. XCIX. Dux Henricus de Brunſwick dictus Leo opulentam civitatem Bardewick deſtruxit, unde verſus:

Dux poſt M. poſt C. poſt nonaginta novemque
Bardewick deſtruxit Simonis ſol quando reluxit.

Deinde anno ſequenti ira Dei deſævijt in omnem terram & præcipuè in Saxonia & Weſtphalia multæ civitates igne incenſæ & maxima pars civitatum Oſnabrugge Suſati & Magdeburg, & aliarum civitatum plurimarum eſt combuſta. Sed & ex peſtilentia ſubitanea plures mortui ſunt, & fuit per univerſum orbem.

Hic etiam reverendus pater Dominus Gerhardus epiſcopus quendam devotum famulum Dei Reinerum id petentem & humiliter ſupplicem incluſit cuidam cellulæ juxta januam eccleſiæ Oſnaburgenſis qui eremiticam vitam ſolitarius in caſtigatione corporis ſui etiam in jejuniis acerrimis in pane & aqua & rariſſimè uſus eſt lacticiniis etiam in diſciplinis & flagellationibus ac orationibus ſedulis indutus lorica proximè circa cutem ita quod annuli omnes qua infixi corpori poſt mortem ejus videbantur. Item cathenis ferreis & brachiis ligatis etiam aliis ferreis annulis tam digitos, quàm pedes arctavit, frigus ſuſtinuit & cùm ad extremum ulteriùs non potuit fruſto pellicii utebatur. Truncum habuit ligneum pro cuſſino capitis ſui tot genuflexiones fecit quòd genua ſua ut cornu duriſſimum fuerint diſpoſita. Sæpè communionem juxta ſui confeſſoris conſilium humiliter & cum maxima devotione & reverentia ſuſcepit. Rarò locutus fuit, ſed cùm interpellatus vel cum fructum ſenſit ex hoc fiendum. Salubria ad Dei laudem & vitæ emendationem docuit timens tamen quòd aliqua vana intereſſent de quibus crebrò confitebatur & pœnitentiam duram fecit. Et cùm à tempore Innocentii tertii usque ad tempus Gregorii noni prædictam eremiticam vitam devotè & in omni caſtimonia corporis ac elevatione mentis in Deum contemplando habuit præſentibus venerabilibus Dominis Canonicis Eccleſiæ Oſnaburgenſis & religioſis ac devotis patribus Priore ordinis S. Dominici de Bremis ac aliis pluribus religioſis illa nobilis anima migravit ex hoc ſæculo ſuum creatorem inviſere & cognoſcere gaudens. Moxque Deus omnipotens miracula faciens tam circa unum prædictæ eccleſiæ Canonicum, quàm etiam circa plures alios. Et adhuc dictum fuerit invocantibus Dominum Deum & fratrem Reynerum, prout de ipſius ſancta vita & miraculis tabula ſcripta latè exponit in eccleſia Oſnaburgenſi circa ejus ſepulcrum pendens, quare de his ſuperſedeo. Utinam procuraretur canoniſatio à ſummo Pontifice illius venerabilis fratris & devoti quæ indubiè poſſet impetrari expoſitis vita & miraculis fratris hominis Dei antedicti.

Circa hæc tempora de anno Domini MCCX. congregata fuerunt XX. millia puerorum in Alemania cruciferi ſeducti per Diabolum qui dixit eis tanquam Deus, quòd cum ipſis Jeruſalem vellet recuperare dum verò ad mare perveniſſent per piratas ſunt Saracenis venditi, & plures ſubmerſi. Eodem anno ruſtici, bubulci & paſtores ovium venerunt de Hiſpania Pariſios, deſtruendo omnia eccleſiæ bona, & illis diſſipatis voluerunt etiam conſumere bona laicorum ſed ſtatim per laicos ſunt interfecti, & ſic ceſſavit illa tribulatio.

Adolphus viceſimus octavus epiſcopus Oſnaburgenſis Gerhardo ſucceſſit, & multa bona ac ſalubria in eccleſia & diœceſi Oſnaburgenſi geſſit. Perpendit enim tenuitatem Theſaurariæ in eccleſia Oſnaburgenſi, quæ plus habuit oneris, quàm emolumenti unde bannos eccleſiarum in Dersborch / Damme / Nienkerken / Steinvelde / Leen / & Bechte de conſenſu adjecit & adunavit. Attendens etiam quod propter defectum Cantoris eccleſia non modicum ſuſtineret detrimentum unde de conſenſu Capituli Cantoriam inſtituit aſſignans ei eccleſiam in Anchem extunc ſibi vacuam cum omnibus attinentiis videlicet Anchem, Byppen, Bergen, Batbergen, Berſenbrock / Alphuſen / cum adjecto onere, ut ſingulis annis de iiſdem bannis Cantor fratribus XL. ſolidos XX. in feſto beati Bernhardi abbatis & XX. in purificatione beatiſſimæ virginis Mariæ inde diſtribueret. Et eodem die tam Canonicis quàm Vicariis ſanis & infirmis domi exiſtentibus candelam libram ceræ habentem & duas candelas quotidie, unam in majori altari in Miſſa, cum illa quæ tunc ſcribebatur ab antiquo fuiſſe, aliam ante pulpitum in medio chori, ubi antea unguenta ſolebat eſſe candela in veſpe-

veſperis & matutinis in præcipuis autem feſtis, quando Domini præſunt choro duas mattas miniſtrabit. Præcepitque quod & elegerunt & obedire univerſi cum bona devotione receperunt, quod ſingulis annis in Quadrageſima, qualibet die, à die cinerum usque ad Paſcha univerſitas unum Pſalterium decantet Pſalmis inter perſonas diviſis. Hæc quidem peregit de anno Domini M. CC. XXI. Hic etiam de anno Domini M. CC. XVII. anni cycli decem novennalis ſecundo concurrentes ſenario auctoriſavit approbavit & confirmavit quandam donationem in Lintberg, ut feſtum beatæ Catharinæ virginis in eccleſia Oſnaburgenſi ſolemniter celebraretur: Et duo de Canonicis præſint. Idem Venerabilis præſul penſata tenuitate ſtipendii Campanariorum ad inſtantiam ſecundæ conſilio capituli ad unam præbendam quæ vulgo Spentprove eisdem unam adjecit perpetua donatione, & utramque perennavit, de anno Domini M.CC.XXIII. Inſuper advocatias decem curtium, quas nobilis vir Hermannus de Blankena advocatus eccleſiæ Oſnaburgenſis habuit videlicet Northove / Eversvelt / Walenhorſt / Haveſchehoff / Oſtershus / Icker / Haren / Hulle / Hagen / Holſtede cum omnibus attinentiis & pro capitulo pro centum marcis & una vendidit in manus epiſcopi à quo dependebat in feudum reſignatas Capitulo ad honorem Dei & beatorum Petri Apoſtoli, ſanctorumque Criſpini & Criſpiniani martyrum patronorum noſtrorum multa utilitate in Oſnaburgenſes penſata etiam advocatiam quatuor domorum, videlicet Lockzeten, Oſterendinck cum duobus manſis, quorum unus prope Damme, alius propè Oyta ſunt ſiti de anno Domini M. CC. XXIII. perpetua donatione contulit. Similiter etiam fecit eadem advocatia trium curtium videlicet Alſtede / Holdorppe / & Angelbeke / prout in ſingulari deſuper privilegio habetur. An verò ultimas illas curtes venerabile capitulum adhuc poſſidet ignoro, timeo tamen quod ex malignorum ſpolio ſint ablatæ.

Prædictus etiam venerabilis præſul laudabiliter ſuæ præfuit Eccleſiæ: immo etiam pauperes fovit, & miſerabiles perſonas non dedignabatur viſitare. Dicitur enim de eo, quod quendam leproſum propè Merſen in caſula degentem, cum ab Oſnaburga ad caſtrum Vorſtenowe pergeret frequenter alloquebatur doctrinando & prædicando eidem de Paſſione Domini noſtri JEſu Chriſti, & de patientia habenda. Et quia aliquando videbatur miniſtris & ſatellitibus noſtri digni Epiſcopi factum nimis humile, quandoque etiam moroſum, unde contigit, quòd cum Epiſcopus pertranſiret locum, & more ſolito viſitaſſet ægrotum ille leproſus de medio ſublatus erat Epiſcopo noſtro neſcio, quod tamen familiares noverunt. Ingrediente ergo Epiſcopo domunculam videbatur ſibi, quòd leproſus in loco conſueto ſedebat audiendo verba ſalubria Domini Epiſcopi. Sermone completo cum magna claritate ſplenduit leproſus regratiando noſtro Epiſcopo Adolpho dicens ſe per miſericordiam Dei obtemperando doctrinis Epiſcopi fore ſalvatum, & ſic cum magno gaudio etiam cunctis ſervitoribus videntibus migravit ad Dominum. Perterriti ex hoc omnes familiares veniam petiverunt, quam benignè contulit.

Vulgare etiam Oſnaburgæ fuit ad longa tempora, quod quando aliquis temerario auſu lapidem ſepulturæ illius venerabilis Epiſcopi quæ in medio pavimenti inter altaria Sancti Dionyſii & Beati Karoli noſtri fundatoris, ubi corpus ejus requieſcit eſt ſita pertranſivit, extunc iſto eodem die quædam inhoneſta, qua vexabatur, quoque contigit. Quod fortaſſe fieri non debeat, ſi conſortio ſanctorum prout piè ſperandum eſt, ſit aggregatus. Requieſcat ille venerandus pater cum Domino in æternum. Hic etiam libertavit Canonicos Eccleſiæ Oſnaburgenſis & Clericos ab exuviarum ſolutione: Et Honorius Papa confirmavit. Præfuit Eccleſiæ Oſnaburgenſi viginti unum annos.

Engelbertus viceſimum nonum locum præſulatus Eccleſiæ Oſnaburgenſis tenuit. Hic monaſticam vitam elegit, in qua & religioſè vixerat: Sed, vacante Eccleſia prædicta, nobilis Otto Comes in Tekenenborg, qui divitiis & potentia ſæpe abuſus fuit, apud Imperatorem obtinuit Eccleſiam iſtam pro Engelberto ſuo fratre. Et licet aliquamdiu Dominus Engelbertus renitebatur, tum quia inter religioſos vivere eligebat, ac permanere cupiebat: tum dietim conſpexit, quòd frater ſuus Otto Comes Eccleſiam Oſnaburgenſem & ejus jura invadebat, auferebat, & penitus laniabat. Habuit enim idem Comes extunc advocatiam per ambas diœceſes, Oſnaburgenſem videlicet

delicet & Monaſterienſem, quibus multifariè abutebatur. Tandem cum idem Dominus Engelbertus conſenſit & Eccleſiæ regimen ac paſtoris officium aſſumſit. Frater tamen ſuus Otto Comes, nec ſanguinis amore nec canonum & legum rigore neque precibus neque minis induci vel flecti potuit ut à ſua ſolita invaſione ceſſaret bonorum & jurium Eccleſiæ Domino Engelberto commiſſæ deſiſteret. Verum magis & magis bona Eccleſiæ & diœceſis auferre non erubuit. Unde auctoritate judicis competentis eundem ſuum fratrem Ottonem excommunicari ac cenſuris Eccleſiaſticis innodari procuravit, & brachium ſeculare impetravit. Iſto inſtituto juſto proceſſu pro tuendis juribus ſuæ Eccleſiæ ſibi commiſſæ & traditæ ad inſtar Maximiani de quo XXIII. q. Maximianus juſtum bellum movit & indixit caſtrum Arckenow & opidum in Eſſen circumvallavit & ſolo adæquavit militaresque & populum ex & de Comitatu Tekenborg in Quakenbrugge habitare induxit atque etiam compulit. In conflictu quoque in Bargeshovet, cum eodem ſuo Germano, & nobili Wibboldo de Diſſene habito, eundem Domicellum Ottonem cepit, eodem Wibboldo & pluribus interemtis: munitiones etiam & opidum Diſſene penitus deſtruxit .Et cum hinc inde multis homicidia incendia rapinæ & damna quam-plurima fuerunt illata, reverendus in Chriſto pater Dominus Ludolphus, Epiſcopus Monaſterienſis, patruus amborum, juxta arbitramentum & poteſtatem ſibi ſub pœnâ duorum millium Marcarum à partibus datam, etiam juramentis duorum ipſorum de compoſitione ſua extunc promulgandâ ſervandâ præſtitis, & nihilominus XXII. militaribus tam ab Epiſcopo, quam etiam à Comite fidejuſſoribus poſitis, laudavit & ſententiavit, quòd Comes iſte ſex miniſteriales Eccleſiæ contulit Oſnaburgenſi: advocatias civitatis Oſnaburgenſis & bonorum Epiſcopi & Canonicorum majoris Eccleſiæ parochialium etiam eccleſiarũ &c. Idem Comes reſignare deberet, prout & ipſe cum heredibus ſuis reſignavit. Item caſtellaniam in Iborg à ſe abdicavit: Sed bona ad ipſam ſpectantia de manu Epiſcopi recipiet in feudum. In recompenſam verò reſignationum præmiſſarum Eccleſia Oſnaburgenſis dedit Comiti Ottoni DCCC. marcas. Ipſe etiam Comes munitionem non faceret inter Wirram & Oſnaburg, & Wulvena & Oſnaburg. Præmiſſa quoque & alia fuerunt legitimè ſtipulata, & literæ deſuper confectæ ſigillis Epiſcopi Monaſterienſis ac Domini noſtri prædicti Oſnaburgenſis Eccleſiæ Epiſcopi, ac nobilium Ottonis de Tekenborg & de Benthem Comitum ac Domini Ludolphi de Steinfordia de Anno Domini MCCXXXVI. pluribus viris & aliis idoneis tam religioſis, quàm ſæcularibus præſentibus in Cœmiterio Eccleſiæ S. Johannis Oſnaburgenſis ſunt munita.

In Chronica Monaſterienſi, ubi ſcribitur de Lodowico patruo Ottonis Comitis in Tekenborg præmiſſo, dicitur etiam de ſede Vryggraviatus, quam Comes in civitate Oſnaburgenſi aſſeritur habuiſſe: quam etiam dimiſerat. Non reperi in authenticis ſcripturis, ſed in diœceſi credo bene quod poſſederat & reſignaverat. Nec legi quòd Comes Otto M. marcas Epiſcopo dederit: Sed Epiſcopus in recompenſam jurium Advocatiæ & aliorum DCCC. Comiti, quas fortaſſe Epiſcopo Ludolfo Monaſterienſi ſuo patruo idem Comes pro jure patrimoniali addidit CC. marcas ut M. fierent.

Iſte Epiſcopus in temporalibus providus ad augmentandum reditus ſuæ Eccleſiæ de conſenſu capituli ſui ac de conſilio & approbatione miniſterialium & burgenſium agros curtis in Oſnabrugge agros unius manſi Vinnigmolen & agros duorum manſorum in Blakendorpe diſtinxit in plures hoc modo, ut quilibet de uno jugere, qui vulgò ein Morgen appellatur, in locis vicinioribus civitati ſito ſingulis annis in feſto B. Martini tres modios ſiliginis & tres hordei per dimidiam menſuram ſolvat. De jugere autem ſito in remotioribus locis juxta galgus juxta montem, nec non duorum manſorum in Blandendorpe quilibet daret duos modios ſiliginis, & duos hordei cum certis articulis de ſucceſſionibus in iſtis agris tam per maſculos, quàm femellas juxta tenorem quarundam litterarum deſuper ſigillatarum & datarum de Anno Domini MCCXLIII. ſalubriter ſtatuit & decrevit.

Hic etiam ab Henrico Romanorum rege de Anno Domini MCCXXV. iterum conceſſit coërtionem judiciorum vulgariter Gogerichte in civitate Oſnaburgenſi, Iborg, Melle, Diſſene, Anchem, Brameſche, Widenbrugge &c. prout in privilegiis apud venerabile capitulum Oſnaburgenſe conſervatis plenè continetur. Hæc qui-

dem

dem in ſpecie impetrata ſunt, ſed per Divum Karolum Magnum noſtrum fundatorem omne regale & ſeculare judicium eſt in ſingulari privilegio Dn. Guihoni primo Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus conceſſum etiam cum exemptione à jurisdictionibus quorumcunque Ducum, Comitum, judicum &c. Unde etiam evidenter claret, quòd extranei forenſes Gogravii nulliter ſibi uſurpant jurisdictionem in ſubditos noſtros. O quàm lamentabile & damnoſum eſt Eccleſiæ & diœceſi Oſnaburgenſi, quòd illi militares de Varendorpe illud judicium in Diſſene cum ſuis inibi villicis circumjacentibus, Loder videlicet, Hilter & Glane, quod ipſi ab Eccleſia Oſnaburgenſi indubiè habuerunt in feudum ut ſubditi & miniſteriales Eccleſiæ jam non multis retroactis temporibus vendiderunt & alienaverunt ab Eccleſiâ transtuleruntque in Comites de Ravensberge, nunc ad illuſtrem Principem Ducem de Juliaco & de Monte, unde multa jura Eccleſiæ & limites diœceſis contingit moleſtari. Et illa alienatio in potentiorem quàm alienos, proh! facta eſt jure miniſteriali, ut prius, ſed more principis contingit exerceri. Iidem etiam de Varendorpe idem attentaverunt in judicio in Iborg, cum alienatione & translatione dominii ad Comitem de Tekeneborg, quod Eccleſia cum fideli ſuo defenſore & reverendo Conrado de Depholte Epiſcopo Oſnaburgenſe in Domino defuncto reſtiterunt ac protexerunt, prout Deo dante protegent & defendent. Idem etiam Antiſtes Engelbertus ab eodem Romanorum rege Henrico de Anno MCCXXXV. in Openheim impetravit argentifodinam in prædio Eccleſiæ Oſnaburgenſis Huel, videlicet, & Stertenbrincke. Iſte etiam Præſul de conſilio ſui capituli de Anno Domini MCCXLIII. Indict. XIV. curiam in Gutersboë commutavit pro agris ſpectantibus ad clauſtrum campi B. Mariæ virginis, dictis das Stripfelt cum conventione de non reſcindendo ad libitum & reſtituendo, extunc XX. marcis cœnobio prædicto tempore permutationis per clauſtrales expoſitis. Multaque geſſit utilia, unde circumſpectum eum fuiſſe & bene rexiſſe in ſpiritualibus & temporalibus ad XXIV. annos, quibus præfuit Eccleſiæ, actitata per eum demonſtrant. Sanctus ergo Petrus apoſtolorum princeps, cujus fidelis fuit vicarius in terris de omnipotentis Dei miſericordiâ adaperiat ſibi juxta poteſtatem ſibi creditam regnum cœlorum, ſit ei requies ſempiterna, Amen.

Circiter hæc tempora de Anno MCCLXX. Mechelt Comitiſſa de Henneberg vidit pauperculam mulierem genuiſſe duos pueros unâ vice. Quæ dixit non eſſe poſſibile mulierem ab uno viro poſſe concipere duos pueros. Quod audiens paupercula anxie ferens cum magno dolore cordis ſui petiit à Deo, ſi poſſibile eſſet, quod Deus concederet Comitiſſæ tot pueros, quot dies ſunt in anno. Et Deus exaudivit eam & genuit una vice trecentos quinquaginta pueros & omnes fuerunt baptiſati, & ab inſtanti poſt baptiſmum obierunt omnes. Et pater iſtius Comitiſſæ fuit Florens Comes Hollandiæ & Selandiæ quartus nomine, decimus-tertius numero, qui duxit Mechelt filiam Henrici Ducis Brabantiæ ex quâ genuit duos filios. Primogenitus nomine qui ſecutus patrem in hereditate & poſtea factus Imperator Romanorum. Secundus filius dictus Florens Droſſatus. Prima filia dicta Adelheid duxit in virum Comitem de Hennegowe: altera autem Mechelt duxit Comitem de Henneberg ſuprà nominata. Item Anno Domini MCCLXXV. translatum fuit capitulum de Quakenbrugge in Brameſche.

Bruno Triceſimus Epiſcopus Oſnaburgenſis. Hic fuit natus Comes in Iſenborg, & habuit quendam Fratrem, Theodoricum nomine, Eccleſiæ Monaſterienſis Præſulem, qui ſuam Eccleſiam glorioſè & ſtrenuè ſcribitur rexiſſe. Temporibus quidem iſtorum Germanorum Epiſcoporum reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Dn. Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis, illuſtris natu de Geldriâ & de Monte, aſpectu decorus, ſtaturâ corporis procerus, robuſtus viribus, tantæ etiam pulcritudinis, ut in clero & populo illi ſimilis non fuerit inventus, prope villam Suelme Eccleſiam ibidem conſecraturus alterâ die per Comitem Fridericum de Iſenborg, dicti tamen Archiepiſcopi conſanguineum, fratrem præmiſſorum Brunonis Oſnaburgenſis, & Theodorici Monaſterienſis Epiſcoporum: qui Comes advocatiâ Eccleſiæ Aſſindienſis tyrannicâ abuſus fuerat crudelitate per ipſum Archi-Epiſcopum monitum ſpeciali Apoſtolica auctoritate & commiſſione Honorii Papæ & Friderici Imp. ut à ſua deſiſteret tyrannide, & præfata advocatia legitime uteretur, viginti octo vulneribus confoſſus

confoſſus inſtinctu Diaboli crudeliſſime eſt interfectus. Unde caſtrum Iſenburg per reverendiſſimum Dominum Henricum, prædicti Engelberti ſucceſſorem ſolotenus diruebatur, & ipſe ſacrilegus pii Pontificis interfector eodem fere die poſt annum elapſum, quo idem Pontifex mortuus, cum luctu Coloniam eſt invectus; in Leodio captus à quodam milite pro duobus millibus marcarum redemptus cum gaudio multorum per alteram portam civitatis oppoſitam vinculatus eſt introductus, & poſt triduum ſententia mortis in ipſum lata, per portam civitatis, quæ dicitur ſancti Severini ad campos eductus, confractis tormentaliter cruribus & brachiis ſuis, & omnibus membris miſerabiliter diſtractis, ſuper rotam poſitus in monticulo juxta viam regiam ad miſerum ſpectaculum tranſeuntium eſt elevatus.

Præmiſſus etiam Dominus Henricus Archi-Epiſcopus Colonienſis, ſucceſſor præfati pii Pontificis interfecti, nobilis de Mulnarken, ſedens ſub Friderico Imp. II. multum dolens de miſerabili homicidio prædicto; apud ſedem Apoſtolicam obtinuit mitti unum Cardinalem in Coloniam pro anathemate reorum mortis anteceſſoris exſequendo celebrius. Tandem accedens ad Imperium apud Nurenberg in curia ſolemni Principum congregata, adductis ſecum & oſtenſis in publico ſpectaculo veſtibus anteceſſoris interfecti ſanguinolentis, omnes in morte ejus banno imperiali damnari & ſubjici procuravit.

Idem Archi-Epiſcopus noſtrum Brunonem Oſnaburgenſem & Theodoricum Monaſterienſem Epiſcopos, fratres prædicti Friderici Comitis, tanquam de facto fratris ſuſpectos, ab Epiſcopali dignitate & pontificali officio ſcribitur deponi curaſſe. Chronica etiam Monaſterienſis de hoc mentionem faciens, in hæſitatione quo ipſe Epiſcopus & præſertim Theodoricus pervenerunt, ſcribit metra adducendo, & dicit: quod ipſe Theodoricus Anno Domini M. CC. XXV. in die beatæ Mariæ Magdalenæ, cujus feſtum in monaſterio celebrare inſtituit, primum lapidem in fundamento novæ Eccleſiæ Monaſterienſis poſuit. Verſus ſunt:

Gaudeat Eccleſia cum peccatrice Maria
Hunc celebrando diem, quem primus ob ejus amorem
Primum fortitus pacis cultor Thedericus
Hic fecit celebrem quo noſtræ ſedis honorem
Huic operi lapidem primum poſuit pater idem.

Etiam ut conſcii cædis Comites in Tekenenborg & Swalenberge fuerunt accuſati. Legi tamen, quod ſe legaliter excuſarunt & purgaverunt de occiſione ſive homicidio. Conſpirationem tamen cum Comite Friderico confeſſi fuerunt iniiſſe, unde veniam petentes duo fundarunt clauſtra, quæ & ſcribuntur ingreſſi. Et licet de noſtro Epiſcopo Brunone dicitur, quod ab Epiſcopali dignitate & officio fuerit privatus, legi tamen quod Anno Domini M. CC. LIII. permutationem fecit cum venerabili Capitulo Eccleſiæ Oſnaburgenſis & agros curtis Oſnaburgenſis ad Epiſcopum tunc ſpectantis, pro molendino in Slachvorde, quod capitulo pertinuit, aſſignavit. Etiam eodem Anno V. Kal. April. advocatiam duarum curtium in Weſtingen & in Dylingtorpe: & manſorum, ad eaſdem curtes pertinentium, ab Adolfo & Hermanno fratribus, viris nobilibus de Blanckena, quæ ipſi ab Epiſcopo in feudum tenuerunt, pro trecentis marcis, minus quindecim emptam, propter multas preces & inſtantias majori ſuo Capitulo, & jus ſuum vendidit præſentibus Johanne Urſo, & fratre ſuo Hugone, Giſeberto de Horſt, Gizekone & Francone de Byſſendorpe, Gerardo de Varendorpe, Hermanno de Glozenthene & Theodecto Alen militibus.

Ipſe etiam venerabilis Bruno Antiſtes ſedavit controverſiam inter Epiſcopos Oſnaburgenſes & venerabile Capitulum ſuper collocatione Eccleſiarum Widenbrugge, Melle, Dyſſene & Brameſche, declarans quod illæ Eccleſiæ Canonicis & Capitulo Oſnaburgenſi conferri deberent per Epiſcopos, & uni duntaxat una, & ut poſſeſſores Eccleſiarum hoſpitalitatem eo melius & expenſarum onera habere poſſent.

Item declaravit & definivit quomodo Paſtores primi altaris & eccleſiarum beatæ Mariæ virginis, & beatæ Catharinæ Oſnaburgenſium in miniſtrandis ſacramentis Eccleſiaſticis & ſepultura apud ſuam civitatem ſe habere deberent. Voluit etiam & definivit de Anno Domini M. CC. LVIII. quod Præpoſitus in Widenbrugge de Capitulo Oſnaburgenſi debet aſſumi. Incorporavit etiam eccleſiam in Sledehuſen, quæ tamen jam

jam nomine Capellaniæ Epiſcopi dicitur. Idem Capellanus Domini Epiſcopi habet hæreditatem & reditus: plebanus verò agros certos, domum, altare & alia jura parochialia de quibus vivit. Scribitur autem quod idem Pontifex octo annis hîc præfuit Eccleſiæ. Sit ei requies ſempiterna.

Wedekindus natus de Comitibus in Waltegge triceſimum primum locum inter Epiſcopos Oſnaburgenſes tenuit. Hic terram extunc incultam, quæ inter unam civitatem Oſnaburgenſem erat, & viam Hetlage, juxta viam communem de conſenſu venerabilium duorum Capitulorum & Eccleſiarum majorum & S. Johannis, & proprietariorum, vulgariter Erffexen dictorum, & civitatum antiquæ & novæ Oſnaburgenſis, per certa jugera diſtinxit inter Burgenſes civitatum prædictarum. Ita quod de unoquoque jugero unus modius ſiliginis & unus modius hordei, per dimidiam menſuram ſingulis annis in feſto beati Martini Capitulo majoris Eccleſiæ, in ſupplementum albi panis, qui ſingulis diebus in fine ad ſpatium octo hebdomadarum deficere conſuevit, perſolverentur. Quæ omnia ſigillis illius reverendi Patris, Domini Wedekindi, cum electus, ſed nondum confirmatus fuerat, ac Capitulorum majorum & S. Johannis ac civitatis Oſnaburgenſis, Anno incarnationis M. CC. LXVII. Idib. Februarii, ſunt roborata.

Inſuper idem Wedekindus anno ſequenti, videlicet LXVIII. III. Non. Junii. Solenniter in præſentia ſui Capituli miniſterialiũ & Conſulum civitatis reſignationem curiæ Oſthoff, quam Wilhelmus dictus Lyntberg, miles, liberam habuit, ad manus Epiſcopi in honorem Dei beato Petro & ſanctis martyribus Criſpino & Criſpiniano contradidit: Epiſcopus verò de conſilio antedictorum eidem militi, Dapifero ſuo, de eodem inveſtivit novum feudum faciendo, ac molendinum in Wydenbrugge, propè longum pontem ſitum, quoad vixerat idem miles poterat poſſidere & fidelis eſſe caſtrenſis ibidem. Eo verò de medio ſublato ſuis patruelibus ſexaginta marcæ ſolvi poſſent & per eas molendinum redimi. Iſtæ attamen ſexaginta marcæ poſt ſolutionem ad comparationem aliorum bonorum deberent converti, de quibus iidem hæredes & propinqui militis vaſalli Eccleſiæ aſtringerentur Oſnaburgenſis. Providè igitur idem Wedekindus eccleſiam ſuam & diœceſin rexerat: ſed tempus non permiſit eum multa ad profectum Eccleſiæ accumulare, quod breviter antea tempore Engelberti & aliorum multa perpeſſa fuiſſet Eccleſia rapinas & incendia. Bruno etiam in ſuis literis & contractibus conqueritur ſuam Eccleſiam in bonis multum deſtitutam. Quomodo autem tempore Honorii Papæ III. Gregorii IX. Cæleſtini IV. & noviſſimè per Innocentium IV. contra Fredericum II. ſit proceſſum, unde infinita damna evenerunt Chronicæ variæ atteſtantur, & videri poterit in cap. Ad Apoſtolicæ. extr. de ſent. & de judic. l. VI. unde anguſtiæ erant ubique. Nam Metropolitanus extunc, Conradus de Honſteden, Archi-Epiſcopus Colonienſis, poſt depoſitionem Frederici, de mandato Dn. Papæ, ad excludendam prædicti Frederici parentelam, ſua induſtria, ſagacitate & potentia tres ſucceſſive Principes ad regnum Romanorum elegit, aſſociatis ſibi & collectis aliis comprincipibus ſuis Electoribus. Elegit namque primò Hinricum VII. Landgravium Haſſiæ atque Thuringiæ, qui cognomine Thorapſe vocabatur, qui idem fuit filius S. Eliſabethæ viduæ. Eundem electum ſine mora in locum præfati Frederici ab Imperio depoſiti ſubrogando, quod tamen ſine difficultate non potuit. Eodem tempore, Hinrico non multo tempore poſtea defuncto, idem Conradus Archi-Epiſcopus Wilhelmum Comitem Hollandiæ in Regem Romanorum conſtituit: & eodem Wilhelmo in bello Friſonum interfecto, Richardum Ducem Curnubiæ, fratrem Regis Anglorum ſubſtituit. Verum ibi ſic electi ad Imperium propter temporis brevitatem nil dignum memoria facere potuerunt, & benedictione Imperiali caruerunt. Sed conſideret diligens Lector, quod illæ mutationes momentaneæ non abſque fatigatione & bellis ſunt tranſactæ. Nam primum Conradus prædicti Frederici depoſiti filius quum invaſiſſet regnum, ipſe Conradus Archi-Epiſcopus, commiſſo cum jam dicto Conrado, Imperatoris filio, apud Franckfort prælio, eundem victum fugavit multaque geſſit ad honorem Dei & ſanctæ Eccleſiæ. Tunc noſter venerandus Epiſcopus Wedekindus, cum ad ſeptennium laudabiliter præfuiſſet ſuæ Eccleſiæ migravit ab hoc ſeculo: ſitque ei gaudium ſempiternum, Amen.

Triceſimo quoque ſecundo loco ſucceſſit Wedekindo Boldewinus de Ruſsle, coram quo nobilis vir, de Haſtorpe dictus, miles, curiam ſuam Holtzetten, ſitam in proximis Anchem quam de manu Epiſcopi tenebat in feudum, una cum villico & villica, & omnibus attinentiis liberè & abſolutè reſignavit. Qui quidem Epiſcopus eandem curiam cum omnibus juribus venerabili Capitulo Eccleſiæ ſuæ Oſnaburgenſis perpetua donatione contulit & aſſignavit. Ipſe etiam Boldewinus eccleſiam S. Ægidii in Widenbrugge quoad divinum cultum & poſſeſſiones ampliavit, præbendasque diſtinxit & collegium ad debitum ordinem perfecit, juxta fundationis ſeriem. Licet enim antea ibidem fuiſſe dicuntur tam Præpoſitus quam Decanus, optata tamen per Brunonem Epiſcopum, qui dixerat cordi ſibi fore in opido Wydenburgenſi eccleſiam conſtituere Canonicalem, ipſe reverendus pater Epiſcopus Boldewinus ad effectum Domino inſpirante perduxit acta & geſta de Præpoſito Wydenburgenſi aſſumendo de Capitulo Oſnaburgenſi, ſalva, Epiſcopi collatione præbendarum innovavit & ſigilli ſui munimine duxit roborari: cujus tenor ſequitur in hæc verba. Boldewinus Dei gratia Epiſcopus Oſnaburgenſis Eccleſiæ, omnibus præſentem literam viſuris, ſalutem in Domino: Notum facimus, quod nos literas bonæ memoriæ Brunonis Epiſcopi prædeceſſoris vidimus in hæc verba: Univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenit, Bruno Dei gratia Epiſcopus Oſnaburgenſis, in notitiam rei geſtæ notum facimus, olim in Eccleſia Oſnaburgenſi, intra Præpoſitum, Decanum & Capitulum ipſius Eccleſiæ ex una parte, & nos ex altera, jura quæſtionis exorta, aſſerentibus Præpoſito, Decano & Capitulo prædictis in Widenbrugge de Dyſſene, de Melle & de Brameſche eccleſias noſtræ diœceſis præbendas ipſorum à prima ſui fundatione fuiſſe annexas, ſic ut ſingulæ quatuor eccleſiæ quatuor Canonicis intra Capitulum Oſnaburgenſe, dum eædem vacarent pro tempore ab Epiſcopis Oſnaburgenſibus, qui hoc erunt in tempore, forent conferendæ: Qui apud Oſnaburgenſes clerici & capellani ſpeciales dici deberent & eſſe: Et ob hoc dictæ quatuor eccleſiæ, capellaniæ, donec ad alia tempora, fuiſſent nuncupatæ. Nobis verò ex adverſo dicentibus, quod & hoc, ſi hoc obtinuiſſent, ab antiquo controverſiam aliquam fuiſſe intellexiſſemus ac vidiſſemus, ideoque liberam dictarum eccleſiarum collationem, dum ipſas vacare contingat, nobis debere competere, ſive intra ſive extra capitulum pro noſtræ libito voluntatis. Huic quæſtioni ad honorem Dei & patronorum noſtrorum, ac pro habenda pace ac unitate, Capituli noſtri dependentium & religioſorum noſtrorum conſilio, ceſſimus in hunc modum. Super præmiſſis, à viris utiq; fide dignis, inquiſita diligentius veritate, aſſertionem Capituli pure comperimus veritate ſubnixam, licet aliquando, ſemper reclamante Capitulo, ſecus actum fuiſſet de facto. Nos igitur attendentes juſtitiæ congruum, & æquitati conſonum, fratribus noſtris de Capitulo Oſnaburgenſi, tunc præſentibus & futuris, jura ipſorum illibata ſervare: jus, quod in dictis quatuor eccleſiis ſe habere dicebant, recognovimus & recognoſcimus ſcripto præſenti: Inſuper propter tenuitatem præbendarum Oſnaburgenſium talem annexionem de novo fieri, ſi primis etiam temporibus facta non extitiſſet, quatenus per dictarum poſſeſſiones eccleſiarum hoſpitalitatem exercere melius, & expenſarum ferre onera valeant ampliora, dictam annexionem innovamus & præſentibus innodamus, ſic ut de Widenbruggen, de Melle & de Brameſche eccleſiæ dum ipſas vacare contingat, extra Capitulum Oſnaburgenſe de cetero conferre non poſſint, & non valeant uni Canonico duæ conferri, ſed ſingulæ ſingulis Canonicis fructibus præbendarum ſuarum conſecutis, pro tempore conferantur: qui noſtri & ſucceſſorum noſtrorum clerici & capellani vocentur & remaneant ſpeciales. Et quum hujus facti tempore nobis cordi eſſet in opido Widenbrugge Eccleſiam conſtituere Canonicalem de Parochiali, Domino nobis oportunitatem concedente, nobis, ſi ſic evenerit, eccleſiam de Sledehuſen, eccleſiæ de Widenbrugge præbendam Oſnaburgenſem præſenti ſcripto duximus annotandam, & in recognitionem juris veteris ſtatuimus & voluimus, ut præpoſitus in Widenbrugge de Capitulo Oſnaburgenſi aſſumatur per epiſcopum, ſalva Epiſcopi collatione præbendarum. In cujus recognitionis, ſtatuti & voluntatis noſtræ fidem & teſtimonium, præſens ſcriptum ſigilli noſtri munimine duximus roborandum. Contra quod ſi quis venire præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Principis Apoſtolorum beati Petri, & beatorum

rum

rum Criſpini & Criſpiniani, Patronorum noſtrorum, ſe noverit incurſurum. Actum Oſnaburgi X. Kal. Novemb. Anno Domini M. CC. LIIX. Cum igitur pii anteceſſoris noſtri propoſitum de eccleſia in Widenbrugge per nos diſponente Domino ſit completum, recognoſcimus Capitulo, quod præpoſitura noſtra in Widenbrugge, & eccleſia in Sledehuſen, ſecundum diſpoſitionem prædeceſſoris noſtri & noſtram, ac aliæ tres præfatæ, videlicet in Dyſſen, in Melle, & in Brameſche eccleſiæ ſecundum antiquam conſuetudinem intra capitulum noſtrum, ita quod non omnes vel plures, ſed ſolum ſingulæ ſingulis, prout in literis ſæpedicti prædeceſſoris noſtri continetur, per Epiſcopum qui pro tempore fuerit, conferatur. Ut autem, quæ præmiſſa ſunt, indubitata ſubſiſtant & rata, præſentem literam noſtro ſigillo fecimus communiri. Datum Oſnaburgæ, Anno Domini M. CC. LX. in die Galli Confeſſoris. Et quoniam idem Boldewinus Eccleſiam Oſnaburgenſem ad decem annos rexerat, obiit. Cujus anima in perpetua pace requieſcat, Amen.

Item his temporibus, anno M. CCC. V. tempore Clementis V. de conſenſu ſuo, inſtante Rege Franciæ Philippo, Ordo Templariorum uno die per totum orbem totaliter fuit deſtructus, eo quia hæretici condemnati. Quia eorum profeſſio, ut dicitur, fuit Chriſti Jeſu abnegatio. Et ſic bona eorum, cum caſtro Rhodys, data fuerunt ordini beati Johannis cum pallio nigro & alba cruce: & indulgentiæ remanſerunt apud milites S. Georgii cum pallio albo & nigra cruce. Et ordo Templariorum inceperat anno M. LXXIX. & habitus eorum fuit pallium rubeum cum aurea cruce.

Anno Domini M. CCC. IX. fundata fuit capella lignea undecim millium virginum, vulgariter dicta Warmoskercke. Sed anno M. CCC. XXXIII. fundata fuit ibidem Capella lapidea dicta ad Paradiſum.

Item anno Domini M. CCC. L. incepit controverſia in Hollandia. Prima pars fuit dicta Cabeliava, quorum princeps fuit Dominus de Egmonde, Dominus de Archel, Dominus de Hemkerke, cum militibus eorum & ſatellitibus ſuis: altera pars dicta fuit Honch, quorum princeps fuit Dominus de Brederoden, Dominus de Leche, Dominus de Binthorſt, cum militibus & ſatellitibus ſuis.

Item eodem anno fuit magna mortalitas, quæ per totum mundum invexit communem verſum vulgarem:

M. & ter C. & L. do ſchloch de Doet de Lude vill ſchnell.

Item anno Domini M. CCC. LV. Dominica Miſericordias Domini, Remboldus de Zunderen, Vicarius majoris Eccleſiæ Oſnaburgenſis, interfecit Baldewinum de Horſt, Canonicum ejusdem Eccleſiæ ante altare beati Servatii in eadem Eccleſia.

Item:

Anno milleno, ter C. LX. duodeno
Margar Zuſatum læſo fuit igne crematum.

Item anno Domini M. CCC. LX. in Lubeck fuit quidam Clericus, qui dormivit ſeptem annos ſine intermiſſione, & poſtquam evigilavit, vixit ad plures annos.

Item anno Domini M. CCC. LXXXVI. Dominus Theodoricus de Monickhuſen miles, habitans in caſtro Reinenberge, reacquiſivit uxorem ſuam, quam ſex annos perdiderat de puerperio & deinceps vixit ad plures annos.

Item anno Domini M. CCC. XCI. in civitate Neapolitana puer duodecim annorum perditus de platea, poſtquam viſus eſt exire aquas, & interrogatus quid ibi ageret, reſpondit Gallico ſermone, quod conſtellatio ſecum ſic diſpoſuit, quod in aquis inter piſces viveret, & extra moreretur.

Item anno Domini M. CCC. XCII. incepit Univerſitas Erfordienſis tempore Bonifacii IIX.

Deinde treceſimo tertio loco ſucceſſit Boldewino nobilis natu Conradius, de Comitibus in Retberge legitime natus: qui quum longo tempore Eccleſiam & dœceſin gubernaſſet, multa etiam ſuo tempore geſta ſunt.

Hic collegium Canonicorum in Quakenbrugge, cum conſenſu venerabilis Capituli ſui Eccleſiæ Oſnaburgenſis, tranſtulit in Brameſche. Quæ quidem eccleſia in Brameſche cum referatur ſibi annexa, conſuevit conferri per ipſum uni Canonicorum Eccleſiæ Oſnaburgenſis: Indemnitate Capituli providendo eccleſiam in Loder,

cum ejus filia videlicet Glandorpe, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis contulit. Ita, quod Canonicus qui eccleſiam in Loder habuerit, tam vicariam ibidem, quam eccleſiam in Glandorpe, prædictæ eccleſiæ Loder filiam, idoneæ perſonæ, cum eam vacare contingit, pro ſua conferat voluntate, juxta tenorem privilegii, deſuper dati, de anno M. CC. LXXV. KL. April. Idem etiam Epiſcopus plura bona, in Melle videlicet, & quatuor domus in Leye vendidit: etiam in parochia Dyſſene ſita venerabili Capitulo contulit; & caſtrum Tekenenborg in pignus à Comite, intervenientibus Capitulo & civitate Oſnaburgenſi, qui certas pecunias expoſuerunt, & pro certis fidem dederunt, præſertim Nicolao de Eyſeler, nongentis marcis recepit. Unde tandem contigit, quod indemnitatem ſervare ſolenniter & multis intervenientibus pactis & pœnis pollicitus fuit: præſertim Capitulum & eorum bona defendere contra ſuos invaſores & injuriatores: etiam adverſus Juſtatium de Sloën militem, qui niſi maligne eosdem extunc damnificare non verebatur. Et ſi præmiſſa non obſervare vellet, quod Capitulum extunc omnia beneficia ad collationem Epiſcopi tam in civitate Oſnaburgenſi, quam extra eandem forent, pleno jure conferret. Acta hæc ſunt Oſnaburgi anno Domini MCCLXXXIX. feria quarta poſt feſtum annunciationis beatæ Mariæ virginis.

Hic etiam ad petitionem Dominorum Præpoſiti, Decani & Capituli eccleſiæ Oſnaburgenſis piſcaturam de molendino ſuperiori ſitam apud eccleſiam S. Johannis, immediate deſcendentem, quæ vulgariter Molenkolk appellatur, cum aliis piſcationibus inibi infra piſcinam ſuam conceſſis dedit & perpetuè largitus eſt, ſigilloque ſuo privilegium deſuper de anno Domini MCCLXXXIII. die beati Servatii roboravit. Etiam certæ obſervationes, prout à ſenioribus audivi, tempore ſuo de inveſtiendo tam maſculos quam fœminas, & de habendo judicem feudi in civitate Oſnaburgenſi reſidentem ac alia, cœperunt habere initia & tractu temporis juramentis Epiſcoporum ſolent annecti. Poſtquam vero ille venerabilis Antiſtes eccleſiæ Oſnaburgenſis paſtorali officio XXVIII. annis præfuit, ab hoc ſeculo migravit ad Dominum. Sit ei requies ſempiterna. Amen.

Circa hæc tempora Bonifacius Papa VIII. promulgavit ſextum Decretalium, & ſub bulla transmiſit Univerſitati Bononienſi, prout in principio ejus libri clare apparet.

Item his temporibus, regnantibus ſucceſſive Rodolpho & Adolpho Romanorum Regibus, venerabilis Sigfridus, de domo nobilium de Weſtenborg natus, Archiepiſcopatum tenuit Colonienſem. Qui, cum Comes Juliacenſis Aquisgrani fuerat interfectus, Juliacum obſidione valida cinxit, & poſt bella habita cum cognatis occiſi Comitis, idem oppidum cepit. Cui ſucceſſit Wybboldus de Holte, prius Præpoſitus eccleſiæ S. Mauritii Monaſterienſis. Et eccleſiæ Monaſterienſi extunc præfuit Dominus Everardus de Deiſt, qui emit eccleſiæ Monaſterienſi caſtrum Boslar, & ſtruxit caſtrum Saſſenberg, ac Judicia Gograviatus in Alen & Zantwedel, & prædia in Alen & Winterswick comparavit. Civitatem Monaſterienſem circumvallavit: ſed Capitulum fuit concors cum Conſulatu civitatis, unde compoſitionem coactus inivit cum civitate: ita ut ultra jura, quorum occaſione litem movit, adhuc dimiſit civitati medietatem Judicii, frumentum & omnem aſſiſiam. Qui etiam in profeſto Martini in menſa quaſi fuiſſet captus à præfecto in Tekenenborg portariis occiſis, & aſcendit ad turrim & vix evaſit. Quare Comiti vice verſa multa intulit damna. Deceſſit ab hac luce anno Domini MCCCI.

Defuncto Conrado de Rethberge ſucceſſit laude & memoria dignus Reverendus & illuſtris Lodowicus, triceſimus quartus Epiſcopus Oſnaburgenſis, filius Comitis in Ravensberge, qui ordinem pontificalis dignitatis ad laudem Dei obſervans, eccleſias & altaria per ſe conſecravit, præſertim Chorum & altaria cœnobii Bulle, Ciſtercienſis ordinis: item altare trium Regum in eccleſia Oſnaburgenſi & multa alia. Fuit etiam circumſpectus, pervigil & ſtrenuus defenſor jurium eccleſiæ & gregis ſibi commiſſi. Cum enim nobiles Domini de Lippia adhuc caſtrum in Engeren habuerunt, de quo multifariam eccleſiæ & diœceſi Oſnaburgenſi intulerunt damna, & interpellati deſiſtere noluerunt, manu valida idem Epiſcopus reſiſtebat, vim vi, quia alias non poterat, repellendo. Unde accidit, quod nobilis Dominus Simon de Lippia

pia prædam magnam eccleſiæ & diœceſi Oſnaburgenſi abſtulit. Idem Epiſcopus, tempore abductionis rerum ablatarum, conflictum habuit cum Domicello Simone antedicto, & altiſſimo favente, & patronis S. Petro Apoſtolo, & Criſpino & Criſpiniano martyribus, & beato Karolo fundatore intervenientibus victoria ipſi eſt conceſſa, captusque eſt Dominus Simon de Lippia, & ductus ad civitatem Cathedralem Oſnaburgenſem, & carceri & cuſtodiæ fere ad ſex annos in turrim, **de Buckeſtobn** vulgariter appellatam, mancipatus eſt, donec & quousque de anno Domini MCCCV. die beati Kiliani & ſociorum ejus idem Dominus Simon de Lippia, una cum filio ſuo Bernardo, Præpoſito Padebornenſi, juramento firmavit, caſtrum Engem Domino noſtro Lodowico Epiſcopo, eccleſiæ ſuæ, & civitati Oſnaburgenſi & diœceſi præſentare ad deſtruendum funditus & foſſata ejus complananda, prout & factum fuit. Oppidum vero in Rode juxta caſtrum infra quindenam poſt relaxationem ſuam de carceribus juravit deſtruere, nec unquam per ſe, vel per ſuos hæredes reædificare nec aliquod caſtrum propinquius diœceſi Oſnaburgenſi quam extunc fuerat, facere, neque hæredes ejus: Etiam in ſtagnatione, quæ vulgo **Stowinge** dicitur, juxta palam antiquæ deſignationis facere & obſervare: quod proh nunc non fit, ſed multa damna exhinc in molendinis pariter & paſcuis fiunt: Etiam illis temporibus in opido Widenbrugge commorantibus. Et pro damnis Epiſcopo, Eccleſiæ & civitati Oſnaburgenſi illatis quatuor millia marcarum denariorum Oſnaburgenſium exſolvit. Juramento firmavit amplius eccleſiam Oſnaburgenſem & bona diœceſis non velle damnificare, cum aliis articulis, pro quibus etiam fidem dederunt nobiles Otto in Tekenenborg, Johannes de Benthem, Albertus in Swalenberge Comites, Boldewinus de Stenfordia, & Otto de Ahus nobiles, Borchardus de Stromberge, Bernardus de Beveren, Godſchalcus Duker, Dethmarus Rotberg, Wulfhardus de Molgarden, Fredericus de Horde, Wishardus de Liprodia milites.

Deinde etiam quidam Dominus Conradus de Monte, Præpoſitus Colonienſis, qui ſe intruſit ad locum Domini Ottonis de Ratborg, Epiſcopatum Monaſterienſem potenter & glorioſe rexit: Everhardum, Comitem de Marca, compulit adeo etiam ut feudalia ab eo reciperet loca, & Bredervort eccleſiæ auxilio ejusdem de Marca, dum cum eo pacificatus fuit, acquiſivit. Et cum idem Otto apud Capitulum inſtaret, ut ſuum clericum & Officialem in vim primariarum precum ad præbendam majorem eccleſiæ admitterent, ipſi hoc facere denegarunt, ſed filio unius Proconſulis, de Ryhe dicto, eandem contulerunt: unde tanta cauſata fuit controverſia quod idem Epiſcopus Otto curiam adivit Romanam. Interim idem Conradus de Monte Ottone de Rothbarg ſpoliato, & de Romana curia cum triumpho reverſo, ſed in reditu intoxicato, quo periit, ſe de eccleſia & diœceſi Monaſterienſi intromittendo, noſtro Epiſcopo Lodowico, una cum Everhardo de Marca, ac cum multis aliis nobilibus, movit bella, & conflictum fiendum indixit ad certum tempus. Epiſcopus igitur noſter meritis dignus Lodowicus, jejunium inſtituit, & ut referre audivi, multis ſuis devotis venerabile ſacramentum Euchariſtiæ manu ſua uncta & ſancta dedit, ſpem in Domino ponens, ſuos patronos & fundatorem invocans, & quia indubie innocens à culpa, qua eccleſiam ſuam & eum inculparunt hoſtes, veſtimentis albi coloris, ſignis innocentiæ, ſuper armis captis & indutis, ſe ſignaverunt, in campo, dicto **up dem Halleveldel** certantes, Conradum de Monte intruſum ad eccleſiam Monaſterienſem, Everhardum Comitem de Marca, ac alios, auxiliante Deo omnipotenti, patronis & fundatore intercedentibus, vicerunt. Miniſteriales eccleſiæ ac inhabitatores civitatis & diœceſios Oſnaburgenſis, ut milites ſtrenui dimicaverunt, & ad honorem Dei, & S. Georgii martyris pro ſalute animarum hominum ibidem occiſorum fundata eſt Capella S. Georgii, & dantur eleemoſynæ annuatim per Conſulatum Oſnaburgenſem, per modum ſtipis, ad hodiernum diem. Fertur, quod idem venerabilis Pontifex ſororem habuit devotam, quæ viſione quadam prævidit fratrem ſuum in bello occidendum, quod non curando militavit, & corpus ſuum pro grege poſuit commiſſo. In eodem enim certamine, cum ſub ſe proſtratum tenuit Comitem de Marcha, qui ab eo abſtulit albam veſtem, unus familiarium putans Dominum ſuum Epiſcopum ſub Comite jacere, Dominum noſtrum Epiſcopum vulnere læſit, quo, poſtquam victoria obtenta Oſnaburgum rediit, tertio die ad conſortium ſanctorum

ab hoc ſeculo migrando, poſtquam eccleſiam Oſnaburgenſem laudabiliter duodecim annos rexerat, prout credimus, merito eſt levatus: & in eccleſia ſua Cathedrali in medio quaſi pavimenti ſepultus, abſque tamen lapidis notabilis, quem meruiſſet, poſitione. Depictus tamen eſt cum banneriis & vexillis Dominorum de Lippia, ab una, & Comitis de Marca ab altera parte, cumque armis adverſariorum ſuorum, quos compreſſerat. Et ibi ponuntur metra, quæ ſequuntur:

Corpore Zachæus, animo Judas Machabæus,
Alter & iſte David, Marchenſem cuſpide ſtravit.
Ter C. milleno, bis quarto, tempore pleno
Virginei partus, & eum tenet hic locus artus.
Vt vacet à pœnis, pie Judex, ſis ſibi lenis.
Marcha, Monaſterium, Tekenenborg, Juliacum,
Arnsberch, Waltegge, Loen, Retbarch, deſuper Abus,
Tremoniæq; Comes Petrus, vos terruit omnes
voſq; Lupi fugiſtis vel cecidiſtis.
Auxiliante Deo corruit iſte Leo.
Hos verſus dico generoſo de Lodowico,
Præſule jocundo, de Ravensberg oriundo.

Circa hæc tempora corpora in capſa S. Reginæ, translata ſunt in Eccleſia Oſnaburgenſi locata. Verſus:

Anno milleno, trecenteno, duodeno,
Corpora translata ſacra ſunt hic æde locata.
Hac in clauſura ſanctorum corpora plura
Inſuper hic lecta conſervantur bene tecta.

Hic etiam Lodowicus recuperavit partem caſtri in Raynenborge in diœceſi Mindenſi ablatam Eccleſiæ Oſnaburgenſi. Et de Anno Domini MCCCVI. IV. Idus Aprilis deſuper obtinuit de Conrado Epiſcopo, ſeu verius Gottfrido Epiſcopo de Comitibus de Waltegge nato, qui tunc præfuit Eccleſiæ Mindenſi recognitionem & pollicitationem de non repetendo &c. ſigillis Epiſcopi & Capituli munitam, etiam univerſitatis & Burgenſium opidi Lubbeke, quod de villa in opidum Epiſcopus Volquinus Mindenſis erexit. Et quia ipſe Comes in Swalenberg fuiſſet, ex origine ſtellam habuit pro armis, illam opidi prædicti communicavit, armis Eccleſiæ adjungendo, prout adhuc habent. Et ſub tali ſigillo & armis, prout vidi, proteſtata eſt & promiſerunt, ſi Epiſcopus vel Eccleſia Mindenſis amoverint Eccleſiam & Epiſcopum Oſnaburgenſem de parte ſua caſtri Reinenburg dicti vel impedierint, extunc omne jus opidi prædicti, quod Eccleſia Mindenſis inibi habet, permanebit apud Eccleſiam Oſnaburgenſem, donec impedimentum ſublatum & ſatisfactum fuerit. Sed heu, ita deſidia noſtros affecit, quod intelligere hactenus non valui, quomodo Eccleſia noſtra prædicta ſua parte caſtri privata ſit: Aliqui aſſerunt ex vi aliqua per tradimenta: Mindenſes vero, prout ab uno nobili Canonico & docto intellexi, dicunt, quod pro aliis juribus Eccleſiæ Mindenſi ſit dimiſſa. Sed ſcio quod proh dolor! caremus, & duntaxat nobis adſunt ſcripta, quorum tenores ſequuntur & ſunt tales:

Nos Conradus & Gottfridus Dei gratia, Epiſcopus, Decanus & Capitulum Mindenſe recognoſcimus & præſentibus proteſtamur, quod ad partem caſtri in Reinenborg, quod caſtrum eſt Eccleſiæ noſtræ Mindenſis, & Eccleſiæ Oſnaburgenſis, à qua parte Eccleſia & Epiſcopus Oſnaburgenſis ejecti ſunt, reſtituendum declaravimus & reſtituimus per præſentes plenarie & integre cum omni jure & proprietate redeundi & exeundi, manendi & ad omne ſuum commodum & neceſſitatem per ſe ac per ſucceſſores ſuos quiete & pacifice poſſidendi. Nec nos, nec ſucceſſores noſtri, ſi Epiſcopum & Eccleſiam Oſnaburgenſem prædictos à caſtro in Reineborg amoverimus aut impediverimus, aut amoverint vel impedierint, in præmiſſis, quod abſit, amoto intra quatuordecim dies non reſtituerimus vel non reſtituerint, amotos & impeditos opidum noſtrum Lubbeke Eccleſiæ & Epiſcopo Oſnaburgenſi omni jure ſit aſtrictum, quo Eccleſiæ noſtræ Mindenſi conſuevit, quouſque ſua in Reineborg Epiſcopo & Eccleſiæ Oſnaburgenſi ſint plenariè reſtituta, vel de impedimento eiſdem ſatisfactum fuerit in amicitia vel jure. In cujus rei teſtimonium ſigilla, videlicet Epi-

ſcopi

ſcopi & Capituli prædictorum præſentibus ſunt appenſa. Datum Mindæ IV. Idus Aprilis, Anno Domini MCCCVI.

Univerſis præſentia viſuris & audituris Univerſitas Conſulum & Burgenſium opidi Lubbeke præſentibus proteſtamur, quod ſi Dominus noſter Epiſcopus, qui eſt, vel qui pro tempore fuerit de Eccleſia Mindenſi, Epiſcopum & Epiſcopum Oſnaburgenſem de parte caſtri ſui in Reinenburg ammonuerit vel impedierit, ne plenarie & integre cum omni jure & proprietate intrandi, exeundi, manendi in eo ad ſuum commodum per ſe & ſucceſſores ſuos quiete libere ac pacifice poſſideant. Nos univerſitas Conſulum & Burgenſium opidi Lubbeke prædicti de voluntate & conſenſu Reverendi Domini noſtri Gottfridi Epiſcopi, Capituli & diœceſis Mindenſis, fidelitatem facere volumus Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus, ac eccleſiæ & diœceſi Oſnaburgenſi, & per præſentes reddere & facere omne jus quod habet Dominus noſter Epiſcopus & Eccleſia Mindenſis in opido noſtro Lubbeke, in juribus corporalibus & incorporalibus, fructibus, reditibus & quibuscunque aliis obventionibus, & in omnibus eisdem videlicet Epiſcopo & diœceſi Oſnaburgenſi, tanquam Domino noſtro intendere & obedire, ſi infra quatuordecim dies, à die quo ammonitio vel impedimentum hujusmodi notificata fuerint nobis per patentes literas Epiſcopi Oſnaburgenſis vel ejus ſucceſſorum, quibus credere tenemur & volumus in hac parte de prædicta ammonitione & impedimento, eisdem non fuerit ſatisfactum in amicitia vel in jure. Poſt ſatisfactionem autem de præmiſſis omne jus opidi noſtri in juribus, fructibus & reditibus & aliis ſupradictis ad Dominum noſtrum Epiſcopum vel ejus ſucceſſores & ad Eccleſiam Mindenſem plenarie & integre revertetur. In cujus rei teſtimonium ſigillum univerſitatis noſtræ præſentibus eſt appenſum. Datum Lubbeke Idus Aprilis Anno Domini MCCCVI.

Eodem tempore venerandus pater Wibboldus, de natione nobilium de Holte oriundus, Albertum Ducem Auſtriæ unxit Aquisgrani in Regem, & in ſolenni curia Nurenbergæ uxor dicti Regis per eundem fuit coronata. Hic compeſcuit Comitem de Marca, & in Suſato decumbens cum in infirmitate bis ſacram communionem recepiſſet, & à ſuo confeſſario ſibi diceretur: non opus eſſe ſacram communionem ſæpius recipere; ille venerabilis Præſul fertur dixiſſe verbum memoria dignum: Anima mea optat & plurimum affectat hoc ſacramentum, quia eſt bonum viaticum. Sepultus eſt in Eccleſia S. Patrocli in Suſato. Sit ei requies ſempiterna. Item, nedum ipſe reverendus Dominus & venerabilis Præſul, pater Lodowicus virtutibus & devotione clarus, de ſua parentela, verum etiam germani proceres & cognati de Ravensberg in augmentum cultus divini plurimas parochiales eccleſias, beneficia eccleſiaſtica, altaria & oratoria ad honorem Dei fundarunt. Nam nobilis Otto, Comes in Ravensberg, de Anno Domini MCCXCIII. II. Idus Julii, atque Hadewig ſua Comitiſſa, Deo & beatiſſimæ virgini Mariæ eccleſiam Collegiatam, quam intitulare voluerunt eandem intemeratæ virginis Mariæ in Bilfelde, Padebornenſis diœceſis, quam anno extunc proxime præterito cum conſenſu & auctoritate reverendi Domini Ottonis Epiſcopi Padebornenſis, fundarunt; bonis, poſſeſſionibus & prædiis tam ruſticis quam urbanis, ſervis & etiam colonis dotaverunt, immunitatem & libertatem tribuerunt, ac ab omni advocatia eorum & ſuorum abſolverunt, & duodecim præbendas, quatuor Presbyterales, quatuor Diaconales, & quatuor Subdiaconales ibidem eſſe voluerunt; accedente adhoc etiam conſenſu ſæpefati noſtri Antiſtitis Lodowici, qui etiam tunc in minoribus conſtitutus, Præpoſitus fuit Eccleſiæ S. Johannis Oſnaburgenſis, & nobilium, Hermanni Præpoſiti Tungerenſis, Ottonis Canonici Oſnaburgenſis, Lodovici & Brunonis, ipſorum fratrum, filiorum & heredum legitimorum, Comitum prædictorum, prout privilegia deſuper conſcripta & ſigillata apud Capitulum ejusdem Eccleſiæ beatiſſimæ virginis Mariæ Collegiatæ aſſervata plenius atteſtantur.

Triceſimo quinto ſucceſſit laude digno Lodowico Engelbertus, de militaribus de Weiga ortus. Hic de conſenſu expreſſo venerabilis ſui Capituli domum in Onhuſen proximam in Nyenkerken prope Ravensberge cum omnibus ſuis juribus & attinentiis permutavit cum Gerlaco de Goſmale famulo, Adelheide uxore, Bernardo & Nicolao filiis, Immegunda filia, libris ipſorum & hæredibus, pro Judicio cohærente,

quod appellatur Holtgerichte per parochias Rimesloh, & per totam ſilvam ibi, quæ Marcha vulgo dicitur, Nyenkerken, Melle & Weveſinckholthuſen, cum omnibus juribus Judicii plene & integre, prout olim ſpectabant ad bona in Olden-Melle, prout literæ concambii & permutationis tam noſtri Epiſcopi Engelberti & venerabilis ſui Capituli, quam etiam Gerlaci de Geſmale ſigillis roboratæ, ſub Anno Domini MCCCXI. datæ, plenarie atteſtantur. O quam utilis permutatio, qua jura Eccleſiæ Oſnaburgenſis & ſubditorum conſervantur. Et non duobus annis effluxis, quando in prato dicto Mallermarſch / ubi hactenus inter illos de Melle & Rymeslœ, quæ modo vocatur de Nuwermarſch / unitas fuit & eſt, Droſſatus in Ravensberge opera quorundam libertinorum de Ravensberge, & aliorum ſibi adhærentium ſcindere Marchas illas voluit, quæ noſtræ ſunt Eccleſiæ. Et hactenus obſervatum eſt, quod pecora amborum, de Rymeslœ, Nuwer, ſive Melle in paſcuis communicant absque ſtrepitu & quavis diſſentatione.

Iſtis temporibus Joannes XXII. Papa publicavit Conſtitutiones Clementis Papæ V. quæ Clementinæ nuncupantur.

Hic Engelbertus fortalicium in Witlage ob defenſionem jurium Eccleſiæ Oſnaburgenſis dicitur conſtruxiſſe: & cum decem annos eccleſiam & diœceſin Oſnaburgenſem gubernaſſet, ſicut Domino placuit, diem ſuum clauſit extremum. Sit ibi gaudium ſempiternum.

His temporibus venerabilis pater Ludolphus de Boſtorpe XXXVII. Eccleſiæ Mindenſis fuit Epiſcopus: qui caſtrum Steigeberg anno Epiſcopatus ſui ſexto fundavit; nobilem Simonem Dominum de Lippia, & Gerhardum de Monte advocatum juxta nemus Santvort de Anno Domini MCCCI. proſtravit. Et etiam de Anno Domini MCCCVI. Sorores Ordinis Prædicatorum in Lothe, Mindenſis diœceſis, ad opidum Lemego Padebornenſis diœceſis ſunt translatæ, ubi hodie altiſſimo ſedulum impendunt famulatum. Intelligo tamen quod proprietas ab eisdem realiter prout tamen profeſſio & obſervantia ſubſtantialium requirit, non ſit poſtergata. Emendet Deus & abſtergat omnem maculam à nobis.

Vacante igitur Eccleſia Oſnaburgenſi per mortem Engelberti de Weige, ſucceſſit in Epiſcopio nobilis & illuſtris natu Gottfridus ex Comitibus in Arnsberge legitime oriundus, qui triceſimus quintus fuit ſanctæ Oſnaburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Hic multa nova feuda inſtituit de bonis Eccleſiæ. Nam nobili Domino Bernardo de Lippia in bonis ad caſtrum Redekenberg in Widenbrugge ſpectantibus, & in caſtro, feudum contulit. Item illis armigeris de Oer, de Wolde, de Buche, de Toppen, de Varendorpe &c. multifarie contulit, unde magnum Eccleſia in hodiernum diem patitur detrimentum. Nam quidam literas deſuper confectas celant, & quaſi ſub patrimonii ſeu proavorum ſuorum hæreditate in animarum ſuarum periculа nituntur continue.

Officium Pontificale exercuit & Eccleſiam cœnobii Rulle de Anno Domini MCCCLXIV. in die beatorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum conſecravit. Caſtrum Witlage certis muris ſtrinxit & complevit, prout arma ſua paterna circa portam ibidem in ſilicem ſculpta manifeſtant. Fundavit etiam multa beneficia Eccleſiaſtica, & præſertim Capellam in Nova civitate Curiæ Epiſcopalis, nunc proh dolor! deſolata, quam etiam Capellam competenti dote adhibita perpetuavit.

Hujus Gotfridi Epiſcopi temporibus quidam Dominus Lodowicus, de Landgraviis Haſſiæ natus, præfuit Eccleſiæ Monaſterienſi, qui plures habuit guerras circumquaque, cum Comitibus & Nobilibus; præſertim cum Engelberto Comite de Marca, qui juxta opidum Hamme eundem Epiſcopum plus quam cum LXX. armatis cepit. Et deinde pro competenti ſumma Epiſcopo redempto, inſurrexerunt adverſus eundem Theodoricus Comes Clivenſis, qui partem Comitatus Geldriæ tenuit. Unde guerra ſubſecuta caſtrum Bredevort per Comitem Geldriæ fuit captum. Et impetravit Comes Geldriæ auxilium Regis Bohemiæ & Epiſoporum Leodienſium & Trajectenſium, & Comitem Juliacenſem, de Marca, de Monte, Flandriæ, Hollandiæ, Artoys, illorumque & aliorum juvamine ultra ſeptem millia armatorum, cum dextrareis & galeis, cum aliis etiam quam pluribus militibus equitum diœceſin Monaſterienſem devaſtando potenter pertranſire uno tempore propoſuit. Lodowicus vero

Epiſcopus

Epiſcopus Monaſterienſis cum auxilio prædicti noſtri Epiſcopi Gottfridi Oſnaburgenſis, & aliorum, videlicet Dominorum de Lippia & Comitum de Waltegge, fiduciam in Domino & Beato Paulo habens, prope Cosveldiam ad pugnandum pro Eccleſia & diœceſi ſua ſe obviam dedit, & dextra Dei plaſmante tantum fugavit potentem exercitum. Sed illæ quoq; guerræ eodem tempore per plurimos illuſtres fuerunt amicabiliter complanatæ. Et de Anno Domini MCCCXXVII. in die beati Ægidii per Epiſcopum Trajectenſem ſuper caſtrum Bredevort / & cum vicinis adjacentibus juxta partium arbitramentum ſumma arbitralis fuit lata. Poſtea tamen inter eosdem Epiſcopos, Lodowicum Monaſterienſem & Gottfridum Oſnaburgenſem diſcordiæ fuerunt exortæ, ex eo, quod Droſſatus Emeslandiæ quosdam burgenſes Oſnaburgenſes in pace, per Archiepiſcopum Henricum Colonienſem, prædictosque Epiſcopos, ac alios Præſules, nobiles ac civitates terræ Weſtphaliæ, jurata & ſigillata cum mercantiis ſuis detinuit, atque ſpoliare auſus fuit: quodque idem Droſſatus ſanctam Synodum & ejus miniſtros ad præſidendum à Prælatis Eccleſiæ Oſnaburgenſis miſſos, impedire non formidavit. Unde noſter Epiſcopus Gottfridus in auxilium habuit ſtrenuos Henricum & Everhardum de Horne milites, quibus, ut eorum querela continebat, idem Epiſcopus Monaſterienſis injuriam intulit: unde ſe ſubdiderunt Epiſcopo noſtro Oſnaburgenſi. Sed Eccleſiæ metropolitanæ Agrippinæ extunc reverendiſſimus pater Dominus Walramus, de Gulche natus, amborum Epiſcoporum metropolitanus præfuit: qui in Zuſato partibus illis diætam imponens eos pacificavit, ac de Anno MCCCXLI. die Lunæ ſententiam tulit, ac burgenſium Oſnaburgenſium injuriatores quitandos & abſolvendos fore pronuntiavit, impedimenta ſanctæ Synodi & ejus miniſtris illata illicita etiam fore, ac viceverſa milites illos de Horne, ab Epiſcopo Oſnaburgenſi receptos, in dismembrationem diœceſis Monaſterienſis recipiendos eſſe decrevit, prout hæc & alia in literis deſuper confectis & ſigillatis, etiam in domo Conſulatus civitatis Oſnaburgenſis exiſtentibus plenarie continentur.

Anno MCCCXIX. in die ſolenni Marci & Marcellani martyrum nobiles Domini advocati caſtrum ſuum tom Berge / olim Schalcksberge dictum, dudum per Comites de Hoja detentum, receperunt. Et anno ſequenti in die Hippolyti martyris civitas Mindenſis igne conſumpta eſt.

Fuerunt etiam iſtis temporibus multi illuſtres & nobiles Canonici Eccleſiæ Oſnaburgenſis, præſertim Dominus Simon de Retberg Cuſtos ſive Theſaurarius, qui cultum divinum augmentavit, libros & clenodia Eccleſiæ dedit, de quo hæc habentur metra:

Anno milleno, ter CCC. bis XX. quoque quinto
Eccleſiæ Cuſtos illius nomine Simon,
Præſens Miſſale pie contulit in memoriale
Nobilis ejus avi Conrad de germine ſuavi
In Retberg Comitem quem primo ſcio fore mitem,
Hujus & omnimodè generoſæ conjugis Odæ,
Patris magnificiq; ſui Domini Frederici,
Atq; Beatricis ſibi dilectæ genitricis,
Quorum ſit compos Johannes Krancke ſacerdos
Dum ſunt ſub fine illius organa facta
Sancta Regina ſeu membra ſunt ære redacta.
Magnis candelis proceſſio glorificatur,
Purpureis velis paries Chori veneratur.

Et quia noſter Epiſcopus Gottfridus XXX. annis eccleſiam rexit, in illo ergo diuturno tempore multa etiam geſta fore, non eſt dubitandum. Habuit enim Colonienſis eccleſia multas guerras & bella. Ejusque dignus paſtor Walramus, frater Wilhelmi Comitis Juliacenſis, in Jure Canonico multum doctus, ad XI. annos in ſumma pace rexit ſuam eccleſiam. Infra quos caſtra Gudensborg, Brulhart ſive Brule, turribus & mœnibus fortiter communivit. Opida etiam & caſtra Reinebach, Oyde, advocatiam Kempe, Krumhus, caſtrum Popelſtorpe, medietatem quoque caſtri Brinsberge comparavit. Opidum Mengerden in Weſtphalia, quod dirutum erat à fundamento, recuperavit: licet Adolphus de Marca & Gottfridus in Arnsberge Co-

ge Comites nocturno tempore treugis ſtantibus deſtruxiſſent, ipſe denuo reparavit, & ad munimen ejusdem opidi caſtrum à latere ejus ædificavit. Sed quia Lodovicus IIII. Imperator Romanorum per Johannem Papam XXII. Benedictum XII. Clementem VI. longo tempore excommunicatus fuiſſet, cenſuras non curans, idem Dominus Walramus Archiepiſcopus una cum aliis Principibus quibusdam in villa dicta Rains ſuper Rhenum ad beneplacitum & votum dicti Clementis VI. elegit in Regem Romanorum Karolum IIII. filium Regis Bohemiæ, & eundem in Bonna unxit in Regem, vivente adhuc Lodowico IIII. ſupradicto, cui tunc civitas Aquisgrani fidelitatis obſequio fideliter adhærebat. Propter quod idem Lodowicus ipſum Walramum fortiori perſequens odio, multas ſibi adverſitates circumquaque procuravit. Unde de Marca, de Arnsberg, de Waltegge & de Loſſen Comites, licet quidam conſanguinitate, quidam affinitate ſibi conjuncti, conſpiratione facta, terras diœceſis Colonienſis cœperunt perturbare. Quare idem Archiepiſcopus adverſus Comitem de Marcha exercitum militarem miſit ad Weſtphaliam, ad tuendum fines eccleſiæ. Verum conflictu inter gentes eccleſiæ & Comitis de Marca campeſtri habito, ceſſit victoria Comiti & nonnullis interfectis, de ſtipendiariis Archiepiſcopi CCC. vel circiter captivi ſunt abducti. Archiepiſcopus attamen viribus reſumptis, cum multitudine equitum & exercitu pedeſtri venit juxta Bercham ad terminos Comitatus de Marca. In prædicto conflictu dire vulneratus, & multitudini exercitus Archiepiſcopi ultimo reſiſtere non valens, ad exinanitionem quaſi compulſus, & non diu poſtmodum eſt defunctus. Archiepiſcopus vero Walramus ad parcendum expenſis, & ut creditoribus ſuis ſatisfacere eo lenius poſſet, peregrinari & abſentare ſe voluit ab eccleſia. Et cum ſic exularet, obiit Piſis in vigilia aſſumptionis beatæ Mariæ virginis anno Domini MCCCXLIX.

Item temporibus illius venerabilis Domini Gottfridi pluvialis aura fuit, & inundatio aquarum à feſto beati Jacobi usque ad feſtum omnium Sanctorum, peſtilentiaque fuit & mortalitas improviſa, & perierunt multi in fluxu ſanguinis. Submerſæ fuerunt civitates, caſtra, villæ, & poſtmodum de anno Domini MCCCXLII. circa feſtum Jacobi, in maxima ſiccitate extunc nullis pluviis in brevi tempore præcedentibus, inaudita ſubito aquarum inundatio ex ſicca terra erupit, unde etiam perierunt civitates, caſtra, villæ: prout etiam nunc de anno Domini MCCCCLXXXIIII. prope portam Hage, in via qua pergitur verſus Monaſterienſem civitatem, actum fuerat.

Item de anno Domini MCCCLIII. in univerſo mundo maxima fuit peſtilentia & mortalitas hominum, quæ etiam Epidimia appellatur: ita intenſa, quod vix homo hominem potuit ſepelire. Quæ quidem mortalitas in civitate Oſnaburgenſi adhuc in hodiernum diem de grote Doet ſolet nominari. Et de ea in quibusdam pactum inter venerabilem Clerum Oſnaburgenſem & civitatem eandem eſt neceſſario factum. Etiam tunc multæ hæreditates relictæ, hodie in diœceſi iſta manſerunt incultæ. Prædicta mortalitas per certos impingebatur aliquantulum Judæis, ex eo etiam, quod aliqui ex iisdem apprehenſi confoſſi fuerant, quod fontes & puteos intoxicarunt. Quare per totam Alemanniam fuerunt combuſti.

In tempore noſtri Epiſcopi Gottfridi multi ſolennes prælati & beneficiati de diverſis eccleſiis Weſtphaliæ, & præſertim Dominus Lubbertus Went, Canonicus eccleſiæ Oſnaburgenſis (qui in ſuo novitiatu dicitur ad eccleſiam Oſnaburgenſem extunc certo modo vacantem electus, ſed acceptare renuit) ac Dominus Arnoldus Cantor ejusdem Eccleſiæ Oſnaburgenſis, ingreſſi ſunt monaſterium
Mariæ Ordinem Ciſtertienſem profitendo. In quo idem Dominus Lubbertus humiliter vixit, & patienter fere XXVI. annis altiſſimo ſedulum impendit famulatum.

Poſtquam prædictus Dominus Gottfridus eccleſiam Oſnaburgenſem XXX. annis rexerat, translatus eſt ad eccleſiam metropolitanam Bremenſem: & tunc Capitulum Oſnaburgenſe Dominum Lubbertum Went, olim eorum Canonicum in novitiatu, concorditer elegit: qui conſentire renuens in Ordine Ciſtertienſi permanſit, quoad vixit. Et quia Dominus Lubbertus Went electioni de ſe factæ deferre renuit, providit ſancta ſedes Apoſtolica eccleſiæ Oſnaburgenſi de novo paſtore, Domino Johanne Hœt,

doctore

doctore Juris Canonici egregio, quia & primus erat, qui à ſanctiſſimo Domino noſtro Papa Apoſtolico eccleſiam Oſnaburgenſem impetravit. Quomodo etiam Dominus Lodowicus de Haſſia Epiſcopatum Monaſterienſis eccleſiæ à Domino noſtro Papa Clemente V. obtinuit. Primus enim fuit, cui à ſede Apoſtolica poſt ejus fundationem fuit proviſum.

Hic Dominus noſter Epiſcopus Johannes poſt ſuam admiſſionem laboravit pro eccleſiaſtica libertate. Tempore enim ſuo Dominus ſereniſſimus Imperator Karolus quartus Karolinam edidit, & ſignanter venerabilibus Epiſcopo, Capitulo & Clero civitatis Oſnaburgenſis & diœceſis conceſſit ſub bulla literis aureis ſcripta, ſigilloque ſuæ Majeſtatis etiam de puro auro ſigillatam, quam etiam vidi. Idem etiam Epiſcopus quendam Wichmannum de Lune, procuratorem ſuum ad Pragam ubi tunc fuerat curia Imperialis, miſſum ad Celſitudinem Imperialem de anno MCCCL. (qui & annus Jubilæus erat, extunc de quinquageſimo in quinquageſimum, mortalitatem & vitæ brevitatem ordinatus) die XVII. menſis Julii, impetrare fecit, quod etiam Princeps Imperii, prout etiam anteceſſores ſui fuerant, erat declaratus & aſſumptus. Item regales immunitates & privilegiorum omnium, Epiſcopis & eccleſiæ Oſnaburgenſi à Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus datas confirmationes, approbationes & ratificationes, obtinuit in optima, prout vidi, forma. Habitis igitur à Domino Imperatore regaliis, idem Epiſcopus Johannes eodem anno die XXVII. menſis Septembris retro Chorum eccleſiæ Oſnaburgenſis, præſentibus Dominis Prælatis, præſertim Domino Conrado de Eſſene, Decano, qui & nomine ejusdem Epiſcopi proteſtationes fecit conſuetas, aliis nobilibus, militaribus & vaſallis, aliisque fide dignis præſentibus, præſidens, infeudavit vaſallos eccleſiæ in majore munere, quam unquam poſtea factum eſt. Non formidabant enim vaſalli iſtis temporibus eccleſiarum bona, quæ in feudum ab Epiſcopis rependebant, recipere, de iis ſe inveſtiri, etiamſi Epiſcopi minores natu forent, prout noſter Epiſcopus, non de illuſtri proſapia progenitus, literarum fortaſſis & meritorum intuitu, quia etiam apud ſanctiſſimum Dominum Apoſtolicum familiariter notus, apicem dignitatis Epiſcopalis meruit obtinere. Nobilis enim & illuſtris Nicolaus in Swerin, & in Tekenenborg Comes, ſimiliterque nobilis Boldewinus in Steinforde, humiliter, prout debebant, officia & bona ab eodem Epiſcopo perſonaliter receperunt in feudum, homagia ſua, ſeu fidelitatis juramenta præſtando, & recognoſcentes dominum eorundem. Sciunt quoque virtuoſi Laici, quomodo ſacerdotes honorare debent, & his non detrahere, juxta doctrinam, cap. cum ex injuncto. de hæret. Sciunt etiam, quod ſicut eſt differentia inter ſolem & Lunam, inter Pontificalem & Regalem dignitatem, cap. ſolicitæ de majorit. & obed. attendere tamen habent Epiſcopi, quod Epiſcopalis dignitas tanto eſt cæteris altior, quanto periculoſior, XI. diſt. Epiſcopum enim non facit tantum dignitas prælationis, ſed etiam bona vita, II. q. VII. non omnes. Nam qui malam vitam ducit magis eſt dicendus canis impudicus quam Epiſcopus, ibid. qui nec. Modernis vero temporibus Comes in Tekenenborg ſpernit Dominum ſuum Epiſcopum Oſnaburgenſem, recuſat recipere feuda, uſurpat bona eccleſiaſtica & decimas, ſanctam ſynodum non veretur impedire, inſtituit & deſtituit perſonas eccleſiaſticas, in beneficiis contra Deum & juſtitiam multa nefaria agit, de quibus infra tempore ſuo latius Deo dante ſcribere intendo. Etiam propter nimiam Clericorum in partibus Alemanniæ diſſolutionem, ex eo, quod nonnulli ſolo vocabulo clerici & eccleſiaſticæ perſonæ fuerunt, & propter exceſſus ſuos in vitæ honeſtate, delatione veſtium & morum multipliciter commiſſos, ſanctiſſimus Dominus Papa Innocentius reverendiſſimo Domino Wilhelmo ſanctæ Colonienſis eccleſiæ bullam circa hoc miſit Apoſtolicam, communicandam ſuis ſuffraganeis, prout & actum eſt, & miſſum Domino noſtro Johanni Epiſcopo, cum inſertione ſtatutorum provincialium, quæ legi. Et utinam adhuc innovarentur propter nimiam quorundam in Minda ac alibi Canonicorum diſſolutionem, qui vaganter capatiolis & aliis illicitis utuntuur veſtimentis, quod ad correctionem merito ſpectat ſuorum ſuperiorum. Præmiſſa autem noſter Epiſcopus, prout ſibi tranſmiſſa fuerunt, de anno Domini MCCCLX. die Sabbathi tertia menſis Octobris, anno ſequenti LXI. feria tertia ** Dominicam Judica, cum comminatione cenſurarum eccleſiaſticarum publicando præcepit obſervare. Item

quidam Monachus Camp *** Mariæ, nomine Conradus de Eſſene, vir literatus in verſificando & dictando prædictum Epiſcopum Johannem tempore pueritiæ inſtruxit, eundem magno præconio ſublimavit proſaice & metrice, ſic dicens: Quod ipſe inſtar Solis, non mutuati ſed appropriati luminis ſapientiæ compos, non tam per alios, quam per ſe diffuſis radiis colluſtrat eccleſiam, proferens de theſauro ſuo nova & vetera. Qui nihilominus ſecundum proprietatem ſui nominis per gratiam Dei cuncta quæ ſub cura ſua ſunt æquo moderamine penſans, temporalia per alios, ſpiritualia per ſe adminiſtravit, damna parum pendens rerum ſuarum, ut lucrum animarum ſibi commiſſarum adaugeat: cum cæteri pene omnes Epiſcopi in curis temporalibus occupentur, & ſpiritualia committant aliis diſpenſanda. Hæc proſaice, metrice de eodem idem ſic dicit:

Oſnaburgenſis micat inſula luce diei,
Cum tenebris denſis nox quoque cedat ei.
Quam fugat bis annis lux Præſulis orta Johannis,
Et dans nomen ei gratia larga Dei.

Quomodo etiam clenodiis ornavit eccleſiam, inſula materialis, & alia, quibus arma ſua ſunt impreſſa, dilucide atteſtantur.

Verum Sathan malorum diſcordiam ſeminante in corpore eccleſiæ, videlicet civitatis & diœceſis noſtræ Oſnaburgenſis membris, comperi ex lectione quarundam literarum confœderationum, quod prædictus Epiſcopus Johannes fœdera & confœderationes inivit cum militaribus & civitate Oſnaburgenſi, venerabili Capitulo prætermiſſo. Et prius tamen diſcordia inter eundem & civitatem orta fuit ex eo, quod certi cives civitatis Oſnaburgenſis in Iburg fuerunt furcis ſuſpenſi. Unde evenit, quod idem Epiſcopus civitatem Oſnaburgenſem ingreſſus, publice fatebatur hoc idem factum injurioſe factum eſſe, cum aliis verbis, quæ propter honorem Pontificalem omitto. Deſuper tamen ſunt quædam literæ ſigillatæ, quas vidi & legi. Et proh dolor! cum, ut ſuperius narratur, ſeditio & diſcordia orta fuit, multa mala ſequebantur. Nam licet noſter Epiſcopus civitatem Cathedralem Oſnaburgenſem cum bonis & juribus inibi, quæ ab antiquo Epiſcopo Oſnaburgenſes habuerunt, libera ſcribitur inveniſſe: etiam cum ſex caſtris cum tribus opidis munitis: ipſe ad tantam devenit dilapidationem, ſive egeſtatem, quod primum Redekenberg in Widenbrugge oppignoravit, deinde quatuor caſtra cum villis curtibus & juribus oppignoravit: unum tamen venerabile Capitulum cum clero civitatis & diœceſis Oſnaburgenſis redemerunt & liberaverunt. Mox quidam perverſi raptores pro injuriis quibusdam occaſionem præbentibus caſtrum Iborg vi & clam invaſerunt, & illo habito idem caſtrum Comiti in Tekenenborg vendere nitebantur, qui hujus caſtri cupidus, ſe de eodem intromiſit, & ad longa tempora detinuit. Cum vero caſtrum Iborg armata manu recuperare non poterat, & de die in diem diœceſis imminueretur, cum conſilio venerabilis Capituli & civitatis Oſnaburgenſis illuſtrem Dominum Engelbertum de Marca Comitem adiit, infeſtando pro Domino Theodorico ejus germano, ut Vicarium vel Coadjutorem eccleſiæ Oſnaburgenſis & diœceſis aſſumeret reſignato Epiſcopo quæ ad ordinem ſpectant & etiam ad jurisdictionem Epiſcopalem, ſimulatque cum quibusdam curiis atque bonis. Comes ex tunc Engelbertus de Marca fratrem ſuum Theodoricum de ſtudio univerſali Montis peſſulani, in quo literis ſe diligenter inſtrui fecit, naturalem & legitimum evocari fecit, & operam dedit ita, quod Dominus Theodoricus de Marca legitime oriundus in Vicarium Johannis Epiſcopi ad duodecim annos aſſumptus fuit. Qui caſtrum Iborg cum opido, cum ſex villis eccleſiæ & diœceſi Oſnaburgenſi recuperavit. Item caſtrum Gronenberg cum ſuis attinentiis redemit. Novum etiam caſtrum fundavit, & turres caſtri magis fortificando conſtruxit, ſimul & portas, prout in Iborg & in Vorſtenowe portæ cum armis ſuis ſculptæ & depictæ clare in hodiernum diem atteſtantur. Curias & bona ad Epiſcopatum & eccleſiam ſpectantia in multo auro recuperavit: aliqua de novo emit: Clerum & populum defendit contra malignorum voluntates. Sed hoc certi maligni Principes Auſtrales, qui diœceſin noſtram ſæpe damnificaverant, turbarunt. Inter quos erat Epiſcopus Mindenſis Gerardus, quem ſperabat ex promiſſionibus, ut fertur, ſibi factis amicum, cum multis Domicellis, Johanne Comite de Hoja, Adolpho ejus

ejus fratre, Comite in Schowenborg, quem aliqui ſcribunt in Chronica Schowenborgenſi hoc feciſſe cum Comite in Hoja prædicto, & Wedekindo nobili, advocato de Monte, Mindenſis diœceſis (quia Epiſcopus Mindenſis & civitas cum Domino Theodorico ſcribitur fuiſſe in ſingulari confœderatione) & diverſis armigeris. Et de anno Domini MCCCLXIII. per rapinas & incendio terram noſtram invaſiſſe varia fecerunt damna. Ille generoſus & ſtrenuus Dominus Theodoricus vim vi repellere & eccleſiam & diœceſin defendere ope ſuorum & præſertim militarium & civitatis Oſnaburgenſis proponens, conflictum inivit circa rivulum, dictum videlicet de Holthuſer Becke, ubi heu! idem illuſtris dire vulneratus & anno Domini MCCCLXIII. captus fuit, multique de ſuis interfecti: inter quos erat quidam primicerius civitatis Oſnaburgenſis de Reke natus; etiam plures militares & cives Oſnaburgenſes corruerunt, & præſertim ditiores & nobiliores civitatis prædictæ, prout liber ſtatutorum civitatis Oſnaburgenſis eosdem ſcriptos continet. Et cum idem Dominus Theodoricus de Marca ad civitatem Mindenſem captivus produceretur, Epiſcopus ille Mindenſis, quem juxta pacta eorum amicum ſperaſſet, domum quandam aſcendiſſet, videns Dominum Theodoricum captivum duci, fertur ſalutaſſe, ac ſibi beneventum acclamaſſe. Et fertur Dominum Theodoricum reſpondiſſe in hæc verba in vulgari: Such Biſchop ſit und dar / biſtu dar. Domino Theoderico incippato & enormiter læſo, voluit, prout merito fecit, frater ſuus Dominus Engelbertus Comes de Marca, extunc inter multos Comites famoſiſſimus, una cum Comite Clivenſi, ac aliis illuſtribus & nobilibus cum ingenti exercitu diœceſin Mindenſem ingreſſus ferro & igni multa intulit damna, & civitatem Mindenſem, ubi Dominus Theodoricus frater ſuus detinebatur, circa feſtum petri & Pauli Apoſtolorum circumquaque obſedit & vallavit, & fratrem ſuum de captivitate liberavit, ita quod jus poſtliminii libere acquiſivit, quod non ſine magnis expenſis Comitis Engelberti & ſuorum actum fore dinoſcitur: præſertim ultra decem millia florenorum.

Tempus quo ipſe Theodoricus in vicarium aſſumptus articulos Epiſcopo, Capitulo, civitati & incolis ad utilitatem multifarie promiſit, & ſigillis reverendiſſimi patris Domini Engelberti de Marca Archiepiſcopi Colonienſis ſui patrui, & Engelberti ſui fratris Comitis in Marca & ſuo fuerunt munita, anno Domini MCCCLXVI. die ſolis in profeſto beatæ Mariæ Magdalenæ. Et prædictus Archiepiſcopus poſt ſuam promiſſionem & fidejuſſionis ſigillationem qui etiam Simoni Archiepiſcopo Trevirenſi ad gubernandam eandem eccleſiam Colonienſem commiſerat prout Dominus ſanctiſſimus aſſenſum præbuit, ſub anno Dominicæ incarnationis MCCCLXVIII. die XXVI. Auguſti omnibus humanis feliciter eſt exemptus. Circa hæc tempora Dominus reverendus Florentius de Wevelinchove, Epiſcopus Monaſterienſis, qui caſtellanos in Ravensberge & eorum complices in feſto Pentecoſtes dum diœceſin Monaſterienſem hoſtiliter invaſerunt, multaque damna intulerunt, inſequens usque in Versmole vicit & captivos exactionavit. Sed Dominus Theodoricus de Marca noſter Vicarius quosdam ex captivis famulos ſuos fore aſſeruit, offerens eos ad ſtandum juri, requirens Epiſcopum Monaſterienſem ut eosdem relaxaret: ad cujus recuſationem ac forte ob alias cauſſas idem Dominus Theodoricus Epiſcopum Florentium diffidavit, & in diverſis partibus Monaſterienſibus magna intulit damna. Tandem fuerunt guerræ per amicos hinc inde pacificatæ. Mox *** cum idem Epiſcopus Johannes eccleſiæ Oſnaburgenſi XVII. annis præfuiſſet, prout altiſſimo placuit diem clauſit extremum. Sit ei requies ſempiterna, Amen. Dedit eccleſiæ S. Johannis in Oſnaburg decretum, quod & ipſe manibus propriis correxit: ſepultusque eſt in eccleſia Cathedrali Oſnaburgenſi, & pro Epitaphio ſunt hæc metra:

Hac ſunt in foſſa Johannis Præſulis oſſa
Osnaburgenſis, miſerens cui cuncta potens ſis:
Hic nece proſtratus, vir prudens, moriger atus.

Anno Domini MCCCLXVI. in octavo S. Laurentii. Item ille idem Dominus Engelbertus de Marca Archiepiſcopus Colonienſis, patruus noſtri digni Theodorici Curatoris vel vicarii, primum fuit Epiſcopus Monaſterienſis, Anno Domini MCCCLXIV. in die Albani martyris de Eccleſia Monaſterienſi ad metropolitanam Colonienſem translatus per ſanctiſſimum Dominum noſtrum Urbanum Papam IV. & Domino Jo-

anni de Werneborg de eadem Eccleſia Monaſterienſi fuit proviſum. Qui ſolenniter introductus, brevi tempore eandem habuit eccleſiam: & ſcribitur aulam Epiſcopalem ac alia bona Eccleſiæ hypothecaſſe ad ſtatim: cum Dominus Johannes de Archele, Epiſcopus Trajectenſis, & Dominus Joannes de Werneborg, qui paulo plus ad unum annum ei præfuiſſet, vacaſſet eundem per prædictum Dominum Urbanum Papam præfecit Dominum Florentium de Wevelinchoven Eccleſiæ Colonienſis Subdiaconum.

Sublato de lacu hujus miſeriæ Domino Johanne Hoet, Epiſcopo Osnaburgenſi, ſucceſſit ei in Epiſcopio illuſtriſſimus Dominus Melchior ex Ducibus de Brunswich genitus, introductus per Dominum Florentium de Wevelinchoven, extunc Epiſcopum Monaſterienſem. Et quia Dominus Theodericus de Marca caſtra eccleſiæ ante ſua tempora aliis hypothecata redemit, & ſuas proprias pecunias expoſuit, etiam magna damna & expenſas ſuſtinuit & fecit, occaſione ſuæ captivitatis, ut ſupra patuit: obtulit venerabili Capitulo, Eccleſiæ, civitati diœceſis Osnaburgenſis reſtituere caſtra ſalvis ſolutis, damnis, impenſis & expenſis. Unde inter Dominum Melchiorem de Brunſwich, cui de eccleſia Osnaburgenſi proviſum fuit per ſanctam ſedem Apoſtolicam, Capitulum & diœceſin ex una, & nobiles Dominos Engelbertum & Theodoricum de Marca Germanos ex alia parte, erat conventum, quod pro omnibus impenſis & expenſis & damnis, quæ ipſe & armigeri ipſorum occaſione diœceſis Osnaburgenſis paſſi forent & expoſuerint, Epiſcopus Melchior Capitulum & diœceſis duo millia & centum marcas ante feſtum Michaëlis, tunc proxime venturum, ſolvere promiſerunt, vel caſtrum Ibroch cum ſuis attinentiis pro illis tradere, & quousq; prædictam ſummam Dominus Engelberto & Theoderico Comitibus de Marca infra annuitatem in civitate Monaſterienſi libere ſolverent abſque quocunque impedimento. Ex tunc Theodoricus de Marca, qui utiliter geſſit curam & negotia diœceſis Osnaburgenſis, omnia caſtra eccleſiæ & diœceſi libera reſtituit: quia taliter qualificata fuerunt aſſignata Domino Melchiori de Brunſwich, cui per ſedem Apoſtolicam fuerat proviſum de eccleſia & diœceſi Osnaburgenſi. Sed, heu! ille Dominus Melchior primo caſtrum in Vorden, cum parochiis ſuis, judiciis & pertinentiis: Deinde caſtrum Hunteborg ubi extunc decem militares & caſtellani habitabant, impignoravit: poſthæc Groneberg cum viginti caſtellanis & ſedecim parochianis, in quibus eccleſia Osnaburgenſis habet judicium, ſive altam jurisdictionem, hoc eſt, merum & mixtum imperium (Hæc verba, *altam jurisdictionem*, ex vetuſtis ſcriptis, de hac materia loquentibus recepi) licet, proh dolor! id Kavenburgenſis injuſtiſſime impedivit. Item hypothecavit caſtrum Iborg cum opido munito & decem caſtellanis & ſex parochianis. Quæ quidem ita inpignorata pro diverſis pecuniarum ſummis, per Dominum Melchiorem receptis, ultra decem millia hominum habebant. Et ſi bono fuiſſet uſus conſilio, ipſe competentiam de fructibus & proventibus eccleſiæ & diœceſis habuiſſet, opusque ei non fuiſſet talis diſſipatio. Nec in hoc contentus, licet in ſingulari cum Comite in Hoja fuiſſet confœderatione, ipſe tamen favorem inordinatum impendit cuidam Herbordo de Pannethe, qui de opido Quakenbrugge rapinis & incendiis multa damna intulit eidem Comiti in ſua Comitia, non obſtante quod jure complacitæ confœderationis prædictæ unum fuit, quod nullus prædictorum Dominorum per ſe vel per alios inferre deberet damnum alteri, neque fieri permittere, ſed impedire &c. Quare idem Comes requiſivit Epiſcopum ut damnum refunderet: propter cujus recuſationem, vel ſaltem non reſponſionem, idem Comes diœceſin Osnaburgenſem vi ingreſſus varias intulit rapinas. Et quia Epiſcopus noſter, præſciens Comitis adventum, nuncios miſit ad civitatem Osnaburgenſem, ipſe vero circa pontem Wedele in parochia Batbergen conflictum habuit cum Comite prædicto, & captivatus abducitur ad caſtrum Hoja. De ejus captivitate varii varia loquuntur. Reperi tamen in antiquis ſcriptis, quia uti non voluit maturo conſilio, cives Osnaburgenſes petiti exire & aſſiſtere ſibi recuſarunt, ipſe cum paucis Comitum aggreſſus primo, deinde terga dediſſe. Sed nobilis Domicellus Johannes Comes de Hoja, qui triumphavit, conſuevit dicere, quod militares Epiſcopi in notabili numero eum dereliquiſſent, unde ipſe ſolus cum Capellano, ſecretario & ſtabulariis captus, & contra derelictiones etiam in Romanam Curiam & ad longa tempora progenies illorum non erant exaltatæ.

Scimus

Scimus nos quod captivus fuit detentus, & quia ad aliquot menſes in captivitate fuiſſet, venerabile Capitulum, & ſpectabiles Proconſules, cum obtentu ſalvi conductus venerabiles Dominos Theodericum de Horne Præpoſitum, & Amelungum de Varendorpe, Canonicum Eccleſiæ, Theodoricum Brunzel Proconſulem, & Wernerum Voget Conſulem civitatis Osnaburgenſis miſerunt ad Domicellum Gerhardum de Hoja, Comitem, ad inveſtigandam intentionem Comitis & ſuæ voluntatis & beneplacitum, pro redemtione Epiſcopi Melchioris diligenter operantes. Et quia Comes reſpondiſſet, quod niſi quarta pars captivitatis, ſeu verius emolumentum de captivitate Epiſcopi proveniens ejus foret, ipſe intentionis eſſet, aliis quorum intereſſe etiam verteretur, ſatisfacere, & tunc plenius reſpondere. Quo facto, dixit, ſe in decem millibus florenorum ab Epiſcopo & ſuis complicibus, quos reſtituere deberet Epiſcopus ante liberationem. Illo audito cum voluntate Comitis acceſſerunt ad Epiſcopum, prædicta ſibi reſervando. Qui reſpondit in effectu, quod ipſis conſtaret inopia ſua, & quod ſui talem pecuniarum ſummam non haberent: unde ipſe Epiſcopus ſuaderet, ut viceverſa venerabilis Dominus Theodericus de Marca reſumeretur in Vicarium eccleſiæ & diœceſis Osnaburgenſis & ſuum; quod ibi annuere vellet, & eundem aſſumere, & ipſe decem millia florenorum exponeret, ac amabiliter mutuaretur, cum quibus ipſe Dominus Melchior Epiſcopus à captivitate liberaretur, & caſtrum Iborg Comiti in Tekenenborg hypotecatum redimeretur. Hoc iidem miſſi Dominis de Capitulo & Conſulatu & Conſulibus civitatis Osnaburgenſis expoſuerunt. Et quia hoc etiam nunciatum fuit Comiti Theoderico de Marca, & ipſe ad rogatum Capituli & civitatis Osnaburgenſis annuiſſet, certi, quo Spiritu ducti neſcitur, maligne impedierunt. Fortaſſis magis faventes, quod Comes in Tekenenborg caſtrum Iborg retinuiſſet, quam eccleſia, etiam timentes, quod virtuoſus Theodericus eorum malitiam magis quam alius compeſceret. Quod quidem impedimentum cauſſa fuit multorum malorum. Nam Epiſcopus in carceribus fuit derelictus, & unusquisque in diœceſi Oſnaburgenſi & in confinibus fecit & perpetravit quod voluit: homicidia, rapinæ, incendia orta ſunt infinita: etiam adeo quod in portis & foribus civitatis Osnaburgenſis plures violenter ſint occiſi. Unde Conſulatus Osnaburgenſis, optantes illis reſiſtere, auxilium exegerunt, etiam ut armigeros aſſumerent pro defenſione, alioquin fortaſſis, ut legi, adjecto, quod cogitare vellent de alio Domino & protectore: Capitulum vero reſpondendo petiit, & bene attendit, quod unum adhuc Dominum haberent, & quod eo in humanis exiſtente, & in vinculis, non eſſet alius cum honore aſſumendus. Quare omnes extunc conſenſum adhibuerunt, ut Dominus Theodericus ad beneplacitum & electionem Domini Epiſcopi in Vicarium in ſpiritualibus & temporalibus ad duodecim annos reciperetur, & certam florenorum ſummam apponeret, cum quibus Epiſcopus de carceribus & caſtrum Iborg redimeretur.

Anno igitur Dominicæ incarnationis MCCCLXXIII. in domo Domini Alhardi Kleinekoch militis, juxta opidum Wildeshuſen, XI. Januarii, idem Dominus Melchior Epiſcopus ex carcere illuſtrem Dominum Theodericum, Comitem de Marca, Præpoſitum Colonienſis Eccleſiæ in Vicarium Eccleſiæ Osnaburgenſis elegit atq; palam, publice, præſentibus venerabilibus nobilibus ſtrenuis, Chriſtiano Comite in Delmenhorſt, Epiſcopi prædicti prolocutore, cujus propoſitionem approbavit atque ratificavit, fecit atque deputavit, petivit ut illud onus etiam cum emolumentis aſſumeret, reſervata ſibi congrua proviſione: attento, quod ipſe Dominus Theodericus jura atque homines eccleſiæ & diœceſis ope ſuorum dominorum melius, ut ipſe Dominus Epiſcopus aſſeruit, quam ipſe poſſet defenſare. Quem quidem Vicariatum ipſe Dominus Theodericus aſſumſit ad petitionem Epiſcopi: ſicque Epiſcopus ſigillum ſuum argenteum cum catena de pera ſua extraxit, inſtrumenta & literas deſuper confectas ſigillando, aſtante Domino Johanne de Loen, Ludgeri Monaſterienſis, & Hermanno de Dryghuſen, Wildeshuſenſis eccleſiarum Decanis, Domino Lutgero eccleſiæ Osnaburgenſis Canonico, Domino Gerhardo Comite in Hoja & Brockhuſen, Domino Wedekindo de Monte, advocato eccleſiæ Mindenſis, ac Dominis Alhardo Kleinkoch & Frederico de Schagen milicibus, Johanne de Suntholt & aliis fide dignis.

Poſt hoc Dominus Epiſcopus Melchior eodem Anno XXI. April. in loco Capitulari Eccleſiæ Osnaburgenſis illuſtrem Theodericum Comitem de Marca Præpoſitum eccleſiæ Colonienſis, per eum in Vicarium tum in ſpiritualibus tum in temporalibus electum atque deputatum, venerabili Capitulo, præſidentibus ex tunc Theoderico de Horne Præpoſito, Wilbrando Decano, Gottfrido & Hermanno fratribus de Gamme, Sandero de Holtfelde, Sandero Thodranck, & Gottfrido de Meppen: & iterato in domo lapidea Præpoſiti, ſive Præpoſitura infra immunitatem eccleſiæ Osnaburgenſis ſita, Proconſulibus & Conſulibus & armigeris præſentandum duxit, atque putavit, petens ut eidem obedirent ad duodecim annos proximos, juxta vim & tenorem literarum deſuper factarum, ſalvo ſemper jure ſuo.

Dehinc Dominus Melchior ſe ad Romanam Curiam tranſtulit, pœnitentia fortaſſe ductus, illuſtrem Theodericum de Marca, aliasque ſpirituales & ſeculares perſonas citari procuravit ad ſedem Apoſtolicam, præſertim Lutgerum de Vechta, Canonicum eccleſiæ Osnaburgenſis, &, ut præmittitur, certos armigeros, quos de ſua captivitate vel infidelitate ſuſpectos habuit, Johannem de Wedigen armigerum ſuum officiatum in Vorſtenowe tempore ejusdem captivitatis, ut ipſi Lutgerus & Johannes perſonaliter comparere deberent, & eidem Domino Epiſcopo, ſuper objectis & objiciendis reſpondere. Verum Dominus Lutgerus coram Notario & teſtibus dixit, ſe calculo & aliis gravibus infirmitatibus fore gravatum, quod victi corporis Romanam Curiam perſonaliter viſitare non auderet, & quod tam ipſe, quam etiam Gerhardus, medicus ſuus, juramentis id firmaverunt. Ipſe etiam Johannes Wedege ſe iterato eſſe officiatum in Vorſtenowe, Domino Theoderico de Marca de defendendo bona & homines illius officii, & eccleſiæ præſtitiſſe juramenta quare abeſſe diœceſi & viſitare Romanam Curiam in propria perſona nequiret. Qui & etiam ſe innocentem de captivitate Domini Epiſcopi coram Notario & teſtibus firmavit atque excuſavit. Et Dominus Theodericus poſt Vicariatus aſſumptionem more ſuo, ut etiam prius fecerat, unum caſtrum & bona redemit, ſtrenueque eccleſiam & bona defenſavit, & ad Romanam Curiam procuratores ſuos, primo ad tractandum de amicitia cum Epiſcopo, ne etiam honori ejus detraheretur, honeſte committendo, in Romanam Curiam etiam in jure ad agendum & defendendum conſtituit & deputavit. Illis tribulationibus taliter actis, idem Dominus Melchior Epiſcopus per Gregorium XI. ad eccleſiam Swerinenſem translatus eſt, ubi poſt octo annos in Domino occubuit. Quidam aſſerunt eum veneno ibi intoxicatum: quod novit, ſi ſic eſt, altiſſimus.

Anno Domini MCCCLXXII. Dominus Florentius de Wevelinckhove caſtrum Stromberge, rebelle & indomitum, eccleſiæ ſuæ ſubegit. Et licet Epiſcopus Padeburnenſis, & nobilis Comes in Retberge, & Suzatenſes inopinate & viceverſa ceperunt, idem tamen Epiſcopus recuperavit.

Dehinc Anno Domini MCCCLXXIII. nobilis Simon Dominus de Lippia, cum aliis nobilibus militaribus in longa guerra in Dominio Ravensborg per Ottonem Comitem in Tekenenborg & Wilhelmum de Monte captus fuit.

Idem Dominus Florentius ſimul atque præmiſſus Dominus Melchior Epiſcopus noſter, auxilium præbente Ottone Comite in Tekenenborg, fortiſſimum caſtrum Dinckelage, quod obſidebant quindecim ſeptimanis & tribus diebus, cum ſequenti pugna penitus deſtruxerunt.

Item Anno MCCCLXXI. die XXII. menſis Auguſti bellum initum fuit inter Ducem Brabantiæ & Ducem Juliacenſem, in quo Dux Juliacenſis triumphavit Ducemque Brabantiæ cum multis nobilibus cepit & abduxit.

Tranſlato Epiſcopo Melchiore ad Eccleſiam Swerinenſem & ibidem vita functo, de Anno Domini MCCCLXXVI. circa feſtum exaltationis ſanctæ Crucis venerabilis & bellicoſus Dominus Theodericus de Horne, Præpoſitus Eccleſiæ Osnaburgenſis, rite & Canonice in Epiſcopum & Paſtorem eccleſiæ Osnaburgenſis eſt electus, & per Gregorium XI. confirmatus: ceſſitque ſibi Dominus Theodericus de Marca, cui merito ſummæ per eum pro liberatione Epiſcopi Melchioris, ac alias ad utilitatem & defenſionem diœceſis, expoſitæ, redditæ fuerunt & ſolutæ; ad quod faciendum iterum certa caſtra fuerunt obligata, ſicque diœceſis diſtracta. Quare ille electus Dominus Theodericus cum auxilio militarium & civitatis Osnaburgenſis pro recuperatione

maximos

maximos fecerunt labores & expenſas. Et quia ille Comes Otto de Tekenenborg, vir ſtrenuus & cupidus, habens in conthoralem filiam Domini Simonis de Lippia, qui primum caſtrum Rade acquiſivit pro ſuæ uxoris dote, cum clauſulis atque pactis quibusdam, veſtigia ſuorum avorum & proavorum imitando, caſtra & bona Eccleſiæ Osnaburgenſis occupavit, & de omnibus caſtris Eccleſiæ & diœceſis dempta ſola civitate Osnaburgenſi, & opido Quakenbrugge ſe intromiſit, & ad requiſitionem Epiſcopi reſtituere denegavit. Unde inter Epiſcopum & ſuos ex una, & Comitem Ottonem & filium ſuum Nicolaum ex alia parte, qui etiam ſæpe patrem ſuum prædictum capere & cuſtodiam ponere non verebatur, magnum & hoſtile initum fuit bellum. Epiſcopus enim cum aſſiſtentia ſuorum caſtra per circuitum obſedit aliqua, etiam civitas Osnaburgenſis ſola recuperavit multa, & varia damna, rapinæ & incendia tam in diœceſi Osnaburgenſi quam in Comitatu Tekenenburgenſi, fuerunt facta & illata. Ita etiam odioſæ fuerunt inimicitiæ, quod captivi ambarum partium laqueis ſuſpendebantur. Quare à ſervitio Dominorum militares & ſatellites ſe penitus abſtinuerunt. Etiam quia ſuperiores de Conſulatu & civitate Osnaburgenſi circa portam Haſe & hoſpitale ſancti Spiritus, cum exire voluiſſent adverſus Comitem per ſuos callide capti, & in Tekenenborg incippati, precibus Dominorum & amicorum pecuniis fuerunt redempti; & ſic amplius ceſſavit pœna ſuſpenſionis ad furcas, & captivi ſe pecuniis redemerunt aut permutationibus. Comes enim extunc dives & potens, poſſedit caſtrum Cloppenborg, Oytam, Snappen, Freſiamque dictam de Zogelter Freſen/ tot fecit damna in diœceſi Osnaburgenſi, & viceverſa majora per Epiſcopum in Comitatu ſunt inflicta, quod veſtigia hereditatum inclytarum hactenus demonſtrant. Eccleſia quoque Osnaburgenſis poſtquam eam Dominus Theodericus de Marca Theoderico Epiſcopo dereliquit & debita ſua detraxit, cum ipſe Comes Otto omnia caſtra detinuit, ita ſunt deſolata, quod quidem pro parte Comitis proponere non formidabant ut in perpetuum ordinaretur, quod Epiſcopus pontificalia exerceret, & ſibi certa quota aſſignaretur, Comesque caſtra & alios proventus haberet, & perpetuus fieret Eccleſiæ protector. Sed omnipotens Deus, qui etiam naviculam beati Petri ſubmergi, & bona Deo dicata ad humanos uſus transferri noluit, ſuſcitavit hunc Dominum puſillum in ſtatura, animoſum & bellicoſum ad inſtar David, qui alterum Goliam, Comitem ipſum, de antiqua proſapia genitum, animoſe ſuorum armigerorum & civitatis fideli adjutus auxilio vicit, & ut ſupra dicitur, omnia caſtra de manibus ſuis recuperavit. Erat enim ſecundum diverſitatem temporum quoque idem Dominus audax, armis ſuam eccleſiam defendens, quandoque, ubi potentia vincere non potuit, animos Principum precibus flectens pacem reportavit, ſubditos rebelles ſtravit, etiam ſanguinis judicium contra rebelles facere non prohibuit. Quidam Johannes de Bockroden, qui de Bucka interfecit, Epiſcopum non curavit, nec Deo nec hominibus volens emendari facere via juris proſcribi & damnari permiſit, & condemnato & in Quakenbrugge detento, idem Epiſcopus cum CCC. equeſtribus intravit, juſtitiam ſeu verius exactionem, usque ad capitis decollationem incluſive non interdixit. Quosdam etiam de Dunckeren dictos, qui Præpoſitum Ruke ſacrilego auſu interfecerant, cum eos apprehendi facere non potuit, exules factos, nusquam ad diœceſin ſuam, dum pœnitentiam non egerint, recipere voluit. Ipſe etiam Epiſcopus Theodericus auxilium præſtitit Epiſcopo Florentio Monaſterienſi contra Borchgravium in Stromberge, qui non ſolum contra Epiſcopum Osnaburgenſem nefanda perpetravit, eccleſiaſticis perſonis & miſerabilibus utriusque ſexus, & concaſtellanis non pepercit, unde banno Imperiali primò, deinde excommunicationis ſententiis innodatum de caſtro Stromberg expulerunt, & turrim ſuam magnam deſtrui, & caſtrum Craſſenſtein capi permiſerunt. Et quia pax tunc per ſpirituales Principes & ſeculares per Weſtphaliam, procurante hoc Henrico Spigel Epiſcopo Padebrunnenſe & Karolo Imperatore quarto, conſummata ſub certis modis & formis: videlicet, quod eccleſiæ & perſonæ eccleſiaſticæ, mercatores, peregrini & arantes cum rebus ſuis gauderent tali libertate, quod nemo eis violentiam inferret, & quicunque pacem illam infingeret, ſuſpendio interiret. Hæc pax quidem jurata eſt, & Imperiali decreto munita, ſed per iſtum Borchgravium non fuit ſervata, & ſacrilega multa nefaria contra hanc perpetravit, & ob hoc exul factus, receptus fuit per iſtum Comitem Ottonem in Tekenenborg,

 qui

Digitized by Google

qui ſe ſocium cujusvis fecit, & in caſtrum Rade collocavit, non prohibens ſibi nefaria exercere. Propter hoc, quia illum & alios transgreſſores in Rade fovit, reverendiſſimi Domini, Florentius Monaſterienſis & noſter Theodericus Oſnaburgenſis, Henricus Spegel Padebornenſis Epiſcopi, & Comes de Marca anno Domini MCCCLXXXIX. caſtrum Rede obſidione vallarunt, & æquo animo caſtrum oppugnabant, & Archi-Epiſcopus Colonienſis hujus pacis conſors principalis perſonaliter venire recuſavit. Opido deſtructo & obſidione quaſi menſibus ſex continuata, conceſſum etiam Comiti in Tekenenborg quod certa pecuniæ ſumma abſolveret obſidionem: Illa obſidione durante Epiſcopus Florentius ad eccleſiam Trajectenſem eſt translatus, & in die beati Willebrordi, anno quo ſupra, admiſſus ſolemniter introductus. Etiam quia in obſidione fuerat placitatum, quod Comes Burchgravium in ſuis caſtris neque tenere neque eundem fovere debebat, & damna illata eccleſiæ & eccleſiaſticis perſonis reſarcire. Et ante illam obſidionem de Anno Domini MCCCLXXVII. Walburg, propter receptationem Comitis, ipſe Epiſcopus Florentius & Theodericus caſtrum Haſtebeke & opidum Versmell, poſtquam eundem ſimul & ſemel diffidaverunt, & juſtum bellum intulerunt, oppugnaverunt & penitus deſtruxerunt. Et quia Comes Otto placitata circa obſidionem Rede non ſervavit, de novo per Dominos fuit diffidatus. Sed quoniam Domino Florentio de Eccleſia Trajectenſi fuit proviſum, antequam tamen ſe illuc corporaliter transtulit, ultimo anno non defecit, ſed multa peregit. Poſt ejus tamen receſſum proximo anno noſter Theodericus Epiſcopus, miniſteriales & civitas Oſnaburgenſis Burchgravii receptationes inſequendo, eundem ultra Weſeram primum, deinde ad caſtrum Grubenhagen, & ad Saxoniam ita compulerunt. Domino Florentio ad eccleſiam Trajectenſem translato, quam laudabiliter ad XII. annos rexit, providit Papa Urbanus VI. cuidam Bohemo, qui dicebatur Potho de Potenſtein, de Eccleſia Monaſterienſi, qui invaſus cum ſuis Bohemis circa Hammonem in Comitatu Comitis de Marca, & liberatus, cum reverentia ad eccleſiam receptus & inthroniſatus, mores hominum & terræ neſcius, caſtrum & opidum Horſtmar Comiti de Hoja impignoravit, translatus eſt ad Eccleſiam Sverinenſem, de quo ſic ſcribitur:

Providus ex toto non fuit ille Potho.

Vidi etiam & legi literas ſuas, in quibus Dominus de Gemen caſtrum Odingen hypothecavit, & ſibi ac ſucceſſoribus ſuis facultatem redemptionis reſervavit. Quas quidem literas reverendiſſimus & illuſtris Dominus & Princeps Johannes de Bavaria, ex Ducibus & Comitibus Palatinis Rheni ortus, extunc Epiſcopus Monaſterienſis, & deinde translatus ad metropoliticam eccleſiam Magdeburgenſem, oſtendit quondam reverendiſſimo Domino Conrado Comiti de Deipholte Epiſcopo Oſnaburgenſi pie defuncto, me aſtante & vidente. Sed licet nullum ab illo Pothone Dominus noſter Theodericus habuit auxilium, permanſit tamen firmiter in propoſito eccleſiam & diœceſin manu armata defendendo.

Pothone translato ad eccleſiam Swerinenſem ſucceſſit ſibi per electionem Capituli & confirmationem Urbani VI. Heidenricus Wulff, Præpoſitus eccleſiæ Monaſterienſis, inthroniſatus per Engelbertum Comitem de Marca, & Dominum Theodericum fratrem ſuum, qui etiam eccleſiam Oſnaburgenſem diu fortiter protexit.

Hic Heidenricus una cum noſtro Theoderico opidum & caſtrum Linge obſidione vallavit, & Comitem ad concordiam coëgit. Illi etiam Epiſcopi & fratres in Domino Theodericus & Florentius ſibi invicem auxilium præſtiterunt. Nam noſter Dominus Theodericus Domino Florentino cum magna manu, igne & ferro multa in Comitatu de Marka de vaſtando, villam Weſthofen penitus deſtruxit. Neſcio ex qua cauſſa noſter Epiſcopus Comitatum invaſit, non attento, quod ille Theodoricus fidelis fuit defenſor Oſnaburgenſis eccleſiæ. Sed præſumo quod poſt translationem Melchioris pecunia in quibus Oſnaburgenſis eccleſia obligata fuit, eidem Domicello plene non fuerat ſoluta; unde orta erant bella: ſic quod noſter Epiſcopus neceſſario ſe defendere habuit. Et quamvis noſter Epiſcopus Heidenrico Monaſterienſi fecit ſubſidia & etiam circa civitatem Monaſterienſem cum magno exercitu primus fuit ad pugnam & conſiſtentiam facere eidem contra Comitem de Marca prædictum, qui tunc incendiis & rapinis invaſit diœceſin Monaſterienſem, eum illius tamen beneficii & aliorum multorum immemorem.

Dum

Dum iterato Comes in Tekenenborg ab injuriis & violentiis ceſſare non erubuit, ſed iterum & iterum eccleſiaſticas perſonas & eorum bona diœceſis Oſnaburgenſis invaſit, pacemque dictam & juratam violavit & propter hoc & alia nefanda ad judicium Frigra viatus per advocatos & legales nomine diœceſis & civitatis Oſnaburgenſis legitime vocatus, eundem Comitem cum multis armigeris equeſtribus & pedeſtribus adeo potenter ad ſedem & judicium contra ordinem & ſtatuta judicii ejusdem, quod extunc noſter Epiſcopus Theodoricus propter potentiam adverſariorum ſuæ partis actiones ad proſequendum cauſſas coram judicio ſupradicto producere non valebant.

Circa hæc tempora Karolus quartus Imperator, videlicet anno MCCCLXXIIX. fuit in civitate Minda & Padeborne, & Wenceslaus filius, patre præſente, Aquisgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt. Et ibidem Wilhelmus Comes de Monte, mutato titulo Comitatus, de Comitatu Ducatum erigit, & de eodem Ducatu ſic erecto meruit inveſtiri: unde à modo Dux Montenſis eſt appellatus.

Poſt hoc de anno MCCCLXXXI. magna fuit controverſia inter Capitula & totum clerum civitatis Oſnaburgenſis, & Proconſules & Conſules, & communionem ejusdem civitatis, ſuper oneribus per clerum ſubeundis. Nam de recuperatione caſtrorum diœceſis, quæ apud alienos dominos fuerant occupta, civitas magna damna tuliſſet, & etiam quæ imminebant civitati commode reſiſtere non poterat ſuis duntaxat expenſis, unde de bonis patrimonialibus & aliis extunc propoſitis. Clerus vero immunitates per Romanos Pontifices & Divos Imperatores datas allegaverunt, petentes ut his gaudere poſſent atque frui. Fertur etiam quod clero perſonaliter extra civitatem exiſtente, portæ civitatis clauſæ fuiſſent, & aditus vel reditus præcluſus. Illa contentione durante, ne deteriora contingerent, quidam militares, Laici duntaxat, ſe interpoſuerunt, & de ſcitu Domini Epiſcopi Theoderici, ut aſſerunt, arbitrationes & amicabiles compoſitiones per articulos conceperunt, & ſententias ſuas arbitrales, (iſti videlicet, Everhardus de Varendorpe miles, Fredericus Duvel, Lodowicus & Ludolfus fratres de Haken, Amelungus Buck) ſub certo modo & forma, anno Domini MCCCLXXXI. in die beati Auguſtini Epiſcopi tulerunt & ſuis ſigillis munierunt: quod quidem laudum, ſeu verius compoſitionem amicabilem Capitula majora & S. Johannis Oſnaburgenſia poſt hoc ratificandi atque emologandi etiam ſua majora ſigilla duxerunt literis deſuper confectis appendenda. Qui articuli, **dat Verdrag**/ in vulgari appellantur.

Iſtis temporibus fuit Epiſcopus Wedekindus in Minda, de nobilibus de Monte oriundus, cui laus & victoria aſſcribitur. Et licet inter eundem Epiſcopum & cives Mindenſes quædam controverſia fuiſſet exorta de quodam telonio, quod Epiſcopus ab Imperatore impetraverat, extunc Ericus Comes de Hoja ſuſpicans Epiſcopum auxilio deſtitutum, caſtrum Depenow ipſo die undecim millium virginum erexit: illud tamen cum auxilio Gerhardi Epiſcopi Hildeſienſis, Ottone Comite in Schowenborg, & civibus Mindenſibus in die ſeptem fratrum per quindenam obſediſſent, cepit & igni tradidit.

Hic etiam caſtrum quod militares in Werpe in præjudicium diœceſis Mindenſis fundarunt de anno MCCCLXXXIII. deſtruxit atque concremari fecit: quod quidem caſtrum illi de *** vulgari nomine Haddenborg appellarunt. Unde Mindenſes cives & alii poſt deſolationem caſtri dicuntur, **He/He hadde ein Borg.** Hic Widekindus eodem anno migravit ad Dominum, & ſucceſſit ſibi Otto ſuus cognatus, etiam de nobilibus de Monte, Præpoſitus S. Mauritii extra muros Hildesheimenſium, cujus electionem Urbanus VI. confirmavit.

Item anno Domini MCCCLXXXIIII. in feſto corporis Chriſti commiſſum ſcribitur bellum inter Henricum & Fredericum Duces de Brunſwick & cives de Lunenborg, quorum parti favebat prædictus Dominus Otto, Epiſcopus Mindenſis, Otto Comes de Schowenborg, Ericus & Otto Comites de Hoja, & quamplures alii. Hi, quia juxta villam Winhuſen mutuo ſe aggredientes, durum habuiſſent conflictum, & prope fuiſſet fluvius, quem ſi Lunenburgenſes cum ſuis complicibus pertranſiſſent, & eo ſecurius & cautius pugnare vel retrocedere potuiſſent. Ille Comes Otto de Hoja fertur

Ja fertur dixiſſe in vulgari: Mantel Godes de Barnſilau vlu ne werſle. Sic victoria ceſſit Brunſuicenſibus, & plures fuerunt interfecti, multo plures capti.

Eodem anno Gerardus de Monte Epiſcopus Hildenſemenſis Carthuſiam apud Hildenſem poſtquam triumphaverat in bello, fundavit.

Item anno Domini MCCCLXXXII. obiit Johannes de Monte Archidiaconus in Oeſen: & Dominus Simon de Monte, vir modeſtus & prudens, anno Domini MCCCLXXXI. inivit concordiam cum Capitulo de & ſuper miniſtratione, quam usque ad illa tempora Præpoſiti conſueverant facere Canonicis quam Præpoſitis abſolverunt, & Præpoſitura ſuis proventibus contenta à miniſtrationibus hujusmodi cenſetur liberata. Etiam quia in diem ſuum feliciter jubilans & parum per ante agoniſationem cantans illam Antiphonam de Domina: *Iſta eſt ſpecioſa inter filias Hieruſalem*: diem clauſit extremum. Ex tunc illo venerabilis Otto Epiſcopus Mindenſis de germine nobilium de Monte, quia defeciſſet progenies agnatorum, hæredes ſuos omnipotentem Deum, ſanctum Petrum Apoſtolum & ſanctum Gorgonium martyrem faciens, dominium Montis cum caſtris & attinentiis ſuis eccleſiæ Mindenſi, ac ad manus Dominorum Capituli & Præpoſiti, ad utilitatem diœceſis ejusdem, pie & irrevocabiliter perpetua donatione donavit, adjungens atque ſtatuens quod hujusmodi dominium & caſtrum impignorare non debent ad alienos uſus: quod ſervi, litores, coloni & incolæ iſtius dominii ſi aliquotiens inter Epiſcopum Mindenſem & civitatem, quod abſit, guerræ fierent, ex tunc ab his exempti eſſe deberent & alieni. Ordinavit etiam, quod pro tempore Epiſcopus moram ſuam ibidem perſonaliter contraheret. De illo Epiſcopo, qui in eccleſia Mindenſi in Choro ſepultus, ſcripta ſunt iſta metra ſequentia:

Conditur hac tumba vir nobilis atque columba,
Simplex & rectus, heu nunc in corde rejectus,
Præſul Mindenſis, Otto de Monte vocatus,
Laudibus immenſis Cleri vulgique probatus.
Ditans hanc ſedem cum Monte ſuo, quia Chriſtum
Fecerat hæredem, dotando locum magis iſtum
Cur vos patroni rogitando ſurgite proni
Petreque Gorgoni poſcatis eumque reponi
Conſortem throni, reddendo vicem dationi,
Tam grandis doni, quod ceſſit huic regioni.
M. ter C. junctis, L. & X. quater octoque punctis
Ipſum defunctis dat poſterior quoque cunctis.
Inclyta virgo pia dicto ſuccurre Maria
Quæ ſunt absque bria ſanctorum gaudia dia.
Hic jacet electus Otto Præſul modo tectus,
Qui meritis magnus fuit, & manſuetus ut agnus.
Hic duo caſtra dedit ſedi quo tempore ſedit,
Et ſibi diſtrictum Montis genitore relictum
Pro quo Chriſtus ei tribuat ſedem requiei.

Inter iſta tempora multifariam in diœceſibus Weſtphaliæ ſunt pacta. Nam noſter Epiſcopus Theodoricus de Horne in itinere inter caſtrum Gronenberg & opidulum Melle circa quendam vicum à caſtellanis in Limberge, nulla diffidatione prævia, nec aliquid mali ſuſpicans, de illis captus eſt, & ad caſtrum Limborg perductus. Et cum jam in caſtro ſeu in porta caſtri fuiſſet, ille de Buſche literas diffidatorias voluit mittere ad caſtrum Domini jam capti. Quod Dominus Epiſcopus intelligens, fertur dixiſſe ad miniſtrum: *Da mihi literas, ad me ſpectant*; & ironicè ſubjunxit: *Ja, ja, ſatis tempeſtive ſunt emiſſæ.* Placitis tentatis, liberatus eſt pro DC. aureis Rhenenſibus. Prorupit quoque tunc in hæc verba: *Si petitio dici debet, tunc eſt nimis gravis; ſi vero exactionatio Epiſcopi Oſnaburgenſis, tunc ſatis moderata.*

Eodem quoque anno, circa feſtum Petri & Pauli, reverendi patres & Domini Otto Monaſterienſis, & Theodericus Oſnaburgenſis, ſimul atque Proconſules & Conſules ambarum civitatum, videntes quod nobilis Otto Comes in Tekenenborg adhuc de rapinis & injuriis illis & ſubditis diœceſium ambarum manus ſuas violentas

conti-

continere non voluit, certos tractatus de obſidione caſtri Kloppenborg, unde multa eis fiebant damna, inierunt, inter alia continentes, quod ſi omnipotentis Dei gratia caſtrum illud per illos Dominos Epiſcopos contingeret expugnari, extunc Epiſcopus quilibet quartam, & quæque civitatum illarum quartam partem dividere & obſervare ita vellent, prout literæ deſuper confectæ ſigillis Epiſcoporum & civitatum munitæ, clare patefaciunt. Et cum circa feſtum Petri & Pauli cum caſtellanis in Quakebrugge & Vechta hoc caſtrum obſediſſent, & ipſo die beati Benedicti expugnaſſent & obtinuiſſent, quilibet Epiſcoporum & civitatum Droſſatum ibi poſuit & conſtituit: inter quos dominus Delmehem ex parte Oſnaburgenſium ibidem caſtro præeſſendum ordinatus, ad tempora tenuit. Et cum villæ & domus ad caſtrum ſpectantes fuerunt combuſtæ, Nicolaus Delmehem reliquit caſtrum propter carentiam expenſarum, in magnam eccleſiæ & civitatis jacturam.

Poſt hoc vero, anno Domini MCCCXCVIII. ipſo die Sanctorum Innocentium, certa pacta nociva diœceſi Oſnaburgenſi & civitati inter Dominos Epiſcopos ſunt habita. In quibus pro parvis juribus, quæ habuit diœceſis Monaſterienſis circa Vorden, noſter Epiſcopus Theodericus jus quod ſibi competiit in caſtro Cloppenborg, proh! ſcribitur reſignaſſe. Rurſus guerris illis durantibus & accedente Domicello Nicolao filio Comitis Ottonis qui filiam duxit Comitis de Morſen, ſororem Archiepiſcopi Colonienſis Theoderici de novo de anno Domini MCCCC. ſabbatho poſt Ægidii, idem Otto Monaſterienſis & Theodericus Oſnaburgenſis Epiſcopi adverſus Nicolaum Comitem conſpirationem fecerunt, & caſtrum Tekenenborg, obſederunt. At Dominus Otto Epiſcopus Monaſterienſis de menſe Julii obſedit caſtrum & opidum Bevergern, & in quatuor diebus obtinuit: item Linge cum adjutorio Brunoldi Ducis de Brunſwick & Lunenborg, & Comitis de Schowenborg, & Comitum de Hoja &c. Quare Comes in Tekenenborg ſe concordavit cum Dominis Epiſcopis Monaſterienſi & Oſnaburgenſi juxta tenorem literarum, quæ apud Capitulum Monaſterienſe continentur.

Eodem anno die beatorum Criſpini & Criſpiniani martyrum idem Nicolaus Comes in civitate Monaſterienſi conſtitutus coram Arnoldo Biſchoping judice ſeculari civitatis Monaſterienſis quitavit & omnibus actionibus ſibi aut hæredibus ſuis quomodolibet contra & adverſus Theodericum Epiſcopum, miniſteriales & civitatem Oſnaburgenſem competentibus, prout ex eo, quod ipſe una cum aliis caſtris Cloppenborg & Oytam expugnaſſent, & quod nunquam adverſus eosdem facere, agere aut attentare vellet: & quod jurisdictionem Epiſcopi & Prælatorum ac etiam Synodalia non impedire vellet: etiam quod Capellanus in Iborg tertiam partem offertorum in Lengerke in primis veſperis, & in die beatæ Margaretæ virginis ibidem offerri contingeret impedimento quacunque ceſſante percipere poſſet, juramento corporaliter præſtito, præſentibus reverendo Ottone Epiſcopo Monaſterienſi, nobilibus Dominis Bernardo Comite in Benthem, Domino Arnoldo in Guterswiek, ac Domino Meſano de Bekehuſen Decano, Domino Lubberto de Radenberge Videdomino, Domino Adolpho de Leenbeke Cellerario, Hermanno de Munſter & Hermanno de Keppel Canonicis eccleſiæ Monaſterienſis, Heidenrico de Saſſen, Bernardo Droſten, Alberto filio Hermani de Merfelde, Hermanno de Billerbeke, Amelungo de Varendorpe filio Domini Everhardi, Hermanno Korff, Henrico de Oer, Gerhardo Kappel & Johanne Halewat, ac aliis fide dignis.

Sopitis, ut præmittitur, guerris cum Comite in Tekenenborg noſter Epiſcopus Theodericus ſenio confectus licet ſtrenue ſuam eccleſiam pro poſſe ſuo, etiam corpori non parcendo, defendit in guerris cum ſua ſibi non ſuffeciſſent etiam ſuorum pecora pro alimentis coquinæ adimi non prohibuit, Capitularibus & confratribus, qui ſibi ſufficiens non præſtarunt auxilium, ut aſſeritur, non parcendo. Hoc aliqui tempori ſenectutis ſuæ reſervantes contra eum cœperunt murmurare. Quare Coadjutorem ſive defenſorem illuſtrem Dominum Wilhelmum Comitem in Ravensberge ſupradictum cepit advocare, unde quievit manus adverſariorum. Et ipſe Dominus Theodericus caſtrum Hunteborg munivit, turrim & cameram conſtruxit & cum caſtellanis eccleſiam ibidem fundavit & dotavit jus præſentandi, ejusque conſilio, & conſenſu ac ſuorum ſucceſſorum præhabito Caſtellanis contribuit mitram

Ponti-

Pontificalem cum ornamentis, cum armis ſuis Deo & beatis Petro Apoſtolo, ſanctis martyribus Criſpino & Criſpiniano patronis, amphoram argenteam cum aliis clenodiis venerabili Capitulo, & etiam aliam amphoram conſulatui civitatis Oſnaburgenſis largiendo memoriam ſuam apud eccleſiam Cathedralem inſtituendo; etiam aulam & cubile in nova civitate Curiæ Epiſcopalis ædificare fecit. Et cum laudabiliter eccleſiæ & Diœceſi Oſnaburgenſi XXV. annis præfuiſſet omnipotenti Deo, beatiſſimæ virgini Mariæ, & ſanctis patronis ſuis Petro Apoſtolo, Criſpino & Criſpiniano martyribus & toti curiæ cæleſti triumphanti de anno Domini MCCCCII. die II. menſis Januarii, animam ſuam commendavit, & ab hujus ſeculi miſeria migravit ad Dominum. O Deus omnipotens miſerere animæ ſuæ, & ô ſacratiſſima virgo virginum, quæ ſperantes in te non deſeris, intercede pro eo, vosque patroni præſentate animam fidelis veſtri Capellani omnipotenti Deo, ſupplices pro eadem exorantes, Amen. In ejus Epitaphio ſunt ſcripta illa metra:

Tu cras poſt Priſcæ moreris Præſul Tiderice,
Ex Horne dictus, bis II poſt mille quater C
Oſnaburgenſis, utinam ſuper aſtra potens ſis.
De dono Chriſti paſtor bonus ipſe fuiſti.

Eodem anno feria ſecunda proxima poſt Dominica Miſericordias Domini migravit etiam à ſeculo dictus Wilhelmus de Briſcho, Epiſcopus Mindenſis, cui in Chronica Mindenſi parum laudis aſcribitur. Deus, cui cuncta cognita ſunt, novit quis & qualis fuit. Sit ei requies ſempiterna, Amen.

Iſto tempore fuerunt captivi, & in caſtro Montis detenti Fredericus de Horne, & Amelungus de Varendorpe, & per Henricum de Borendick liberati, de quo conſanguinei Epiſcopi diffiderunt Curiam Mindenſem & civitati damna intulerunt multis temporibus, civibus parum advertentibus.

Vacante iterum Eccleſia Oſnaburgenſi per obitum reverendi quondam patris Domini Theoderici de Horne, proviſum fuit eidem de illuſtri Domino Henrico ex Comitibus de Holtſatia, ex Ducibus Sleswicenſibus nato, & quia extunc neutralitas fuit inter Clementem VII. dictum Urbanum VI. & poſt eos inter Bonifacium IX. & Benedictum XIII. & poſt eorum deceſſum inter Innocentium VII. Gregorium XII. & Alexandrum V. electum in Conſilio Piſano, contigit quod ipſius Domini Henrici confirmatio vel proviſio non fuit Capitulo, miniſterialibus & civitati Oſnaburgenſi inſinuata primitus, quam die Lunæ beati Epiſcopi Severini in menſe Octobri ejusdem anni mortis Domini Theoderici prædicti. Unde extunc admiſſus & inductus ſolenniter, ſuo cognato Domino Ottone de Hoja præſente & ſe coadjutorem & defenſorem offerente. Hic cum Dominus Henricus, meritorum & ſeveritate fulcitus, jura eccleſiæ ſtrenue defendere propoſuit, ſatis mane (prout à venerabili quondam Domino Requino de Carſſenbroke, quondam Abbate in Iborg, qui ibidem reformationem procuravit, edidi) templum Domini ingreſſus cum ſuis Cappellanis & miniſterialibus devotè oravit & ſatis honorifice vixit: qui convenientes proceſſionaliter eundem poſt egreſſum eccleſiæ ſunt ſecuti.

Dedit in Iborg, Vorſtenowe & Vorden opidanis privilegia & immunitates & etiam municipalia jura & leges, providitque de ſucceſſione cognatorum atque agnatorum prius defunctis, ut privilegia opidanorum ſigillis ſuo & Capituli munita clare atteſtantur. Inſtituit etiam & præfixit diem omnibus ſuis vaſallis, requirens ut ſe de bonis Eccleſiæ Oſnaburgenſis, prout unusquisque tenebatur, ſe facerent inveſtiri. In quo termino multi nobiles & ſtrenui milites, militares & vaſalli comparuerunt, inveſtituram à Domino prædicto receperunt, & juramenta fidelitatis præſtiterunt, & multa præterea bona in Regiſtro ſuper his confecto, quod vidi, ſunt ſcripta, quæ modernis temporibus à vaſallis non exprimuntur. Silent plures vaſalli, Dominorum etiam deſidia vel ſaltem ad alia occupatio damnum infert Eccleſiæ Oſnaburgenſi. Ædificari etiam fecit unam cameram in Vorſtenowe, quæ hactenus cubile Epiſcoporum extitit, cum feneſtris ſuorum avorum & progenitorum, armis Regum, Ducum & Comitum fulcitis atque decoratis.

Cum ergo præmiſſus Dominus Henricus bene & laudabiliter regere incepiſſet, & parum temporis præfuiſſet, devenit ad eum lamentabilis expoſitio, videlicet quod Germa-

germanus ſuus Dux Sleswicenſis & Comes Holtſatiæ de Anno MCCCCIV. ipſo die beati Dominici in terra, quæ dicitur Dithmarſchen, cum trecentis & ſexaginta armigeris forent occiſi; quare ad Ducatum & Comitatum, ut ad patriam, remeavit, juri, quod in eccleſia Oſnaburgenſi ipſi competiit, renunciando. Et propter dilectionem, quam habuit ad illam diœceſin & Conventum fratrum Eremitarum S. Auguſtini civitatis Oſnaburgenſis, dedit Conventui terminum petendi in Ditmarſchen / quem Conventus habet de hodierno.

Circa hæc tempora, videlicet Anno MCCCCV. nobilis Bernardus de Lippia cepit Henricum Ducem Luneburgenſem & captivum in caſtrum domini ſui Valkenborg cum aliis captivis abduxit, & placitis habitis Dux magnum theſaurum ſolvit & pro illo fidejuſſores poſuit. Sed deinde Anno Domini MCCCCVII. circa feſtum Jacobi Apoſtoli manu valida terram & dominium de Lippia intrans multa damna fecit, igne & ferro devaſtando.

Iis etiam temporibus fuit controverſia inter Dominum Gerhardum de Monte Præpoſitum Colonienſem electum, & Dominum Ottonem de Retberg, cui à ſede Apoſtolica fuit proviſum de eccleſia Mindenſi, Gerardo detinente caſtrum Montis, & Ottone caſtrum Petershagen, ſed Dominus Otto permanſit Epiſcopus & redemit vexationes injuſtas, adeptusque caſtrum Montis totam ipſam diœceſin, Gerardo recedente.

Cum ergo Eccleſia Oſnaburgenſis per liberam reſignationem illuſtris Domini Henrici de Holtſatia vacaſſet, reverendus in Chriſto Pater & Dominus, Dn. Otto de Comitibus Hoja oriundus, Epiſcopus Monaſterienſis, eandem à ſanctiſſimo Domino noſtro Apoſtolico in commendam impetravit, & ejus poſſeſſionem pacifice adeptus fuit: cum more ſuo prout nunc, etiam extunc, eccleſiam & diœceſin Monaſterienſem ſtrenue contra multos potentes nobiles & militares defenſavit, noſtram eccleſiam & diœceſin non minus protexit & defendit.

Et cum de Anno Domini MCCCCVI. in menſe Septembri circa feſtum Michaëlis diffidati fuiſſent inimici, prædictus Dominus Otto Epiſcopus Monaſterienſis & Adminiſtrator Eccleſiæ Oſnaburgenſis, & nobilis Henricus de Solmes, Dominus in Ottenſtein, propter varia damna & injurias quas intulit ille Dominus Henricus Eccleſiæ Monaſterienſi. Unde prædictus Dominus Otto valida manu cum ingenti exercitu caſtrum Ottenſtein obſedit, ubi civitas Oſnaburgenſis, una cum militaribus diœceſis ejusdem non parvum præſtiterunt auxilium, etiam corporibus & rebus miniſterium facientes. Et licet eidem Domino Henrico de Solmis in adjutorium fuiſſet illuſtris Dux Adolphus Clivenſis, cui etiam favoriſavit sereniſſimus Dominus Ropertus de Bavaria Romanorum Rex, & adjutorium præſtiterunt Landgravius Haſſiæ Comes & Domini de Morſa, de Hensberen, de Zeyne atque plures alii, ita quod Anno Domini MCCCCVII. circa feſtum Lamberti, cum circumvallati in caſtro Ottenſtein penuriam victualium ſuſtinuiſſent, ac eis inſtrumenta defenſoria defeciſſent, prædictus Dux Clivenſis perſonaliter cum ſuis complicibus, Domino Ottone invito, victualia & alia neceſſaria miniſtravit & porrexit. Quod licet Dominus Otto amaro ſuſtinuit animo, non tamen propter hoc à propoſito receſſit, ſed ut Leo rugiens in obſidione permanſit, donec Dei adjutorio, intercedentibus ſuarum eccleſiarum ſanctis Patronis Petro & Paulo Apoſtolis in craſtino Jacobi Apoſtoli Anno MCCCCVIII. fortiter obtinuit. Unde gaudium terris & diœceſibus & favoriſantibus Domino Ottoni non parvum eſt ſubortum.

Eodem anno in nocte Priſcæ virginis & martyris obiit Dominus Gerardus Buck Præpoſitus Eccleſiæ S. Johañis Oſnaburgenſis, cujus anima requieſcat in pace perpetua.

Iſto etiam anno Leodienſes obſederunt Trajectum ſuper fluvium Maſs ſitum, qui vocarunt Dominum ſuum electum Leodienſem, fratrem Ducis aut Comitis Hollandiæ, ac prælatos & clericos adhærentes beneficiis de facto privabant per medium filii Domini de Perwys, quem ſibi Dominum nitebantur conſtituere. Congregatis verò amicis electi, videlicet Ducis Burgundiæ, Comitis Hollandiæ & aliis, inſtauratum eſt bellum, victiq; ſunt Leodienſes & ceciderunt ex eis circiter XXXVI. millia, Dominica ante feſtum Michaëlis. Et deinde præfatus electus cepit Leodium & alias civitates ſibi rebelles, & occiſi ſunt & ſubmerſi homines utriusque ſexus quatuor milia.

by Google

Præmiſſo etiam Anno Domini MCCCCVII. Dominus Wilhelmus de Monte & Ravensberge, electus Padebornenſis, bello caſuali vicit Comites de Spegelberge & opidanos de Hamelen in die Cæciliæ virginis, plures etiam de ponte circa Weſeram prædicti opidi in fuga cadendo ſunt ſubmerſi.

Eodem anno idem Dominus Wilhelmus cum multis Principibus ac nobilibus contra nobilem Dominum Simonem de Lippia & Bernardum filium ſuum, opidum Horne obſedit & anno ſequenti, videlicet MCCCCVIII. circa Lemego cum exercitu D. lancearum eosdem Domicellos Simonem & Bernardum coëgit præſtare homagium, & Horne & Valkenberge recipere in feudum cum aliis ab Eccleſia Padebornenſi dependentibus.

Idem etiam Dominus Wilhelmus de Monte, Epiſcopus Paderbornenſis reverendum Dominum Fredericum de Sarwerden Archi-Epiſcopum Colonienſem & Dominum Adolphum extunc Comitem, poſt Ducem de Clivia, qui cum magno exercitu in diœceſi Paderbornenſi igne & gladio damna intulerunt, in loco Delebruggen bello vicit inopinato, ubi CCCLX. de parte Archi-Epiſcopi & Ducis ſunt capti, & LXXX. equi perditi, militaribus ac etiam de opido Suſacienſi civibus induciis datis, ſic quod militares capti redierunt, ſed Suſacienſes impediti, ſeu per Ducis prædicti Capitaneum iterum capti, non redierunt, atque fidem præſtitam ſervaverunt, prout idem Dominus electus & ſui multifariè querelabantur.

Anno Domini MCCCCXIV. VIII. Id. menſis Aprilis obiit Dominus Fredericus Archi-Epiſcopus Colonienſis. Vacante ſic eccleſia Colonienſi pars Capituli elegit nobilem Dominum Theodericum ex Comitibus de Morſa & Sarwerden genitum, Canonicum eccleſiæ prædictæ & Præpoſitum Bunnenſem: aliqui vero poſtularunt illuſtrem Dominum Wilhelmum de Monte, electum Paderbornenſem prædictum, fratrem illuſtris Ducis Adolphi Montenſis, qui aliquandiu inimicitias deſuper habuerunt, & inter ſe multa damna rapinis & incendiis fecerunt. Tamen Domino Apoſtolico confirmationem eccleſiæ & diœceſios Colonienſis Domino Theoderico concedente. Idem etiam Theodericus videns altercationem quæ inter eundem Dominum Wilhelmum electum ac Capitulum & civitatem Paderbornenſem fuerat occaſione reformationis clauſtris in Abdinckhove, Ordinis S. Benedicti, in quo tam Abbas quam Monachi diſſolute vixerunt, quam Dominus electus, inſtituit, Capitulo & civitate ſe perperam intromittentibus, & impedientibus, & vix ad annum duravit, commendæ & diſpenſationis gratia ſæpedicto Domino electo, Domino Wilhelmo à ſede Apoſtolica conceſſa. A Papa Johanne eccleſiam etiam Paderbornenſem obtinuit in Commendam & Paderborne veniens admiſſus fuit & pro Adminiſtratore receptus, poſſeſſionem eccleſiæ & caſtrorum adeptus.

Videns Dominus Wilhelmus electus Paderbornenſis quæ adverſus eundem fiebant, licet plurimorum illuſtrium & nobilium, de quorum proſapia erat, potentia plura potuiſſet, fruſtratus tamen ſpe de eccleſia Colonienſi, & attendens quod ſua gratia atque diſpenſatio erat quaſi momentanea, vix annalis, cum prædicto Domino Theoderico amicabiliter Anno Domini MCCCCXV. compoſitus in caſtro Arnsberg, XIX. die menſis Februarii filiam ſororis dicti Archi-Epiſcopi, nobilem Alheidem, filiam Domicelli Nicolai Comitis de Tekenenborg præſente Domino Archi-Epiſcopo & nuptias procurante, duxit in uxorem: quæ multum virtuoſa ab eodem in Comitatu Ravensberg, qui ſibi in partem patrimonii ſui aſſignabatur, filium peperit, qui Gerardus nominatus, poſt mortem patris Domini Wilhelmi & ſui patrui Domini Adolphi Ducis Juliacenſis & Montenſis, Ducatus Juliacenſem, Montenſem & Comitatum Ravensbergenſem hereditario jure quoad vixit poſſedit, illuſtrem Sophiam filiam Ducis Saxoniæ & Luneborg duxit in uxorem, quæ ab eo duos ſuſcitavit filios, Wilhelmum modernum Ducem, & Gerardum quondam ejus fratrem in Domino defunctum qui in fluxu ſanguinis diem ſuum clauſit extremum. Dominus Wilhelmus Dux primum contraxit cum virgine de Naſſaw & Hensborg, cum qua Deyſt, Hensborg & multa dominia, quæ ſibi in dotem apportaverat, & juxta pacta dotalia retinuit, adeptus fuit. Qua de medio ſublata ſecundario nupſit filiæ Marchionis Alberti Brandenburgenſis, Borchgravii Norembergenſis, Principis Electoris adhuc ſuperſtitis quos Dominus conſervet protegat & dirigat ad ſervitium ſuum & laudem.

Sæpedi-

Sæpedictus reverendus pater, Dominus Otto, Monaſterienſis Epiſcopus & Eccleſiæ Oſnaburgenſis Adminiſtrator de Anno Domini MCCCCXII. Indict. V. menſis Decembr. die XVIII. quæ fuit Dominica ante feſtum nativitatis Chriſti, Pontificis ſanctiſſimi in Chriſto patris Domini Johannis XXIII. Anno III. ut & tanquam verus Adminiſtrator Eccleſiæ Oſnaburgenſis retro Chorum Eccleſiæ in loco extunc conſueto præſidebat ad inveſtiendum vaſallos Eccleſiæ Oſnaburgenſis, & multitudinem vaſallorum in generali illa præfixa dieta infeudavit & ab eis juramentum fidelitatis more ſolito, & prout de jure, recepit juxta Regiſtri deſuper facti continentiam. O! utinam adhuc fieret diligentia, & bona Eccleſiæ, prout tunc, conſervarentur, circa quæ magna fuit negligentia, quod dolenter adhuc, ut prius, ſcribere ex dilectione Eccleſiæ compellor.

Circa hæc tempora ſchiſma fuit in eccleſia Dei. Nam Johannes XXIII. de quo ſupra, electus fuit in locum Alexandri, in Concilio Piſano electi, Gregorius vero, licet in Concilio Piſano depoſitus, attamen cedere Papatui recuſavit. Unde, cum de Anno MCCCCXIV. inclytus Rex Sigiſmundus, Ungariæ & Bohemiæ Rex, Aquiſgrani à reverendiſſimo Domino Theoderico de Morſa electo Eccleſiæ Colonienſis & confirmato, octava die menſis Novembris coronatus eſt in Regem Romanorum: & ſtatim ad Conſtantiam ſe tranſtulit, operam daturus Concilio Conſtantienſi. Et licet Johannes Papa XXIII. primo pollicitus fuit cedere Papatui, ſi alii ſecum contendentes etiam renunciare vellent. Mutato tamen propoſito ſe ad Auſtriam clam tranſtulit. Quare Dominus Rex Sigiſmundus Ducem Auſtriæ coëgit ut deſiſteret ab illa receptione & manutentione. Citato ergo Papa Johanne ad reſpondendum articulis & objectis, ipſe determinatione Concilii ſe ſubmiſit, & Concilium Rege præſente eundem depoſuit & privavit, & quod idem Johannes ſub Regis cuſtodia ſervari deberet, etiam Concilium pronunciavit: qui illuſtri Ludovico Comiti Palatino Rheni, qui eum ad quoddam ſuum miſit caſtrum, fuerat ulterius commiſſus. Gregorius, qui Angelus de Carrario dicebatur, per ſuum ad hoc procuratorem conſtitutum, videlicet illuſtrem Domicellum de Malateſtis de Arimino, Papatui in publica ceſſione coram Concilio & Rege præſente ceſſit, ac omne jus ſibi quomodolibet in eo competens reſignavit. Quam quidem reſignationem Rex & Concilium grataneter acceptabant atque approbabant.

Renunciationibus & privationibus circa Papatum, ut præfertur, factis, Cardinales XXI. & viri XXX. literatiſſimi ab omnibus nationibus in Concilio deputati pro electione Pontificis ſummi intraverunt conclave & concorditer elegerunt Dominum Odonem de Columna illuſtrem, & immutato nomine Martinus vocatus eſt, ſicque unitas reddita eſt eccleſiæ Dei, quæ dudum ſchiſma & diviſionem in periculum multarum animarum paſſa fuit.

In prædicto Concilio damnati fuerunt articuli extracti ex libris Johannis Wicleffi defuncti cum auctore. Etiam Johannes Huſs & Hieronymus de Praga Hæreſiarchæ, qui multos errores & hæreſes in Bohemia prædicaverunt, & populum ſeduxerunt, prout adhuc, proh dolor! ab erroribus & hæreſibus populus ibidem non ceſſat. Et licet Johannes Huſs combuſtus fuiſſet & Hieronymus hæreſin abjuraſſet, attamen recidavit & ad hæreſin, ut canis ad vomitum, rediit. Unde hæreticus damnatus curiæ ſeculari traditus eſt & combuſtus, qui cum igni appropinquaſſet, cantabat alta voce: *Credo in unum Deum &c.* ad finem. Deinde cantavit Reſponſorium: *Circumdederunt me viri mendaces &c.* Poſt hoc cantavit Reſponſorium: *Chriſti virgo dilectiſſima &c.* Articulos damnationis & multa ſalubriter in Concilio geſta, pro reformatione in capite & in membris, cui placet legere, poteſt in actis Concilii Conſtantienſis, quæ hic, ut compendioſius ſim, omitto. Hoc tamen, quod de Concilio & ſummis Pontificibus inſerui, feci propter unionem eccleſiæ divinitus redditam in laudem Dei & profectum Eccleſiæ.

Circa hoc tempus Rex Angliæ cum navibus MD. armatorum LXX. millibus onuſtis mare verſus regnum Franciæ transfretavit, contra quem Rex Franciæ bellum inſtauravit, & commiſſo prælio victoria ceſſit Regi Angliæ: & ex parte Regis Franciæ Dux Brabantiæ, Dux Barenſis, & multi Principes ceciderunt. Rex vero Angliæ totum extunc regnum Franciæ ſubegit.

Digitized by Google

Prædictus Rex Sigiſmundus, cum unio Eccleſiæ reddita fuit, tranſtulit ad regna primum Franciæ, deinde Angliæ, ut Reges ipſos amicabiliter componeret, & de Anno Domini MCCCCXVI. in æſtate & autumno ibi permanſit: ſed adhuc Reges iſtos ad plenum pacificare nequivit. Sic circa finem autumni venit Aquisgranum.

Etiam Domino Sigiſmundo, Rege in Nimwegen exiſtente, prædictus Dominus Henricus de Solmis, Dominus olim in Ottenſtein, cum ſuis Dominis & amicis multifaria propoſuit contra & adverſus Dominum noſtrum, Dominum Ottonem Epiſcopum Monaſterienſem & Adminiſtratorem Oſnaburgenſem. Sed Domino Ottone etiam cum multis nobilibus, militibus & militaribus eorum Domino noſtro Rege Sigiſmundo comparente ad ſingula mature, recte & rationabiliter reſpondit: ſed tamen concordatum fuit. Ex illo Dominus de Solmis caſtrum Ottenſtein recuperare non potuit: attamen bona ad caſtrum ſpectantia, dicta de Solmiſche Güder, ſibi reſtituta fuerunt, de quibus quoad vixit, videlicet usque ad annum Domini MCCCCXXV. quo Zutphaniæ deceſſit, alimenta habuit, & viris de filiabus ſuis, nobili & virtuoſo Domicello de Guterswick Comiti in Benthem & Domino Stenfordiæ nuptui traditis, in dotem fuerunt aſſignata, de quibus Dominus Bernardus, miles quondam, Comes in Benthem & Arnoldus Dominus in Stenforde germani, & ex his Domicellus Erwinus de Benthem, & Dominus Erwinus miles Comites & Domini in Benthem & Stenforde, deſcenderunt adhuc ſuperſtites, quos Dominus Deus regat, dirigat & protegat: qui illa bona, de Solmiſchen Güder appellata, die poſſident hodierno. Illum noſtrum Dominum Epiſcopum & Adminiſtratorem Imperator recte inſtitutus benigne tractavit, & Jura ab imperio in regaliis & feudis dependentia tribuit, atque de eisdem ut etiam Principem Imperii infeudavit.

Circa hæc tempora, videlicet de Anno Domini MCCCCXI. Dominus Theodericus de Monickhuſen miles caſtrum Reineborg ſibi oppignoratum ulterius nobili Domicello Nicolao in Tekenenborg Comiti pro DCC. florenis hypothecavit, ad hoc Domino Epiſcopo & Capitulo minime conſenſum præbentibus. Unde Dominus Willebrandus de Hallermont, extunc Epiſcopus Mindenſis caſtrum ipſum obſedit. Et cum Comes in Tekenenborg prædictus ab ipſo obſidione repellere propoſuiſſet Epiſcopum & ſuos, extunc Alhardus de Buſche, droſſatus in Lymborg cum ſuis adhærentibus de officio Lymborg eum impedivit. Deinde idem Alhardus cum opidanis in Lubbeke conflictum cum Comite habuit, & multos de parte Comitis cepit, & pro duobus millibus & ducentis florenis exactionavit, Comite & aliis ſuis terga vertentibus, & Epiſcopus caſtrum prædictum Sabbatho poſt feſtum corporis Chriſti vicit.

Item anno Domini MCCCCXV. circiter Johannes Buck armiger diœceſis Oſnaburgenſis poſſedit caſtrum Roden ſibi ab Epiſcopo Mindenſi & à Capitulo pro ſatis legali ſumma cum ſuis pertinentiis obligatum atque impignoratum. Et cum ad eundem fama perveniſſet, quod quidam Dominus Burchardus Harnebecke plebanus in Roden abuſus fuiſſet ſtola qua circumcinctus cum aqua benedicta juxta morem patriæ homines & eſcas benedicere conſueverat, vitulum vel vaccam ligaſſe ad præſepe dicebatur. Et cum populus diffitebatur, & cuſtos eccleſiæ à quo plebanus delatus erat, etiam ſibi non conſtaret requiſitus dixerat, commotus Johannes Buck unam vaccam auferri fecit prædicto cuſtodi, ex eo, quod primum plebanum præmiſſa perpetraſſe aſſeruit, & poſtmodum negavit. Ille cuſtos Dominum Willebrandum Epiſcopum adiit querulando de vacca ſibi ablata per prædictum Johannem Buck, & etiam qui idem Johannes eum amovit ab officio cuſtodiæ. Intervenit etiam quidam Dominus Pluſterman cognatus cuſtodis, qui verba minatoria adverſus Johannem protulit in præſentia ſua, quare etiam damnificatus fuit ad querelas iſtorum cuſtodis & Pluſtermanni: & Epiſcopus ſcribi fecit ſæpedicto Johanni Buck, mandando ut ſpolium reſtitueret, & quod præmiſſa cauſa de re ſacra vel eccleſiaſtica & ejus abuſione, ſimul atque de inſtitutione & deſtitutione cuſtodis, ſpectaret ad Epiſcopum & non ad officiatum ſecularem. Johannes Binck vir prudens, quia officium Roden cum omnibus pertinentiis ſibi eſſet aſcriptum per Epiſcopum & Capitulum, confidit quod præmiſſa cauſa quoad cuſtodiam etiam ad eundem ſpectaret atque pertineret. Illis ſic ſtantibus Epiſcopus abſque ulteriori cognitione literas diffidatorias miſit ad habitatio-

rationem paternam Johannis Binck (To dem Pulſter Kampe) una die, & proximo mane in vigilia Jacobi Pluſterman prædictus una cum ſuis complicibus, videlicet Duſing & Bratharſte, ordinavit, quod Bratharſt illa nocte quando nuncius exiret cum literis diffidatoriis natavit per foſſata, latitando ſub ponte. Tunc Bratharſt & Duſing fecerunt incendium circa caſtrum, & cum famuli Johannis Binck exiiſſent caſtrum per pontem, ſurrexit Bratharſt & clauſit pontem caſtri, remotis & excluſis famulis quibus caſtrum fuit commiſſum, & ſupervenerunt Epiſcopus & ſui, & ſic caſtrum obtinuerunt, pecuniis quibus oppignoratum fuerat minime reſtitutis. De qua quidem ablatione caſtri Johannes Binck apud multos detulit querelas, exigendo reſtitutionem tanti ſpolii. Epiſcopus vero, homo deditus ad arma, querelas & minas Johannis Buck parvi pendebat. Quare Johannes Binck eundem diffidavit & anno proxime ſequenti circa feſtum Michaëlis cum ſuis cognatis & amicis exercitu ſatis copioſo diœceſin Mindenſem volens aggredi, fuit jam in campo idem Epiſcopus, recedens de diœceſi Oſnaburgenſi, ubi rapinas perpetraverat, ſicque inter ſe quaſi inopinate conflictum ſatis durum habuerunt, ita quod Epiſcopus uno fuit orbatus oculo, multiſque vulneribus læſus lethaliter, pater etiam Erneſti de Sten, alias de Gehlen ibidem ex parte Epiſcopi interfectus: & ex adverſo Johannes Binck dire vulneratus & captus, ſimul etiam Dominus Johannes de Varendorpe, præpoſitus eccleſiæ S. Johannis Oſnaburgenſis, & Wilhelmus de Wolde læſi enormiter atque capti. Hermannus quoque Korff, alias dictus Smyſing, qui filium Hermannum Smyſing, nunc viventem virtuoſum & dapſilem ſuum filium reliquit, etiam ibidem, in loco dicto dem Haſſelholte/ fuit interfectus. Quorum defunctorum animæ in perpetua pace requieſcant. Prædictos captivos Epiſcopus exactionavit, pecunias in caſtro Roden/ quod, ut præmittitur, acquiſivit, more ſuo accumulando. Cujus Epiſcopi imagini in Eccleſia Mindenſi circa ſuum epithaphium illa caſtra Roden/ & Regneberg/ & Wedekenſtein/ quomodo, vel quibus mediis acquiſivit, ad manus depingi atque ſculpi procuravit. Quidam tamen ſic dictant:

Hier is gekamen in dit Land
Van Hallermont Biſchop Willebrand/
De heſſt gebracht over ein/
Rodes/ Reineborg/ Wedegenſtein.

Anno Domini MCCCCXX. quidam Curtiſanus, Johannes Vreſe, de Nienborg, cum literis Apoſtolicis acceptavit eccleſiam in Idenhuſen, quam Epiſcopus de facto contulit ſuo ſecretario. Favoriſantes Secretario ceperunt Johannem Vreſen, & ſubmergi fecerunt in aqua, ſacco ſibi induto. Quare Dominus illius Johannis Vreſen, Auditor in Romana Curia laboravit in tantum, quod Dominus Apoſtolicus indixit Domino Epiſcopo Willebrando Canonicam purgationem: cujus purgationis receptio auctoritate Apoſtolica fuit commiſſa Domino noſtro Ottoni, Epiſcopo Monaſterienſi & Adminiſtratori Oſnaburgenſis eccleſiæ. Et cum defeciſſet Dominus Willebrandus in repurgatoribus, inventum proh fuerat, quod nobilis Ericus Comes de Hoja, frater Domini noſtri Ottonis, ſeptem millia florenorum aſſignavit Domino Willebrando convertenda inutilitatem diœceſis Mindenſis, pro quibus impignorata fuerant caſtra illa Reinenborg & Roden Domino Alberto, filio Erici comitis prædicti, in hunc modum: ſi ipſe Dominus Albertus poſt mortem Domini Willebrandi eligeretur aut poſtularetur ad eccleſiam Mindenſem, & eam obtineret, tunc prædicta ſumma quitata & per acceptationem ſoluta deberet cenſeri: ſi vero hoc non contingeret, extunc hypotheca præmiſſa maneret ſalva. Per tale pactum fuit ingreſſus Dominus Albertus, & ſic poſt mortem Domini Willebrandi ipſe ad eccleſiam Mindenſem eſt electus. Et cum prædictus Dominus Epiſcopus Monaſterienſis & Adminiſtrator eccleſiæ Oſnaburgenſis noſtram diœceſin in pace & tranquillitate longe gubernaſſet, & caſtra, ſignanter Vorden & Wetlage, ubi aulas & munitiones ædificari fecit ſatis longas & amplas & fortes, ſemper contra confines Dominos magis muniendo. In tali tamen pace & lenitate quidam non contenti, ſed horum immemores, certas ligas & conſpirationes inierunt ſubditi, Epiſcopo eorum non excluſo, contra ſubjectionem & Juris ordinem, damnabiliter pœnas Aureæ Bullæ de conſpirationibus, ac alias Juris incurrendo. Quare idem Dominus Otto in ſenectute

ſtute civitatem Oſnaburgenſem ingrediens, ambonem & curiam, quæ nunc eſt Domini Henrici Ledebur, Præpoſiti eccleſiæ S. Johannis eccleſiæ Oſnaburgenſis, XXX. fecit, in eaque beneficia eccleſiæ & diœceſi Oſnaburgenſi per vim facta rememorans, & cauſſam perverſæ ligæ & conſpirationis inveſtigans, nullas efficaces recepit, unde manum protectionis aliquantulum ſubtraxit. Surrexerunt ergo multi impii raptores & latrones, inter quos erat Arnoldus Storck, poſtmodum in civitate Oſnaburgenſi morti adjudicatus & rotatus, Johannes & Rodolphus de Olden, & quamplures alii, qui varia damna in rapinis & incendiis perpetrarunt. Dicebaturque quod certi præfecti, qui pauperes & diœceſin defendere tenebantur, quandoque per ſeipſos vel ſubordinatos, inſontes damnificaverunt, & inimicis ſigna dederunt, videlicet caput equi mortui dealbatum. Unde quando tutus erat aditus ad diœceſin Oſnaburgenſem, caput equi per anteriorem partem diœceſin attingebat: cum vero pervigiles erant incolæ diœceſis, caput retrogradum fuit, & anterior pars inimicos noſtros conabatur reſpicere: unde multa mala ſunt ſuborta. Certi vero Droſſati Johannes Eging, qui officiatus fuit in Wetlage & Gronenberge, & Wilhelmus Ringhoff, qui præfuit caſtris Forſtenowe & Vorden, bene & animoſe diœceſanos defendere conabantur, & in civitate Oſnaburgenſi obierunt & ſunt ſepulti. Et cum Epiſcopus Otto eccleſiam Monaſterienſem triginta duobus annis & quaſi ſex menſibus, noſtram vero viginti annis laudabiliter rexiſſet, prout altiſſimo placuit, in caſtro Bevergernenſi anno Domini MCCCCXXIIII. quinta menſis Octobris diem ſuum clauſit extremum, ſepultus in Eccleſia Cathedrali Monaſterienſi, circa ſummum altare, & viſcera ejus in eccleſia in Bevergern: & in monaſterio circa ejus ſepulturam ſunt ſcripta ſive exarata iſta:

Otto deceſſit & ſub petra requieſcit:
Bellorum rector fuit hic, velut Hercules, Hector.
Non deſolator & caſtrorum populator,
Aſt magnatorum rector fuit, & pavor borum.
Nunc Deus alme tuum ſibi præſta cernere vultum.

Quod eidem concedat, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Circa hæc tempora, videlicet de anno Domini MCCCCXXIII. proxima ante Victoris, reverendus quondam Fredericus de Blanckenheim, qui Eccleſiæ Trajectenſi quaſi XXX. annis fructifer præfuit, diem ſuum clauſit extremum. Vacante ſic equidem eccleſia Trajectenſi, Canonici & Capitula, totaque terra varias ſuſtinuit preces pro novo Epiſcopo eligendo. Archiepiſcopus enim Theodericus de Morſa interceſſit pro fratre ſuo Walramo: Epiſcopus vero Otto Monaſterienſis & noſter, pro Domino Alberto de Hoja, filio fratris ſui. Dux Montenſis pro Gerardo Duce Clivenſi, Comite de Marca: Dux vero Clivenſis Adolphus preces porrexit pro nobili Domino Rodolpho de Depholte, Præpoſito Eccleſiæ Oſnaburgenſis & Canonico Eccleſiæ Colonienſis. Precibus, ut ſupra, factis, inquirentes certi de probitate & legalitate Domini Rodolphi, militares ab illa parte (der Yſſele videlicet) prope Daventriam, Swolle & Campen, Amersforde & Groningen inſtanter petierunt Capitulum pro Domino Rodolpho de Depholte, ut illum eligerent ad Eccleſiam Trajectenſem. Unde die proxima ante Martini Epiſcopi, Domini de Capitulo in diſcordia elegerunt aliqui Dominum Fridericum de Culenborg, aliqui Dominum Walramum de Morſa, & aliqui Dominum Rodolphum de Depholte, qui majora habuit vota. Electione ſic facta Prælati eccleſiarum in præſentia Domini Clivenſis adduxerunt Dominum Rodolphum, eum inthroniſantes more ſolito, cum collocatione ad ſedem Epiſcopalem & decantatione, Te Deum laudamus. Electione ſic peracta Dominus Rodolphus ſuos procuratores miſit ad ſanctiſſimum Dominum Papam Martinum V. cujus ſanctitas iterum atque iterum deliberans, tandem poſtulatione præmiſſa rejecta ſive non attenta, Eccleſiæ Trajectenſi providit de Epiſcopo Spirenſi. Sed cum Epiſcopus Spirenſis intellexit, quod Dominus Rodolphus poſtulatus cum adjutorio civitatum Deventer, Swelle, Campen, Groningen & militarium ſupra Yſſele, poſſeſſionem caſtrorum in illa parte diœceſis poſſideret, ſibique foret difficile illum amoliri, & dimittere Eccleſiam Spirenſem, quam obtineret; concordavit cum venerabili Domino Swedero de Culenborg, Præpoſito Trajectenſi, qui cum Præpoſitura

ſitura & aliis eundem contentavit. Sic Dominus Spirenſis jus ſuum ad manus Papæ Martini V. reſignavit ad utilitatem Domini Swederi antedicti. Unde Papa providit Domino Swedero de Eccleſia Trajectenſi, qui auctoritate Sedis Apoſtolicæ & in vim literarum ſuarum Apoſtolicarum admiſſus fuit ad Eccleſiam Trajectenſem & inductus in poſſeſſionem de anno MCCCCXXV. die Martis poſt feſtum aſſumptionis glorioſiſſimæ Mariæ virginis, juravitque Capitulo prout moris eſt. De qua quidem proviſione, admiſſione, poſſeſſionis inductione, cum omnibus ſequelis Dominus Rodolphus appellavit, & appellationis adhæſionem obtinuit ab omnibus ſpiritualibus & temporalibus, dempto duntaxat Waltero de Covorde in partibus Overyſſele commorantibus. Swederus tamen cum favore ſuorum acquiſivit caſtrum toet Horſt / & admiſſus fuit ad civitatem Amersforde atque Rhene. Idem proceſſit cum proceſſibus adverſus Dominum Rodolphum poſtulatum, etiam ad cenſuras eccleſiaſticas. Sed Dominus poſtulatus inhærendo ſuæ appellationi cum ſuis adhærentibus via juris & armata manu reſiſtebat. Et quia tempore & die introductionis Domini Swederi in civitate Trajectenſi tumultus motus fuit magnus, ſic quod quidam Burgimagiſter, Bernt Prys, in domo propria fuit interfectus, multæ etiam fuerunt inſolentiæ. Deinde anno Domini MCCCCXXVI. in vigilia Pentecoſtes circa meridiem Dominus Johannes van der Neſs / miles relegatus, cum quattuordecim equitibus armigeris venit ad civitatem Trajectum, & veniens ad locum, dictum den Pleeſſ / aſſiſtebant ſibi Dominus de Buren & alii: Incolæ vero ex adverſo cum Bannericis civitatis; & venerunt ad pontem, dictum de Brodenberges Brugge. Et cum Dominus Johannes prædictus eos viriliter fuiſſet cum ſuis aggreſſus, ceperunt fugam. Quidam ex captivis fuerunt deportati, ſive relegati, quidam etiam exactionati. Et poſt illum diem Dominus Swederus de Culenborg non rediit ad civitatem Trajectenſem, ſed cum fratre ſuo Domicello Petro de Culenborg, & Domino de Eggemont intromiſit ſe de opido Amersford, & ibidem fecit duo fortalitia, vulgariter twe Bollwerck /, quæ munivit bombardis ac aliis inſtrumentis, defenſores illorum ordinando, & etiam Gelderenſes intromittendo. Propter hoc & alia, non obſervando capitula ſui juramenti juxta proceſſum propter eum juratum, Capitula Eccleſiarum & membra ſive ſtatus diœceſis indixerunt Capitulum & citari fecerunt Dominum Swederum, qui licet ſcripſiſſet pro ſalvo conductu, quem & cum centum equeſtribus obtinuit, nec primo, nec ſecundo, nec tertio terminis per intervallum obſervatis, neque quarto ex ſuperabundanti vocatus, comparere curavit. Quare in ejus contumaciam, propter fracturam ſui juramenti in vim privilegiorum ſuorum, etiam per Epiſcopum juratorum, interdixerunt ſibi, ne per amplius ſe de regimine intromitteret, niſi de forofactis ſatisfaceret & juramentum obſervaret, & adhæſerunt Domini Rodolphi poſtulationi, conformantes ſe civitatibus & militaribus in Overyſſele. Et tunc Dominus Rodolphus de Depholte poſtulatus, per eos de novo pro gubernatore ſive defenſore diœceſis fuit aſſumptus & in Curiam Epiſcopalem in Trajectum anno MCCCCXXVI. ductus. Qui mox eorum adjutorio manu armata venit ad Amersford, & ibidem aggreſſus illa duo fortalitia, de Blockhüſer dicta, cum ſuis armigeris deſtruxit atque debellavit, & cepit plures Gelderenſes, & Domicellum Petrum de Culenborg, Johannem Ackren, Goſwinum de Dederick, Theodericum de Wye, & alios quaſi ducentos. Prædictus nihil ominus Dominus poſtulatus diligenter laboravit pro confirmatione à Domino Eugenio & illam obtinuit ac munus conſecrationis in Wollentho, juxta conceſſionem Sedis Apoſtolicæ, præſentibus etiam ibidem reverendis & illuſtribus Dominis, Johanne de Depholte, & Alberto de Hoja, Mindenſi Epiſcopo, & duobus ſuffraganeis. Sed Dominus Swederus de Culenborg parvi pendens confirmationem ab Eugenio conceſſam, tranſtulit ſe ad Concilium Baſilienſe, ubi anno Domini MCCCCXXXVIII. eſt defunctus & ibidem ſepultus. Sit ei requies ſempiterna.

Et extunc eo ſublato, quidam Petrus Paſſart, cum certis Canonicis, de novo nitebatur eligere nobilem Dominum Walramum, filium Comitis de Morſa, qui per Conſilium confirmatus, quia neutralitas erat, nunquam realem & actualem poſſeſſionem Eccleſiæ Trajectenſis pacifice potuit adipiſci, ſed jurisdictionem ſpiritualem in Dordraco obſervandam inſtituit. Verum Dominus Rodolphus Epiſcopus Trajectenſis licet plures adverſarios habuit & inimicos, ut Leo imperterritus & Aquila, ſingu-

ſingulos ſupervolavit, vicit, & poſſeſſionem, altiſſimo protegente, ſtrenue, quoad vixit, defenſavit. De quo ordine ſuo, quia noſtram etiam Eccleſiam Oſnaburgenſ[illegible] impetravit, licet ejus poſſeſſionem non fuit adeptus, ulterius Deo dante ulteriora [illegible]tebunt. Hic enim, quando noſtræ eccleſiæ Præpoſitus fuit, tempore ſuæ p[illegible]tionis, & vicinus, multa & ſalubria & ut Præpoſitus, & ut Dominus de Dep[illegible] geſſit, tam contra Dominum Willebrandum Epiſcopum Mindenſem, quam con[illegible] Comitem in Delmenhorſt, quos compeſcuit, & quod non eſt ſilentio prætereund[illegible] contra præſides Bohemos cum Archiepiſcopo Theoderico de Morſa Colonienſi, [illegible] Marchionibus Miſniæ ac aliis ad fidei Catholicæ defenſionem, laudem Dei & hono[illegible]rem dignus eſt ſemper occupare membranam.

Deſtituta, ut præfertur, iterum Eccleſia Oſnaburgenſe ſuo Paſtore, venera[illegible]les Domini Decanus & Capitulum, Anno Domini MCCCCXXIV. die XVIII. men[illegible] Octobris nobilem & generoſum Johannem de Depholte, Clericum Oſnaburge[illegible] diœceſis elegerunt in Paſtorem. Et licet prædictus eligendus tam miniſterialibu[illegible] quam Conſulatui & popularibus placuiſſet, tamen quia certi tractatus inter Do[illegible] eligendum & ſuos Dominos & amicos ex una, & venerabiles Dominos Capitulares, [illegible]niſteriales & Conſulatum Oſnaburgenſem ex altera parte fuerunt tracti, & inte[illegible] conventum fuit, quod Herwadia ſive Exuvialia, quæ Epiſcopus Oſnaburge[illegible] fiſcus, cum hæredes non ſupereſſent, levare conſuevit, in quibus officiati & Gogra[illegible] terminis Juris & conſuetudinis non contenti fimbrias nimium dilatarunt, vol[illegible] quod Herwadia omnium illegitimorum natorum Laicorum & exuvialia bona [illegible] eos relicta fiſco cedere deberent: Item quod nemo agnatus vel cognatus, etiam [illegible]time natus, ſuo poſſet in his ſuccedere agnato vel cognato, niſi probaret, quod [illegible] ſucceſſionis genus eſſet ejusdem dominationis: hoc eſt, ſi decedens fuit liber vel [illegible]tinus S. Petri, ſuccedens S. Paulli, aut S. Johannis, aut S. Clementis, tunc non a[illegible]tebatur tanquam inhabilis ad ſuccedendum in illis bonis: & quod de adveniis etia[illegible] fuerunt certæ abuſiones. Ut ergo in his iſte ceſſaret, Conſulatus, qui ex tunc te[illegible]nium in civitate Oſnaburgenſi habuit, illud ad manus Domini Epiſcopi reſignare [illegible]beret; & peramplius Epiſcopus per ſe vel alium hujusmodi Herwadia ſive Exuv[illegible] bona in civitate Oſnaburgenſi ab ejus incolis non reciperet: Qua conventione [illegible]cepta, antequam electis fieret hujusmodi, deberet certiorari. Sed die electioni[illegible] ſupra, cum Burgimagiſtri cum certis de Conſulatu porticum ingrederentur electio ja[illegible] facta fuit, & electus ad altare majus poſitus, Clero pſallente: Te Deum la[illegible]damus, &c. proh! improvide Hermannus de Melle Proconſul cum ſuis complicibus claudi fecit januas Eccleſiæ Oſnaburgenſis, & incluſos tenuit Dominum electum, nobilem Domi[illegible]cellum de Depholte cum venerabili Capitulo vicariis atque Clero, circumvallataqu[illegible] fuit Eccleſia, & ſupervenerunt aliqui armigeri & cives civitatis Oſnaburgenſis cu[illegible] vexillis & armis. Tandem conventum fuit, ut ſupra, & per electum & Capitu[illegible] ſigillatum, quod hujusmodi Herwadia & Exuvialia per Epiſcopos Oſnaburgen[illegible] ſuos officiatos exigi non deberent: & in recompenſum aſſignavit Conſulatus Oſ[illegible]burgenſis Epiſcopo telonium perpetuo more ſuo percipiendum & in perpetuum te[illegible]nendum. Sed reverendiſſimus Dominus Theodericus de Morſa, Archi-Epiſco[illegible] Colonienſis ad cenſurarum eccleſiaſticarum fulminationem ob id proceſſit, loc[illegible]que eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto. Sed Dominus electus, licet juvenis, more [illegible]men ſuorum progenitorum, nobilium de Depholte, mitis, cui à S. Sede Apoſto[illegible] beneficium abſolutionis fuit commiſſum, abſolvit reos, pacem cum miniſterialib[illegible] correis & civitate Oſnaburgenſi faciendo. O alme Deus parce delinquentibus, qu[illegible] etiam ignorantes quandoque peccant, bonum ſperantes conſequi ex enormibus, quæ non intelligunt.

Hic noſter electus, poſtqum à Sede Apoſtolica, videlicet Eugenio, confirmationem obtinuit, munus conſecrationis, procerus corpore & juvenis, tamen d[illegible] ſui genitoris Domicelli Conradi Domini in Depholte, bene regere incepit. Ac ſtatim Johannes & Wilkinus fratres de Klencken, cum adjutorio Dominii & opida[illegible]rum Hervordienſium temerarium Clero induxerunt bellum, & in nemore, d[illegible] Bockholte, Dominus Johanes de Varendorpe Præpoſitus Eccleſiæ S. Johannis Oſ[illegible]burgenſis, Rembertus de Querchen, officiatus in Gronenberge, & Caſtellani ib[illegible]m conſi-

conflictum habuerunt, & licet tam in potentia, quam etiam multitudine noſtros adverſarios multum excederent, victoria tamen ceſſit adverſariis, ubi prædictus Dominus Johannes Præpoſitus & alii fuerunt capti, quidam vero terga verterunt. Captivi fuerunt exactionati, aliqui tamen de noſtris viriliter bellabant, inter quos erat Bernhardus de Smerten, qui Johannem Klencken gladio ad captivitatem compeſcuit, & manus Domini noſtri Epiſcopi juramentum ab eo recepit. Sed cum idem Bernardus poſtmodum captivus ad ſervandam captivitatem fuerat requiſitus in Hervordia, quidam perverſus, dictus Tappe, proconſul Hervordienſis in foro eum, gladio evaginato, cum ſuis complicibus coëgit, ut quitaret Johannem Klencken captivum. Et licet ipſe replicaret hoc fieri non poſſe, quia in manus Domini Epiſcopi eum reſignaſſet, metu tamen corporis reſpondit, ſi ſibi liceret, tunc dimitteret eum à captivitate, & non aliter. Illud adverſarii receptantes Johannem Klencken pro quitato repetierant, aſſerentes, quod manus, quæ aliquem ligarunt, etiam eundem ligatum ſolvere poſſent: Non attendentes, quod ad manus Epiſcopi prius fuiſſet reſignatus.

Poſthac tamen de Anno MCCCCXXXV. reverendus Dominus Henricus de Morſa, Epiſcopus Monaſterienſis propter mortem & vulnerationem quorundam ſuorum in dominio Oſnaburgenſis diœceſis, tempore dedicationis Eccleſiæ per familiares & officiatos Epiſcopi noſtri, qui ibidem jure dominii diœceſis Oſnaburgenſis præſidebant, & etiam obedientiam cum ſonitu campanæ & aliis manutenere volentes, turbantes repulerunt; noſtrum Epiſcopum, & ſic Epiſcopus Epiſcopum, frater confratrem, qui ambo ſub uno metropolitano degebant, inconſulto Romano Pontifice, etiam non ſervato Juris ordine de juſto bello indicendo, temerarie diffidavit: & rapinis & incendiis diœceſin Oſnaburgenſem damnificavit, Woltinckhuſen villam comburens, de Auchem prædas abducens. Ipſe tamen Epiſcopus Johannes ſatis animoſe eum ſemel in Haſſedyck, licet copioſam multitudinem equitum & peditum haberet, inſequutus eſt, ſed malis Conſiliariis diſſuadentibus inimicos non invaſit. At qui dolo impedierunt defenſionem patriæ, veniam petant.

Quomodo etiam Judicium Gograviatus in Damme, quod Eccleſiæ noſtræ ab Henrico Romanorum Rege datum eſt, ad Monaſterium pervenit, varii varia loquuntur. Audivi tamen à reverendiſſimo Domino Conrado de Depholte, Epiſcopo Oſnaburgenſe pie defuncto, quod ſui progenitores hoc in feudum habuerunt ab Eccleſia Oſnaburgenſi, & pro exili ſumma iiſdem de Sutholte impignoraſſent, qui ulterius ad idem Epiſcopo Monaſterienſi hypothecaſſent: de quibus varia nobis fuerunt data damna. Non minus tamen Epiſcopus noſter nunc circa Bevergerne, nunc in dominio Vechtenſi ferro & igne diœceſin Monaſterienſem damnificavit, & Johannem de [illegible]becke, Droſſatum in Vechte cepit. Epiſcopus etiam Monaſterienſis cum exercitu MD. equitum usque in Cappelen Comitatus Tekenenborg pervenit. Sed noſtros formidans ab illatione damni receſſit.

Guerris taliter ſtantibus, ut amatores pacis & tranquillitatis intervenerunt reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Nicolaus de Delmenhorſt, Archi-Epiſcopus Bremenſis, & illuſtris Wilhelmus de Gulke & de Monte natus, Comes in Ravensberge, in quos arbitramentum factum fuit, & per eos laudatum in effectu, quod Judici deberet dieta in Hanekesberge, & ibidem utraque pars producere ſenes valetudinarios, ac probationes ſuper uſu & poſſeſſione Domini in Damme & Nienkerke. Adveniente diæta comparuit Dominus noſter Johannes Epiſcopus in loco Hanekesberge, & coram Judice temporali produci fecit multos teſtes, qui recepti & jurati depoſuerunt de dominio & termino ſatis late pro diœceſi Oſnaburgenſi usque in Mulerferde Super quibus atteſtationibus literæ ſigillis munitæ, in archivis & ſcriniis Capituli & Eccleſiæ Oſnaburgenſis, quæ vidi ac legi, ſunt depoſitæ. Sicque fuit pax reddita Eccleſiis ambabus, non tamen ſine damnis multis.

Anno Domini MCCCCXXVI. fuit conflictus in Friſia prope Detherdenum (in der Oldengaſt) videlicet hoc, ubi reverendus Dominus Nicolaus de Delmenhorſt Archi-Epiſcopus Bremenſis; nobilis Johannes de Hoja, Comes Conradus, nobilis Dominus Depholte, pater Noſtri Epiſcopi Johannis, Dominus Johannes, Comes in Rethberge, Canonicus Eccleſiæ Colonienſis, cum pluribus aliis nobilibus & militaribus, pro recuperandis juribus, caſtris & poſſeſſionibus, quæ quidem Focco Ukens Friſo, infideliter invaſit & uſurpavit contra Keponem de

Brocke Friſonem Capitaneum, & nobilem Dominum, filium nobilis Domini Mauritii Comitis de Oldenborg ſuum legitimum, quorum præfectus ſive officiatus fuit, & cui factioni idem Keno à patre ſuo ſingulariter commiſſus fuit, qui ſibi fidelitatem juravit, & deteſtabile perjurium incurrens eosdem caſtris & poſſeſſionibus ſpoliavit. Sed idem Focco cum aliis Friſonibus, licet paucis, reſiſtentiam fecit, & in paludibus, quia gelu ceſſavit, & glacies periit, de Dominis ibidem exiſtentibus certi, videlicet Domicelli Conradus de Depholte & Johannes de Rethberge prædicti, ſunt miſerabiliter occiſi, D. Archi-Epiſcopus lethaliter vulneratus & Johannes Comes in Hoja, vir bellicoſus, & alii plures militares capti, quidam etiam fugam ceperunt. Unde ille Focco Uke in ſua perfidia & malitia induravit & fortificatus eſt. & Domini noſtri Johannis adjutorium paternum proh! fuerat ſublatum. Sepultique ſunt prædicti Domicelli de Depholte & Rethberge in clauſtro Raſtede Comitatus Oldenburgenſis: quorum animæ in pace requieſcant.

Dehinc etiam Dominus Albertus de Hoja, cui, ut præmittitur, caſtra Roden & Reineberge fuerant tradita vivente Epiſcopo Willebrando Mindenſi & poſt ejus obitum, quia ſuc * * * taliter qualiter, ut præfertur, in Epiſcopio, Eccleſiam Oſnaburgenſem, etiam auxilium ſibi præſtantibus Ducibus de Brunſwick, multipliciter invaſit, rapinis & incendiis damnificando. Epiſcopus vero Johannes animoſe cum adjutorio ſuorum militarium & civitatis Oſnaburgenſis reſiſtentiam fecit, vi eos fregit in hyeme, tempore frigoris acerrimi, villam Roden cum adjacentibus ferro & igne deſtruxit. Et deinde etiam invito Epiſcopo Alberto, & germano ſuo Domicello Johanne Comite in Hoja, (qui in Reinenberge cum Theodorico de Monninckhuſen milite ibidem Droſſato præſens fuerat, & hæc vidit & audivit fieri) circa opidum Lubbeke tam domos & ædificia, quam ſegetes in nihilum redegerunt.

Deinde Anno Domini MCCCCXXXV. & iſtis temporibus fuit diſcordia inter prædictum noſtrum Epiſcopum Johannem & Comitem Ottonem in Tekenenborg ſuper terminis diœceſis civitatis & ſuper damnis hinc inde tam per Dominos quam etiam ſubditos illorum, ſuper etiam detentione decimarum ſpiritualium perſonarum in civitate degentium, & certis foſſaturis factis nomine Domini noſtri Epiſcopi in loco dicto **de Hallerueſe** / quam foſſaturam Dominus Comes in ſuo ſolo aſſeruit factam, Dominus vero Epiſcopus in dominio & diœceſi Oſnaburgenſi. Sed Epiſcopus per cenſuras Eccleſiaſticas moneri fecit Clerum diœceſis ſuæ in Comitatu prædicto commorantem, ad ſolvendum decimas, defenditque ſatis rigoroſe limites ſuæ diœceſis adverſus Comitem prædictum non obſtante, quod Dominus Henricus de Morſa, Epiſcopus Monaſterienſis ei favoriſavit, & jura Eccleſiæ ſuæ & ſuorum, quoad ipſe vixit, defendit: quæ, proh dolor! inde ſæpe indefenſa permanſerunt.

His peractis non quievit adhuc manus Domini Alberti de Hoja, neque Wilkini & Johannis Klencken, quin ipſi cum ſuis prædonibus Eccleſiam ac diœceſin prædarentur, ſubditis & officiatis Eccleſiæ & diœceſis noſtræ conniventibus. Unde accidit de Anno Domini MCCCCXXXVI. quod armigeri, equeſtres de civitate Oſnaburgenſi, inter quos erat honorandus Henricus de Leden Proconſul, Conradus de Mollenbeke primicerius campiductor, confiſi fuerunt velle repellere ſævitiam adverſariorum. Accidit vero quod Comes de Hoja, Wilkinus & Johannes Klencken, de parte Epiſcopi Mindenſis & aliorum, potentiores erant noſtris, quare circa Welborg, in parochia Vene, noſtris ad habitaculum ibi appropinquantibus, Conradus Mollenbeke ad id cum aliquibus pervenit, & ſagittis adverſarios repulerunt, ita quod incolumes ſe reſervabant. Henricus vero Proconſul, præventus ab aliquibus adverſariis, & vi impeditus, ne ad caſtellum iter habere poſſet, circa illud, licet fortiter reſiſtebat, tamen multitudine comprehenſus, in captivitatem eſt redactus, & in diros carceres in caſtro Slotesborg locatus, neque redemptus citius, quam poſt mortem Domini Johannis Epiſcopi nobilis Dominus Ericus de Hoja, Præpoſitus Eccleſiæ Colonienſis ad Eccleſiam Oſnaburgenſem, ut Adminiſtrator, fuerat electus, & per eundem Dominum Ericum & Johannem de Hoja, ſuum Germanum, Oſnaburgæ introductus; ubi priſtinæ libertati eſt reſtitutus.

Ex præmiſſis elici poteſt quod multas anxietates, tribulationes & vexationes ipſe Dominus Johannes Epiſcopus, cum tempore ſuæ electionis, & quam diu vixerat, tunc per Dominos & Principes ſpirituales & temporales, nunc etiam per Capitulares

& mini-

& miniſteriales quosdam paſſus ſit, etiam permaxime præſertim per Hugonem de Scagen Decanum & alios. Etiam Swederus & Hermannus, fratres de Burche ei damna intulerunt. Unde cum ei obedire & à damnis abſtinere noluerunt, cum adjutorio civitatis Oſnaburgenſis caſtrum Geſmele obſedit. Sed amicis iſtorum fratrum intercedentibus, ab obſidione fuit ceſſatum. Etiam vulgaris erat aſſertio, quod quædam mulier, uxor Arnoldi Koſters, Mettike van Scagenum dicta, quæ XXX vendere conſuevit, & prope Curiam Epiſcopalem habitabat, poculum ſibi præbuiſſet, quo hauſto Dominus Epiſcopus queruloſe fertur dixiſſe: Ah! illius hauſtus læſionem nunquam evadam, incepitque infirmari ab illa die usque ad diem Paraſceves de Anno Domini MCCCCXXXVII. & tunc per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, pro nobis paſſum, cujus paſſionis dies lugubris & doloroſus celebratur, vocatus, per multas tribulationes ab hac miſeria, prout Domino placuit, eſt ſublatus.

Audivi à fide dignis, quod quidem materia intoxicatum certis animalibus porrecta, ita ſubtiliter, nefandiſſime & ſceleratiſſime confecta, reſervata fuiſſet, & ſæpe inſpecta, ita quod notaretur ejus effectus, ad tempus mortis, ut ſupra, tendens: quod certi etiam in Romana Curia ſtatim poſt diem deceſſus Epiſcopi ita ſubito, quod vim decem vel viginti milliaria poſſent pergi, Eccleſia & diœceſis Oſnaburgenſis per obitum Epiſcopi noſtri Johannis antedicti fuiſſent impetrati. De quibus præmiſſus Dominus Hugo Decanus cum quibusdam aliis ſuſpectus à popularibus reputabatur.

Hic Dominus Johannes de Depholte Epiſcopus in teneris annis, quia ad ætatem XL. annorum non pervenit, cum expertus aliquantulum fuit factus, ac in moribus creviſſet virtutibus pollens conſtantiam didiciſſet, morte præventus eſt. Nec in ſuis vexationibus, tribulationibus & defenſionibus, licet expenſas plurimas fecit, aliquod caſtrum Eccleſiæ & Diœceſis alicui impignoravit. Verum aliquos cenſus & reditus annuos de bonis Eccleſiæ & Diœceſis redemit.

Præmiſſus virtuoſus & virilis & animoſus Præſul in pavimenti Eccleſiæ majoris quaſi medietate eſt ſepultus, & circa Epitaphium ejus habentur iſta metra:

Inclytus Antiſtes, en! de Depholte Johannes
Laudes virtutum fert ſtigmata nobilitatis:
Moribus inſignis qui multa mavortia geſſit.
Annis millenis quadringentis ter vice denis
His ſeptem junctis, & Martius inde tregenis
Hic cubat in Domino cum pace paraſceve Chriſto.

Eccleſia igitur ſancta Oſnaburgenſis per mortem reverendi Domini Johannis de Depholte, ſolatio paſtoris deſtituta, ſtatim eodem anno venerabile Capitulum Eccleſiæ Oſnaburgenſis concorditer petentibus & conſentientibus Miniſterialibus & Proconſulibus, Conſulibus & popularibus civitatis & Diœceſis Oſnaburgenſis, illuſtrem Dominum Ericum, filium Erici Comitis de Hoja, ex Ducum & Comitum genere procreatum, Præpoſitum Metropolis ſanctæ Eccleſiæ Colonienſis, in Paſtorem poſtulavit. In cujus poſtulationis origine & tractatibus, quidam tractatus Canonici & Prælati noſtræ Eccleſiæ pravitate Simoniaca non abjecta, certa officia & bona Epiſcopatus ſibi promitti & ſigillari procurarunt, & poſtmodum poſtulatus melius informatus illa officia reſcindi fecit. Unde origo multorum malorum dicitur eveniſſe.

Aliqui enim ſponte bona dimiſerunt: aliqui vero, ut Dominus Johannes de Varendorpe Senior Canonicus & Præpoſitus Eccleſiæ S. Johannis Oſnaburgenſis, qui ſe captivum in ſilva, ſive rubo, dicto dat Haſelholt/ allegavit, aſſerendo, quod in iſta reiſa Epiſcopus Oſnaburgenſis ſuus fuiſſet Dominus atque principalis, in cujus fuiſſet ſervitio, licet certi illuſtres & legales dixerunt, quod ipſe, quia armigeri Diœceſis noſtræ in multis numero excedebant adverſarios, primicerio & officiato Domini Epiſcopi, palam pluribus audientibus dixiſſet, quod ipſe lucrum & damnum eventurum nanciſci vellet proprio ſub periculo. Molendinum tamen novum, ſitum prope Curiam Domini Epiſcopi Novæ civitatis Oſnaburgenſis, curiam in Malbergen & piſcationem Haſæ prope molendinum ſibi promiſſum & ſigillatum, quoad vixerat, retinuit, & jus, ſi quod ſibi competiit, Dominis Eccleſiæ S. Johannis legavit, cum

quibus poſt prædicti Præpoſiti deceſſum reverendus in Chriſto pater, Dominus Conradus de Depholte, Epiſcopus Oſnaburgenſis, cum hæc optime conſtabant, legavit & concordavit.

Hic Dominus poſtulatus ab Eugenio Papa impetravit quod Eccleſiam Oſnaburgenſem in adminiſtratione quoad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, & etiam Præpoſituram Colonienſis Eccleſiæ obtineret: & laudabiliter in pace ſuam rexit Eccleſiam annis quaſi quatuor. Sed ſicut malorum inſtigante atque ſeminante diſcordia fuit inita inter Decanum & Canonicos Eccleſiæ ſæpe dictæ: ita ſub ſpecie boni, & coërcitione diſciplinæ, aliqui ad locum diſciplinæ, ſive carceres, vulgo dat Hon dictum, miſſi, ibi quaſi ad annum detenti, prætextu quorundam aſſertorum futurorum, unde etiam rumor & invidia provenit. Dominus Decanus etiam extunc, Hugo de Schagen, vir elatus, de dilapidatione bonorum & clenodiorum Eccleſiæ ſuſpectus, rancorem recepit adverſus Dominum Johannem de Varendorpe, Seniorem Canonicum, & vice verſa Dominus Johannes contra Decanum prædictum. Unde Dominus Decanus ſibi aſſociavit Dominos Giſbertum de Wulfften Scholaſticum, Nicolaum de Bockroden Theſaurarium, Johannem de Brincke, Hermannum de Munſter, Egbertum de Herberen, Johannem de Kerſſenbroke juniorem, Hardewicum de Weddeſche. De parte vero Domini Johannis de Varenolorpe Senioris, fuerunt Domini Nicolaus Voſſ, Johannes de Meppen Cantor, Johannes ſenior de Cerſſenbroke, Everhardus de Fycklo, Conradus de Bremis, Magiſter Gerhardus de Leden, Præpoſitus in Brameſche, & egregii Domini Dethardus Sleter, Legum Doctor, extunc Decanus Bremenſis, Everhardus Lakepren, Decretorum Doctor & Decanus Daventrienſis, etiam Canonici Eccleſiæ Oſnaburgenſis prædictæ, licet abſentes, partem tamen fovebant Senioris. Hæ partes autem ſe altercantes una contra aliam, clam etiam & palam proceſſerunt. Unde Senior cum ſuis, aſſerentes ſe Capitulum repræſentare, mandata decreverunt contra Decanum ſuper diſtractione & alienatione clenodiorum Eccleſiæ & aliis fere factis, & ob non paritionem, eundem cum quibusdam aliis ſuis complicibus ab ingreſſu Eccleſiæ & à divinis ſuſpenderunt. Decanus vero ad Concilium Baſileenſe appellavit, & refutatorios Apoſtolos reportavit. Adveniente tunc die Cinerum de anno Domini MCCCCXLI. quando unusquisque beneficiatus tenetur eſſe in proceſſione per circuitum & in Choro, prædictus Dominus Decanus, ut præmittitur, ab ingreſſu Eccleſiæ & à divinis ſuſpenſus, forte de ſua appellatione confiſus, cum ſuis complicibus Chorum Eccleſiæ Oſnaburgenſis ingreſſus, divinis ſe ingeſſit, cenſuras prædictas parvi pendens. Unde Senior, Dominus Johannes de Varendorpe cum certis armigeris in choro eccleſiæ Dominum Decanum invaſit atque apprehendit. Cæteri vero Canonici, ſui complices, fugerunt & per feneſtras Chori, & retro per Capellam, qua nunc corpus reverendi Domini Conradi de Depholte Epiſcopi eſt ſepultum, ſcanderunt atque evaſerunt. Decanus vero diris carceribus fuit mancipatus. Et quia hæc captura non absque ſanguinis effuſione in Choro, ut præfertur, facta, ideo divina poſtmodum ad longum tempus in Eccleſia S. Paulli per membra Eccleſiæ fuerunt tenta atque celebrata. Quod quidem factum Domino Erico Adminiſtratori multum diſplicuit, & quia nimium favorem Decano impendebat, ipſe circa mandata pœnalia contra Dominum Seniorem & ſibi adhærentes ac proceſſus fulminavit, & ad opidum Iborch citari fecit. Senior vero cum ſibi adhærentibus ac capitulum apud Eccleſiam Oſnaburgenſem repræſentantibus, ex adverſo allegarunt, Adminiſtratorem juxta vires ſui juramenti non poſſe Jurisdictionem in eos exercere, etiam locum, in quem vocati fuerant taliter qualiter non foret inſignis, neque Capitula haberet Jurisperitorum. His ſic ſtantibus, Dominus Theodericus de Morſa, Archiepiſcopus Colonienſis Metropolitanus, Eccleſiam & Chorum Oſnaburgenſe eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto.

In tali anguſtia & anxietatibus unaquæq; partium ſubſidium ſibi quæſivit & juvamen. Fuit extunc quidam Dominus Lubbertus Weſtphael, Canonicus Eccleſiæ Paderbornenſis, vir maturus & ſtrenuus, qui ingeſſit ſe de Præpoſitura Eccleſiæ Oſnaburgenſis, conſanguineus Swederi & Hermanni de Buſche, apud Dominum Ericum Admini-

Adminiſtratorem acceptus. Sed nobilis & generoſus Dominus Conradus de Depholte, Præpoſitus Daventrienſis, eandem Præpoſituram à ſancta Sede Apoſtolica impetratam per tres ſententias definitivas obtinuit, etiam cum literis executorialibus. Idem venerabilis & nobilis Dominus Conradus de Depholte prædictum Dominum Ericum Adminiſtratorem, & Nobilem Domicellum Johannem Comitem de Hoja, virum utique bellicoſum humiliter adiit, precando ut ſibi favorem ordinarium Dominus Ericus ut ordinarius, & Domicellus Johannes ut cognatus impenderet, ut Præpoſituram Oſnaburgenſem auctoritate Sedis Apoſtolicæ adjudicatam poſſet obtinere. Qui nec jus nec unionem ſanguinis attendentes, licet mater Domini Erici Adminiſtratoris & Domicelli Johannis ejus germani mater, & Domini Conradi de Depholte avia materna, ſorores fuiſſent, filiæ Ducis de Brunſwick atque Luneborg, magis tamen Domino Lubberto Weſtphael, quam Domino Conrado de Depholte favoriſabant. Proceſſit igitur & executionem mandatorum Sedis Apoſtolicæ ſuo, per Præpoſituram ſibi adjudicatam fieri fecit illuſtris Dominus Conradus de Depholte, ac jure & etiam manu armata Præpoſituram obtinuit, adhærentibus ſibi Domino Seniore Johanne de Varendorpe, Præpoſito Eccleſiæ S. Johannis & aliis Dominis Capitularibus Oſnaburgæ remanentibus: adhæſitque eisdem Dominus nobilis Conradus Præpoſitus ſæpedictus, alter alterum protegendo. Decano ſic in carceribus detento, fugitivis Canonicis apud Dominum Ericum receptis, & de caſtris per officiatos & familiares Domini Adminiſtratoris multifarie aliis Dominis Seniore Oſnaburgæ degentibus per abſtractionem ſuorum pecorum, etiam incolis & civibus damnificatis, interpoſuit ſe Conſulatus Oſnaburgenſis quantum potuit, hortando, monendo, ut reſtitutio fieret, aut ſolutio damnorum illatorum. Et licet ſemel quædam ſolutio fuerat facta, Domino tamen Johanne de Brinck Canonico tunc clamante in hæc verba: Teneo quod hæc reſtitutio nihil boni apportare debeat inter Dominum & civitatem.

Paullo poſt nobilis & bellicoſus Comes Johannes de Hoja, qui Domino Adminiſtratori affuit, & confœderationem cum Domino Adminiſtratore & prædictis Canonicis extra civitatem Oſnaburgenſem apud eum degentibus, & certis miniſterialibus Eccleſiæ Oſnaburgenſis & extraneis ligam & conſpirationem iniit de caſtro Iborg, & ad illud omnia pecora, quæ Dominus Johannes de Varendorpe circa caſtrum Suchuſen, habebat quod fuit ſuum patrimonium, vi armata abſtulit. Et eadem die omnia jumenta per totam diœceſin Oſnaburgenſem exiſtentia, quæ ad bona Præpoſituræ Sancti Johannis prædictæ, & ad patrimonialia ſpectabant, per officiatos & armigeros Domini Erici Adminiſtratoris, & Comitis Johannis ad caſtra Domini Adminiſtratoris violenter ſunt ablata. Quod queruloſe propoſuit Dominus Johannes Senior, tàm Dominis de Capitulo civitatis Oſnaburgenſis, quam etiam Proconſulibus & Conſulibus civitatis Oſnaburgenſis. Et licet iterum tam ſpectabiles Proconſules quam Conſules Domicellum Johannem interpellaſſent, eumque muneribus aureis placare propoſuiſſent, petendo ut bonus mediator inter Dominum Seniorem, cæteroſque Dominos Capitulares ac Dominum Ericum Adminiſtratorem, ſuum germanum. Verum Domicellus Johannes ferocitatem ſolitam non amovendo, immo magis animum fratris ſui Domini Erici inflammando, prout à veridicis didici, eum inſtigavit, ut poſtpoſitis ſuis pollicitationibus Eccleſiæ & diœceſi factis, quos à damnis defendere aſſertus fuit ut Dominus, eos per ablationem jumentorum, equorum, boum, vaccarum, pecorum & caprarum, ac alias quantum potuit damnificavit, ſpiritualibus ac ſecularibus de civitate Oſnaburgenſi non parcendo, præcluſitque viam cunctis bona venalia ad civitatem Oſnaburgenſem adducere proponentibus. Propter hæc & alias diverſas rationes proponendas, juxta ritum, conſuetudinem & obſervantiam Eccleſiæ Oſnaburgenſis, vocatus erat Dominus Ericus Adminiſtrator ad Capitulum ſive locum Capitularem, ſuper objiciendis reſponſurus, cum proviſione ſecuritatis. Et quamvis ad civitatem Oſnaburgenſem animo comparendi in Capitulo pervenit, malis tamen Conſiliariis diſſuadentibus, mutavit propoſitum, & exivit civitatem Cathedralem, quam poſtmodum nunquam fuit ingreſſus. Et ſic præmiſſa mala deteriora fuerunt ſecuta. Nam Comes Johannes, anno quo ſupra, literas diffidatorias miſit Dominis nobili & venerabili Conrado de Depholte Præpoſito, Johanni Seniori, cæte-

cæteriſque Dominis Capitularibus Oſnaburgæ degentibus, & omnibus Proconſulibus, Conſulibus, civibus & incolis civitatis Oſnaburgenſis, circa collem (den Schlachterberge) cum ſexcentis equeſtribus, civitati Oſnaburgenſi applicuit, & magnam prædam abduxit, & ad caſtrum Witlage duci fecit. Præpoſitus vero, illuſtris Dominus Conradus cum ſuis, ac cives Oſnaburgenſes, prope & extra civitatem ſequentes, majus tamen periculum abhorrendo, ad civitatem ſunt regreſſi. Sumpſitque Dominus Ericus, ac ſuus germanus Johannes, in adjutorium illuſtres Duces de Brunſwick, Wilhelmum & Fridericum fratres Domini Wilhelmi, qui & multi militares, una etiam cum Domino Alberto de Hoja Epiſcopo Mindenſi literas ſuas diffidatorias etiam emiſerant. Præpoſiti vero Dominus Conradus de Depholte & Johannes de Varendorpe, ac ſpectabiles proconſules & conſules, multos armigeros, & etiam nobiles, videlicet Dominum Martinum de Spegelberge Comitem, & de diœceſi Monaſterienſi, ac Fredericum de Horde Oſnaburgæ primicerium, & plures de Comitatu Markenſi, ſumpſerunt ſub ſuis expenſis, ſtipendia larga dando, in ſubſidium & juvamen. Et quod dolenter referendum eſt, Dominus Ericus Adminiſtrator bellum indixit prædictis Præpoſitis ac Dominis Capitulum repræſentantibus, & etiam Proconſulibus, Conſulibus, Communitati civitatis Oſnaburgenſis, quibus ad præeſſendum ut verus Paſtor juxta tenorem ſuarum literarum Apoſtolicarum fuerat datus. Audivi tamen ab aliquibus, qui fuerunt ſui Conſiliarii, quod quaſi à ſuo fratre Johanne de Hoja cum diu denegaſſet, compulſus fuiſſet, cum lacrymarum effuſione dixiſſet: O! quomodo Eccleſiam, quam protegere & defendere ab injuriis ſum aſtrictus, proh! nunc diffidare debeo. Et poſtmodum tam Dominus Ericus, quam etiam Comes Johannes ſuus germanus cum ſuis complicibus damna quæ potuerunt Eccleſiaſticis & ſecularibus perſonis in bonis & aliis incendiis & rapinis multipliciter perpetrarunt, vaccas & jumenta multa de prato Utadder, circa civitatem Oſnaburgenſem, ubi tunc plures de civitate & etiam de diœceſi propter ſecuritatem, ut confidebant, adduxerant, ſpoliarunt & ad caſtrum Iborg apportarunt. Sed cives Oſnaburgenſes cum ſuis ſtipendiariis inſequentes prædictos ſpoliatores usque ad turrim circa Ozede, Johanne de Holcorpe, extunc vexillifero, quia nox inſtabat, ſunt reverſi. Propoſuit extunc Comes Johannes aggredi Oſnaburgenſes, quia ultra ſexcentos equeſtres habuit armigeros, ſed Johannes Klencke diſſuaſit. O! ſi ſecuti fuiſſent ulterius. Nam ſtatim poſt reditum Oſnaburgenſium Comes Johannes cum ſuis dividens ſe ab aliis de exercitu ad Iborg, cæteri ad villam Hilter equitarunt, & per noctem iſtam cum præda ibi permanſerunt. Ac ſtatim cum multiplicata fuerunt ſpolia, rapinæ, incendia, damna per Comitem Johannem & ſuos; ulterius prædicti Præpoſiti Eccleſiæ majoris & S. Johannis Oſnaburgenſes, ac proconſules, Conſules & communitas civitatis Oſnaburgenſis, hoc tolerare non volentes, ad arma ſe præpararunt, & cum bombardis atque inſtrumentis bellicis civitatem Oſnaburgenſem exierunt, animo caſtrum Vaſtenow obſidendi. Sed eis appropinquantibus multi graviter per ſagittas & bombardas ſunt læſi, & quidam armiger de Comitatu Markenſi ita graviter, quod cor ſuum cunctis patebat. Intellexerunt quoque quod Comes Johannes fuit in caſtro etiam cum Ducibus Wilhelmo & Friderico de Brunſwick, qui dicebantur extunc ibidem habere D. armigeros equeſtres. Unde quidam putabant, quod circumvallatione facta, prædicti Duces atque Comes cum ſuis ad unam partem aciei exitum habere potuiſſent, etiam cum illatione damnorum multorum. Quare mutato propoſito redierunt ad civitatem; quod tamen multis reprehenſum & inutile fuerat adjudicatum. Nam multi villani ad partem civitatis declinantes, & etiam in campo cum illis exiſtentes, timuerunt valde ſic derelicti, ex hoc damna intolerabilia ſuſtinere. Unde illis lamentantibus, & etiam Oſnaburgenſibus alias vires reſumentibus, poſt triduum Domini Præpoſiti prædicti, Proconſules, Conſules & communio, Eccleſiæ & civitatis ſtipendiarii cum toto exercitu exierunt, & caſtrum Vorſtenowe circumvallarunt. In obſidione tali firmiter opidum aggreſſi cum ictibus bombardarum ac aliis inſtrumentis bellicis, jaculis emiſſis viriliter præliando opidum devaſtarunt: in quo Domicellum Johannem Comitem de Hoja ceperunt, & quia odioſus erat populo, timens ne ipſum occiderent, quandam caminatam Domini plebani aſcendit, & ibi apprehenſus ſubmiſit ſe ut captivus Dominis Præpoſitis, Proconſulibus, Conſulibus civitatis.

Unde

Unde gaudium & redemptio populi accrevit. Nam hæc fiebant in die Sanctæ Reginæ virginis, cujus ſanctum corpus in eccleſia Oſnaburgenſi cum magna veneratione eſt reconditum, fuitque ad honorem Dei & S. Reginæ à Domino Johanne Præpoſito eccleſiæ S. Johannis inſtitutum, quia in illo die defertur per circuitum capſa deaurata S. Reginæ cum multis ſanctis corporibus ibidem incluſis, quod omnes Proconſules, Conſules, civitatis præſidentes præſentias habent cum Canonicis eccleſiæ ſæpedictæ. Et habito opido ulterius contra detentores caſtrum per diros ictus bombardarum fuerat proceſſum. Videns Wilhelmus de Wolde armiger cum ſuis non poſſe reſiſtere, tradiderunt caſtrum ſuis ſaltem corporibus ſalvis etiam abſque captivitate perſonarum. Habitis igitur caſtro, opido & Domicello Johanne capto, cum gaudio & triumpho Comitem Johannem & Secretarium Domini Erici Hermannum Hageto, ad turrim civitatis poſitis, ad civitatem cathedralem perduxerunt. Et ſtatim cameram, quondam Domicello Simoni de Lippia conſtructam, in quo captivus ad ſex annos per [illegible] detinebatur, aptatam & bene munitam pro habitatione Domini Johanni [illegible], in qua vinculatus fuit, atque per vigiles bene cuſtoditus in turri, dicta de Buckeſtorne, & ibidem ad ſex annos, ſtare non valens, neque ire, ſed proſternere ſe potuit, ita arte collocatus permanſit, prout inferius loco ſuo uberius Deo dante enodabitur. His peractis nobilis ſtrenuus & venerabiles Præpoſiti ac proconſules, Conſules & cives cum ſuis adhærentibus caſtrum Iborg devaſtarunt, ibi quaſi per totam hyemem opido primum capto exiſtentes cum magnis ſumptibus, rebus bellicis & expenſis. Et licet Epiſcopus Mindenſis Dominus Albertus, cum penuriam ſuſti[illegible] in caſtro victualium & calceorum cum certis equeſtribus apportari fecit. Sed Oſnaburgenſes hujusmodi perſcrutati impedientes, quare ob timorem Mindenſes victualia abjecerunt fugam capiendo, Oſnaburgenſibus hujusmodi victualia adeptis. Et quia finaliter eſculentis poculentis & calceis carebant, Dominus Egbertus de Herberen, Bruno Rewilde, & alii, quibus caſtrum commiſſum fuerat, ſalvis ſuis corporibus caſtrum Iborg tradiderunt. Habito ergo caſtro & bene munito Præpoſiti & incolæ civitatis ad ſua cum triumpho remearunt. Deinde non ceſſantes ab obſidionibus, primum Vorden, deinde Wittlage, caſtra obſederunt. Sed Otto de Ryngele, officiatus in Vorden, cum aliquandiu damna paſſus fuiſſet, & Theodericus de Herne ibidem læſus receptis pecuniis per eum expoſitis, caſtrum Vorden, & Wernerus Loderinck etiam ſolutis ſibi per Præpoſitos & civitatem debitis, caſtrum Wittlage ad manus Capituli & civitatis tradiderunt. Adeptis ergo caſtris illis, captoque Domicello, Johanne Comite, conventum fuit inter Dominos Præpoſitos Capitulum, Proconſules, Conſulesque civitatis Oſnaburgenſis, & Reverendum in Chriſto patrem, Dominum Henricum de Morſa, Epiſcopum Monaſterienſem, ut ipſum pro Adminiſtratore Eccleſiæ Oſnaburgenſis aſſumerent. Quia aliquandiu inter Dominum prædictum Ericum de Hoja ex una, Præpoſitos & Capitulum ex altera controverſi erant. Nam Præpoſiti, Capitulum & civitas querimoniales literas cum multis articulis contra juramentum Domini Erici conſcriptas, ad principes Eccleſiaſticos & ſeculares & alios Dominos proceres & militares, & civitates emiſerunt. Qui infamiæ notis eundem aſperſum, indignum ad Eccleſiam Oſnaburgenſem regendam, quam & ipſe deſtruere conabatur, atteſtabantur. Et Concilium Baſileenſe, quod extunc viguit, hoc intelligens, Domino Henrico de Morſa de Eccleſia Oſnaburgenſi providit, eumque in Adminiſtratorem præfecit. Qui fretus illis concilii Oſnaburgenſis literis, ad altare majus Chori Eccleſiæ Oſnaburgenſis, locatus, poſſeſſionem Eccleſiæ & diæceſis fuit adeptus, de anno Domini MCCCCXLI. die IX. menſis Junii.

Extunc idem Dominus Henricus novus Adminiſtrator Eccleſiæ Oſnaburgenſis aſſiſtentiam fecit Dominis Præpoſitis Capitulo & civitati Oſnaburgenſi, ac primo Grevenberge circumvallato, & per Hermanum de Buſco tradito, ubi ſuos armigeros in defenſione Eccleſiæ & civitatis locavit contra Dominum Albertum Epiſcopum Mindenſem, Henricum Ledebur, Wernerum Loderinck, Hermannum de [illegible]che & alios militares multos caſtrum Hunteborg cum ingenti exercitu & multis armigeris, perſonaliter, ſibi aſſiſtentiam Dominis Præpoſitis & Civitate Oſnaburgenſi facientibus, de Anno Domini MCCCCXLII. in nativitate Johannis Baptiſtæ obſedit,

obſedit, & per circuitum foſſatis novis ita circumvallavit, quod in caſtro exiſtentibus non patuit egreſſus neque ingreſſus ad caſtrum. Unus tamen multum velox Gerhardus Vincke, qui jam adhuc supereſt, nudus abiit & in aquis cum folio in aquis [illegible] ita os ſuum abſcondit & anhelitum traxit, & emiſit, ut longis temporibus perſcru[illegible]do circa ex excercitu caſtellum tenentibus & ſuis complicibus nuntiavit. Et cum [illegible] per hyemem magnis expenſis circumvallatio cum multis bombardarum ictibus habita fuit, & non ſupervenit redemptio, quam tamen Epiſcopus Mindenſis ſæpe pollicitus fuit, nec ſupererant victualia, in nocte, dum ventus & pluvia vehementer turbarent auditum, ſecreto receſſerunt, caſtrum derelinquendo. Sic reſtitutum fuit caſtrum Eccleſiæ Oſnaburgenſi, & relictæ bombardæ & inſtrumenta bellica & præſertim quædam bombarda, in qua arma Eccleſiæ Mindenſis & Comitum quondam de Hallermont ſunt infuſa, quæ apud caſtra diœceſis Oſnaburgenſis adhuc poſſidetur, ut in juſto bello acquiſita.

Cum ergo Comes Johannes de Hoja in turri, dicta de Buckestorn, Oſnaburgi captivus teneretur, nec ex facultatibus ſuis tantum obtulit, quod redimi potuit, Dominus Ericus Præpoſitus Colonienſis olim Adminiſtrator, privatus caſtris omnibus Eccleſiæ & diœceſis, Oſnaburgenſis laborans pro redemptione fratris ſui Comitis Johannis allegare propoſuit, quod idem Comes in treugis quæ inter eundem & ſuum fratrem ex una, & Præpoſitos & Conſulatum & cives Oſnaburgenſes ex altera parte, initæ fuiſſent, & de mane iſtius diei, quo captus fuerat, incipientibus fuiſſet victus. Unde ipſum de captivitate & carceribus requiſivit relaxari, & priſtinæ reſtitui libertati. Pars vero adverſa allegavit, quod ante inceptionem treugarum invaſus fuiſſe & captus, dicentes ipſum captum fere ante ortum Solis, & tunc diem incipere juxta communem obſervantiam Juris militaris atque etiam ſcripti, juxta gloſſam cap. II. extrav. de feriis. Alternantibus itaque ſic partibus, Dominus Ericus coram Cæſarea majeſtate, videlicet Illuſtriſſimo Domino Frederico Romanorum Imperatore, querelam proponi fecit, & demum citari Proconſules, Conſules, & cives civitatis Oſnaburgenſis ad curiam Imperialem, producique fecit literas treugarum Præpoſitorum atque Conſulatus civitatis Oſnaburgenſis. Et licet Dominus Ericus perſonaliter conſtare propoſuit ad gratiam Imperialem, & in via per Comites de Honſtein captus, in caſtro Laër Principatus Thuringiæ vinculatus, & tandem pro MD. florenis redemtus; tamen per procuratores ſuos cauſſam proſequi non ceſſavit. Unde Dominus Imperator, favore ſanguinis motus, quia Comes Johannes de Ducum Saxoniæ & Brunſwick genere procreatus, ut in appellationibus fuerat allegatum, pronuntiari per ſententias mandavit, quatenus prædictus Comes de carceribus eſſet relaxandus, & Principibus, Duci videlicet Juliacenſi, vel Haſſiæ Landgravio incolumis corpore & rebus ſalvis emittendus, quo facto cauſſa captivitatis deberet decidi, in treugis an extra eſſet facta. A qua quidem ſententia per Proconſules & Conſules civitatis Oſnaburgenſis provocatum atque appellatum ad Sacroſanctum Conſilium Baſilienſe, quod extunc dominavit, cauſſaque commiſſa duobus Cardinalibus, qui etiam in cauſſa appelationis ad certos actus proceſſerunt, quo tamen non inſpecto, licet appellatione prudente nil ſit innovandum, ſereniſſimus Dominus Imperator ſententiam ſuam executioni demandaverat, & contra omnes ſeculares majores anno duodecimo, puberes ſaltem maſculos, ſeptuagenariis exceptis, bannum tulit Imperiale, cum aggravatione, vulgariter dicta Acht unde Overacht / mandans omnibus Principibus, Dominis militaribus, civitatum rectoribus & opidorum, ut præmiſſos Oſnaburgenſes caperent atque detinerent carceribus intendendo. A quibus omnibus etiam de jure fuerat appellatum. Præmiſſa tamen executio facta fuit in civitate Colonienſi, ubi Hermannus Smediger, & Hermannus Permeterer fuerunt capti, proceſſumque fuerat d[illegible] & quousque tempore reverendi in Chriſto Patris & Domini, Domini Conradi de Depholte Epiſcopi Oſnaburgenſis, poſtquam idem Comes Johannes de Hoja filiam [illegible] nobilis Domini Ottonis de Depholte, ex qua ſuſcitavit illuſtrem Domicellum Jodocum, nunc Comitem de Hoja ſuum filium: extunc ego N. N. abſolutionem ad cautelam ab Imperatoria majeſtate prædicta impetravi in Concilio Baſileenſi diſſoluto, & ſecuritas civibus Oſnaburgenſibus in his fuit reſtituta.

Amoto

Amoto igitur ab Eccleſia Oſnaburgenſi Domino Erico olim Adminiſtratore, Præ[illegible]to Colonienſe, & poſtulato Domino Reverendiſſimo Henrico de Morſa, Epi[illegible] Monaſterienſi, in Adminiſtratorem Eccleſiæ Oſnaburgenſis, & poſſeſſione an[illegible]ie, ut ſupra, adepta, idem Dominus Henricus ſtrenue Eccleſiam & diœceſin con[illegible]o [illegible]nque invaſores defenſavit, & præſertim Dominum Albertum, Epiſcopum [illegible] compeſcuit, & omnes illi adhærentes. Manu enim valida cum multis [illegible]s opidum Lubbeke in ſegetibus & aliis, quia à ſuis ſolitis maleficiis, rapinis & [illegible]is quieſcere noluit, damnificavit, plures armigeros in Gronenberge ſub ſuis [illegible] & ſtipendiis, quorum Ludolfus Nagel primicerius nomine ejusdem Epiſcopi [illegible] ordinavit: & Epiſcopum Mindenſem prædictum adhoc induxit, quod perſona[illegible] caſtro Saſſenberge, Monaſterienſis diœceſis, comparuit, & Sacroſanctis Evan[illegible]cti[illegible]uravit nunquam velle facere, vel quicquam de facto attentare contra eum[illegible]dominum Epiſcopum Monaſterienſem, neque contra nobilem extunc Domicel[illegible] C[illegible]um de Depholte, Præpoſitum Oſnaburgenſem, neque contra diœceſanos [illegible]ſes & Oſnaburgenſes. Quomodo vero hoc, tempore ejusdem Domini [illegible]rimum Præpoſiti deinde Epiſcopi Oſnaburgenſis, ſervatum fuit, pluribus [illegible]is & ſecularibus fuit & eſt manifeſtum.

Præmiſſis actis, & caſtro Huntenborg recuperato, ut præfertur, paceque reſti[illegible], civitati & diœceſi Oſnaburgenſi, laudabiliter eo regente, fore factores [illegible]odiens, quendam civem civitatis Monaſterienſis Stromberg dictum, de [illegible]onetarum ſuſpecto, apprehendi fecit, & in caſtro Saſſenberge vinculari præ[illegible] Unde Conſulatus Monaſterienſis, cui tunc Gerhardus Kleyhorſt in officio [illegible]magiſtri præfuit, qui ſatis animoſe jura & conſuetudines civitatis Monaſterienſis [illegible]re propoſuit, nolens quod cives civitatis Monaſterienſis taliter incarcerari de[illegible]ed potius coram Conſulatu eorum, Burgimagiſtris & rectoribus immedia[illegible] deberent, eorum civem juri ſtare coram eis obtulerunt. Convenientibus ete[illegible]us, militaribus, Proconſulibus & Conſulibus diœceſis & civitatis Monaſte[illegible]onfœderationem ſive conſpirationem fecerunt adverſus Dominum Henricum [illegible]opum Monaſterienſem, noſtrum Adminiſtratorem. Unde diſplicentia & diſcordia [illegible]nter eundem Epiſcopum & ſuos ſubditos, querulantibus partibus prout uni[illegible]uit. Et tunc Præpoſiti Capitulum & civitas Oſnaburgenſis Monaſterienſibus [illegible] offerentes eorum Dominum & Adminiſtratorem ad recipiendum & fa[illegible]od ordo exigeret juris & rationis.

[illegible]rca hæc quoque tempora diſcordiæ fuerunt inter Reverendiſſimum in Chri[illegible]em & Dominum, Dominum Theodericum de Morſa, Archiepiſcopum Colo[illegible], Principem Electorem Imperii, Weſtphaliæ & Angariæ Ducem, & Procon[illegible]ules & cives Soſatienſes. Et licet multi tractatus de compoſitione amicabi[illegible] & tenti fuiſſent in Colonia & pluribus aliis locis, minime tamen ſubſecuta fuit. [illegible]tienſes ſubjectionis jure relicto ſe ſubdiderunt illuſtribus Dominis Adolpho [illegible] Johanni ſuo filio, Ducibus Clivenſibus & eundem Ducem Johannem, extunc [illegible] & animoſum Anno Domini MCCCCXLIV. in die Apoſtolorum Petri & [illegible]tromiſerunt ad civitatem Soſatienſem, & eidem homagium fecerunt, & ſta[illegible]iepiſcopo prædicto in caſtro ſuo Arnsberg extunc exiſtenti, literas diffida[illegible]rexerunt. Et extunc partes ambæ ſe ad arma præparabant. Dominus Co[illegible] primum ſpirituali, & deinde materiali gladio uſus, in adjutorium ſumpſit [illegible]dum Dominum Henricum Epiſcopum Monaſterienſem & Adminiſtratorem [illegible]aburgenſis qui ſuo germano Archiepiſcopo Colonienſi auxilium pro poſſe [illegible]at: ſimul & nobilis Conradus Comes in Retberg, qui extunc caſtrum Hove[illegible] Archiepiſcopo prædicto hypothecatum ſibi poſſedit, ac plures Comites & Baro[illegible] Ducibus & Soſatienſibus adhærebat tandem nobilis Domicellus Bernardus Do[illegible] de Lippia adhuc juvenis, cujus pater ex matre natus fuit de Morſa, ſorore prædi[illegible] Colonienſis & monaſterienſis Epiſcoporum, mater vero de Ducibus de Brun[illegible]ortum traxit. Hic Dominus de Lippia opidum Lippe, quod jure paterno & heredi[illegible] eum pertinuit, licet à progenitoribus ſuis Duci Clivenſi fuerat hypothecatum, [illegible]edietate ad proprietatē perpetuo dimiſit & reſignavit, & viceverſa pro medietate [illegible]ſit, nullis pecuniis intervenientibus. Sed multis videbatur hoc minus ſagaciter

actum, & ille juvenis Dominus circumventus fuiſſet cum fratre ſuo Domino Simone à Conſiljariis perperam conſulentibus, & medietatem opidi perpetuò reſignarunt, & adverſum Dominos ſuos & conſanguineos majores Ducibus ſe confœderando & auxilium præſtando ſub periculis magnis & expenſis. Confœdationibus præmiſſis actis Domicellus Bernardus cum ſuis auxilium, quod potuit, impendebat. Unde ambabus partibus procedente tempore accidebant damna inæſtimabilia. Annis in tribus ſequentibus Archiepiſcopus cum ſuorum adjutorum auxilio civitatem Soſatum ſegetibus bladis punivit, & in conculcandis ſuis ſeminibus, etiam diruendo & deſtruendo turres indaginem ejusdem civitatis damnificavit. Unde poſt biennium diæta in opido Morſa indicta fuerat, & tunc pax partibus reddita fuiſſet. Sed durante diæta in vigilia Simonis & Judæ Apoſtolorum, Colonienſes adunati prædam ante Soſatum abducere nitebantur. Sed Soſatienſes cum ſuis ſatellitibus ad arma convolant & capiunt de ſuis hoſtibus CXX. militares & inducunt ad Soſatum. Ibidem etiam quendam nobilem adoleſcentem filium Comitis de Naſſowe vexilliferum occidunt ſagitta. Unde proh dolor! diæta inchoata diſſolvebatur.

Anno igitur MCCCCXLVI. Dominica in Palmis grandis nix totam terram cooperuit, tentoria & fulgura per totam noctem coruſcabant, & in multis locis gravia fecerunt damna. Anno etiam ſequenti, durante præſcripta guerra conduxerat ibi Archiepiſcopus Colonienſis grandem exercitum Bohemorum, Miſenenſium & Thuringorum, cum quibus Dominum Lippienſem multum damnificavit. Et primo caſtrum & opidum Blomenberge incendio deſtruxit. Et cum Domicellus Bernardus Senior fratrum Dominorum de Lippia, qui cum Duce Clivenſium fuerat in obſidione Werle, ingreſſum Domini Archiepiſcopi intellexit, appropinquavit patriæ ſuæ & caſtro Blomenberg, & decima Junii, quantum potuit, munivit. Sed feria tertia ſequenti Bohemi, quorum ductor fuit Comes de Sterneberg, Miſnenſes & Thuringi cum Archiepiſcopo unico aggreſſu opidum cum caſtro invadunt, capiunt & cives exſpoliant. Unde, cum caſtrum & opidum incendiis periiſſent, fugam cepit cum Domino Goswino Ketteler milite, qui ſibi tunc affuit, ac plurimis aliis armigeris pedeſter venit usque ad caſtrum Schowenborg, cujus Comitis filia eidem Domicello fuerat deſponſata. Et cum Archiepiſcopus Colonienſis cum Bohemis, Marchione Miſnenſe, Landgravio Thuringiæ, Duce Wilhelmo, eorumque complicibus apud opidum Blomenberg per biduum permanſerunt, exercitum refocillando, tertia die, videlicet in die beati Viti martyris verſus Lemgo opidum proceſſerunt, & omnes villas & domos in itinere igni devaſtarunt. Caſtrum Brack per quendam baſtardum de Lippia Archi-Epiſcopo aperiebatur, mola ante caſtrum terræ adæquata. Inde Archiepiſcopus cum Principibus Lemgo quod vacuum ab hominibus invenit, intravit, domum Conſulatus aſcendit, ibi per majores civitatis, qui ſe occultarunt, & à fuga reverſi prandium ſolenne parabatur, & prout cives moeſti poterant eisdem miniſtrabant: impoſuitque Archiepiſcopus ſummam florenorum viginti millium ſibi ſolvendorum, accepitque ab eis homagium perpetui famulatus & fidelitatis, literis ſuper hoc civitatis ſigillo roboratis. Unde Lemegenſes & Clerus & populus ſtatuit quod ſingulis annis in die S. Viti ſolennis fiat proceſſio cum delatione ſalvifici corporis Domini noſtri JEſu Chriſti, propter exitum hoſtium, & ſalubrem ac proſperum ſucceſſum, qui eis poſtmodum advenit. Receptis igitur homagiis & promiſſionibus ſigillo munitis, exivit Dominus Archiepiſcopus opidum Lemego, & ad populum, qui prope villas Schotmar & Ufelenum morabatur, pervenit, ubi tentoria & papiliones & caſtra poſita fuiſſent, ibique exercitu refecto pernoctavit. In mane ſequenti, ſole oriente, populus ad prædandum vicinos diſpergebatur.

Tunc Hervordienſes timentes hujus populi multitudinem & inhumanitatem, Archiepiſcopo obviabant, pacem cum eo quærentes, quibus etiam impoſuit mulctam ſedecim millium florenorum Rhenenſium ſibi dandam. Illo die pagum Ufelen ſolo adæquavit, & ſequenti opidum Dethmolde cum eccleſia & turri penitus flamma delevit. Hinc etiam per biduum ſequens Ravensberge territorium ſpoliavit, & gravia damna in multis eccleſiis villanis, usq; in Bunde perpetrarunt. Et XIIX. die Junii de territorio Ravensburgenſi per montem, dictum den Luttenberge / multi illorum tranſitum facientes verſus Lippiam per Delbruggen tranſeuntes acceſſerunt. Incuſſis etiam ter-

roribus

roribus illis religioſis patribus cœnobii Campi Mariæ, Ciſtercienſis ordinis, Monaſterienſis diœceſis, ſacra vaſa & clenodia ſua cum reliquiis ad caſtrum Ravensberge cauſſa cuſtodiæ depoſuerunt. Quia talis populus neq; Clero neq; velatis virginibus, neq; ſacratis ædibus parcebat; ſed ut furibundi, omnes quos poterant invadebant. Unde tota Weſtphalia præmiſſis peractis perterrita fuit. Nam Monaſterienſis civitas timore percuſſa, literas ſuper confœderatione, quam ſubditi civitatis & diœceſis Monaſterienſis adverſus eorum Dominum, Dominum Henricum de Morſa, Epiſcopum Monaſterienſem & Adminiſtratorem Oſnaburgenſem, ſigillis muniverant, ad requiſitionem Epiſcopi, qui multis armigeris electis aſſiſtentiam fecit Archiepiſcopo Colonienſi, ſuo fratri, tradere & præmiſſas confœderationes, ſive conſpirationes annullare & reſcindere ſunt coacti. Unam tamen ſuper his ſigillatam literam in caſtro Benthem vidi, atque ibidem perlegi.

Itaque his ita geſtis hic exercitus de territoriis Dominorum de Lippia & Ravensberge verſus opidum Lippe acceſſit. Sed incolæ iſtius opidi per triennium ad bellum jam docti Bohemorum, Miſnenſium, Thuringorum aggreſſum non formidabant, ut civitates prædictæ. Unde ibidem ante opidum bladis & ſegetibus concultatis & abſumptis, per quindenam opidum obſidebant, & Lippienſes viriliter reſiſtendo multos neci tradiderant. Inde Archiepiſcopus Colonienſis cum exercitu ſe transferens verſus Soſatum, papilionibus & tentoriis erectis cum prædictis Principibus & Dominis ibidem ſe locavit, & per gyrum ſatis & fructibus conculcatis & deſtructis Soſatienſes multum damnificavit.

Prima igitur Julii Soſatum Archiepiſcopus prædictus cum Bohemis & aliis obſedit, ibidemque usque ad XXI. diem ejusdem menſis gravibus ſub expenſis Soſatienſes moleſtavit. Et revera tota tunc Weſtphalia vix tanto populo ſufficiebat neceſſaria victus miniſtrare. Nam illo anno omnia ad eſum neceſſaria fuerunt in rariſſimo loco. Obſidione iſta ſic durante, illuſtris Princeps Wilhelmus, Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ & Marchio Miſnenſis, ſcripta ſua ex commiſſione, ut aſſeruit, Imperali, cujus bannerium & vexillum Imperatoris juxta Soſatum erexit, miſit ad Conſulatum Oſnaburgenſem, requirendo & monendo, ut ſine mora quavis nobilem Johannem de Hoja ſibi liberum mitterent ad excercitum juxta Soſatum, etiam cum comminationibus, quia ipſe executor ſententiæ Imperialis per præſens fulminatæ de relaxatione à captivitate, donec & quousq; cognoſceretur in treugis vel extra treugas eſſe captivatus, & niſi Oſnaburgenſes obtemperarent mandato Ducis, ſeu magis Imperatoris, ipſe manu forti eos ad hoc compeſcere voluit. Ad illa dira ſcripta petierunt conſilium Reverendi in Chriſto patris, Domini Henrici Epiſcopi Monaſterienſis, & Domini eorundem, qui extunc cum Archiepiſcopo Colonienſi ſuo fratre fuerat in exercitu extra Soſatum, cui etiam adhæſerunt certi miſſi à civitate Oſnaburgenſi, videlicet Henricus de Leden Proconſul, Godſchalcus de Ankem, Gerhardus de Leden & alii. Et licet extunc Epiſcopus Henricus conſilium & auxilium fratris Archiepiſcopi Colonienſis imploravit, nihil aliud tamen obtineri potuit, quam quod eis utile videretur, quod ſententiæ Imperatoris & executioni demandatæ ſatisfieret, ne majora mala civitati Oſnaburgenſi contingerent, quæ indubio eſſent eventura. Territus ergo Conſulatus & populus civitatis Oſnaburgenſis & à Dominis ſuis derelictus, juxta conſilium etiam Capituli attendens inopinatum eventum & per arma bellica, nec victus nec munitio civitatis eis ſufficiebat, & metu cadente in conſtantiſſimum, etiam perpenſo, quod nunquam idem Comes Johannes tria millia Florenorum pro damnis illatis alias ſolvere & ſe redimere à captivitate, majus malum perpendentes, quod imminebat, prædictum Comitem ex vinculis dimiſit. Unde nobilis Comes Otto in Tekenenborg, qui ſororem ſuam quondam habuit in uxorem, eundem Comitem Johannem cum aliquibus miniſtris civitatis Oſnaburgenſis aſſociatis ad exercitum juxta Soſatum Duci Wilhelmo de captivitate liberum apportavit: reſtituta tamen & data pace à civitate Comiti, & a Comite civitati Oſnaburgenſi. Adhuc obſidione durante, & amicabilibus tractatibus de pace attentatis, nulla interim pax ſecuta eſt: ſed ab illuſtri Domino Johanne juniori, Duce de Clivis, filio Domini Adolfi, qui etiam in opido Soſatienſi fuerat, impedita. Unde Archiepiſcopus Colonienſis cum Principibus ſuis commotus, ad expugnandam civitatem, ſe diſpoſuit. Viceſima igitur die Julii de mane Principes Soſatum ingredientes,

 & ab

& ab extra ſcalis multis & aliis bellicis machinis per circuitum civitatis appoſitis muris & aplicatis, per vim Soſatum capere nitebantur. Et jam quidam militarium aſcenſis ſcalis muris applicatis intus civitatem videbant. Sed Duce cum militaribus & civibus ſe viriliter intus defendentibus multi Colonienſium, Bohemorum & aliorum pugnatorum bombardis & ſagittis miſerabiliter necabantur, & retrocedere à civitate ſunt coacti. Inter quos noſter reverendus Dominus Henricus Epiſcopus Monaſterienſis & Adminiſtrator Oſnaburgenſis fuerat, jam cadens; ſed ope unius groſſi & corpulenti fortis civis Oſnaburgenſis, dicti Gildeman, ſervatus; qui eum ad brachia ſuſcipiens de foſſatis portavit. Ceciditque ibi & occiſus fuit Henricus Hoborg, Caſtellanus in Hoveſtatt, vir probus & in armis expertus, & multi alii, quorum animæ in perpetua pace requieſcant.

Et tempore diſpoſitionis ad expugnandum multi nobiles & proceres fuerunt creati; inter quos fuerunt nobilis Dominus Comes Conradus in Rethberge, & Gerhardus de Koppell. Fuit ibi etiam virtuoſus famulus Hermannus Korff, alias dictus Smyſing, athleta & miles ordinatus, ſed, quo motivo, ignoro, acceptare renuit. Sequenti itaque die Archiepiſcopus habito conſilio cum fratre ſuo Domino Henrico, Monaſterienſi & noſtro Domino, Bohemos, Thuringos & Miſpenſes cum eorum complicibus licentiavit. Unde adhuc ſuperſtites de Soſato receſſerunt, ad propria remeantes. Bohemi autem in primo aggreſſu civitatis intrabant illud glorioſum monaſterium S. Walburgis & illud inhabitabant, quod ante Soſatum ſituatum erat, clauſtrum monialium, & inde civitatem graviter moleſtabant. Ideoque cives commoti poſt Bohemorum receſſum clauſtrum penitus deſtruxerunt, ne ſimilia damna amplius inde paterentur, & Moniales ad opidum introducebant, ubi eis aliud monaſterium deputarunt.

Et in iſto anno, tempore obſidionis prædictæ, per totam Alemanniam erat grandis bladorum cariſtia, æſtas ſicciſſima. Unde ſegetes pauperum conſolatione citius quam alio tempore maturabantur.

Item iſto tempore Soſatenſes captivarunt prope Themoniam de Tremonienſibus quaſi CCCCLVI. viros. Licet enim hæc opida ſint confœderata ſub modo, tamen cum aliis etiam circumvicinis cum unaquaque velit ſtare Juri ad dictamentum civitatum confœderatarum.

Igitur poſtquam, ut prætactum eſt, hic populus, qui ut dicebatur erat numero ultra LXX. hominum millia, & vulgo extunc drawanten vocabantur, de Soſato & Weſtphalia receſſerunt verſus Bohemiam onuſtis omnibus curribus ſuis cum multis rebus pretioſis, multæ dietæ à partium fautoribus amicabiles fuerunt habitæ, ſed nondum pax poterat inveniri. Unde iterum Archiepiſcopus Colonienſis anno ſequenti, videlicet MCCCCXLVIII. adjunctis ſecum fratre ſuo Domino Henrico Epiſcopo Monaſterienſi & Adminiſtratori noſtræ eccleſiæ Oſnaburgenſis, Domino Magno Duce Saxoniæ, Epiſcopo Hildeshemenſi, Domino Alberto de Hoja Epiſcopo Mindenſi, & nobili Domicelle Ottone Comite in Tekenenborg, iterum blada & terræ fructus ante Lippiam & Soſatum devaſtabant, arbores fructiferas ſuccidentes, cives tamen opidorum in ſuo propoſito permanebant.

Illo etiam anno ſanctiſſimus in Chriſto pater, Dominus Eugenius Papa, tempore cujus Concilium Baſilienſe celebratum fuit, quod multis annis duravit, in quo dictus Papa privatus fuit, & contra eum electus Baſileæ Amedæus, Sabaudiæ Dux, & Felix V. nominatus, migravit ad Dominum. Hic Amedæus Baſileam eodem anno in vigilia Johannis Baptiſtæ intraverat, & ibidem quaſi biennio ſteterat, tandem Papatum ad manus Eugenii reſignavit. Quod ſchiſma multa mala procuravit, & Principes per Alamanniam diu in animorum ſuſpenſione & neutralitate permanſerunt, ſed tamen circa finem Eugenii ad obedientiam ſuam ſunt reverſi.

Poſt Domini Eugenii obitum eodem anno electus fuit Dominus Nicolaus Papa V. qui in uno anno factus fuerat altiſſimo favente S. Theologiæ Profeſſor, Cardinalis & ſummus Pontifex. Hic Papa miſit Legatum ad partes Almaniæ pro pace tractanda inter Dominum Archiepiſcopum Colonienſem, Ducem Clivenſem, Soſatienſes & complures partium prædictarum. Qui Legatus indixit dietam ad Trajectum ſuperius, ubi invocata Spiritus S. gratia, Dominica, quæ in eccleſia Dei cantatur, Miſe-

ricordia

ricordia Domini, pax affutura per Domini Papæ Legatum pronuntiata eſt, ac poſt ſolennecompromiſſum laudatum in hunc, ut dicebatur, modum: Quod Archiepiſcopus Colonienſis caſtra Bylſtein & Fredeborg, quæ gladio ceperat, retinere poſſet, & Dux Clivenſis Soſatum, quousque Sanctiſſimus in Domino Papa cum ſcitu illuſtris Principis Philippi Ducis Burgundiæ, plene deliberantes, latius deſuper pronuntiarent. Quod ambæ partes acceptantes & approbantes ad propria ſunt reverſi. Gaudium ergo grande accrevit populo diœceſis Coloonienſis, Soſatenſibus, Lippienſibus, cum quivis ex eis converſari, ambulare potuit, prout tempore priſtinæ pacis fuerat obſervatum.

Poſt hoc anno Domini MCCCCXLIX. cum diſcordia ultra unum annum fuiſſet inter Reverendum io Chriſto patrem & Dominum, Rudolphum de Depholte, Epiſcopum Trajectenſem & civitatem Trajectenſem, ita quod Epiſcopus pacifice civitatem ſuam auſus non fuiſſet aggredi aperte, & Rectores civitatis multa contra eundem attentarunt, & conſpiraverunt adverſus eorum Dominum, qui tameo eis benignus fuit & gratioſus, tandem in nocte Blaſii Epiſcopi aſſiſtentibus ſibi Domino de Montforte Burggravio, & pluribus militaribus & opidanis in Amersforde egreſſus uſque Trajectum illud opidum ipſe cum nobili & venerabili Domino Conrado de Depholte, filio fratris ſui, eccleſiarum Oſnaburgenſis & Daventrieoſis Præpoſito, per parvum foramen muri Trajectenſis, per quod non patuit introitus niſi uni pro tempore, unus poſt alium cum multis civitatem introivit, Amersfordenſibus extra civitatem, juxta portam, dictam de Wirten Porten / manentibus. Et extunc portis per Epiſcopum & ſuos reſeratis, iotraverunt Amersfordeoſes. Sic præcedentibus Epiſcopo & militaribus ſuis, loco, qui dicitur de Placʒ/appropinquantibus, incolæ civitatis hoc intelligentes, valida armata manu proceſſerunt contra Epiſcopum atque ſuas usq; ad forum dictum dat Ganſemarckt/& durum inter ſe ibidem habuerunt conflictū, in quo revereodus idem Epiſcopus ſemper virilis proſtratus fuit, ac dirè læſus & vulneratus in coxa, unde nocumentum aliqualis claudicationis patiebatur, quoad vixerat. Sed Epiſcopo ſublevato & Domino de Mootforde, qui etiam cecidit, reſumtis viribus, & Amersfordenſibus venientibus per aliam viam, videlicet per plateam fratrum minorum dictam, in auxilium, & ſtrenue bellantibus ceſſit victoria Domino Epiſcopo atque ſuis. Ibidem fuerunt læthaliter vulnerati, qui ex hoc moriebantur, Johannes de Lichtenberg filius Proſys Burgimagiſtri, Rothart Proys, & Henricus de Maſche. Et captus fuit Dominus de Gasbeke, dives Baro, qui Dominus erat in Wick/ Durſtede & Abecouw, qui ſe redemit à captivitate, ita quod dicta caſtra & dominia reſignavit Epiſcopo & Eccleſiæ Trajectenſi, reſervato ſibi uſu fructu: & eidem Dominus Epiſcopus ſemel aſſignaverat pro ſuo jure etiam XII. millia florenorum. Quæ quidem caſtra & dominia Eccleſia Trajectenſis habet de hodierno. In eodem etiam conflictu capti erant Domicellus de Senenbergen, qui â captivitate fuit dimiſſus, non exactionatus, ſed cum homagio, & etiam aliis juramentis renunciationis præſtitis: Item Fredericus de Renis de Wulven, & ſui fratres, filii Domini Johannis, qui ſe redemerunt à captivitate cum decem millibus florenorum, & deſtructo eis fortalitio, dicto Rinenwen: Item Jacobus Proys & Hupertus de Palas captivi ducti fuerunt ad caſtrum Horſt, ſed à captivitate clam evaſerunt: Item Arnoldus de Amerungen Proconſul multum eloquens & aſtutus, qui durus adverſarius fuit Epiſcopi & Henricus dictus Incoles ſone fuerunt in foro de Plaes, capitibus truncati. Audivi tamen à reverendo Domioo Conrado de Depholte, poſtmodum Epiſcopo Oſnaburgenſi, quod hujusmodi decapitatio fuiſſet contra voluntatem ſuam: ſed Dominus de Montforde, qui extunc rexit, Epiſcopo ægrotante & vulnerato hujuſmodi fecerat expediri. Item fuerunt ibi capti Jacobus de Amerengen, Johannes de Amerengen, Walbertus de Amerengen, Johannes Wouman, Theodericus Wouman, Johannes Thyel, Theodericus Arnots ſone, qui fuerunt exactionati atque relegati. Item fuerunt relegati Dominus Johannes Proys, Decanus Eccleſiæ Trajectenſis, Bernardus Brojes, frater Johannis de Lichtenberg, Bruno de Lichtenberg, Philippus de Gronefeld, Adrianus de Landescroen, & plures alii, cum uxoribus & prolibus ſuis.

Iſto anno completi ſunt centum anni, ita quod ſequenti anno, videlicet MCCCCL. nova lux, gaudium tripudium & exultatio illuxit. Quia annus gratiæ & Jubilei

advenit, quo multi Romam ituri, & Apoſtolorum limina viſuri, teſtamentis confe-ctis, rebusque diſpoſitis, iter arripiebant.

Illo quidem anno Jubileo IX. die Junii reverendus in Chriſto pater & Dominus, Dominus Henricus de Morſa, Epiſcopus Monaſterienſis & Adminiſtrator Eccleſiæ Oſnaburgenſis, qui Eccleſiæ Monaſterienſi XXVI. annis laudabiliter, & noſtræ Oſnaburgenſi X. annis præfuit, ab hac vita migravit ad Dominum. Quomodo ipſe in caſtris diœceſis Monaſterienſis ruinoſa reparari fecit, aula Epiſcopalis Monaſterienſis, Ahues, Ottenſtein, Bilderbeke, merito de hoc laudis ſibi communicare, & Deum pro anima ejus exorare habent, & ſunt obligati. Fuit etiam protector religioſorum & clericorum. Unde etiam unum forefactorem, qui incendiis & rapinis damnificare videbatur, & minabatur Eccleſiæ Oſnaburgenſi, illo intellecto, per ſuum officiatum juſtitia mediante corrigi fecit cum effectu, ambasque Eccleſias defendit rigide. Unde tamen ſibi imputatum fuit, videlicet; cum quidam ruſtici in Hummelingen, & circa Novum Caſtrum ſibi rebellarunt, & quendam ruſticum, dictum Schart, pro capitaneo deputarunt, & dictum caſtrum nitebantur obſidere, idem noſter Dominus multis armigeris collectis, illos profugos fecit, & quia Plebanum in Aſchendorpe de conſilio illius forefacti ſuſpectum habuit, apprehendens Capellanum ex errore, æſtimans eum fore Plebanum, dire percuſſit ad maxillam, & ſui prophanarunt eccleſiam ibidem, eo non, ut debuit & decuiſſet, prohibente. Unde tamen ſcio prout à Reverendo Domino Conrado de Depholte, qui tunc Præpoſitus, & poſtmodum Epiſcopus Oſnaburgenſis, Epiſcopo affuit, cum hoc fieri vidit, & prohibere non potuit, cum ſuis ſe à conſortio ſegregavit. Poſtea, ut refertur, nunquam ſibi fortuna arriſit. Et in eodem anno, poſtquam de Aſchendorpe rediit, Reverendiſſimum Archiepiſcopum Colonienſem in caſtro Arnsberg viſitaverat, & rediens per ſilvam Arosbergenſem, equo ſuo ceſpitante corruit ad tergum, & in tantum læſus eſt in uno laterum, quod quaſi ſemivivus erigebatur, de quo caſu nunquam convaluit, quoad vixerat.

Defuncto, ut præmittitur, prædicto Domino Henrico Epiſcopo in caſtro Ahues, IX. die Junii, ſepultus fuit in Eccleſia S. Crucis caſtri Strombergen, ubi ſepulchrum ſuum elegit, & teſtamentariis ſuis commiſit ibidem Collegium Clericorum erigendum & fundandum, ſatis copioſo theſauro ad hoc deputato, quod proh! hactenus ad perfectum non pervenit. Circa ſepulchrum hoc epitaphium eſt exaratum:

Anno milleno, quater CCCC. cum quinquageno,
Præſul Henricus, natus Morſa generoſus,
Hinc heu ſublatus templo Stromberg tumulatus.
Hunc à Leviathan defendat Crux tua Chriſte.

Iſto quinquageſimo anno, qui fuit Jubileus Dominica, qua cantatur, Lætare Hieruſalem, coronatus fuerat Romæ illuſtriſſimus Princeps Dominns Fredericus Archidux Auſtriæ, in Imperatorem Romanorum, & per Dominum noſtrum Sanctiſſimum Nicolaum Papam V. matrimonialiter copulatus illuſtriſſimæ Dominæ Leonoræ filiæ Regis Portugalliæ, & benedictionem devote ab eo receperunt.

Et tunc, prout Domino placuit, Reverendus Dominus Pater, Henricus de Morſa de medio fuerat ſublatus, & qui Epiſcopus fuerat Monaſterienſis & Adminiſtrator Oſnaburgenſis Eccleſiarum, quæ per mortem ejus vacabant, nobilis Domicellus Johannes Comes de Hoja varias fecit inſtantias, minas immiſcendo, ut Capitulum, militares & Conſulatus Oſnaburgenſis reaſſumerent Dominum Ericum, ejus germanum, per Concilium Baſileenſe depoſitum: ſed prædicti recuſarunt propter multas efficaciores rationes. Nam ſine rehabilitatione reaſſumere notam armigeris timebant incurrere. Item Vicarius in Pontificalibus Domini Henrici Adminiſtratoris prædicti, ſua auctoritate ordinavit presbyteros & alios, & ſi ſine rehabilitatione, ut novo titulo, ut Adminiſtrator, innitens ſuo priſtino Jure reaſſumeretur, error fieret non parvus. Item quia guerræ fuerant inter Dominum Ericum, Præpoſitos, Capitulum ac civitatem, qua adhuc Dominus Ericus in diffidatione per eum Capitulo & civitate, quos merito defenſare debuit, uſus pravo conſilio fratris ſui Johannis Comitis in Hoja, & aliorum, illatis rapinis & incendiis ſubſecutis, abſque cicatricibus extingui non poterunt, propter quod & alia renuerunt Dominum Ericum reaſſumere.

Sed

Sed ut eo melius pax ſubſequi poſſet, venerabilis Dominus Decanus & Capitulum, etiam ad petitionem quorundam militarium, Burgimagiſtrorum & Conſulatus civitatis Oſnaburgenſis, Reverendum Dominum & Patrem Albertum de Hoja in Adminiſtratorem Eccleſiæ Oſnaburgenſis poſtularunt.

Hic Dominus Albertus poſtulatus, & capitulum, miſerunt ſuos Procuratores & Legatos ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum Apoſtolicum pro confirmatione obtinenda, videlicet venerandum Dominum Lambertum de Beneſſen, ejusdem Eccleſiæ Canonicum, & Præpoſitum eccleſiæ S. Johannis virum doctum & expertum, & Officialem curiæ Mindenſis. Sed Papa eundem Dominum Albertum poſtulatum confirmare recuſavit, quod poſtulatio *** foret, & de facto partim ſe ingeſſiſſet, ac Domino Erico de Hoja ſuo germano in diœceſi Monaſterienſi auxilium inordinatum præſtitiſſet. Præfuit tamen Eccleſiæ & diœceſi ad annos tres, competensque pax fuit in diœceſi duntaxat, quod Domicellus Dominus Bernardus de Lippia cum ſuis clam opidum Melle absque diffidatione invaſit, ſpoliavit & domos incendio deſtruxit.

Idemque Dominus de Lippia de anno MCCCCLIIII. feria V. ante Pentecoſten cum ſatis copioſo exercitu Herſſebroke Monaſterium & alia Eccleſiaſtica bona invaſit, eis non parcendo, & notabiliter incolas Officii ſeu Dominii Rethe damnificavit. Comes vero Nicolaus de Tekeneborg extunc Rethe exiſtens, cum armigeris validis invadi fecit Lippienſes, & eorum plures captivos abduxit, inter quos fuerunt Arnolphus van der Borg / Ludolfus Yckenhuſen, Johannes Quads & alii equeſtres & pedeſtres, ultra CL. capti. Et plures ex eis exactionati, quidam vero ex eis redempti, treugis & pactis intervenientibus: videlicet, quod adhuc captivi, quos Comes hactenus habuit, ad MD. florenos Rhenenſes æſtimati eſſe deberent, quitati acceptilatione, & Comes Nicolaus prædictis Dominis de Lippia, Bernardo & Simoni fratribus duo millia ſuperaddere deberet. Unde fratres de Lippia promiſerunt, nunquam velle impetere Comitem prædictum & ſuos hæredes, niſi primitus tribus millibus & quingentis florenis reſtituris. Hoc quoque ita concluſum & ſigillatum fuit.

Et deinde noviſſimo tempore Reverendiſſimi Patris Domini Conradi de Rettberg, extunc Epiſcopi Monaſterienſis & Oſnaburgenſis per eundem inter illas partes conventum eſt, quod adhuc Comes duo millia florenorum addidit, & Domini de Lippia cum ſuis filiis, Simone & Bernardo non jus quod eis quomodolibet competere potuit, interveniente etiam conſenſu nobilium Ottonis de Hoja, Jodoci de Hoja, Johannis de Rettberg Comitibus, & eorum uxoribus, quæ omnes fuerunt filiæ Domicelli de Lippia prædicti, quod & roboratum eſt ſigillis, ut mihi conſtat, quia conventionibus & pactis præmiſſis, cum in Widenbrugge agerentur, interfui, & juſſu Principis & Domini antedicti concordiam expreſſi.

Et cum, ut præmiſſum eſt, per mortem Reverendi quondam Henrici de Morſa etiam Eccleſia Monaſterienſis vacaſſet, multi inſtiterunt pro illa Eccleſia: ſignanter Reverendus in Chriſto pater & Dominus Rodolphus de Depholte, Epiſcopus Trajectenſis, pro nobili ſuo agnato, Domino Conrado de Depholte, Præpoſito Oſnaburgenſi & Daventrienſi, Reverendiſſimus Dominus Theodericus de Morſa Archiepiſcopus Colonienſis pro ſuo fratre nobili & prædicto Walramo de Morſa, & nobilis Domicellus Johannes Comes de Hoja, pro fratre ſuo Domino Erico Præpoſito Colonienſi. Sed proh! diviſio facta eſt in corpore. Nam cives Monaſterienſes inflammati ſuas preces obtulerunt pro Domino Erico, primum ſatis humiliter, & deinde minas immiſcendo. Decanus vero & Capitulum ad Dominum Walramum inclinati, meritis ſuis, ut aſſeruerunt, extra Capitulum & civitatem Monaſterienſem, propter metum cadentem in conſtantem, in Dulmen elegerunt. His auditis civitas Monaſterienſis ſibi per cives ſuos, nobilem Domicellum Johannem, Comitem de Hoja in tutorem ſive curatorem elegit, & ab electione per Capitulum facta ad Sanctiſſimum Dominum Apoſtolicum per debile fundamentum appellarunt: videlicet, quod licet Capituli de Jure eſſet eligere, populi tamen eſſet conſentire. Qua appellatione ut frivola non obſtante, Dominus noſter ſanctiſſimus Nicolaus Papa V. eundem Dominum Walramum confirmavit, & in paſtorem Eccleſiæ Monaſterienſis præfecit. Sed heu, cives civitatis Monaſterienſis cum ſuo tutore & curatore Domicello Johanne Comite de Hoja, eundem Dominum electum & confirmatum admittere renitentes, caſtra

Eccleſiæ

Eccleſiæ & diœceſis Monaſterienſis invaſerunt, & majorem partem vi armata ſunt adepti. Et tunc procedente tempore Dominus electus & confirmatus contra cives Monaſterienſes proceſſit, & per tres ſententias definitivas conformes cum literis Executorialibus Eccleſiam Monaſterienſem obtinuit. In quarum vigore Cenſuras [illegible] cleſiaſticas etiam cum interdicto fulminari fecerat, cum invocatione brachii [illegible] ris. Sic Reverendiſſimi in Chriſto Patres & Domini, Theodericus de Morſa [illegible] Epiſcopus Colonienſis, germanus Domini electi & confirmati, Rodolphus de [illegible] pholte Epiſcopus Trajectenſis cum multis nobilibus videlicet Domino Conrado [illegible] Depholte, extunc Oſnaburgenſi & Daventrienſi Præpoſito, Everwino Comite [illegible] Benthem & Domino de Stenfordia, auxilium Domino electo & confirmato, & juv[illegible] præſtiterunt, & bellum juſtum indixerunt.

Bellantibus ſic partibus diræ guerræ per rapinas & captivitates & incendia [illegible] totam diœceſin Monaſterienſem ſunt ſuborta. Multi ſæpe ſunt tractatus amicabil[illegible] tentati, quandoque & compromiſſa inita, ſed malorum ſatore impediente ad deb[illegible] non pervenerunt effectum.

Inter hoc Anno Domini MCCCCLIII. die XIII. Auguſti Reverendi patres, D[illegible]mini Rodolphus Trajectenſis Epiſcopus, & Walramus Monaſterienſis confirmatus, cum multis nobilibus & armatis diœceſin Monaſterienſem armata manu in[illegible] ante civitatem Monaſterienſem ſe locando, ventimolas & alia multa incenderun[illegible] damna fecerunt & intulerunt. Ulteriusque procedendo Telget opidum ceper[illegible] opidum etiam Warendorp obſidendo, igneos etiam globos immittendo. Sed [illegible] in ſe protegentes ſunt dimiſſi: Telget combuſtum: & per viam qua venerunt, prope civitatem illatis multis incendiis, ad propria ſunt reverſi.

Explicit Chronica Osnaburgenſis.

HENRICVS MEIBOMIVS Junior Lectori S.

QUod ex MSto ita, ut inveni, publicavi *Epiſcoporum Oſnabru-genſium Chronicon*, id plurimis à me illuſtrari, ex editis ineditisque ſcriptoribus & Tabulis antiquis, poſſet, ſi mei id eſſet inſtituti, & non potius ad ſcribendam pleniorem Hiſtoriam ſuppeditare inedita Chronica, quàm ipſe eam ſcribere decreviſſem. Cum iis tamen, quæ p. 196. & 197. habet *Erdmannus*, conferre velim Privilegia Caroli M. Oſnabrugenſi Eccleſiæ data, uti illa produxit, & plenam integramque fidem mereri judicavit, Reverendiſſimus Paderbornenſis & Monaſterienſis Epiſcopus Ferdinandus in *Monum. Paderborn.* p. 325. 327. De ipſo vero *Ertwino Ertmanno* non poſſum non adducere locum *Hermanni Hamelmanni*, multa Saxonicorum & Weſtphalicorum imprimis rerum peritia inſignis viri, qui & Chronicon hoc habuit, & eo diligenter uſus eſt. Ita enim in *Epitome Chronici Oſnabrug.* in fine: *Ertwinus non ex magnis ortus natalibus Oſnabrugæ, ſed virtutibus & eruditione nobilis, ita crevit, ut nunquam Conſul fuerit majoris auctoritatis in tota Weſtphalia, quod confidenter dico. Fuit Benthemenſibus, Diepholdicis & aliis Comitibus gratus, qui ipſius conſilio utebantur, & ab illo pendebant: & deinde apud Epiſcopos Monaſterienſes, ut Joh. Ducem Bavariæ, Henricum Schwartzburgenſem & Conradum Retbergium in pretio: Epiſcopi noſtri Oſnabrugenſes ipſum tanquam numen venerati ſunt. Fuit cariſſimus & intimus Conrado Diepholtio Epiſcopo, Conrado item Retbergico, qui & Monaſterienſis erat, præcipuus fuit Orator. Ipſe ablegatus ad Cæſarem impetravit ab eo abſolutionem gravaminis, quo preſſa erat civitas Oſnabruga propter Johannis Comitis Hojenſis captivitatem. Multo tempore utiliter patriæ profuit conſiliis: Hanſæ Civitatum proceribus*

erat formidabilis propter prudentiam, conſilia, eruditionem & facundiam & multis aliarum ſplendidiſſimarum urbium Rectoribus prælatus eſt in conventu Hanſæ. Vixit diu & admodum ſenex in Conſulatu usque ad annum (niſi fallor) poſt ſeſquimilleſimum ſextum. Hæc *Hamelmannus.* Tam præſtantis igitur viri Chronicon merito publici juris fit. Utinam tantum non in minus integrum incidiſſemus Codicem, & non alicubi inde lacunæ, ortæ eſſent, paucæ tamen, & quæ in hiſtoria defectum non pariunt! Utinam etiam alicubi minus obſcurè, minusque barbarè loqueretur *Erdwinus*! Deſinit Chronicon ejus in meo Exemplari circa medium ſeculi XV. ipſum vero *Erdwinum* An. 1505. die 30. Maji obiiſſe accepi, contrarium licet, dubioſè tamen, narrante *Hamelmanno.* Reliqua de *Ertwino* in ipſius Chronici lectione curioſis occurrent. Studio juris eum non indiligentem dediſſe operam patet, quod & ipſe in principio ſcribit, & Conſulem ſe fuiſſe urbis Oſnabrugenſis annotat, & inchoaſſe hunc laborem ſuum, *ad beneplacitum Conradi Epiſcopi, nati de Comitibus de Diepholte*, nec non *admonitionem & ſæpeſatam interpellationem Lamberti de Beveſen*, qui Præpoſitus ad S. Johannem Oſnabrugæ & in Schiltroche, & Canonicus majoris Eccleſiæ Oſnabrugenſis & Cantor, admodum celebratus a doctrina & experientia juris & ſcientia, Patriæ hiſtoriæ ſtudio flagravit, & non tantum Ertvvino hujus Chronici ſcribendi auctor fuit, ſed etiam colligi fecit Chronicon Comitum Schauenburgenſium & aliorum Heroum, ut narrat ſupradictus *Hamelmannus l. V. claror. in Weſtfa viror.* Quæ in cauſa Banni *Ertwinum* egiſſe, ſupra ex Hamelmanno dixi, illa ipſe memorat Chronici ſui. p. 256. ubi ad finem usque plurima alibi non extantia narrat, ſeque rebus ipſis interfuiſſe p. 263. narrat. Utere igitur tam præſtante patriarum rerum ſcriptore, Lector, & vale.

ANONYMI
CHRONICON AR-
CHIEPISCOPATUS
MAGDEBVR-
GENSIS.

Digitized by Google

ANONYMI CHRONICON MAGDEBVRGENSE.

DE EXORDIO CIVITATIS MAGDEBURGENSIS ARCHI-EPISCOPATVS ET GESTA PONTIFICUM EJUSDEM.

OTTO Dei conſtitutione Princeps huic mundo neceſſarius trium illius nominis primus, opere & agnomine magnus, cum, defuncto patre ſuo Henrico, diademate regni, felici auſpicio, eſſet coronatus, omnis voluntas illius verſabatur in ſtudio propagandæ religionis & cultus, quia verè Dei timor erat ante oculos ejus.

Unde & ſecundo regni ſui anno apud Magdeburg, quæ & Parthenopolis, civitatem in ripa Albiæ fluminis, & parrochia Halberſtadenſis Epiſcopatus ſitam, inſtinctu piæ petitionis, & amore venerabilis EDITH reginæ, cujus & dos fuit, regalem fundavit Abbaciam: Erat enim (ut talem decebat) copulata matrimonio, non minus & ipſa in divino cultu ſtudioſiſſima, ut teſtantur, ad tumulum ejus poſt modicum divinitus oſtenſa miracula, ſed & ſecundum ſeculi dignitatem nobilis, filia videlicet Ethmundi Anglorum regis.

Quamobrem Dominus, fructui ventris ejus benedicens, dedit ei magnæ indolis filium nomine Ludolphum, qui omni virtute patriſſans, univerſorum principum electione regno meruiſſet ſuccedere, niſi quòd ducatu ſublimatus Bavariæ, ſumtis armis, patri, quoad vixit, non deſiit rebellare. Quod hîc plenius dicere obmittimus, quia de Abbaciæ præmemoratæ fundatione, & de primo civitatis noſtræ exordio, ſecundum traditionem veterum breviter dicere volumus, & de Archi-Epiſcopatus noſtri inchoatione.

De Exordio Civitatis.

CÆſar igitur ille quondam potentiſſimus ab Julio Æneæ filio ſtirpis derivatione cognominatus Julius Dictatoris ordine cum Craſſo & Pompejo ſublimatus Romæ, cum totam Galliam trinæ diviſionis ſuſcepit in ſorte ſuæ defenſionis: in has deveniens ſuſpectæ gentis partes, cauſa tutelæ cum exercitu repauſationis, vel cohercendæ circumpoſitæ nationis, plures competentibus in locis civitates condidit, quarum nonnullas terræ lignique materia circumvallatas pleraſque etiam murorum ambitu cinctas munire ſtuduit, quantum opere feſtinato valuit, inhianter accedens multitudo. Inter quas & hanc non infimam ad honorem Dianæ, cujus, ut fertur, ſe tuitioni, in ea explicatione potiſſimum commendaverat, condidit, græcamque ſequens etymologiam, barbaro æquipollente vocabulo, à parthena parthenopolin nuncupavit, ac ad religionis ſupplementum ſecus decurſum prædicti fluminis templum, immò & idolum inſtituit, virginibusque quam plurimis ibi dicatis, ſacra Deæ ſtatuit, quæ poſteritas celebravit, & ſic ex hoc facto civitas noſtra Magdeburg, id eſt, civitas virginum, traxit vocabulum.

Decurſis poſthæc plurimorum temporum ſpatiis, cum divæ virtutis exemplar ejus Carolus, regni Monarchiam adeptus, ſtudio propagandæ religionis, Saxoniam continuis bellorum procellis per 30. annos non ſine ſuo, ſuorumque gravi periculo laceſſitam ſubdidiſſet, Deoque adjuvante divino cultui mancipaſſet, idoli hujus aras evertit, ſimulacra deſtruxit, theſaurum ſuperſtitioni dicatum diripuit; & oratorium prothomartyris Stephani, ab Hildegrimo, primo Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopo, dedicari fecit, cujus etiam diœceſi totam civitatem cum omnibus ad eam pertinentibus adjecit.

Sed jam Albiæ flumine jugi impulſu uſque ad Eccleſiæ parietes littus ſuum concavante, ipſam tandem mentem in ſe trajecit, pro qua hanc permodicam, quam usque hodie cernere eſt, vulgi paupertas erexit.

Præfatus autem Otto Imperator magnus, & poſt tempora glorioſi Caroli cunctis romana ſceptra gerentibus non diſſimilis Auguſtus, volens non ſuæ, ſed & futuræ ætatis generationibus relinquere nominis ſuæ memoriale celebrandum, imò ob æternæ remunerationis deſiderium ad hanc muniis Chriſti conſtruendam, ſancta intentione novum civitatis poſuit fundamentum; quam etiam præ omnibus theutonici regni civitatibus eligens ſublimandam, in ipſa ſtudii, & bonæ voluntatis ſuæ præcipuam collocavit curam.

Secundo namque, ut præfati ſumus, regni ſui anno, regalem inibi abbaciam in honorem beati Petri Apoſtoli ac Mauritii, egregii Thebæorum ducis, dignique contubernalis illius Innocentii militis fundavit, cujus corpus Rodolphus, rex Burgundiorum, ei ac reginæ transmiſſum, regium, imò divinum munus, donavit.

Maximam quoque partem corporis ſancti Mauritii & quorundam ſociorum ejus, cum plurimis Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, ac virginum pignoribus in eandem civitatem tranſtulit idem Otto rex glorioſus.

Præfecit autem eidem Abbaciæ Annonem virum venerabilem, morum honeſtate ac natalium generoſitate pollentem, liberalibus quoque diſciplinis apprimè imbutum, Treveris de cænobio ſancti Maximini aſſumptum, transductis ſecum & aliis fratribus, ſanctitate, & numero monaſticæ diſciplinæ præfectionem informare ſufficientibus.

Traduntur plures & ingenui procerum & regiæ ſtirpis filii, ſub tanti patris inſtitutionibus claram divinæ ſervitutis incoaturi militiam; & radicavit in populo honorificato ſanctorum diſcipulorum novella plantatio, per quos pullulante germine, virtutum mater Eccleſia arridenti paradiſo, laudabile redderet incrementum.

Quibus etiam ad quotidiani uſus ſupplementum, & amplioris dilectionis indicium, curtem ſuam, cum ædificiis & prædiis ad eam pertinentibus imperator contulit, & liberam in perpetuo electionem præficiendi ſibi abbatis conceſſit, & advocati, ſed ut in mundiburdio regis in poſterum ſe ſcirent eſſe, conſtituit, ut Abbas ejusdem loci imperio ſingulis annis, unum caballum, ſcutum & lanceam vel duas cruſinas daret.

Hæc igitur amatrix ſpeculum & exemplar totius religionis, hæc æmula ſupernæ congregationis in continua laude regis cælorum & ceremoniis multorum venerabilium

[illegible] Epiſcoporum & Abbatum nutrix facta; Chriſti bono odore, diverſas terrarum ec[illegible] ſalubriter reſperſit, & inter omnes cænobitas melioris teſtimonii, regulare iter [illegible] Patris Benedicti irreprehenſibiliter hactenus inceſſit, ſic in ovili Chriſti Domi[illegible]no, Magdeburgenſis cænobii primus Abbas, gregem multiplicans, eique verbo [illegible]mplo prudenter invigilans, inſtar ſervi Evangelici, qui in paucis fidelis repertus [illegible] Domini ſui bona conſtituitur; Wormacienſis præſul ab omni loci illius [illegible]ro & populo eligitur, eique Othuimus capellanus ipſius in Abbacia ab Imperatore [illegible]tuitur.

Non longo itaque poſt tempore ipſe in terra Slavorum Brandeburg beato Pe[illegible]orum Principi & Havelberg Dei genetrici Epiſcopatus duos conſtruxit, [illegible]æ, metropolis ſuffraganeos eſſe conſtituit. In dandis verò Epiſcopatibus [illegible] Dei timorem & Eccleſiæ utilitatem, qua omni invigilabat ſtudio ſublimandos [illegible] plerumque divina conceſſit revelatio, ſi verò nonnunquam erraſſet, ut homo, ſu[illegible] redarguit miſeratio. Quod ut facilius legentis fides accipiat, utriusq[illegible]ptum evidens exemplum corroborabat. Defuncto quondam Ratiſpo[illegible]e, cum Cæſar eo veniſſet ad informandum ſtatum Eccleſiæ, viſione no[illegible]us eſt, ut ei curam paſtoralem committeret, qui craſtino manè ſibi primus [illegible]

Pr[illegible] ergo aurorâ illucente, paucis præter morem regium ſecum comitan[illegible] eccleſiam Chriſti matyris Emmerammi, monachis venit ignorantibus, ubi [illegible]ter oſtio, intromiſſus eſt ab eccleſiæ cuſtode, nomine Gunthero, viro [illegible] religione, & omni morum honeſtate probato: quem intuitus, factâ pri[illegible]one, accerſivit, quidque ſibi pro adipiſcendo Epiſcopatu dare vellet, quæ[illegible] quem ille, utpote à culminis hujus ambitu liberrimus, ſubridens, calceos [illegible]ores dabo voluntarius. Quo cùm ceteris fratribus ob electionem an[illegible]am beati Petri veniente, Cæſar viſionis ordinem cunctis aperuit, & [illegible]ſu ipſum pontificalibus donatum conſecrari fecit.

[illegible] longe poſt moriturus evidens teſtimonium dedit, dum gravi pulſatus valetu[illegible] modicum convaluit ſumtoque in manu cinere, locum, quo migratu[illegible]o ſanctæ crucis ſurgendo ſignavit; moxque ſolo proſtratus illud beati [illegible]en beatus & ipſe cecinit: Auditu auris audivi te Domine; nunc autem ocu[illegible]s videt te, idcirco ipſe me reprehendo, & ago pænitentiam in favilla & cinere; [illegible] quievit in pace.

[illegible]io item tempore Volckmaro Agrippinæ ſedis Archiepiſcopo, ſucceſſore vi[illegible]nis germani prænominati imperatoris defuncto, omnis clerus & [illegible]us Geronem fratrem Thietmari Marchionis ſibi præſulem elegit: ſ[illegible]d[illegible]ò quod [illegible] præde[illegible]ſori ſuo multis in cauſis diſſentiendo divina charitate cohabitaverit [illegible]r ejus electio[illegible]i nullatenus aſſenſum præbuit. Interea vero ipſe in papia ma[illegible] dierum miſſam celebraret, ſolum beatum Petrum & Ambroſium ſe ſacro [illegible] oleo vidit, quod tamen fideli celans ſecreto, ſupernum munus æqua[illegible]vit.

[illegible]ore autem in eadem civitate ſanctæ reſurrectionis celebrante gaudia, [illegible]a ſolennitatis die præter diadema regio indutus cultu Eccleſiæ intraturus [illegible] ecce pulchræ viſionis evaginato enſe, angelus lucis adſtitit, eique tor[illegible] & voce indignanti dixit:

Ultio Geronis erit hujus plaga mucronis;
Hunc magis adſciſce, confirma, ſic reſipiſce:

Q[illegible]e & voce territus illum vocari fecit, & impetratâ ab ea humiliter indulgen[illegible] donatio[illegible]paſtoralis virgæ electionem ejus fore ratam ſtatuit.

Do[illegible]nus [illegible]o magnificans ſalutes Ottonis regis ejus antea ipſius tempora mul[illegible]vit o[illegible]bus, inter quas & apud civitatem Go[illegible]ariam inventa argenti vena, [illegible]us ſtitue[illegible]tate Saxoniam hactenus decenter nobilitat. Præcin[illegible]que eum virtut[illegible] bellum, contra hoſtes tàm Romanæ reipub. quàm & uni[illegible]gregationis catholicæ, illi adminiſtravit triumphum. Qui & quodam tempo[illegible] apud Auguſtam Retiæ civ[illegible] & Licum fluvium Ungrorum gentem, erecto [illegible]lo, & inæſtimabili multitudine, fines chriſtianorum ſæpius incurſantem, cædibuſque

buſque ac incendio cuncta vaſtantem, forti dextra repreſſam humiliavit, & [illegible] ipſorum ignominioſa morte peremptis, reliquosque, qui manus ejus effugere po[illegible] rant, in ſedibus ſuis latere compulit. Ubi & regalem ſui juris aulam in Merſ[illegible] beato Laurentio martyri votum vovens in domum oratorii, & epiſcopalem ſedem [illegible] legavit. Inter hæc circiter dominicæ incarnationionis anno nongenteſimo [illegible] Thiethardo Hildenſemenſis eccleſiæ antiſtite iter univerſæ carnis ingreſſo, Othw[illegible] nus, Magdeburgenſis Abbas, in ejus cathedra eligitur fungi pontificio, ſucceſſitque [illegible] abbacia Richardus, nulli eo tempore, in omnibus, quæ ad honeſtatem ſpectant, [illegible] cundus habitus. Ut autem in conſtruendo & amplificando Magdeburgenſi cœnobio potiſſimum deſiderii ſui affectum pius imperator oſtenderet, ſuper oſſa beatæ E[illegible] reginæ, quæ obiit dominicæ incarnationis nongenteſimo quadrageſimo ſept[illegible] anno vero regni ſuo undecimo, juxta quam & ipſe poſt obitum ſuum pauſare o[illegible] vit, monaſterium ſumptu magnifico, ſed ſpe magnificentiori mirabili modo, [illegible] diſpoſitum ædificavit. Ad cujus ornatum pretioſum marmor cum auro g[illegible] e adduci, & in omnibus columnarum capitellis ſanctorum reliquias diligenter i[illegible] fecit, juxta eandem eccleſiam corpus egregii Marchionis Chriſtiani, qui fuit [illegible] Geronis Colonienſis Archiepiſcopi & Thietmari Marchionis Nuenburgenſis [illegible] fundatoris; aliorumque ſibi familiarium tumulari præcepit, namque civitatem [illegible] ad honorem & defenſionem dilectæ ſuæ Saxoniæ metropolini & archiepiſcop[illegible] cere, cui præfatos duos epiſcopatus à ſe conſtructos, & alios quos adhuc con[illegible] deſideravit, ſubjacere, ibique Deo & ſancto Mauritio ſe ſuaque omnia dare co[illegible] Sed partem parrochiæ Halberſtadenſis, ad quam civitas illa cum ſuis adjacentiis [illegible] tinuit, à Bernhardo, ejusdem eccleſiæ epiſcopo ſeptimo, quoad vixit, impetrare [illegible] valuit. Quo defuncto & venerabili Hildewardo pro ipſo ſacerdotii officio f[illegible] ipſe voti non immemor, ut in bonis repleretur deſiderium ſuum, Romam pro[illegible] in ſuburbio Ravennæ in eccleſia ſancti Severi Epiſcopi & confeſſoris coädu[illegible] vit [illegible] nodum, in qua præſidente Domino Johanne ſanctæ & univerſalis eccleſiæ [illegible] pontifice, aſtantibusque quàm plurimis Italiæ, Germaniæ, & Galliæ epiſ[illegible] & principibus, tantique negotii exordium, arrectâ aure & mente præſtolantibus [illegible] labore, magnisque perſæpè periculis ſe multas Slavorum nationum cis flume[illegible] biæ, in confinio Saxoniæ ad catholicam fidem convertiſſe, coram cunctis ex[illegible] quique adhuc rudes in fide, ne ad vomitum redirent, qualiter corroborari po[illegible] conſuluit. Cujus dignam relationem, tantamque fidei confeſſionem ſancta ſ[illegible] benigna devotione ſuſcipiens, & bonorum omnium largitori gratias agens [illegible] gulis provinciis ſecundum loci ſitum & populi quantitatem, Epiſcopos ce[illegible] ſecrari, quorum prædicatione & cura pervigili nutantes poſſent in fide ſta[illegible], [illegible] adhuc idololatriæ deditiad cultum juſtitiæ revocari. Ut verò ad id agendum [illegible] mitas, & tutior in epiſcopis eſſet oportunitas, Archiepiſcopum, ad quem ne[illegible] ſium & controverſiam, ſi qua orta fuerit, referre valeant, eis communi de[illegible]er ne præponi ſtatuit. Quam videlicet archiepiſcopalem cathedram apud Mag[illegible] civitatem potiſſimum fieri placuit, eò quod hæc in confinio Slavorum loco v[illegible] tur opportunior, & in ejus propagatione voluntas imperatoris eſſet amplior. [illegible] terùm quia præſul Halberſtadenſis ſynodo huic non adfuit, cauſæ clauſulam i[illegible] adventum differre placuit, ut civitatem ipſe à debito ſubjectionis abſolveret, & [illegible] demum privilegium & ſubſcriptio illibata fieret.

Anno igitur integro & dimidio jam evoluto, cùm Hatto archipræſul M[illegible] denſis cum præfato Hildewardo ſuo videlicet ſuffraganeo eo deveniſſet, & im[illegible] rator illos pro prædicta cauſa blanda petitione conveniſſet, Hildewardus ep[illegible] tam Archiepiſcopi conſenſu, quàm omnium, qui aderant, conſultu, prompta & [illegible] lari mente piæ ejus petitioni annuit, & facta in præſentiarum pari exiſtimatione, [illegible] cambio ſynodali decreto ſancto Mauritio Magdeburg, ſanctoque Laurentio M[illegible] burg, quæque petita tradidit, id eſt, parrochiam omnem, ſitam inter fluvios A[illegible] am, Salam, Horam & Bodam, usque ad ea loca, ubi caſtra Unsburg, Wansl[illegible] Ottersleve, cum omnibus pertinentiis & villis, quæ Burchwardt appellantur, ve[illegible] occidentem longius protenſo fine terminantur cum omni decimatione, banno, [illegible] jectione, obedientiis, & omni eccleſiaſtico ordine: prout Halberſtadenſis ecc[illegible]

viſa

viſa eſt, eatenus poſſediſſe. Recepit autem ad vicem ab imperatore in partem & utilitatem ſuæ eccleſiæ omnem decimationem in Hoſgowe, ut terminantur in fluviis Sala, Willerbecke & Wippera cum omni poſſeſſione, quam de Abbacia, in honorem beati Wicberti in territorio Heroldesfelt conſtructa, idem imperator æqua commutatione acquiſierat, cujus etiam abbaciæ ipſe fundator erat.

Huic etiam concambio confirmando Petrus Ravennæ Archiepiſcopus & plurimi Epiſcoporum Italiæ & Germaniæ ſubſcripſere, anno dominicæ incarnationis 968. indictione duodecima, imperii autem ipſius Domini Ottonis 7. regni verò 34. Quibus peractis Cæſar lætatus, nec minus pro adhuc peragendis ſecundum Deum ſollicitus, accerſito Richario Magdeburgenſis cœnobii abbate tertio, coram Annone Vormacienſi, & Othwino Hildeſemenſi Epiſcopis, ſecum tunc fortè commorantibus, volebat illum officio Epiſcopatus fungi, in ipſa ſedis ſuæ mutatione: ſed impedierunt quidam occulto conſilio & imperatori pro ſecreto hoc delatæ literæ. Qui dum ſe tanto honore privatum intelligens, minus æquo animo ferret, ac impediendo tam ſancto propoſito imperatori quoquo pacto obviare proponeret, ne malitia mutaret ipſius intellectum, brevi pulſatus valetudine, terrena mutavit cæleſtibus, ſucceſſitque in ipſa ſedis mutatione Herdiggus in eadem congregatione nutritus & electus.

Transmutata itaque eſt abbacia in montem ſuburbio ejusdem civitatis adjacentem, deputaturque ſancto Johanni Baptiſtæ & adhuc habetur, & ô utinam diu feliciterque habeatur famulatura: Monachi quoque ſuccedentibus ſibi clericis, reſiquerunt in libris & aliis rebus plurima ornamenta, quæ ibidem imperiali munere & propriâ induſtria fuerunt congregata. Cumq; illorum corda de hac migratione non immeritò gravaret triſtitia; Cæſar eis pro conſolatione prædiorum ſuæ hæreditatis non parva dona adjecit, & quocunque in loco cum canonicis in una ſtatione conveniant, ipſi in dextra parte locum ſupremum obtineant, conſtituit. Statuit etiam de familia utrarumque eccleſiarum, quas tunc partitus fuit, quod ſi quis de ordine miniſterialium Archiepiſcopalium uxorem duceret, de miniſterialibus abbatiæ matrem cum pueris poſt patrem Archiepiſcopo attinere debere, eodemque ordine, ſi miniſterialis abbatiæ uxorem duxerit monaſterialem Archiepiſcopalem. Hoc etiam de familia litonum ſicut nunc ſervatur, ſtatuit, idemque jus familia præpoſituræ majoris ſervandum conſtituit. Sed & præterea ut recurrente annuatim translationis hujus die, quæ eſt 5. Idus Auguſti, id eſt, in vigilia victoris ignium Levitæ Laurentii pedibus nudis proceſſione lugubri, ſedem ſuam viſitantes miſſam celebrent, quo tam ap. Canonicos, quam & apud monachos ſeculi hujus perpetim ſtaret inviolabilis memoria, eosque dilectio jungeret indiviſa, quatenus illi hos tanquam primos Eccleſiæ ſuæ patres omni honoris exhibitione præveniant, illique non diſpari ratione, quod membra debent capiti, quod etiam teſtator hæredi, plena devotione reſtituant.

Sed nec fefellit adventorem tam prudens conſilum, ſicut eſt usque hodie cuique ſcire volenti publicum.

Erat tunc quidam magni nominis & meriti Adelbertus qui dudum Treveris de cœnobio ſancti Maximini monachus abſtractus, & Epiſcopus conſecratus ad prædicandum Rugis fuerat deſtinatus: ſed populus exaſperatus dura fronte & indomabili corde, expulit illum de finibus ſuis, contemnens evangeliſantem Evangelium pacis, quia Dei providentia in terra noſtra illi populus committendus erat novæ acquiſitionis. Hunc ergò de Wiſſenburgenſi abbacia, quam interim regebat, aſſumptum, per omnia dignum & probatum, Cæſar prædictæ Eccleſiæ Magdeburg. ſacerdotio promovit, illumque Romam pro pallio & privilegio ab Apoſtolica ſede ſuſcipiendo cum literis ſuæ auctoritatis direxit. Sedit eo tempore in clavigeri cæleſtis Petri cathedra, gratia & nomine Joannes Papa nominis illius tredecimus, in ordine verò Romanorum pontificum centeſimus triceſimus ſextus. Hic igitur benigniſſimè illum ſuſcipiens pro pio ſtudio glorioſiſſimi imperatoris, quod in amplificatione divini cultus habebat gaudens, ideoque juſtis ejus petitionibus annuens, illum Apoſtolica auctoritate Archi-Epiſcopum fore ejusque ſucceſſores decrevit: Cui & pallium ad miſſarum ſolennia celebranda dedit, & ipſe nimia dilectione commonitus 15. Calend. Novemb. id eſt, in feſto ſancti Lucæ Evangeliſtæ ordinavit, & privilegio apoſtolicæ autoritatis ſanxit ac confirmavit, eum in omni ordine eccleſiaſtico primatum habere, omnium eccleſia-

ſum, Archiepiſcoporum, qui in germania ſunt ordinati, in Gallia quoque, Colonienſi, Mogontienſi, Treverenſi Archiepiſcopis, per omnia honore ſimilem eſſe, crucis ſignaculum ante ſe ferre, & inter Cardinales Epiſcopos Romanæ ſedis conſortium habere. Præterea duodecim presbyteros, ſeptem diaconos, viginti quatuor ſubdiaconos Cardinales ad morem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ordinare, qui ad principale altare miniſtrantes quotidie, excepto jejunio, Dalmaticis, feſtis verò ſandaliis uterentur & præsbyteri & abbates S. Johannis Baptiſtæ tunicis induerentur, & ut his exceptis Epiſcopis ſuper altare in honorem beati Petri, Mauritiique dedicatum miſſam celebrare aliquis nullo modo præſumeret. Præterea ſtatuit, eum eſſe Metropolitanum totius ultra Salam & Albiam Slavorum gentis tunc ad Deum converſæ, vel convertendæ, & ut ſecundum deſiderium imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritus maxima viguit ſuperſtitio, id eſt Cizi, Miſni, Merſeburg, Brandenburg, Havelberg, Pornam in honorem Domini Epiſcopia fundarentur, quorum paſtores ſecundum Canonicam auctoritatem Magdeburgenſi Epiſcopo fidem & ſubjectionem debendo ſociarentur.

His & aliis, quæ privilegia adhuc inibi conſecrata teſtantur, Synodali decreto ordinatis, & interminatione Dei & apoſtolici nominis confirmatis præfatus Archi-Epiſcopus cum legatis Romanæ eccleſiæ, Widone ſcilicet Epiſcopo Bibliothecario, & Benedicto Cardinali, qui illum cum Hildewardo Halberſtadenſi Epiſcopo ſedis ſuæ inthroniſarent, dimiſſus ad imperatorem remeavit lætus, quem imperator nihilominus gaudens utpote beati deſiderii ſui compos cum literis commendatitiis Magdeburg deſtinavit. Illuc ergo ex præcepto Imperatoris Epiſcopi, Marchiones & reliqui Saxoniæ Principes convenientes, ipſum honorificè ſuſceperunt, & vocum acclamatione, manuumque elevatione electum cum præfatis apoſtolicæ ſedis legatis celebri ritu inthroniſaverunt. Adfuit omnis ſexus & ætas gaudentium, fuit prorſus generale tripudium, ubi ad confirmationem ſui idem Archiepiſcopus in præſentia eorundem, nativitatem Domini ſecum celebrantium, Boſonem monachum Merſerburgenſi, Burchardum Miſnenſi, Hugonem Cyzenſi eccleſiis primos Epiſcopos ordinavit, & Aldagum primum eccleſiæ præpoſitum Magdeburgenſem inſtituit. Dudo quoque Havelbergenſis, & Dudellinus Brandenburg Epiſcopi prius quidem Moguntino Archi-Epiſcopo ſubjecti, ſed tunc agente Imperatore à debita ſui obedientia abſoluti, Magdeburgenſi eccleſiæ & ejus Archiepiſcopo, cum præfatis confratribus fidem & ſubjectionem promiſere. Ipſe namque felicis memoriæ Imperator erat conſtructor omnium harum, quas Archiepiſcopatui ſubjecerat Epiſcopalium ſedium, nimirum infinitæ hæreditatis ſuæ potiſſimum cupiens hæredem eſſe Deum, non pauca tamen relinquens ſucceſſioni filiorum. In tantis ergo, talibusque ſolemniis, pro ſummi regis exortu, pro ſumma celebratione, tum etiam pro nova populi ipſius vel cultus augmentatione gaudebat chorus Magdeburgenſium, & à ſummo principe miſſum principem canit frequentia principum palamque à paſtoribus eccleſiæ laudabili numero hic adauctus laudatur paſtor creator omnium.

Adelbertus itaque primus Magdeburgenſis eccleſiæ Archiepiſcopus præceſſit annis tredecim, menſes octo, hic inſtructiſſimus omnium liberalium artium ſcientia, perfectus diſcretione, manſuetudine, innocentia, in diebus ſui ſacerdotii ſolerter commiſſo invigilabat gregi. Inter ceteras quoque dotes gratiæ, ut poſt patebit, Spiritu emicuit Prophetiæ, inſtantia doctrinæ & operum ſe meritò demonſtrabat paſtorem, primum ubi rationabile ſequuturæ conſtructionis ſurgeret, ædificium ab OTTONE poſitum ſupra firmam petram conſtabiliens fundamentum. Namque ut omnium proſpicere poſſet ſaluti, magna licet nactus, cunctis fuit omnia factus: magnis par factus, parvis in parva redactus. Sic exterioris rei exercebat negotium, ne ab internis & ſpecialibus averteret ſtudium, ſic dominium exercens in populo, ne vigilantiæ ſuæ curam minoraret in Clero. Unde ſæpè nocturno ſilentio, duobus tantum comitantibus, ad ovile S. Joannis Baptiſtæ, S. Mauritii inopinatus venit, & qualiter confratres ad matutinas convenirent, vel ſi qui in dormitorio remanerent, ex improviſo proſpexit, & ſi benè fuit, Deo gratias egit, ſin autem culpabiles, digna caſtigatione redarguit, nutrivit ſanè filios plures ſecundum inanem ſeculi faſtum, nobiles, quodque in his Deo magis placuit, vitâ & moribus inſignes, in-

terque omnes Canonicæ profeſſionis ſectatores perfectioris teſtimonii cæleſtis aulæ milites.

Germinavit igitur Magdeburgenſis Eccleſia velut hortus delitiarum folia virtutum & poma ferens bonorum operum. Quem dum perflaret auſter leni ſpiramine, cæperunt longè lateque ejus aromata profluere, quia ex his multi diverſis in locis Epiſcopali officio functi, vel aliis dignitatibus merito ſuæ converſationis & induſtriæ ſunt promoti, ſicut ex ipſorum numero Giſelarius & Waltardus ejusdem ſedis pontificio poſtea meruerunt ſublimari. Inter quos & regiæ ſtirpis Wogieteth, ſed ab ipſo Archiepiſcopo, æquivoco nomine dictus Adelbertus emicuit, qui poſtea Pragenſis Epiſcopus glorioſo martyrio coronari meruit, cujus conſodalis ſanctus Bruno, qui & Bonifacius nobilitate & meritis illi per omnia ſimilimus dum paſſionem & actus ipſius ſcribendo miratus eſt, ipſe nihilominus Archiepiſcopus gentium pari agonis triumpho ſubſequenter in confinio Ruſiæ & Lituæ regionum martyriſatus eſt, ſicut indicat liber geſtorum ejus. Horum ergo patronus & Deo dignus Epiſcopus Adelbertus defuncto Boſone Merſeburgenſi Epiſcopo, ordinavit pro eo præfatum Giſilarium ſecundum, Volcoldum quoque ſecundum Miſnenſi, Fridericum ſecundum Cizenſi, Volcmarum tertium Brandeburgenſi Eccleſiæ Epiſcopos.

Archiepiſcopi autem & ſuæ civitatis honoribus cum ſemper proſpiceret Cæſar Auguſtus liquido oſtendit ſibi gratiſſimam eſſe, quia illam præ aliis exaltare & decorare ſtuduit divitiis & honoribus, eaque tempore quodam licet modicum violata graviter eſt offenſus. Ipſe namque diſcedens à Saxonia diutius commoraturus apud Italiam, Hermanno duci ſtrenuiſſimo regis vice regendam commiſerat provinciam. Qui Hermannus advocata aliquando Magdeburgi concione, more Imperatoris ſuſceptus eſt ab Archipræſule manuque ad Eccleſiam ductus accenſis luminaribus & campanis cunctis ſonantibus. Henricus autem Comes de Staden tantæ inſolentiæ obſiſtere volens non valuit, ad præſens quidem: Sed à Duce ob vindictam injuriæ juſſus iter aggreſſus & tranſcenſis alpibus in Italiam venit ad Imperatorem, qui ſe apud hunc accuſatum metuens ſolotenus proſtratus placare eum ſtuduit, & quare ſe illum timeret offendiſſe, & quamobrem juſſus advenerit enarravit. Cui de ſtatu Saxoniæ & præcipue ſede Magdeburg plurima ſollicitè perquirenti ſingula intimavit, & de ſuſceptione Ducis, quomodoque is in medio Epiſcoporum illic diſcubuiſſet ad menſam loco Imperatoris. Unde Cæſar graviter commotus ab Archiepiſcopo aliquando excepto Imperatore laicam perſonam, in Eccleſiâ tantâ magnificentiâ ei ſe ſublimatâ, ſuſceptam doluit, quamvis eundem Ducem, ut diximus, pro ſuæ probitatis excellentia, præ aliis ſemper dilexiſſet, & eum idcirco patriæ ſuæ regis vice prætuliſſet. Quapropterter ut in futurum hujuſcemodi præſumptionem memorabili ſuæ autoritalis exemplo reprimeret, mandavit per literas eidem Archiepiſcopo, ut pro hujus delicti ſatisfactione, quot campanas pulſari, vel coronas accendi præcepiſſet, tot ſibi equos mitteret. Archiepiſcopus autem juſſa complens hoc emendationis ſuæ damno poſteris exemplum tradidit, & quibus poterat modis offenſum Cæſarem placare ſtuduit, præfatus autem Comes Henricus pro fidelitatis ſuæ judicio, gratiam Cæſaris circa ſe auctam confirmavit, & torque aurea donatus ab illo honorificè repatriavit.

Ipſe autem Cæſar OTTO poſtquam de Italia, immo totius Europæ gentibus glorioſiſſimè triumphavit, & Romanæ Reipub. dignitatem excellentiſſimè ſublimavit, (ut teſtatur prædictus Papa Johannes, à quo vocatus & deſcriptus eſt tertius poſt Conſtantinum, & Carolum auguſtorum anguſtiſſimus) ipſe inquam tandem dilectam Saxoniam reviſens Dominicam Palmarum in ſua Magdeburg, poſt conſtitutionem Archiepiſcopatus primam, & heu ultimam ſuæ præſentiæ ſolennitatem, cum venerabili Adelheide Imperatrice & filio æquivoco Imperatore celebravit. Ipſe quippe tenax divinæ religionis in diebus feſtis, ad veſperas, ad matutinas, atque ad Miſſam cum honorabili Epiſcoporum & totius Cleri proceſſione ad Eccleſiam duci ſolebat, ibique cum magno timore Dei, eſt reverentiâ ſtans aut ſedens, nihilque præter divinum loquens, donec finirentur univerſa perſiſtebat. Deinde ad cubiculum ſuum cum luminaribus multis, comitatuque magno ſacerdotum, Ducum ac Comitum redibat. Illic ergo ſecundâ feriâ idem XVI. Calend. Aprilis confirmante ac favente præſentiâ omnium multiplicavit locupletare Eccleſiam varietate donorum Imperia-

lium, & vel tunc, vel ante collata roboravit ſcripto teſtamentorum ſtabilium inæſtimabile beati deſiderii ſui votum hic oſtendens quaſi principiis, quibus quantisve in futuro illam propoſuerit amplificare beneficiis. Qui & ante in Italia conſtitutus multis Sanctorum corporibus per Dodonem Capellanum ſuum, aliosque perſæpe transmiſſis innumerabilibus reliquiis eandem eccleſiam Sanctorum ipſorum ſublimaverat patrociniis opulenter. Inde Quideliggeburg Abbaciam, quam venerabilis mater ſua Mathildis condidit, adiens, advenientibus ibi Poloniæ ac Bohemiæ Ducum, Græcorum quoque Beneventorum, Ungariorum, Bulgariorum, Danorum & Slavorum legatis cum totius regni principum concurſu Paſchalia gaudia peregit, licet illa Hermannus Dux Saxoniæ ſibi dilectiſſimus tunc moriens non modicum conturbaverit. Deinde dum peragrans provinciam Merſeburg celebraſſet Aſcenſionem dominicam ibique ſuppleſſet omnem quam diſtulerat de Magdeburg, promiſſionem ſuam tertia feria ante Pentecoſtes Mimminleve deveniens poſtquam illum & ſequentem diem ibidem explevit lætus, veſpertinum auditurus officium ſubito infirmari caputque cæpit declinare, moxque Chriſti Sacramentis refocillatus. Verſus:

Feſſus & emiritus felici fine potitus,
Pax ubi vera datur ad Cœlica regna paratur.

Sic proh dolor immaturâ morte migrans migravit Otto rigidus & fluxa regere doctus, migravit inquam ſummæ famæ & felicis memoriæ magnus ille Romanorum Imperator Auguſtus anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXIII. anno vero regni ſui XXXIIX. imperii autem XII. indictione prima anno quinto ex quo fundavit Archiepiſcopium Magdeburgenſe. Quo ab Ottone ſecundo Imperatore filio ipſius delatum, ab Adelberto & Gerone Archiepiſcopis aliisque compluribus marmoreo Sarcophago impoſitum honorifice tumulatur corpus ubi permanens in ſeculum non delebitur memoria ejus. Etenim:

Tres luctus cauſæ ſunt hoc ſub marmoro clauſa,
Rex decus Eccleſiæ, ſummus honor patriæ.

Sedente poſt hæc in paterni regni ſolio prænumerato Ottone ſecundo agnomine Rufo, neglecta juſtitiâ & indicio, quæ fuerant præparatio ſedis paternæ, miſericordia & veritas, quæ faciem ejus præceſſere, à prævalente iniquitate jugatæ, terris terga dedere. Surrexit gens contra gentem commovens prælia & fomes malorum in medio graſſabatur, diſcordia quodquis potentum invicem ſævit, commotio Eccleſiarum & pauperum gravis oppreſſio, juventus quippe regis effrena, ſana ſeniorum ſpernebat conſilia, dumque omne quod libet licere credit, viam erroris ſine magiſtro ductus currit. Erant tamen in eo multarum virtutum inſignia, quarum erat principium cum hilaritate laudabilis munificentia, ſublevabat modò nobilium modo ignobilium inopias, extollebat tam prædiis quam honoribus circumquaque Chriſti Eccleſias. Unde & inter cætera velut dote memorabili ſibi ſubarrhans Eccleſiam Magdeburgenſem, perpetuo illi liberam percipiendi ſibi pontificis conceſſit electionem offerens cum ejusdem conceſſionis privilegio librum ex auro & gemmis imaginem ipſius & Theophaniæ conjugis ejus continentem, qui ob memoriam ibi cum veneratione habetur usq; in hodiernum diem, cum quo etiam Roſenburg, Calbe & Unsburg Burgwardia cum ſuis attinentiis & utilitate donavit. Archipræſul quoq; cum eodem quo hæc facta ſunt die, infra miſſarum ſolemnia, de theſauro ſcientiæ ſuæ nova proferens & vetera populo obſcuriora divinæ legis ex more emulcaret eloquia, idem privilegium aſtante Imperatore recitatum ſermone luculento aſtantibus expoſuit & banno ſuæ autoritatis, ac regum ſuccedentium violentia muvinit. Poſt hæc Adelbertus Archiepiſcopus XIII. pontificatus ſui anno confirmatus in bonis cum ex more partes diœceſeos ſuæ, & Giſelharii, qui interim in ſervitio Imperatoris apud Italiam morabatur, ſuos docendo ac confirmando circuiret & Merſeburg veniens XIII. Calend. Julii miſſam celebraſſet, beatus nimirum ille ſervus, quem, cum venit dominus ejus, invenit ita facientem, inde divertens proximâ nocte pernoctabat in loco nomine Cruivati, alterâque luce exurgens ſe conqueſtus eſt vehementer capitis dolore detineri, nec tamen ob id iter cœptum omittens, Franckenleve cum ſuis cœpit proficiſci. Cumque Cirmini villam præteriſſet languore ſubito prævalente quaſi caſurus paulatim de equo nutando cæpit declinare. Unde mox à ſuis ſuſtentatus, & ibidem

tapeti

capeti ſuperpoſitus, atque his quæ à clericis dicenda erant cum feſtinatione completis omnibus ſuavi obitu,

Rite ſupernorum factus conſors monachorum,
Ut nova ſtella chorum conregnans fulcit eorum,

juxta illud. Qui ad ſapientiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates: & juſtus ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. Corpus vero ad Gevekenſtein delatum ibique pontificialibus indumentis velatum navigio Magdebnrg eſt usque transvectum. Ubi à Clero & populo & præcipue à Monachis flebiliter ſuſceptum eſt, coram altari Sanctæ Crucis Sanctorumque Apoſtolorum Philippi & Jacobi in medio majoris Eccleſiæ à Venerabili Hildewarde Halberſtadenſi Epiſcopo, & Herdingo primo S. Johannis Babtiſtæ Abbate dominicæ incarnationis Anno DCCCCLXXXI. condigno eſt cum honore tumulatum, talique ſepulchrum epitaphio decoratum:

Præſul Adelbertus, omni virtute refertus,
Membra ſolo clauſus lætos agit æthere plauſus,
Clerus eum plangit, nec non populum dolor angit,
Ipſius hoc pietas meruit fleat omnis ut ætas.

Poſt hujus itaque diſceſſum Eccleſiæ filii paſtore deſtituti, omnes pari conſilio & voluntate OTHRICUM, ſuum confratrem, tunc verò in aula regis degentem, elegerunt, & hoc nullatenus fieri poſſe præfatum Archiepiſcopum, dum adhuc viveret prædixiſſe, non adverterunt, vel advertentes parvipenderunt. Cum enim idem Othricus Epiſcopi moribus non conveniret, & ob hoc animum ejus erga ſe non rectum perſentiret, poſtquam multos liberalium artium diſciplinis nobiliter inſtruxerat, quia & ſapientia & facundia ſui temporis magiſtris incomparabilis erat, ibidemque ſcholis præfuerat, deliberavit impetrata per Ottonem Cæſarem Rufum licentia, clauſtrum exire, & potius in aulâ & regià capellâ deſervire. Unde illo abſente cum in die Reſurrectionis dominicæ, Archiepiſcopus ad miſſarum ſolemnia paratus ſtaret, Subdiacono ex more coram ſe Sanctam Crucem tenente piis illum amplexus palmis cum lachrimis petiit, ut Otricus & Ico nunquam ſedi ſuæ præficerentur. Peracto divino officio ipſe ad menſam ſedens pro tali ſupplicatione ſe exauditum à Domino cunctis aſſiſtentibus Spiritu revelante palam indicavit, quòd & poſtea rerum eventus comprobavit. Nam illo ad Deum aſſumpto cum præfatum Otricum cuncti, ut diximus, elegiſſent Walthardo ſibi dilecto ſuæque ſedis ſucceſſori quarto, qui & vocabatur Dodico, de tali electione mærenti, ſed ſolummodò cauſa obedientiæ & concordiæ, conſentienti, quadam horâ in exceſſu mentis idem Archiepiſcopus contra auſtrale oſtiurn Monaſterii ſtans cum baculo & pera quaſi Romam iturus apparuit eumq; ſtupentem blande affatus omnia affirmabat quæ de Othrico, ſedem ſuam nunquam poſſeſſuro, prophetico inſtinctu adhuc ſeculo vivens prædixerat. Clerus autem & populus pro ſua electione Imperatori inſinuanda nuncios idoneos in Italiam ubi Imperator tunc morabatur, miſerunt. Quo venientes pro ſuæ legationis cauſa graviter peragenda Giſelarii Epiſcopi ſuffragium precantur: quia eum ſicut res erat apud Imperatorem plurimum poſſe rebantur. Qui licet indole benignum & fidum pro Othrico ſuo jam dudum amico favorem promittens, ingreſſus ad Imperatorem inſinatâ ei primum Archipræſulis morte ſolotenus veſtigiis ejus proſternitur, & ut devotæ ſervitutis illi à ſe impenſæ inventâ opportunitate vice recompenſaret, obnixè deprecatur. Imperator verò pro velle illius proſpera pollicetur, ſi duntaxat Dominus Papa cauſæ ejus non adverſaretur. Oportuit enim, ut tanti rei negotium ex conſulto Romanæ Eccleſiæ, in cujus tunc gremio commanebat, diſponeret, alioquin ipſa id ſuo contemptu advocaret. Dum ille egreſſus & à legatis & à præfato Othrico quid eis ſperandum de commiſſo à Cæſare referret perquiſitus, eum irriſione reſpondit: vix ſibi, nedum illis in hoc ſuffragari potuiſſe, cum ſibi quisque ſit proximus. Sic Othricus caſſatus dum mox ad ſuos reverti diſponens deveniſſet Beneventum, ſubitò infirmatus ſeptimo die menſis Octobris diem clauſit extremum, qui & ibidem ſepultus, clarum ſapientiæ ſuæ memoriale reliquit in pluribus, ſicut de eo legitur in paſſione Beati Adelberti Epiſcopi & martyris, qui & ipſe fuit ex diſcipulis ejus. At Giſelarius corde ad altiora ſuſpenſus, corruptis pecunia cunctis terræ principibus, & maximè quibus ex antiquo cuncta

ſunt venalia Romanorum primatibus, quod pacto cæptum perficeret, clam aliquantiſper cum illis contulit. Quibus facile ad ſuum favorem accitis Dominum papam Benedictum, inter Apoſtolicos pontifices ejusdem nominis ſeptimum, præmiſſis xeniis palàm convenit, qui & ipſe, ſi tantum fieri liceret, benignum ſuâ ex parte auxilium promiſit. Romæ igitur ex decreto apoſtolici Synodus conſtituitur, & an Giſelarius Archipræſulatum ſuſcipere queat, conſulitur. Reſponderunt omnes velut unâ voce contra decreta ſanctorum Canonum hoc affirmantes licere, quod eſſe conſtat illicitum. Comprobant male intellectis teſtimoniis ſcripturarum, eum qui in minori fideliter & ſtrenuè laboraſſet, ad majus promoveri licere ac debere Pontificium. Suſcepto igitur à Benedicto Papa pallio, uti pollicitus erat, Otto Imperator Giſelhario Magdeburgenſem Archiepiſcopatum tertio Idus Septembris ut mos exegit, commiſit, eumque datâ licentiâ honorificato comitatu Theodorici Metenſis Epiſcopi ad ſedem ſuam direxit, quo illum I. Calend. decembris id eſt, in feſtivitate S. Andreæ Apoſtoli venientem, Clerus & populus feſtivo ritu ſuſcepit. Sed age quæſo, ô Antiſtes, dum ſic adeptum leve pondus æſtimas ferre virgam paſtoralem & pallium delectabile, quodque tibi à ſubjectis impenditur obſequium, quæ putas in tremendo examine tibi locorum facies erit, ubi tunc quisque cauſæ ſuæ vix ſufficit, tu pro tot animabus addita ſine dubio & tua anima rationem reddere habebis, velut ſi naturaliter à Deo pro unâ tot animas ſuſceperis. Dolemus namque & verè erubeſcimus de te talia ſcribere, vel potius aliquem ex noſtræ Eccleſiæ pontificibus talia imprudenter perpetraſſe. Sed ſicut bona bonis in exemplum, ſic & mala ad cautelam non incaſſum ſcribimus, ut duntaxat pro privata gratia vel odio veritatem non excedamus.

GISELHARIUS igitur ſecundus Archiepiſcopus ſedit annis XXII. Hic, ut plenius ſupra digeſſimus, ſuſcepit pallium à Papa Benedicto, ordinatus vero fuerat ab Adelberto deceſſore ſuo, quem videlicet Giſelharium piæ recordationis Otto Imperator magnus, quia ſtirpis morum & induſtriæ nobilitate pollere cognoverat, de clauſtro Magdeburgenſi aſſumptum Capellæ ſuæ præfecerat, poſtea quam defuncto Merſeburgenſe Epiſcopo Boſone quorundam interventu ipſum illi ſubſtituerat, Sed prædicto modo ab Ottone Secundo deſideratum utpote longe potioris dignitatis & opulentiæ Magdeburgenſem adeptus Archiepiſcopatum, ambitionis cæcâ ductus cupidine, aſſentiente ſibi ad malum Imperatore poſtpoſito Dei & vindicis Laurentii honore, Merſeburgenſis Epiſcopatus ſedem pariter deſtruxit, cum nomine. Nam partem illius Epiſcopatus ſitam inter fluvios Salam, Elſtram & Mildam & Pliſni, nec non ac Turhurini pagos, cum villis paſſim & piſcinis Friderico Cicenſi Epiſcopo præſtitit. Wiſſepurg & Loſſatanna, quæ ad Gutici orientalem pertinet ac fluviis Camnici & Albiæ diſtinguitur cum villis attinentibus Volroldo Miſnenſi Antiſtiti conceſſit, novem verò urbes meliores Scudici, Gotung, Worcin, Bigni, Hilburg, Dibin, Pungi, Linbenici & Gezeriſco ſuo ſpecialiter uſui detinuit. Privilegia verò, in quibus dona continebantur Imperialia quædam igne fecit concremari, quædam verò mutatis nominibus Eccleſiæ ſuæ annotari, Tranſmiſſis quoque de Cœnobio S. Johannis Babtiſtæ Magdeburg Monachis in Merſeburg Abbaciam ſtatuit, eamque ſuo Epiſcopatui adjecit, præficiens eidem Abbatem Othradum nomine illoque defuncto Heimonem virum venerabilem ipſi ſubſtituit de præfato cænobio aſſumptum. Ob hanc ergo cauſam *Ultro divina patriæ fit magna ruina.* Namque gentes, quæ paullo ante fidem Catholicam ſuſceperant, imperioque ſub tributo ſerviebant, Theoderici ducis ac Marchionis oppreſſionem nimiam ſufferre non valentes, à ſuavi jugo Chriſti ſe excutiunt, & unanimi conſpiratione arma corripiunt, percuſſoque in Havelberg præſidio militari, cum reliquis quos incautos repererunt, III. Calend. Julii cathedram Epiſcopalem deſtruunt, tertia verò die Brandenburg cum jam prima pulſaretur, pervenientes, fugiente primum Volcmaro tertio Antiſtite ac præfato Theoderico ejusdem urbis defenſore, clerum nil tale ſuſpicantem capiunt, Eccleſiæ theſaurum diripiunt, multorum innocentium ſanguinem effundunt, quodque his eſt miſabilius, Dedilonem ipſius urbis præſulem ſecundum, qui à ſuis miſerabili nece ſtrangulatus jam triennio in Sepulchro pauſaverat, integro adhuc ejus corpore & ſacerdoralibus indumentis, ejiciunt, ſpoliatumque nimo rurſus operiunt. Eodem tempore quoque à Bohemiorum exercitu capta ac diſolata eſt Cizenſis Eccleſia, Hugone

gone tunc primo Epiſcopo, cum omni civitatis illius populo, ignominioſe inde fugato. Ipſo etiam tempore Miſtowi Dux Slavorum cum ingenti multitudine Hammanburg, ubi quondam ſedes Epiſcopalis fuit, igne ſuccendit & vaſtavit, cujus urbis expletu deſolatione inde progreſſi monaſterium beati Laurentii Martyris in loco, qui Calve nuncupatur, ſpoliantes ſuccenderunt. Ubi cum victrix flamma templi lambendo vaſtaret mœnia, mira res velut aurum rutilans digitis expanſis in mediis flammis dextra deſcendens apparuit, ſtatimque quaſi aliquod ferens clauſa rediit. Unde quidam prudentes exiſtimaverunt illam Sanctorum reliquias ex incendio eripuiſſe, & in cœli aut alterius loci ſecreta transvexiſſe, Quod nos quia pro certo non comperimus noſtro ingenio indagantes, in medio reliquimus. Stabat autem omnis ille cœtus infidelium mirans & ſtupens ad tale ſpectaculum. Quod dum & ipſe Miſtowoi dux miraretur ſubito à dæmonio correptus, usque ad animæ emiſſionem, quæ in proximo ſubſecuta eſt, inceſſanter cruciabatur, vociferans inter ipſa tormenta, ſe ſuſtinere non poſſe, quæ ſibi Laurentius inferret incendia. Hæc retulit Anaco Clericus qui ibidem captus fuerat: Deſolatis igitur urbibus & villis incendio ac præda usque ad fluvium Tongeram convenerunt Slavorum tam peditum quam equitum ſupra triginta legiones, quæque adhuc reſidua vaſtare cupientes. Reſpexit autem Dominus de excelſo cœlorum habitaculo, ne ſub tanta tribulatione in finem pauperum ſuorum maneret oblivio. Auditâ ergo hac tempeſtate Hiſelharius Archiepiſcopus collectâ armatorum grandi multitudine, vocatoque in auxilium ſuum Hildewardo Halberſtadenſi antiſtite, nec non & Theoderico Marchione, comitibus quoque Sifrido, Riddago, Ottone, Benſone, Friderico ac Udone hoſtibus paravit occurrere. Sequenti igitur luce quæ tunc dies erat Sabbati, omnes auditâ miſſa, perceptione Dominici corporis & Sanguinis muniti, pluſquam cum lachrymis & contritione cordis, corpus & animam Deo commiſere dato ſigno prælium ingens cæpit, Deoque propitio ſalus & victoria in manu Chriſtianorum ſtetit: Namque commiſſa eſt pugna die integro, noſtrisque tantum tribus peremptis cæſa eſt hoſtium immanis multitudo. Nocte tandem prelium dirimente, pauci qui adhuc vulnerum expertes erant, in proximum collem contenderunt; quos cum noſtri ad primum auroræ ortum propulſare intenderent, intempeſta nocte (proh dolor) aufugerunt. Sic Archipræſul victoria potitus Parthenopolim lætus revertitur, ubi à clero & cæteris, qui domi remanſerant condignâ cum laude ſuſcipitur. Ipſis diebus multa pericula ſuſtinuit Saxonia. Nam ut refert ſanctus Epiſcopus & Martyr Bruno, qui de Quernfort extitit oriundus, pater ejus Bruno dicebatur, Mater Ida, frater Gevehardus, poſt deſtructionem Epiſcopatus Merſeburgenſis cuidam ſapienti talis divinitus oſtenſa eſt revelatio, in qua viſus eſt illi præfatus Cæſar Otto aureo ſubnixus ſolio, vallante illum Epiſcoporum principumque & nobilium agmine longo, cum ſubito ille victor ignium magnus Laurentius igneo terribilis aſpectu circumamictus aurea ſtolâ in medio apparuit, & velut laceſſitus injuriâ prorumpens argenteum de ſub pedibus Imperatoris ſcabellum tulit, ſeque teruo evertens intuitu abire cœpit. Cumque à quodam aſtantium, quis aut cujus autoritatis eſſet, qui ſic in gloriâ ſuâ ſublimatum Regem exhonorare præſumeret, inquireretur], & ſubpedaneum reddere rogaretur, reſpondit: quia niſi ſibi illatum dedecus ab ipſo Imperatore corrigeret ipſum quantocyus de ſolio indubitanter deponeret. Quod & ita factum eſt, quia Imperator hanc viſionem auditam parvipendens & Archiepiſcopi amorem male blandientis timori Dei præponens non correxit errorem, & idcirco minoravit dies temporis ejus, & in ipſis cum omni perfudit confuſione, donec in brevi ut præfixum erat, vitâ pariter & Imperiali caruit poteſtate. Nam anno domini DCCCCXCV. apud Calabriam contra Sarracenos periculoſiſſimè dimicans, occiſo exercitu ipſe natando per mare vix aufugit, & veniens Veronam curiam celebravit, indeque Romam reverſus relictâ matre ſuâ venerabili Adelheidâ Imperatrice, in Papienſi civitate graviter infirmatur, & ut extremâ ſenſit adeſſe, omnem ſuam pecuniam in quatuor partes diviſit, unam Eccleſiis, ſecundam pauperibus, tertiam matri ac unicæ ſorori ſuæ Mathildi Abbatiſſæ de Quedelburg, quartam militibus, qui vitam, patriamque ſuam ſuo amori poſtpoſuerant, factaque latialiter confeſſione, coram Apoſtolico cæteriſque Epiſcopis atque Presbyteris acceptaque ab eis optata remiſſione ſeptimo Idus Decembris ex hac luce ſubtractus

tractus eſt, terræque commendatur ubi introitus orientalis paradiſi domus Sancti Petri cunctis fidelibus patet: & imago Domini honorabiliter formata, venientes quoque ſtans benedicit, relinquens filium ſucceſſorem puerili quidem ætate parvulum: Sed pietate, pulchritudine & omni morum venuſtate præcipuum, & ut dicebatur, juſtitiam mundi Ottonem tertium. Qui dum in virile robur evaſiſſet, agere cæpit, ut delicto patris correcto animæ illius nimirum pro hoc afflictæ ſubveniri potuiſſet inſtigante illum etiam ſua genetrice Theophaniâ videlicet Græca Imperatrice, quæ nihilominus aliquando in exceſſu mentis vidit præfatum Domini Levitam ſibi aſſiſtentem, & ſciſcitare non audenti nomen ſuum pandentem, dextroque brachio exerto mutilatæ manicæ damno objicientem, quæque ſibi conjunx illius feciſſet conquerentem, adjicientem quoque hæc illius ſuaſu facta fuiſſe, pro quo plurimæ electorum ſcandalizarentur animæ. Filius ergo ejus Imperator his ſollicitatus Giſelharium ſæpius convenit, Archiepiſcopum reprehendens illum duabus præeſſe parrochiis contra decreta canonum: Unde & in generali Romanorum concilio proclamatum exegit à Domino Silveſtro indicialiter aſtringi officil ſuſpenſione derecta, inſuper ei ad Apoſtolicæ ſedis diſcuſſionem illum veniendi vocativa legatione. Ille vero tunc judicio Dei paralyſeos infirmitate oppreſſus, miſſo Rotmanno ſibi familiari Clerico Romani, quovis pacto, vel etiam juramento, ſi opus eſſet ſe expurgandi commiſit curam, quod cum factum eſſet commendatur à Papa arbitrio Imperatoris cauſatum provincialibus Epiſcopis examinanda. Interea præfatus Adelbertus Epiſcopus, quem ab Adelberto Magdeburgenſi Archiepiſcopo æqui voco nomine in chriſmatis unctione appellatum, & ejusdem Eccleſiæ alumnum, ut ſupra diximus felici martyrio in Polonia coronatus, XII. anno Ottonis meritis & virtutibus longè lateque effulſit clarus, quorum etiam præconio tactus Imperator ad illius lumina cauſa orationis eſt profectus, cum imperialibus donis, Ubi à Bolislao Duce magnificè ſuſceptus eſt & Gneſim usque perductus, in quâ eodem Duce emente à loco interfectionis translatum pauſabat præfati Martyris corpus. Hanc ergo urbem devotus imperator occurrente ſibi loci Epiſcopo nudis pedibus intravit, & poſt lachrimoſam ad S. Adelbertum orationem nova illum inſtitutione, id eſt Archiepiſcopatus in eodem loco fundatione, ſed non legitimâ honoravit. Nam tota hæc provincia unius Poznanienſis Epiſcopi erat parochia, & ipſa cum omnibus futuro tempore illic fundatis Epiſcopatibus auctoritate primi Ottonis Imperatoris & pontificum Apoſtolicæ ſedis Metropolitano Magdeburgenſi Archiepiſcopatui fuerat ſubjecta. Hanc ergo fine utrorumque Epiſcoporum conſenſu, iſte Imperator in quinque dividens Epiſcopatus, in ipſa urbe Gnezi Gaudentium beati Adelberti germanum conſecrari Archiepiſcopum fecit eique tres alios Epiſcopos intribus locis, id eſt Slazcholberg/ Cracfawe/ Wortizlawe ordinatos ſubjecit.

Pozanienſem vero Epiſcopum non aſſentientem priori ſuo juri & Magdeburgenſis Archiepiſcopi ſubjectioni reliquit. Imperator exinde reverſus, Palmarum ſolemnia Magdeburgi glorioſè celebravit, & ſecunda feria cum Epiſcopis facta Synodo, Giſelharium Archiepiſcopum impetiit, ut dans honorem Deo, priori ſuo uno & legitimo contentus eſſet Epiſcopatu. Ipſe autem non rationibus, ſed pecunia reſpondens, hujus cauſæ mediatoribus usque in frequentiorem curiam Paſche Quedelenburg agendam protelari rogavit. Quo dum præ languoris inſtantia venire non poſſet, rurſus præfatum Rotmannum & Waltardum præpoſitum, ut eum excuſatum haberent, direxit, ubi nihilominus induvis ad concilium Aquisgrani coram Imperatore congregandum accepit. Huc ergo cum fautoribus ſuis profectus ab Apoſtolicæ ſedis legato iterum iterumque de prædicta cauſa convenitur; nec minus ille renitens defenſiones molitur. Sed tandem ſententia omnium convictus hæc usque ad generalem Romanæ Eccleſiæ Synodum differri callide precatur. Talibus machinamentorum artibus impedita res intercipitur, quia & Otto Cæſar interea, decus imperii, ſectator juſtitiæ heu immaturâ morte defungitur. Nam ab ore Creſcentis, quem idem Imperator Romæ decollatum per pedes laqueo ſuſpendi juſſit, veneno infectus, apud Paterne caſtellum Romaniolæ puſtellis interiora prementibus, & interdum paulatim erumpentibus infirmatur. Qui facie clarus, ac fide præcipuus, VIII. Calend. Februarii moritur, ſuis inſuperabilem relinquens memoriam, quin eo tempore non fuit ullus

largior

largior ac per omnia clementior illo. Hi autem, qui circa ipſum erant, tam diu mortem ejus celabant, quousque undique diſperſus per internuncios convocaretur exercitus. Tunc triſtis turba dilecti Domini corpus comitata magnas bellorum aſperitates continuis ſeptem diebus perpeſſa eſt, nec ulla ab hoſtibus requies conceſſa, quousque ad Veronam perveniunt civitatem. Exinde per vallem Tridentinam revertentes, cum ad Pollinge curtem Sigfridi, Auguſtæ civitatis præſulis, veniſſent, ab Henrico Duce Bavarorum & imperatoris nepote cum maximo mœrore ſuſcipiuntur, iterumq; lachrymis ejus dolor renovatur. Dux verò cum funere Auguſtam intrans civitatem, dilecti Domini ac nepotis inteſtina duabus lagunculis incluſa, in Auſtrali parte monaſterii Sanctæ Martyris Affræ ſepulturæ honorabili tradidit, & ob animæ ipſius remedium centum manſos propriæ hæreditatis eidem monaſterio dedit. Deinde corpus usque Coloniam comitatur, quo dum perveniſſet, primò ſuſceptum eſt ab ArchiEpiſcopo ejusdem civitatis Heriberto ad monaſterium S. Severini, feria ſecunda poſt palmas ad S. Panthaleonem, tertiâ defertur feriâ ad S. Gereonem, feria quartâ in cœnâ Domini ad S. deportatur Petrum; Ubi more Eccleſiaſtico pœnitentibus introductis, & indulgentia reſolutis, animæ præſentis corporis ab Archipræſule datur remiſſio. A conſacerdotibus autem memoria expoſcitur, lachrimabiliter verò à populo ſupplice impenditur, feriâ ſextâ Paraſceve illuceſcente funus elevatum ad Aquisgrani ſancto perducitur in Sabbato. Die verò Dominicæ reſurrectionis in Eccleſia Sanctæ Mariæ perpetuæ virginis ſubincomparabili mœrore in medio ſepelitur Choro Anno regni ſui XVIII. dum annus Domini MII. volveretur. Cui quia non erat filius conſanguinitatis linea proximus, ſublimatur in regnum præfatus Henricus Bavarorum Dux, & quaſi poſt verum roſæ vel lilii florem ſurrexit utilior mundo æſtivæ maturitatis fructus triticeus. Hic ergo cultor æquitatis & religionis divinæ præcipuus extitit, & quæcunque regni negotia à prædeceſſore ſuo tanquam puero & ipſo intempeſtivo obitu præoccupato relicta fuiſſent minus cautè ordinata, ipſe ſecundum Domini timorem reſtaurare, juſtèque diſponere ſtuduit. Huic igitur ut innotuit deſtructio Epiſcopatus Merſeburgenſis, ob tam incorrigibilem longo tempore Archipræſulis ambitionem non mediocriter dolens, omni anniſu ſe armavit ad ipſius reparationem. Unde & cum regni ſui anno ſecundo nativitatem domini Polithi celebraſſet, inde Dorveburg profectus, Giſelarium Archiepiſcopum, qui jam præ diuturni languoris vexatione à multis deſperatus erat, monens & obteſtans per Dominum, ut rediens ad cor ſaltem divinæ correptionis, tam liquido in ſuo corpore perſpicabilis flagella animadverteret, ut uſurpatam injuſtè ſedem relinquens & legitimam reſumens quicquid in deſtructione ejus erraſſet, vel tunc vel nunc in extremo vitæ ſuæ ſatisfaciens pœniteret. Ille autem quæ facere nolebat vix ipſo auditu ſufferebat. Pauca tamen pro tempore locutus promiſit ſe abiturum & tertia die indubie reſponſurum, ſed *ô malè ditata bona poſt hæc ſæpè negata*. Curru ergo (quia aliter ex multo jam tempore incendere non valebat) impoſitum, ſe abduci in curtem ſuam Tribule juſſit, ubi biduo commoratus, morbis excruciatam (quia non eſt conſilium contra Dominum) VIII. Calend. Februarii animam reddidit, anno Dominicæ incarnationis MIV. Quo audito imperator ipſe funereis præſens exequiis corpus Magdeburg proſequitur, à quo Wipertus Capellanus ſtus de eligendo Taginone voluntatem regiam legaturus ad fratres præmittitur. Waltardus autem ſupradictus præpoſitus coadunatis fratribus, ut eis Antiſtitis mortem & regis ad illos viſitationem innotuit, quid ſuper electionem idonei proviſoris cenſerent, conſuluit. Qui omnes unanimiter ipſum (licet humiliter recuſantem) ſe eligere reſponderunt. Corpus autem delatum ad S. Johannis Baptiſtæ monaſterium, prima nocte honorificis vigiliis conſervatur; nec minus ſequenti die ad S. Mauritium deductum à ſupervenientе tunc rege, clero, & populo ſuſcipitur; circa quod illud propenſiori ritu pſallentium ſecunda nocte excubatur. Mane autem facto Arnolphus Halberſtadenſis Epiſcopus, ut fratres de electione Taginonis conveniret à rege mittitur, qui & mox ingreſſus ad eos diligenter mandata coram omni multitudine paratus exequitur. Walthardus itaque Præpoſitus reſpondere rogatus pro omnibus quamvis ab eis ipſe fuiſſet, ad hunc honorem pontificii electus, tamen à ſe primo removet hujus ambitionis ſuſpicionem. Sed de alio eligendo cum dicat omnes regis ſentire intentionem profitetur, eos velle & petere, ut mereantur canonicâ autoritate

ritate habere liberam, nec poteſtate regiâ coactam electionem, nec pati poſſe ſuo tempore detrimentum ſubire ſuæ Eccleſiæ dignitatem. Rex ergo his auditis accerſito eodem Præpoſito & reliquis ſeorſum majoribus, benigne obſecrando & multa pollicendo tandem ipſius & omnium conſenſu & voluntate electo Taginoni ritè commiſit Epiſcopalem, in quam & ipſe eum honorificè collocavit, Cathedram. Cujus ut moris eſt laude univerſorum favore celebrata, ad defuncti exeqnias alio carmine conveniunt, quem & coram altari Auſtrali cum multo luctu & lachrymis ſepeliunt. Erat enim vir in hoc mundo valde idoneus, & hanc Eccleſiam multis donariis & poſſeſſionibus augeri fecit ſua induſtriâ & petitionibus ab his, quibus frequenter & devote ſervierat, Imperatoribus, nec pauciora ſuæ hæreditatis prædia pro remedio animæ ſuæ devotus tradidit fratribus. Dedit enim viginti octo manſos & dimidium in villa Gutſtein dicta ſitos, annuatim ſolventes undecim talenta & octo ſolidos, & molendinum unum in eadem villâ, unamque decimam in Neuendorff ſolventem duo talenta; Ex his debentur fratribus per annos ſingulos tria ſervitia & cuilibet per menſes quatuor nummi, puero verò unus, tantundem fratri abſenti. Hic ordinaverat Miſnenſi Eccleſiæ Eidum tertium Brandenburgenſ. Wigonem quartum Halvelbergenſi, Hildricum ſecundum Cizenſi, Hugonem tertium & Hildewardum quartum Epiſcopos, Riddagum quoque defuncto Herdiggo ſecundum S. Johannis Baptiſtæ Abbatem. Hujus Archiepiſcopi anno II. Dominicæ verò incarnationis DCCCCLXXXIII. obiit Otto Rufus Imperator ſeptimo Idus Decembris. Cui filius ejus Otto tertius ſucceſſit. Ipſius etiam Archiepiſcopi Anno XXII. hoc eſt dominicæ incarnationis MII. Otto tertius obiit 9. Calend. Februarii cui ſucceſſit Henricus Bavariæ Dux.

DAGINO Tertius Archiepiſcopus ſedit annos octo, menſes quatuor, dies octo, ſuſcipiens pallium à Papâ Johanne XIX. Hic beate illius Wolfgangi verè actu & habitu monachi & confeſſoris Chriſti & Ratisbonenſis pontificis, diſcipulus, ab eo more filii in omni ſanctæ converſationis inſtitutione à puero fuit enutritus boniſque ejus omnibus prælatus, quem etiam per ſe gratia Ottonis tertii Imperatoris ac Henrici Bavarorum Ducis familiarius adjunxit, quia ſibi defuncto hunc ſicut dignum illorum auxilio ſubſtituendum ſperavit. Qui dum beatæ vitæ terminum immo præmium ſibi adeſſe præſentiret, illum verè dilectum alumnum advocavit & os ejus ori ſuo ſuppoſitum aſtringere mandavit, ut à Deo inſpirationem ſpiritualium ejus charismatum acciperet, unde temperamentum dilectionis geminæ ipſiusque benevolentiæ contra noxium juventutis ardorem perciperet, tunc etiam præſago inditio illi ſuggeſſit, quia ſi deſtinata ei à ſe ſua ſede forte privandus eſſet, poſt decurſionem decem annorum pro certo glorioſius ſublimandus foret. Poſtquam ergo inter verba orationis requievit in Domino, ab omnibus eligitur Tagino, ſed adductus ad Imperatorem hoc honore privatur, ab illo, dato Epiſcopatu cuidam Geverhardo ſuo Capellano, cum quo, cum iſte tempore parvo ob inæqualitatem morum, licet honorabiliter haberetur, eſſet commoratus, adhæſit duci Henrico cui pro laudabili converſatione valdè complacens acceptiſſimè per omnia & famulatus, donec, ut diximus, Ottone Imperatore defuncto, & Henrico rege facto, poſt decem annorum circulum, ſecundum dei viri vaticinium, in Archiepiſcopali cathedra, cedente ſibi præfato Waltardo tunc electo, voluntate Dei & Eccleſiæ ab ipſo rege glorioſè eſt exaltatus, quem videlicet regem ac reginam cum optimatibus, quantis in hac ſuppetebat novitate, benignè honorans muneribus cum ipſis mox Gevekenſtein proficiſcitur, ubi omne, quod præ deceſſoris ſui ſtudio collectum fuerat, diligenter ab eodem & à Rege perſpicitur, & ſuo indicio ſuperfluum eſſe dicitur; inde Regem Merſeburg comitatur, ibique ab ipſis dignitas Epiſcopalis reparatur, requiſitis laborioſè prædiis Banno & parrochia ab Epiſcopis, quibus hæc illicitè fuerant uſurpata. Illic in purificatione ſanctæ Mariæ ſolenniter unctus eſt Dominus Dagino à Willigiſo venerabili Archi-Epiſcopo Mogontino, ſuiſque ſuffraganeis, qui tunc aderant, honorificè ſuffragantibus, Apoſtolicæ autem ſedis legato, & Hilderico tunc in ordine Suffraganeorum primo conſentientibus. Ordinandus enim ab Solo Apoſtolico fuerat, ſed hunc adire cauſa inſtantis neceſſitatis non poterat. Tunc Rex coram omnibus tradidit Merſeburgenſem Epiſcopatum ſupradicto Guiberto Capellano ſuo, dato huic novo Archipræſulis baculo per quem illi omnia reddidit, quæ à Giſelario injuſtè hinc ablata didicit, quem nihilominus illis diebus

diebus conſecravit, idem Dagino, cum quaternario aſtantium ſuffraganeorum ſuorum numero. Poſtquam ergo rex beati deſiderii explevit votum reverſus Magdeburg, ne quod ex hac inſtitutione Archiepiſcopo incuſaretur intuliſſe damnum, quoddam ſui juris eidem cum legali teſtamento tradidit prædium, hoc eſt urbem, nomine Tuchtum cum omnibus pertinentiis ſuis in Zenditz provincia ſitam; nam ipſe in Domino magnæ devotionis rex, de capella ſua ſumens non modicam partem reliquiarum beati Mauritii, hyeme tunc forte redivivo frigore ſæviente terramque glaciali aſperitate & nivo cooperiente, â monte S. Johannis Baptiſtæ ubi ſervabantur nudis pedibus, ut fertur, calore pietatis illum animante triceſimo die depoſitionis Archiepiſcopi Giſelarii in civitatem detulit; cunctis feſtivo ritu, ut par erat, eas ſuſcipientibus, quas & ſancto altari cum prædictis donariis obtulit, ipſumque diem in honore præfati martyris ejus Eccleſiæ celebrem, quemadmodum adhuc habetur, inſtituit: Archiepiſcopus igitur ordinationis ſuæ anno primo cæpit ædificare templum Domino. Hic dilectus Deo & bonus hominibus ſupra conſuetudinem omnium Epiſcoporum quos novimus, familiaritate maximâ & dilectione jungebatur fratribus, illosq; coram populo ſuis attollebat laudibus, quibus & affectionis ſuæ memoriale reliquit, dum ad ſupplementum veſtitus eorum, presbyteris ac Diaconis VIII. ſiclos, Subdiaconis autem & pueris quatuor addidit. Nam ut bonus ſervus & fidelis, qui ſuper lucrari ſtuduit ſibi commiſſam Domini ſui pecuniam, in brevi quo præſedit tempore, pluribus prædiis à rege pro denotione prioris ſervitii & fidelitatis acquiſitis, ſuam augmentavit Eccleſiam. Sunt autem hæc Arnaburg & Froſa ac Pretina urbes, cum curte unâ, quæ Eſiconis fuit Merſeburgenſis Comitis & Burgwadum quoddam Driezele dictum in pago Morſan. Ad cultum quoque & ornatum divini & Epiſcopalis officii egregium conquirendi ſpecialis erat ſtudii. Ut autem quædam de moribus ejus breviter dicamus, fuit cum Evangelico Simeone homo juſtus & timoratus, & largè ſua diſpergens dedit pauperibus, in charitate radicatus, nitida caſtitate emicans, creverat pietate ac manſuetudine dilatatus, prudentia & ſtabilitate roboratus exſtiterat, ſeque habitu canonicum, in omni vero converſatione ſua verè monachum cunctis oſtenderat. Quoscunque in Deo proficientes videbat, laudabat & exhortans ad meliora provocabat, delinquentes verò ſpe correctionis aſperè increpabat. Divino verò ſervitio inſatiabiliter intentus vacabat, & niſi gravi infirmitate præpeditus cum quotidiana pſalterii expletione vivum domino holocauſtum quotidie per miſſarum celebrationem immolabat. Quod donec ritè compleſſet vultus & animi ſeveritate ſollicitudinem adhuc ſuam oſtendebat. Poſtea verò bona conſcientia & inhabitante in ſe ſpiritu Dei lætificante omnibus hilaris & affabilis aggaudebat, cum quibus etiam perſæpè Kyrie Eleiſon, miſericordiam domini, invitans concinnebat. In vigiliis autem ſupra modum laborare ſtudebat, qui cum ob laſſitudinem jejunare non poſſet, eleemoſynarum largitate redimebat, ſed tamen ob dolores dentium modicus eſus ſibi cum mediocri potu ad ſacietatem ſufficiebat. Nobiles genere & moribus diligebat, nec tamen pauperes deſpiciens curam ipſorum habebat. Cum ergo ad Deum vivum, quem ſitiebat anima ejus eſſet vocanda anno dominicæ incarnationis 1012. Merſeburg venit, ubi præfatus rex Henricus ſolennitatem pentecoſtes exegit. Prima autem ſuæ illius, quam ſanctus conſecravit Spiritus Dominicâ, Archiepiſcopus infirmatus miſſam celebrare nequivit, altera die ad modicum convaleſcens, & ad regem deambulans incauta commotione imbecilla tantum turbavit membra, ut in brevi omni virtute exhauſta de ipſius dubitaretur vita. Unde advocatis Epiſcopo Erico & Abbate S. Joannis Baptiſtæ Sifrido poſt factam illis confeſſionem humiliter petiit indulgentiam & remiſſionem. Facto autem mane quintæ feriæ diſponens recedere, cum ante regis tunc dormientis bajularetur cubile, fertur converſus reverenter eo capite pro impenſis ſibi in hac terra peregrino hactenus beneficiis gratias agens illi præcordiali devotione ultimum valedixiſſe. Poſthæc navi Gevekenſtein deductus, ibique biduo commoratus cum dominica item navigio deveniens ſecus urbem ſuam Rodenburg pernoctaſſet, poſterâ luce deficiens in via adeſſe ſentit extrema, accerſitoque Waltardo Præpoſito, cui & primum ſanctus Epiſcopus omnia ſua poſt ſe negocia commendaverat, eidem ſui ſuorumque nunc commendatione ſtudioſius inculcata inter orationes & lachrymas fratrum quinto Idus Junii Deo reddidit Spiritum; Cujus corpus ſic ipſo die ad caſtrum

Froſam devectum, ibique ſacerdotali paratura contectum cum mœrore omnium Parthenopoli eſt ſuſceptum. Tertia verò die fit conventus Epiſcoporum ambitioſiusque celebratur pro eo memoria defunctorum, quibus ipſis bajulantibus dilecti corpus ad tumulum ſepelitur ad occidentalem plagam in choro ante cryptam à ſe factam ipſe dedicaverat, quam etiam celeberrimis precibus & lachrymis ſuis conſecratam dum viveret ad corporis ſui pauſationes eligens deſignaverat. Sed Waltardus ante introitum ejusdem cryptæ, ut diximus, loco ſcilicet decentiori, & qui omnium pateret conſpectui, dilectum ſeniorem tumulari decernebat. Hic in tempore deſiderabili ſui ſacerdotii conſecraverat Epiſcopos, Havelbergenſi Eccleſiæ Ericum quartum, Merſeburgenſi Wipertum tertium, eoque defuncto Thietmarum venerabilem, doctiſſimum atque nobiliſſimum quartum, ſecundum quoque Brunonem cognomento Bonifacium, prius quidem ſancti Mauritii Magdeburg Canonicum; Poſtea verò in palatio regio adſumtum, ſed fugientem cum deliciis ſuis ſeculum, ut ſibi lucri faceret Chriſtum, ſicque apud Italiæ eremum cum beatis ſociis Benedicto atque Joanne, in monachica religione perfectiſſimè converſatum. Deinde à Romano pontifice ad regem Henricum & eundem Archiepiſcopum directum conſecraverat Archipræſulem gentium, eique, quod Apoſtolico detulit, circumpoſuerat pallium, qui poſthæc ſignis clarus pro Deo ab ipſis gentibus cum eſt martyriſatus, ſicut indicat liber geſtorum ejus, veraci relatione conſcriptus. Iſte beatus, ſicuti præmiſimus, de caſtro Querfort fuit oriundus, pater ejus Bruno dicebatur, mater Uda, frater Geberhardus. Idem Dagino, Abbate S. Joannis Baptiſtæ de monte Riddago quorundam invidorum dilatione depoſito, ſubſtituit ei Alskerum Abbatem de Polithi, cum quo & Abbatiam illam, à venerabili Mathilde regina conſtructam, poſitis ibi clericis, enormiter viventibus in Præpoſituram non ſatis provido conſilio permutavit, in quo uno à via rectitudinis aberraſſe multorum judicio repræhenditur, quem etiam religionis in pejus reformatio, licet ab illo, an ab aliis facta, dubium in plerisque Epiſcopii locis miſerabiliter & absque timore Domini cognoſcitur. Mortuo autem Alskero, Sigfridum fratrem præfati Thietmari Epiſcopi in eadem congregatione enutritum atque electum ordinavit Abbatem quartum.

WALTARDUS Archiepiſcopus Quartus ſedit hebdomadas ſeptem, dies duos. Hic ex nobiliſſimis oriundus exſtitit parentibus, patre ſcilicet EREP, matre verò AMULRAT vocata, vita laudabili caſtitate & honorificentia inter contemporales ſuos præfulgentibus. Qui acceptam ab eis ingenuitatem nullatenus inhoneſtavit, ſed perfectiori ſemper induſtria decoravit. Hic olim traditus ſancto militaturus Mauritio canonice enutritus eſt ſub Adelberto Archi-Epiſcopo primo, cui & valdè complacebat, ut ſupradictum eſt, pro maturitate morum ac pietatis ſtudio. Hunc ſucceſſor ejus Giſelarius nihilominus dignum videns valdè honorabat eique præpoſituram ſano conſilio commendabat, quam honorificentia XX. & VIII. annis diſpenſans ſemper amplificare laborabat. Hic Sardphagum ingentem ad includendas ſanctorum reliquias fabricari ex argento fecit, Eccleſiamque rotundam poſt incendium hujus civitatis magnum dilapſam, à fundamento erexit, & ibidem congregationem canonicorum inſtituere, & proprietatis ſuæ prædium ſitum in Oſulfſcidt contradere propoſuit, quod, morte poſtea præventus, Sancto Mauritio in memoriam ſui per manus ſororum ſuarum hæredum donari juſſit. Illi quippe prædixerat divina revelatio, quod licet modico tempore ejusdem ſedis fungendus eſſet, etiam ſacerdotio, ſed ipſo, quo hæc impleri oportebat anno, cuidam matronæ mater ejus jam defuncta per viſum felicitatis ſuæ, quam haberet in æterna requie, teſtimonium dans apparuit; Et quia Tagino Epiſcopo in brevi vita excedere, eique Walzardus ſuccedere debere apparuit, ſcilicet non ut diu in hac fragilitate pontificaturus, ſed ut æternaliter in hoc ordine inter judicantes eſſet ſeſſurus. Defuncto itaque, ut diximus, Taginone, eligitur Waltardus, conſilio omnium præſentium Epiſcoporum ab univerſa congregatione. Quod ubi nunciatur regi per internuncium, accerſitur ad illum, qui tunc in exequiis ſui ſenioris ſtudioſius excepta multiplicitate veſtimentorum expenderat, pro eo in eleemoſynam pondus argenti XX. talentorum. Comitante ergo eum Thietmaro Epiſcopo veniens ad regem Grone, ſcilicet cutem regiam, ab eo benigne ſuſcipitur. Poſteaque die, qua feſtivitas beati Viti celebratur, annuente rege,

Digitized by Google

electio à cunctis, qui tunc aderant renovatur, & ab ipſo, ut mos eſt, confirmatur, ſicque in Eccleſiam, quam ibi à rege conſtructam deceſſor ipſius dedicaverat, perductus favorabili illorum laude decoratus. Cum rege ergo aliquantiſper demoratus honorificè ad ſedem ſuam cum Arnolpho Halberſtadenſi Epiſcopo, qui eum inthroniſare dirigitur & ſabbato illuc veniens ab omnibus decentiſſima jucunditate ſuſcipitur, & ſequenti die à venerabili Eido, Miſnenſi Epiſcopo, cum ſuffragio aliorum quinque Epiſcoporum, id eſt, Arnolphi, Wigonis, Hildewardi, Erici ac Thietmari oleo ſanctificationis ungitur, ſecunda autem feria, qua agebatur S. Johannis Baptiſtæ vigilia, cum honore & magnis muneribus ab eo dimiſſi redierunt ad propria. In die quoque ſancto Archipræſul ductus ad montem cum honore ſolito & gratanter ſuſceptus à Theitmaro Epiſcopo & fratre ipſius ejusdem loci patre Sigisfrido, cum miſſarum ſolenniis decentiſſimè celebratis charitatem ibi facere multum ab Abbate rogaretur, renuit, quia ob turbam ſibi cohærentem Dei famulis oneroſus eſſe noluit. Qui dum natale quoque apoſtolorum in ſede ſuaglorioſe peregiſſet, invitatus à Boliſlao Polonorum duce, qui rebellabat regi, componendæ pacis gratia citius venit, ibique biduo commoratus, ſed nil proficiens, pro qua accerſitus fuerat cauſa, magnifice ab illo donatus remeavit. Indicitur ergo à rege generalis expeditio contra Boliſlaum, cui & intereſſe contigit Waltardum Archiepiſcopum. Tardantibus autem in Marchia principibus eamque præſidio munientibus, in ipſa nocte inventionis S. Stephani protomartyris, quæ tunc dominica evenit, Archiepiſcopus capite nimium infirmari cepit; pro geminæ tamen feſtivitatis honore miſſam heu! ultimam exegit. Quinta denique feria dum Merſeburg, ſicut promiſerat, reginam, quæ ibi morabatur viſitaturus, à Thietmaro Epiſcopo & clero magnifice ſuſcipiendus exſpectaretur, ipſe multum curru Gibichenſtein defertur; cujus pedibus à tumore relaxatis venter nimium turgendo gravari videtur. Advocatur gratia benedictionis, & quam benè noſſe ferebatur curationis, Bernwardus Epiſcopus Hildeſemenſis; aderat pro eo orator ſedulus beatus Eidus Miſnenſis Epiſcopus, adveniunt, Hildewardus, Memwercus, Ericus, Thietmarus Co Epiſcopi & Arnolphus Halberſtadenſis: Qui omnes multiplicabant ſuper illo benedictionem & indulgentiæ petitionem, Thietmaro Epiſcopo interim peragente olei ſancti unctionem. Appropinquante autem exitu, cum vidiſſet neſcio quid inimicum ad ſiniſtram ſigno crucis ſe muniens potenter erexit dexteram, vultuque averſo flebili voce ad modicum quaſi conturbatur, moxque lætius remiſſa exhilaratur: Accenſis ergo luminaribus à lecto deponitur, ſuper cujus pectore crux ſacra, in manibus cinis, ſubtus verò cilicium ſternitur, ſicque poſt meridiem ſecundo Idus Auguſti adhibito ei incenſo thuris anima de ergaſtulo carnis abſoluta ab Angelis cum odore ſuavitatis in requiem deducitur; Ubi ſicut pro certo credimus perpetuò in bonis demorabitur. Nam & poſtea cuidam beatæ fœminæ de hoc ſeculo migraturæ, pridie ante ſuum obitum in extaſi raptæ, præmia quæ deſeruiſſet, & quorum ſanctorum conſortia meruiſſet Dominus dignatus eſt præmonſtrare in præſentiâ S. Mariæ genetricis ſuæ, ubi præfatum Waltardum & Daginonem Archiepiſcopos cum aliis multis pſallentes & nimia luce ſplendentes conſpexit, quos & ſibi indulgentiam peccatorum imprecantes audire meruit. Itaque ſolutis viſceribus, & intra Eccleſiam ibidem ſepultis, corpore verò præparato & altari præſentato memoria defunctorum agitur & ad curtem Coniri ipſo die deducitur. Inæſtimabili autem miſeria & luctu plangente familia & præcipue orphanorum, quorum pater erat, turba, Judæorum quoque quamvis infidelium merenti caterva, illi occurritur. A clero etiam & amicis longe obviam procedentibus & omnibus cernentibus ſuo fletu dolorem incutientibus Magdeburg ſuſcipitur, & in vigilia S. Mariæ ad dexteram anteceſſoris ſui extra chorum in auſtrali manica ſepelitur. Cujus Epitaphium non lapide, ſed memori & benigno animo eſt prætereundum, quidam venerabilis Epiſcopus illius contemporalis & longo tempore confrater clauſtralis compoſuit his verbis: Waltardus quamvis interpretatur poteſtate durus, ſeverus imperatu, mitiſſimus fuit in occulto, in timore continuo & amore juſto agnovit Deum & proximum; fragilitatem carnis fletus amaritudine crebri & eleemoſinarum largitate ineffabili reſolvit, utraque hic pollens virtute, regi acceptus cunctisque primatibus admodum extitit honorandus, quem ſuus ſenior benedictione & ſolo nomine

 præcel-

præcellebat, verus & compatiens Eccleſiæ ſuæ fortis propugnator erat. Sine omni jactantia convicinis plurima impendit. Ille ſolus ſibi ſuffeciſſe cunctis innotuit. Hic amicis ſuis familiaribus multum juravit, quod non ob ambitionem, ſed laborantis Eccleſiæ & pene deficientis utilitatem illum expeteret honorem, ad hunc dicens ſe immeritum, & ibi duos eſſe confratres, quos libenter eligeret ſi hoc ullo modo fieri poſſe ſperaret tenax propoſiti ſui vir iſte fuit, laudari ſe non appetiit, nec in alicujus vituperatione culpabilis extitit: Non fuit verboſus, ſed conſcientiæ ſecreto congruis temporibus manifeſtanda contexit. Ineffabilem librorum copiam & ſacerdotalem apparatum cum plurimis ſecularia reſpicientibus contraxit, quæ omnia in ſubitaneo ejus, ſine multorum mutiles manus diſtraxerunt. Poſt cujus depoſitionem nuncius quem Romam direxerat, rediit, deferens pallium cum privilegio miſſum à Papa Benedicto. Moriturus autem nimium conquerendo doluit, quod pro ſuæ prælationis brevitate Clerum & Eccleſias non ordinaverit.

GERO Quintus Archiepiſcopus ſedit annos X. menſem unum, virgam paſtoralem ſuſcepit à rege Henrico, pallium verò à prædicto Papa Benedicto. Defuncto namque Waltardo gratia ſolummodo conſervandæ electionis Theodoricus ejusdem Eccleſiæ Canonicus, vir ſecundum carnem nobiliſſimus, ſcilicet materteræ Thietmari Epiſcopi filius canonicè à Clero & populo fuit electus, & Ericus Havelbergenſis Epiſcopus cum eadem electione ad regem directus, ſed à ſapientiſſimo rege & meliora noſtræ Eccleſiæ proſpiciente non eſt exauditus. Nam eundem Theodoricum ad ſe vocans & per manus ſuſcipiens in vice Geronis Capellani ſui, quem præponere deliberaverat, deinceps habuit, donec poſtea illum Mimigardevordenſi Eccleſiæ propoſuit. In die ergo magnæ ſolemnitatis Thebæorum martyrum rex Magdeburg venit, ſecunda ſolennitas cum tertia, quam nobis advexit, optabili ſcilicet Gerone advenit & in refectorio convocatis fratribus, ſua petitione & ſalvâ in poſteris electione libera, hunc eligi fecit. Qui mox bono initio futuræ bonitatis adfectum demonſtrans in Eccleſia ſeſe primitus altari cum decem manſis tradidit, ſicque communione fratrum acquiſitâ, baculoque à rege accepto introniſatus ab Eido Miſnenſi Epiſcopo & cæteris ſuffraganeis, id eſt, Wigone, Hildewardo, Erico ac Thietmaro unctionem eadem die percepit. Hic ergo cum in pluribus ſeſe rebus bonorum anteceſſorum ſuorum inniti contenderet veſtigiis, maximè in Eccleſiis Dei honorandis, earumque rebus augendis magnificis laborabat ſtudiis. Bonis quoque bonns, perverſis verò erat infeſtus, ſicque mitem ſe pauperibus, ſed aſperrimum iniquis exhibebat divitibus. Nam Arnolpho Halberſtadenſi Epiſcopo Eccleſiam ſuam infeſtanti fortiter reſiſtebat: Bernhardum Marchionem peruaſorem Eccleſiaſticarum rerum ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ, excommunicatum adſtringebat, donec tandem reſipiſcentem & humiliter ſeſe illi dedentem, argentique talenta quinquaginta pro illatione damni promittentem, abſolvebat. Hic præbendam fratrum benignè melioravit, & conſilio fidelium ſuorum Xenodochium, quod primus Otto nuper in villa Rothardeſtorf dicta conſtituerat, commutavit, & facto infra urbem ſanctæ Dei genetricis Mariæ monaſterio, eadem prædia, unde prius egentibus neceſſaria præbebantur, cum bonis per ſe acquiſitis eidem Eccleſiæ afferens præpoſituram eſſe deputavit, aliam præterea Eccleſiam in honore beati Johannis Evangeliſtæ conſtruxit, & dedicavit, canonicisque ibidem Deo ſervientibus de ſua proprietate, unde ſufficiens eis victus ac veſtitus foret donavit. De theſauro etiam quem ab Ottone primo imperatore collectum ſancto Mauritio reperit, domum ipſius variis ornamentis & ædificiis Epiſcopii decoravit. Muros quoque urbis ab eodem imperatore ceptos mirifico ſtudio & opere conſummavit, & ſtatum Eccleſiæ ſuæ omnibus quibus poterat bonis amplificans melioravit; Quem tamen, ut ajebant, in quibusdam reprehenſibilem, omnipotens pater longè ante finem vitæ ſuæ in virga viſitavit, & flagello miſericordiæ ſuæ, id eſt, diuturno pedis languore fatigatum caſtigavit, & quod ſibi in eo diſplicebat, hoc igne tribulationis ad purum, ut ſperamus, excoxit. Deceſſit autem in curte ſua Vadderoth vocata, in parochia Halberſtadenſi ſita, Anno dominicæ incarnationis M. XXII. undecima Calend. Novemb. relinquens poſteris plurima ſuæ induſtriæ monumenta. Erat autem natione Saxo ætate media procreatus de ſtirpe illuſtriſſima. Nam pater ejus Dedo de Woieneſwege dicebatur, mater vero Elica

terror

terror malè potentum, exemplar benevolentium, egregius pietate, & qui omnia vellet ad perfectum ducere. Ordinavit autem Miſnenſi Eccleſiæ Eilwardum quartum, Merſeburgenſi Brunonem quintum, Brandenburgenſi Luſſonem quintum. Juſſu quoq; Henrici imperatoris ordinavit. Unnonem Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum cum conſenſu & auxilio ſuffraganeorum ipſius.

HUNIFRIDUS VI. Archiepiſcopus ſedit annos XXIIX. menſes II. Hic Herbipolenſis Eccleſiæ filius electione generali à præfato Rege Henrico quartus ab eodem nobis datus, cum Magdeburgenſi Pontificio eſt ſublimatus, ab Hildewardo Cizenſi Epiſcopo & aliis ſuffraganeis ordinatus. Pallio autem à Papa Johanne illius nominis XX. donatus. Qui valdè laudabilis vitæ ſtrenuus in ſanctâ religione ſicut bonus bonorum dignus erat ſucceſſione. Sanctuarium majoris Eccleſiæ majus & competentius adjiciens erexit, ſub quo & cryptam conſtruens fundavit, quam & in honore ac feſtivitate beati Kiliani prioris ſui patroni cum Hunoldo Merſeburgenſi, & Godeſchalco Havelbergenſi Epiſcopis dedicavit. Ipſe nihilominus fratrum præbendam augmentavit, eccleſiamque S. Petri & Nicolai à fundamentis ædificavit. Hujus ſicut anteceſſorum ipſis diebus ſæpius oborta eſt contentio inter Magdeburgenſem & Halberſtadenſem Epiſcopos de parochiarum limitibus. Unde cum præfatus Henricus Imperator quodam tempore cum frequentiâ Epiſcoporum & Principum curiam celebraret & rurſus Halberſtadenſis Epiſcopus querimoniam de finibus Eccleſiarum excitaret Hunifridus Archiepiſcopus amator pacis & quietis, petitione & inſtinctu Imperatoris & conjugis ipſius cum conſilio & teſtimonio aſtantium Coëpiſcoporum & principum remiſit Halberſtadenſis Eccleſiæ ejusdem rectoribus quasdam Eccleſias cum villis ad eas pertinentibus, quæ ex antiquis privilegii ſcriptis Magdeburgenſem parrochiam reſpicere videbantur numero XXII. cum quibusdam decimis & prædiis in duabus villis Nendorff & Opplingen, adjiciens etiam ex Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionibus decem manſos, ut omnis clamor & querela, quæ ſuam hactenus Eccleſiam inquietabant tunc & futuris temporibus ceſſarent. Suo etiam admonitu & inſtinctu ab Henrico Rege tertio quinquaginta manſos Eccleſiæ Magdeburgenſi donari impetravit, & quibuſcunq; poterat modis amore pii patris & cura providi paſtoris in grege, ſibi commiſſo & lucro augmentando deſudavit. Corpora quoque anteceſſorum ſuorum id eſt Daginonis & Walthardi, de occidentali choro tranſlata circa Adelbertum & Geronem in medio monaſterii tumulavit, ipſe poſtquam in ſervitute DEI emeritus jam ſenior 2. Calend. Martii Anno Dominicæ incarnationis 1051. requievit in Domino in Villa Vadderoth dicta ſepultus eſt in orientali choro ante gradus Sanctuarii quod ipſe ædificavit. Hic ordinavit Merſeburgenſi Eccleſiæ Hunoldum Epiſcopum, Havelbergenſi Godeſcalcum, Cizenſi Cathelonem, & Epponem, Miſnenſi Rupertum & Theodoricum. Sub hujus quoque tempore Bruno Abbas S. Johannis Baptiſtæ de monte, qui ibidem fratri ſuo Sigisfrido Abbati ad pontificium Monaſterienſe tranſlato, & Marquardo illi in Abbatia ſubſtituto, nec longo poſt defuncto tertius ad ipſum cænobiale regimen ſucceſſerat, qui etiam pariter Merſeburgenſem Abbatiam, ante venerabilem Albwinum laudabiliter rexerat, ipſe nihilominus his duobus monaſteriis abſtractus Epiſcopatui Ferdenſis Eccleſiæ inthroniſatus unanimiter electus. Pro quo idem Archipræſul Hunifridus Magdeburgenſi Abbatiæ Ridagum, Nienburgenſi vero prætatum beatum Albwinum ordinavit. Defuncto quoque Sidago Bernhardum ſeniorem piæ videlicet memoriæ patrem eidem ſubrogavit. Hunifridi Archiepiſcopi anno primo, hoc eſt Dominicæ incarnationis MXXIV. Obiit Henricus Imperator Bawenbergenſis III. Idus Julii, eique ſucceſſit Conradus Spirenſis, ejusdem etiam Archiepiſcopatus anno XVI. hoc eſt Dominicæ incarnationis MXXXIX. Obiit Conradus Spirenſis II. Non. Junii eique ſucceſſit filius ſuus Henricus tertius.

ENGELHARDUS VII. Archi-Epiſcopus. Sedit annos XII. Ille nihilominus ex Clero & Capellanus Henrici Regis tertii, ab eodem ſuſcepit baculum paſtoralis officii, ordinationem ab Hunoldo Epiſcopo Merſeburgenſi, pallium vero miſſione Papæ Leonis IX. De cujus moribus, ut aliqua breviter comprehendam: erat vir omni genere probitatis adornatus, Epiſcopali officio aptiſſimus & omnibus piâ tranquillitate mentis & venuſtate corporis acceptiſſimus. Hic ſingularem coram rege & principibus

cipibus invenit gratiam & excelſiſſimis humilimiſque conformatus, totam Virtutis ſuæ famâ replebat provinciam. Non ſufficimus autem credibiliter enarrare, quàm unico ſincero affectu cum omnibus & ſuper omnes Clerum diligens & extollens honorabat, cui decus & gloria exiſtens, dulcem ei in benedictione memoriam relinquere procurabat. Pro cujus etiam amore & prioris ſervitii remuneratione Henricus Rex quartus cum Agnete Reginâ prædia cujusdam Luderi Canonici ſita in locis Quenſtidi & Hilmeroth, & in aliis XIII. villis, quæ ipſe rex jure hæreditavit, S. Mauritio in fratrum Utilitatem donavit. Talibus & hujusmodi ſtudiis bonus præſul intentus, ſed fragilitati carnis non ſatis, ut fertur, reſiſtens, nec tam, ut ſperamus, inpænitens heu immaturâ & multis lamentabili morte ab hac vita II. Kalend. Septemb. eſt exemptus, qui in Civitate ſedis ſuæ obiit omnium anteceſſorum ſuorum primus, cum quibus & in medio monaſterio pauſat, ſepultus Anno Dominicæ Incarnationis MLXIII. Hic ordinavit Merſeburgenſi Eccleſiæ quatuor Epiſcopos, id eſt, Ezzelum, Offonem, Guntherum, Wernerum. Sed & Eccleſiæ Miſnenſi Reinerum, hujus Epicopatus anno ſexto, hoc eſt, Dominicæ Incarnationis MLVI. Henricus tertius obiit Non. Octob. cui ſucceſſit filius ejus Henricus quartus.

WERNERUS VIII. Archi-Epiſcopus. Sedit annos quatuordecim, inſtitutus à Rege Henrico quarto, ordinatus à Godeſcalco Havelbergenſe Epiſcopo, pallio vero donatus à Papâ Alexandro. Hic annuente Annone Colonienſe Archiepiſcopo ſuo ſcilicet fratre, & Burchardo Halberſtadenſe Epiſcopo ejusdem nepote, per violentiam præfati regis iſti præſedit cathedræ. Quod factum Dei & permiſſione, & tantorum virorum autoritate, licet non præſumamus reprehendere, tamen dolentes pro detrimento per hunc illato noſtræ Eccleſiæ, tam inviolentâ liberâ fratrum Electione, quàm & exteriori utilitate id caveri monemus futuro tempore. Nam Fridericus majoris domus præpoſitus genere & moribus nobiliſſimus, qui duas Capellas Magdeburg conſtruxerat: Unam dormitorio cohærentem, quam & duodecim manſis de ſuâ hæreditate donaverat: Alteram vero in curte ſua dilapſam reædificaverat, Vir bonæ voluntatis & ſtudii plenus, ob omnibus Canonicè fuit electus: ſed in hac ſeditionum tempeſtate & novâ tyrannide, quam ipſe Rex in Saxonia commoverat, eidem homo talis tantusque ſi in his partibus exaltaretur videbatur ſuſpectus. Unde nobis callidè violenterque ſubtractus Monaſterienſi Eccleſiæ eſt prælatus, cui & prædia proprietatis ſuæ in Gerbſtedt / quæ noſtræ ſecum permanſiſſent, conceſſit. In cujus locum noſtræ Eccleſiæ Wernerus velut non metuendus, utpote vir manſuetus & minus acris ingenii, ſurrogatus ſucceſſit. Hic in diebus ſuis Eccleſiam Congregationem S. Mariæ à Gerone factam ob parvitatem ac vilitatem deſtruxit, pro quâ Monaſterium ſatis pulchrum adauctis prædiis ac variis ornamentis ibidem conſtruxit. Ipſo tempore diverſis calamitatibus à præfato Rege Henrico oppreſſa bellis ac diſcordiis civilibus fluctuabat Eccleſia, quem tamen maximè infeſtum patiebatur Saxonia. Anno namque Domini ML. Henrico Imperatore illius nominis tertio in Sylva Hartz apud Botfelt ſubitaneâ morte prævento, Henricus quartus filius ejus infeliciter in hoc ſeculo relictus, regnum patris electione communi ſuſcepit. Quod quia decenter utpote puerulus quinquennis, gubernare non potuit, ipſum cum regni curâ curandum omnium aſſenſu principum mater ipſius Agnes venerabilis Imperatrix accepit. Qui cum in annis Adoleſcentiæ ſuccreviſſet matris ſpernens monita, totis viribus poſt concupiſcentias ſuas ire cæpit.

Ipſo tempore Bremenſi Eccleſiæ præſedit Albertus ſic typo ſuperbiæ turgidus, ut nec in ſeculari nobilitate, nec in ſancta converſatione quemque putaret ſibi æqualem. Ipſe cum in aliquâ ſummâ feſtivitate publicam miſſam rege præſente celebraret, & populo verbum DEI dicturus, ex more locum altiorem aſcenderet, inter cætera quaſi bonos & nobiles in hac terrâ conquerens defeciſſe ſe ſolum & regem (ſe ſcilicet anteponens Regi) dixit de nobilitate remanſiſſe cum duo fratres ipſius iisdem parentibus nati ſtarent præſentes. Et quamvis Apoſtolorum Principis fratris ſui Petri nomen non haberet, ſe tamen eandem quam Petrus habere poteſtatem, vel etiam majorem, quia Dominum ſuum non ut Petrus unquam negaſſet.

Ipſe cuidam in ſuo Epiſcopatu Abatiſſæ, quæ neſcio quid in eum peccaverat, præcepit per obedientiam, ut inter dies XV. hanc præſentem relinqueret vitam, & quia

tunc

tunc ipſa ægrotabat, ille vanus ſuum in ea præceptum impleri poſſe ſperabat, & ſi caſu moreretur mortuam ſuo juſſu volebat ut crederetur. Die vero XV. illa jam ſanitate recuperatâ miſit Epiſcopo legatum, neſcio pro qua causâ: quem ut ille de longe advent autem vidit, ſibi aſſiſtentibus lætabundus dixit: Nunquid mea poteſtas minor in iſta, quam fratris mei Petri fuit in Saphira? Ecce iſta miſera eſt mortua; auctoritate jubente meâ. Sed poſtquam nuncio propius accedente, vivere eam, & ab infirmitate convaluiſſe cognovit, à ſuperbia ſua valde confuſus obticuit. Aliquando, cum (ſicut ſolebat) in curia regis eſſet & menſam Regis quotidie delicatioribus, quam ipſe Rex, epulis oneraret, quadam die cunctis ad cibum pertinentibus præ nimio luxu conſumptis, dapifer ejus nec habebat, quod ex conſuetudine ſua venuſtum ipſique Regi comedendum menſa Regis imponeret. Sed nec erat precium, quo cibum emeret pretioſum, quia in ſimilem uſum totum conſumpſerat argentum. Quod cum Epiſcopus non ignoraret, die illa latitabat, ne eum dapifer invenire potuiſſet, volens, ut ille per ſuam induſtriam quolibet modo perquireret, quod ad menſam ſibi decenter apponeret. Sed ille poſtquam Dominum ſuum diu quæſitum, tandem in capellâ quadam, quo confugerat, eſſe cognovit, ad oſtium Capellæ confidentius pulſans, ſe intromitti poſtulavit. Cujus vocem ut Epiſcopus agnovit ſubito ſe in terram quaſi in orationem proſtravit. Ille ingreſſus, ut eum jacentem conſpexit & eum nec tuſſi nec ſcreatu erigere potuit, tandem ſeſe juxta Epiſcopum velut ſimul oraturus extendit, & ei in auriculam loquens: orate, dixit, ut vobis hodie ſit quod manducetis quod nondum quicquam, quod honeſte ſuper menſam veſtram ponatur, habetis. Epiſcopus velut ab extaſi repente expergefactus, quid, ait, ſtultiſſimè feciſti, qui me à colloquio DEI temerarius abſtuliſti? Si quid frater Transmandus videre meruit, tu vidiſſes, nunquam mihi poſito in orationibus appropinquaſſes. Ille autem præſens aderat & quia talia videbat Epiſcopo placere, Angelos cum eo loquentes in oratione ſe jamdudum dixerat vidiſſe. Erat autem ipſe pictor ab Italiâ. Hic igitur Epiſcopus ubi regem velut infrenem equum per abrupta flagitiorum ruere vidit, ejus ſe lateri familiariter adjungere quæſivit; non ut vitiorum ſpinas, quæ fuerant ortæ, manu ſeveræ auctoritatis radicitus erueret, & virtutum ſemina Epiſcopali prædicatione plantaret, ſed ut germina vitiorum adulationis aqua irrigaret, & ſi quæ virtutum fruges emergerent amaritudine perverſi dogmatis enecaret. Hanc igitur Epiſcopi non Epiſcopali doctrinâ Rex in nequitiâ confortatus, ivit per libidinum præcipitia, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, & qui multorum rex erat populorum, thronum poſuit in ſe libidini, cunctorum reginæ vitiorum. Binas vel ternas concubinas ſimul habebat, nec his contentus cujuscunque filiam vel uxorem juvenem & formoſam audierat, ſi ſeduci non poterat, ſibi violenter adduci præcipiebat. Aliquando etiam ipſe uno ſive duobus comitatus, ubi tales eſſe cognoverat, in nocte pergebat, & aliquando voti ſui mali compos efficitur, aliquando verò vix effugiebat, ne à parentibus amatæ, ſive marito, occideretur. Uxorem ſuam, quam nobilem & pulchram ſuaſionibus principum invitus duxerat, ſic exoſam habebat, ut poſt nuptias celebratas eam ſponte ſuâ nunquam videret, quod & ipſas nuptias non ſponte ſua celebraverat. Ergo multis modis eam à ſe ſeparare quærebat, ut tunc quaſi licenter illicita faceret cum hoc quod licebat, conjugium non haberet. Denique cuidam de ſuis familiaribus, ut peteret reginæ concubitum præcepit, magnumque ei præmium, ſi potiretur eo, promiſit, quod inde illam non negaturam ſperabat, quia juvencula virum experta jam quaſi deſerta vivebat. Regina verò ſub fœmineo corpore cor habens virile ſtatim, de quo fonte conſilium hoc emanaret, intellexit, & primò quidem velut indignata negavit, ſed ſicut ille pertinaciter (ſicut prædoctus erat) inſtaret, quod rogabatur, ore tantum promiſit. Ille gratulabundus rem Regi nunciat, & horam qua perficienda eſſet indicat. Rex vero lætus ad cubiculum reginæ ſimul cum adulterò pergit, ut dum eos pariter commiſceri ipſe videret, eam à ſuo conjugio legaliter abjiceret, vel etiam, quod magis volebat, occideret. Sed cum adulter ad oſtium Reginæ pulſaret, & hoc illa velociter aperiret, Rex timens ne illo prius intromiſſo, ipſe excluderetur oſtium concitus irrupit. Quem regina agnoſcens adultero foris relicto januam citiſſimè clauſit, & ſuis virginibus convocatis, cum ſcamnis & baculis, quæ arma ad hoc collegerat, in tantum verberavit, ut eum ſemianimem relinqueret: Fili

meritricis, inquiens, unde tibi hæc audacia? Ille reclamat, ſe eſſe Henricum, ſe eſſe ipſius maritum, ſe voluiſſe legitimum ejus concubitum: Illa reclamat, hunc non eſſe maritum, qui furtivum quæſiſſet adulterium, ſi maritus eſſet, cur non apertè ad ſuum thorum accederet; Itaque penè usque ad mortem percuſſum de cubiculo ejecit, oſtioque clauſo lectum ſuum perivit. Ille quid ſibi accidiſſet nulli auſus eſt confiteri: ſed ægritudinem aliam ſimulans integrum ferè menſem jacuit in ſuo cubili. Illa enim non capiti, non ventri pepercerat, ſed totum corpus integrâ cute contuderat. Qui poſtquam convaluit, quamvis acriter correptus, antiqua flagitia ſua non deſeruit. Si quam coram eo querelam de qualibet injuriâ feciſſet, & ab ejus regiâ poteſtate ſibi juſticiam fieri poſtulaſſet ſi illius inſaniæ ætas ejus & forma placebat, pro juſticiâ, quam petebat, injuſticiam multiplicè reportabat. Nam poſtquam ipſe in eâ quam diu placuit, libidinem ſuam implevit, alicubi de famulis ſuis eam velut uxorem dedit. Ita nobiles in hac terrâ mulieres, ipſe prius eis turpiter abuſus, ſervili conjugio turpius dehoneſtavit.

Hæc omnia vidit ille falſus & fallens Epiſcopus Adelbertus: vidit, neque prohibuit, imo ſuâ doctrinâ eum, quo ſine timore vel pudore talia faceret, velut adhortando confortavit. Stultum namque, dixit, eſſe ſi non omnibus ſatisfaceret ſuæ deſideriis adoleſcentiæ. Multa & magna in hoc genere ejus flagitia prætereo, quod ad alia alterius generis ipſius ſcelera feſtino: Hoc tantum hic ultimum locum teneat, quòd in eo juſtus Judex inultum non reliquat, ignominia videlicet, quam ſorori fecerat ſuæ, quòd eam manibus ſuis depreſſam tenuit, donec alius ex ipſius juſſu coactus fratre præſente cum eâ concubuit, cui non profuit, quòd Imperatoris filia, quòd ipſius utroque parente ſoror unica, quod ſacro capitis velamine Chriſto fuerat deſponſata. Sed quia nefanda ſtupra, nefandiora generare ſolent homicidia, ſicut ille non unam Bathſebam libidinoſus ſtupravit, ita non unum Uriam crudelis interfecit. Tot enim in homicidiis immania perpetravit facinora, ut dubium ſit, quæ major ſit ejus infamia, libidinis inceſtæ, an crudelitatis immenſæ? Omnibus erat horribiliter crudelis, ſed nullis ita ut familiariſſimis ſuis. Qui omnium particeps erat ſecretorum ejus, & conſcius vel adjutor flagitiorum ſive facinorum, dum ſecurus ſui de aliorum morte tractanti favebat, coactus eſt mortem pati, quam non timebat. Et hoc pro qua culpa? Quia unum contra ejus voluntatem dixit verbum vel tacens aliquod conſilium ſibi non placere geſtu quolibet oſtendit. Multos namque conſiliarios habebat, ſed nullus ei dare conſilium audebat, niſi quod ipſi placeret. Si quis vel inſcius aliquid, quod nollet, ei conſulebat, delictum quod ignoranter egerat, ſui ſanguinis effuſione luebat. Nec alicui ſuam demonſtrabat iram, donec incauto faceret auferri vitam.

Quidam de ſecretariis ſuis nomine Conradus juvenis nobilitate & moribus inſignis, ſi hoc ſolum DEUS ei dediſſet, ut conſiliarius Regis nunquam fuiſſet. Hic erat quadam die Goslariæ, certus ſe tam bene gratiam Regis habere, ſicut tunc, cum eam habebat optime. Rex autem erat in Hertesburg caſtello, quo præter eos, qui facinorum ipſius erant conſcii & fautores, nullus, niſi nomine vocatus, aſcendebat. Mittit igitur Rex Goslariam, jubens ut Conradus ad ſe citiſſimè veniat, & nullum præter armigerum ſuum, qui ſe comitetur, aſſumat. Ille ſe putans ad aliquod conſilium, cui nulli præter ſe liceret adeſſe vocari, ut fidem ſuam majorem oſtenderet, etiam plus quam juſſus, fuiſſet, & ipſe ſuus armiger factus, cunctis incomitatus equitavit. Ergo veniens in ſylvam vidit inſidias, nec credidit eas ſibi paratas, tamen quod, utpote ſolus, tantam multitudinem timuit, Eccleſiam, quæ prope erat, celeriter petivit. Burchardus Miſnenſis præfectus, hujus latrocinii ductor nequiſſimus, ad Eccleſiam ſequitur, eique, ſi velit egredi, quòd nihil mali patiatur, in ſua fide pollicetur. Ille quamvis ei nullam fidem haberet, tamen ſciens, quod ſi ſponte non exiret, Eccleſiæ non parcerent, exivit, ejusque ſe fidei commendavit. Quem ducentes in ſolitudinem, ſicut erant juſſi, crudeliter interfecerunt, nec in ipſâ morte ei, quare moreretur, indicaverunt. Nec unquam verè cognovit aliquis, quare fuiſſet occiſus, niſi quidam muſſitabant, quod illi Rex imponeret, quod cum quadam concubinâ ſuâ jacuiſſet. Sed Rex ut ſuſpicionem mortis ejus à ſe tolleret, auctores ejusdem mortis, quos ad horam latitare juſſerant, perſequi ab omnibus amicis ſuis imperat: & illum ſepelire in loco fecit honorabili, ipſeque ejus ſepulturæ triſtis interfuit, & (ut ad omnia ſimulanda doctus erat) non parum lachrimarum fudit. Sed tamen nulli, quin eſſet (ſicut erat) præcepto regis occiſus, credibile fuit.

Fama

Digitized by Google

Fama fuit, quod quendam de familiaribus adoleſcentem nobiliſſimum ſua manu, dum quaſi jocaretur, interfecerit, & eo furtim ſepulto, in craſtino quaſi pænitens ad ſuum Magiſtrum Adelbertum Epiſcopum venerit, & ab eo ſine ullâ ſatisfactione indulgentiam perceperit. Sed quia hujus rei veritatem mihi non contigit agnoſcere, placuit mihi, eam inter ambigua relinquere, quamvis omnibus penè verſaretur in ore.

Nobilis autem quidam de familiaribus regis, qui aliquando de curia venit ad fratrem ſuum (frater autem ille Epiſcopus erat) & quaſi jactando fratri ſuo narrabat, quod nullus eſſet in curiâ, qui magis, quam ipſe, eſſet in regis gratiâ. Quod cum libenter audiret frater ejus, Epiſcopus, eumq; diligenter admoneret, ut gratiam Regis omnibus modis ſervare quæreret, quia & ipſi honeſtum & omnibus ſuis utile eſſet: Facerem, dixit ille, ſi ſimul cum gratia terreni Regis poſſem tenere gratiam cæleſtis. Sed veraciter, inquit, agnovi, quod ſi quis hujus Regis familiariter habet gratiam, habere non poterit æternam vitam. Igitur paulatim ſe ſicut prudens à curia ſubtrahebat, & jam minus & minus ad ſecreta Regis accedebat, & nec omnino aberat, nec ſicut erat ſolitus frequens aderat. Quem ubi Rex minus vidit in ſuo ſervitio, cauſam quare faceret non inquirit: nec ei quicquam malæ voluntatis oſtendit: Sed ſuo jam volens parcere freno, quærebat eum perdere enſe alieno. Itaque pro causâ fictâ vel verâ neſcio miſit eum ad Regem Ruſſiæ. Quam legationem ille libenter accepit primum quòd per hoc quaſi probavit, ſe à gratiâ Regis non abeſſe, cui ſecreta non dubitaret, ut antea, credere: deinde quia ſperavit ſe legationis hujus labore meriturum, ut legatione proſperè factâ reverſus, non parvum à Rege deberet accipere beneficium: nec hæc fuit minima cauſa, quod libenter aberat à curiâ. Igitur perrexit, nec, adhuc quid de ſe diſpoſitum fuiſſet, intellexit. Poſt aliquot vero dies, cum veſpere declinaſſet in diverſorium, jubet ſibi bonum parari convivium: Cumque jam comites ejus aliquantulum bibiſſent, exilivit Sclavus quidam vilis perſona, & neſcio quid, dixit, eſt; quod ego porto, quod Epiſcopus Eppo mihi dedit, & ut Regi ad quem miſſus vadis darem præcepit. Quod cum ille ſibi monſtrare rogaret, protulit Sclavus Epiſtolam Regis imagine ſigillatam. Ille nil moratus ſigillum fregit, clericum ſuum quid illæ literæ vellent, exponere ſibi præcepit. Clericus legit, & expoſuit. Hic autem ſenſus erat in literis: Scias in hoc te maximè, qualis amicus mihi ſis, poſſe monſtrare, ſi hoc effeceris, ut iſte meus nuncius nunquam in regnum meum poſſit remeare, quod utrum æterno carcere, vel potius efficias morte, nihil puta differre. Literis itaque conſumtis igni, ipſe lætus iter ſuum peregit, legationem prudenter implevit, non parvo munere donatus rediit, Domino ſuo Regi regalia dona portavit.

De quodam intimo ipſius conſiliario, cujus vocabulum, ſicut aliorum multorum ſponte prætereo, rem comperi, quam idcirco hic placuit inſeri, quia duo non minima continet in ſe Regis vitia, quæ ſunt videlicet crudelitas & luxuria. Hic cum non eſſet ortus à Saxonia, duxit uxorem natam à Saxonia, virginem tam formoſam corpore, quam & nobilem genere. Rex ipſe eam illi à parentibus ejus impetravit, Rex ipſe nuptiis interfuit, ſed dubium utrum magis pro ſponſi honore, an pro amore ſponſæ. Nondum illa deſponſæ virginalis pudicitiæ pudorem depoſuit, cum Rex omni pudore depoſito, ut eam ſibi ad lectum ſuum mitteret, ipſum ſponſum petivit. Cum nec illam rem, dixit ille, nec ipſam vitam vobis unquam velim negare; hæc ſola res eſt, quam nec vos decet à me petere, nec ego poſſum vobis concedere, Rex magnus diſſimulator, dolorem quem in corde magnum habuit, nec vultu, nec verbis oſtendit, poſt non multos autem dies, cum ille jam ſecurus nihil ſibi timeret, Rex mediâ nocte fere miſit ad eum præcipiens, ut ſolus ad ſe veniret; Ille quamvis more Regis cognito certus eſſet, quòd in ipſa nocte mori debuiſſet, tamen, quo jubebatur, ivit, ſed prius loricam triplicem ſubtus tunicam induit. Cumque ad veſtibulum regii cubilis veniſſet, ecce duo gladii ad duo latera ejus affixi, in mediis ejus viſceribus ſibi obviarent, niſi ejus thoracis fortitudo repuliſſet. Ille tamen ad Regem pervenit, & ei qualiter ante cubile ejus ſuſceptus eſſet indicavit, cui Rex præcepit, ut ſi deinceps vivere vellet hoc ab eo nullus ſciret.

Omnibus his malis hoc malum ſuperaddidit, quod cæteris omnibus malis & antiquis firmamentum, quo vigerent, & novis, quo ſurgerent, initium dedit. Epiſcopos enim non pro qualitate meritorum ſecundum canonum decreta conſtituit, ſed ſi quis majorem pecuniam dedit, ut ipſe major ejus flagitiorum adulator extiterit, hic dignior quolibet Epiſcopatu fuit. Cumque alicui ſic Epiſcopatum dediſſet, ſi & alius plus daret, vel ejus magis facinora laudaret, illum priorem quaſi Simoniacum fecit deponi, & iſtum ſecundum quaſi ſanctum in eodem loco conſecrari. Unde contigit, ut multæ Civitates in illis temporibus duos Epiſcopos ſimul haberent, quorum venter Epiſcopi vocabulo dignus eſſet. Bambergenſem epiſcopatum tam rebus externis divitem, quàm ſapientibus perſonis intus venerabilem cuidam mangoni dedit, immo pro inæſtimabili pecuniâ vendidit, qui melius ſciebat nummos monetæ cujuslibet æſtimare, quam textum cujuslibet libri, ne dicam intelligere vel exponere, ſaltem regulariter pronunciare. Qui cum in ſacro officio Vigiliæ paſchalis, primum ex more lectionem coram ſapientibus Clericis pronunciavit: terra autem erat inanis & vacua, ipſe nimirum, licet bipes, vacca bruta & omni probitate vacua, ipſe tamen, quamvis nec ſuo, nec Eccleſiæ, quam ipſe quaſi regendam acceperat, auro parceret, ut gratiam Regis obtineret ipſo Rege conſiliante deponitur, & Epiſcopatus alii datur, non qui vita & ſapientia ſit Epiſcopatu dignior, ſed qui Regis flagitiorum major in omnibus fuiſſet aſſentator.

Inter hæc omnia jam abeunte adoleſcentiâ, mox ut Adelbertum Bremenſem Epiſcopum nactus eſt Conſiliarium ipſius ſuaſionibus cæpit in diverſis locis altos & natura munitos montes quærere, & in his hujusmodi caſtella fabricare, qui in locis competentibus ſtarent, ingens regno firmamentum & ſimul ornamentum forent. Quorum primum & maximum Hartesburg appellavit, quod ita forti muro & turribus, & portis exterius munivit, ita regalibus ædificiis intus adornavit, tale monaſterium in ipſo conſtruxit, tales ornatus in ipſo monaſterio collocavit, tales & tot clericos illuc undique congregavit, ut aliquot Epiſcopales locos omni ſuo apparatu æquipararet, aliquot etiam tranſcenderet. Quicquid ornatus Eccleſiaſtici quemlibet Epiſcopum magis decorum videbat habere, ſive præcepto, ſive precibus acceptum ſuo monaſterio ſtudebat conferre; Cætera vero Caſtella non tam pulchra, quam fortia eſſe laborabat, Beatus & valde Beatus eſſet, ſi munitiones easdem contra paganos erexiſſet. Nam ipſi jam dudum aut omnes fuiſſent Chriſtiani, aut Chriſtianis principibus in perpetuum tributarii. Sed hæc caſtellorum diverſis in locis conſtructio primò noſtratibus puerilis Ludus videbatur, quod nondum ejus intentio mala cognoſcebatur. Et non ſolum ea fieri, nihil adhuc periculi timentes, cum jam poſſent, non quaſi prohibebant, verum etiam ex hoc eum fore contra nationes exteras bellicoſum quaſi divinantes, ad ipſas ædificationes eum vel opibus vel operibus adjuvabant. Poſtquam vero præſidia in ipſis Caſtellis collocata, cæperunt in circuitu ſuo prædationes agere, non ſuos labores in ſuos uſus comportare, liberos homines ad opus ſervile compellere, filias vel uxores ludibrio habere, tunc primum, quid illa Caſtella portenderent, intellexerunt, nec tamen adhuc reſiſtere vel ſe defendere præſumpſerunt. Tantum illi qui lædebantur, querelas occulte faciebant apud illos, qui longius à Caſtellis remoti, nihil adhuc mali patiebantur. Illæſi verò, dum læſis auxilium ferre negligebant, tyrannidi vires in ſe ipſos tribuebant. Nam ab Agricolis ad militares, à terræ fructibus ad libertatem adimendam aſcendit; & Fridericum de Monte, qui inter liberos homines vel nobiles eximius habebatur, famulum ſuum eſſe, Rex aſſeruit. Wilhelmum quoque qui propter nimium cultum ſui Rex de Lotheslovo appellatur, tantâ crudelitate proſequitur, quia multa ei erant prædia, ſed non multa ſapientia, ut propter hos duos ab omni Saxonia præcipue facta ſit adverſus Regem conjuratio, quamvis ab ipſis duobus peſſima reddita ſit retributio. Nam poſtquam Saxones omnes manifeſtum jam contra Regem bellum cæperunt, illi duo fidei juratæ obliti, primi relictâ patriâ transfugæ, viles ad hoſtes defecerunt. Hoc vero poſtea patebit. Gens verò Suevorum auditâ Saxonum calamitate, clam legatos ſuos ad illos miſit, & fœdus cum eis fecit, ut neuter populus ad alterius oppreſſionem Regi ferret auxilium. Volebat enim Rex etiam Suevos violenter opprimere, aut ſibi de prædiis ſuis redderent tributa, compellere. Quod fœdus Saxones ſi fi-

deliter

deliter ſervaſſent, & ab infamia perfidiæ, & à magnâ parte calamitatis liberi fuiſſent.

Sigisfridus Magontinæ ſedis Archipræſul Wernero Magdeburgenſi, & Burchardo Halberſtadenſi Epiſcopis literas querimoniâ plenas miſit, quòd Rex in Epiſcopatu ſuo loca prædationibus faciendis apta elegiſſet, poſitisque inibi Caſtellis & præſidiis, multa mala rebus ſuæ Eccleſiæ faceret. Rogavit etiam in iisdem literis, quatenus ſe cum Annone Colononienſi Archiepiſcopo fideliſſimo fœdere conjungerent: Non quod qualibet inimicitia diffiderent, ſed quòd non talis amicitia eos fideliter adunaret, ut uterque alteri ſecreta ſua credere, ſicut vellet, auderet. Hoc autem omni regno fore neceſſarium quod ſi illi duo qui majores erant in regno fideliter in unum convenirent, in multa ſecuritate totum Regnum conſtituere poſſent. Hoc vero illos duos Epiſcopos eo facile efficere poſſe quo alter eorum, ſcilicet Magdeburgenſis eſſe frater alter vero conſobrinus ſuperius nominati Colonienſis Archi-Epiſcopi. Eandem querimoniam fecerunt ad invicem omnes penè regni Teutonici principes; Sed tamen nullus palam audebat fateri, tanto Rex omnibus erat terrori. Sic quamvis ſoli Saxones hòc apertè viderentur incipere bellum, tamen non in ipſorum ſolummodo fuit conſilio inceptum. Qui cum tot & tantas calamitates & contumelias ſinguli paterentur, dum quisque ſuum tantummodo vulnus dolebat & intactus adhuc vulnerato non condolebat, communi malo non reſiſtebant communi Conſilio. Rex damnum univerſale diſponebat, & ad hoc quælibet impedimenta repellebat, & auxilia, quibus ſua mala voluntas impleretur, undecunque quærebat; illi vero putantes ſpeciale malum contra communem perniciem, nulla defenſionis inſtrumenta parabant, ille, qui facilius cunctos, ut volebat, oppримeret, prius illos, in quibus eorum virtus maxime ſtabat ſingulos labefactare tentabat. Ottonem denique virum prudentem & fortem, qui natus de Northeim à Saxonia dux erat in Bavaria omni Calliditate deponere quærebat, quod illum cum omnibus Bavaris Saxones adjituros non dubitabat. Ergò quendam nomine Eiunonem præter audaciam nihil virtutis habentem, pretio conduxit & promiſſionibus ſollicitavit, ut Ducem de Regis morte ſecum tractaſſe diceret, & hoc ſe, ſi negâret, ſingulari bello probaturum promitteret. Itaque certaminis illius conſtituto die Otto ab amicis ſuis Epiſcopis & Principibus aliis præmonetur, quod ſi Goslariam veniret, ubi duellum fieri debebat, etiamſi adverſarium ſuum vinceret, tamen inde cum vitâ non rediret. Elegit ergo honore ſuo potius injuſte privari, quam tale judicium ſubire, ubi ſciebat ipſi juſtitia violentiam fieri: igitur ad ſua receſſit, & aſſociato ſibi Magno Duce Saxoniæ, per duos fere annos cum Rege bellum crudele geſſit. Deinde conſiliis amicorum coacti, cum ſe regiæ traderent poteſtati, Rex Magnum Ducem per integrum biennium in carcere tenuit, ita ut nullus in hòc tempore ſciret, utrum viveret, vel ubi eſſet

Poſtea Legatos ad Regem Danorum miſit ultra mare, eumque ſibi ad Bardanwick rogavit occurrere, quod & ipſe cum paucis perrexit, cum nulla fama teſtetur, quod nullus Rex ante eum in illas partes pervenerit. Regem illum ibi obvium habuit, cum eo ſecretum colloquium fecit, cui colloquio præter Epiſcopum Adelbertum & unum de Regiis conſiliatoribus nullus interfuit, ipſum tamen colloquium non diu latuit, quia ille, qui cum Epiſcopo ſolus aderat, cum conſilium, quod ibi fecerunt, prohibere non poſſet, illud, quod poterat, effecit, quod principes Saxoniæ quorum intererat, ipſum conſilium non lateret; Rex enim Danorum Regi Henrico juravit, ut ei contra omnes hoſtes ſuos, & nominatim contra Saxones, quantum poſſet, terra marique auxilium ferret, & Rex Henricus illi promiſit, ut ei cunctas regiones ſuo regno contiguas in proprium daret.

Igitur illo colloquio finito, & Danorum Rege reverſo Rex etiam caſtellum Luniburgum, quod ibi prope erat, conſideravit, cujus munitione perſpectâ, in ejus cupiditatem ſuo more vehementer exarſit, quaſi ſi illud in poteſtate ſua teneret, nullus in illis partibus ſibi reſiſtere potuiſſet. Illud autem caſtellum magni Ducis ſemper parentum fuerat, & ad ipſum ſuumque patruum Hermannum, tunc hæreditario jure pervenerat. Ex paucis ergo, quos habebat ſecum fideliſſimos LXX. dimiſit in illo caſtello, qui etiam ipſum totamque regionem circa compellerent regio parere ſerviliter

viliter imperio. Sed his temere ingreſſis Hermannus Dux, dum Rex è finibus ſuis fuiſſet egreſſus, exſpectat, & mox ipſum caſtellum, cum multâ virtute circumdat. Illi quid facerent? Caſtellum quidem forte, & cunctis (niſi ſoli fami) inſuperabile, ſed propter paucos panes, quos diſcedentes monachi reliquerant, nihil quod manducari poſſet, habebat, fames eos Caſtellum relinquere jubebat, ſed obvia ferri Virtus eos exire non ſinebat; Paucis autem non erat tutum cum exercitu venire in prælium. Deditionem ergo Comiti Hermanno offerebant, ſed ille, niſi Magnus Dux filius fratris ſui rediret, nullum iſtorum abiturum dicebat. Quo comperto, Rex multas anguſtias habuit, nec quid ſibi fuiſſet utile, facile excogitare potuit; illos obſeſſos per vim liberare non potuit, quod de Saxonibus (quos offenſos habebat) exercitum congregare non credidit, de gentibus verò aliis ſuæ ditioni ſubjectis, eam multitudinem, cui illuc tutum ire eſſet, non habuit. Ducem reddere noluit, quòd dum illum in vinculis tenebat, ſecurus à bello Saxoniæ fuit. Solus enim timor, ne ille occideretur, fecit, ut tot injuriis acceptis bellum non inciperent. Tot autem fideliſſimos ſuos, inter quos etiam erant, qui nobiles cognatos habebant, & fortes, ſi perire dimitteret, nullum ultra fidelem ſibi inveniret, & tutum tempus ab eorum propinquis nullum haberet. Reddidit ergo Magnum Ducem, & ſuorum fidelium recepit multitudinem. Inde natum proverbium per totam Saxoniam divulgatur; Quod unus Saxo LXX. Suevis ematur, vel LXX. Suevi uno Saxone redimantur.

De reditu Ducis Magni quanta fuiſſent omni Saxoniæ gaudia, Tulliana non poſſet explicare facundia, non magis de illo gauderent, ſi illum à morte redivivum accepiſſent. Quoniam eum nunquam ſe viſuros deſperaverant, tanto eum videntes vivum majore lætitiâ tripudiabant: Nec ſolùm ſui vel cognati, vel clientes ejus de ſalute plaudebant, ſed omnis omnino populus omnipotenti Deo, qui eum mirabiliter liberaverat, laudes unanimiter reddebat. Quem enim patruus ſuus inæſtimabili prædiorum ſuorum pecuniarumque pretio redimere non valuit, hunc divina pietas eo modo, quem humana prudentia nunquam poſſet excogitare, liberavit. Itaque nihil fere ſonabat jam ex ore totius Saxoniæ, niſi DEo gratias de Magni Ducis admirabili liberatione: Illi qui nunquam eum viderant, pro ejus ereptione non minores, quam ſi de ejus genere vel familia fuiſſent, DEo gratias agebant.

Deinde cum primum feſtivitas Apoſtolorum, Petri videlicet & Pauli propinquaret, præcepit Rex, ut univerſa Principum Saxoniæ multitudo Goslariam conveniret, ut ſiquid de communibus regni negotiis agi dignum emergeret, hoc ipſe communi Principum conſilio tractaret, omnes illuc alacres feſtinabant, quòd calamitatum, quas Saxonia diu tollerabat, aliquem terminum fore ſperabant; Igitur feſtivitate celebriter celebratâ, cum dies ad cauſas agendas ſtatuta veniſſet, Epiſcopi, Duces, Comites, cæterique ad palatium primo diluculo congregantur, ibique ſedentes donec ad ſe Rex egrediatur, vel ad ſe jubeat eos intrare nequicquam operiuntur. Nam ille cubilis ſui foribus clauſis, intus cum ſuis paraſitis, aleis vel cæteris rebus nugatoriis operam dabat, & tot magnos homines ad ſuam januam excubare, quaſi mancipia viliſſima nihili pendebat. Tota dies illa tranſiit, nec ipſe, nec aliquis vera portans, nuncius ad eos exivit. Cum jam nox facta fuiſſet, quidam de paraſitis ejus egreſſus, Principibus irriſorie dixit: Quamdiu ibi vellent exſpectare, cum Rex per aliam januam ad urbem ſuam veloci curſu properaret; Ibi ſunt omnes adeo turbati, qui tanto fuerant habiti à Regis ſuperbia contemptui, ut niſi Dedo Marchio ſuâ prudentia, eorum furorem compeſceret, eadem hora Regi pariter omnes omni projecto timore manifeſto renunciarent. Illa dies principium omnium, quæ ſequuntur, malorum fuit. Eadem namque nocte principes omnes parum pranſi, cum ſingulis, quibus optime credebant, in unam Eccleſiam, cum omnes cæteri jam dormirent, ex condicto convenerunt, ibique non paucis prius lachrimis effuſis melius ſibi fore mortem quamlibet pati, quam talem vitam in tantis calamitatibus & contumeliis vivere dixerunt. Conſtituto itaque die & loco, quo omnes cum Saxonibus convenirent, & de libertate communi, quam ſibi videbant ereptum iri, communiter agerent, ita ſunt ſinguli ad ſua reverſi, quaſi nunquam amplius ad Regis ſervitium venturi: Igitur non longo tempore transacto, magni, parvique, ſicut conſtitutum fuerat, ad villam, quæ Nockmelslovo vocatur, omnes convenerunt: Cur

autem

autem tam magnus conventus, in parvo loco factus fuiſſet, non omnes agnoverunt. Tunc Otto, qui Dux olim fuerat, ſed adhuc Ducis nomen habebat, omni congregata multitudine, collem, à quo loquens ab omnibus audiri poſſet, aſcendens, fieri ſilentium poſtulavit, quo facto, cum omnes arrectis ſtarent auribus, hujuſmodi ſermonem incepit:

Quare vos, ô milites optimi, principes veſtri tam frequentes in hunc locum convenire rogaſſent, licet ſinguli omnes fere agnoviſtis, tamen, ut nullus veſtrum ſit qui ſe neſcium poſſit aſſerere, viſum eſt nobis, ut univerſi cauſam pariter agnoſcatis. Calamitates & contumeliæ, quas ſigillatim vobis omnibus Rex noſter jam per multa tempora fecit, magnæ ſunt & intollerabiles; Sed quas adhuc (ſi DEUS omnipotens permittet) facere diſponit, multo majores ſunt & graviores. Caſtella fortia (ſicut vos ſcitis) in locis naturâ munitis plurima conſtruxit, ibique ſuorum fidelium multitudinem non modicam, univerſis armorum generibus inſtructam, collocavit.

Quæ caſtella, cum non contra paganos, (qui noſtram terram, quæ ſibi confinis eſt, totam vaſtaverunt) ſint fabricata, ſed in medio terræ noſtræ, ubi nemo ei unquam bella cogitabat inferre, tanto molimine ſint munita, quid portendant, & ex parte jam plurimi eſtis experti, & niſi miſericordia Dei veſtraque virtus prohibuerit, citò omnes experiemini. Bona veſtra, qui juxta manetis, vobis invitis in ipſa caſtella deportantur, filiabus veſtris & uxoribus pro ſuâ libidine, quando volunt abutuntur, veſtros ſervos & jumenta quicquid volunt ſibi ſervire præcipiunt, immo & vos ipſos in liberis humeris veſtris quælibet onera, licet fœda, portare compellunt. Sed quando, ea quæ futura ſunt, mente concipio: Iſta, quæ nunc toleratis, tolerabilia puto. Poſtquam enim ſua caſtella, per totam terram noſtram pro ſua voluntate conſtruxit, & ea militibus armatis, ex rebus cæteris ad hoc negotium pertinentibus inpleverit, tunc non amplius jam veſtra bona particulatim diripiet: ſed univerſa, quæ poſſidetis, vobis ſimul eripiet: & hominibus advenis veſtra bona largiens vos ipſos liberos & ingenuos ignotorum hominum ſervos præcipiet eſſe. Quæ omnia nunquid in vos fieri patiemini, fortiſſimi Viri? nonne emori præſtat per virtutem, quam vitam miſeram & inhoneſtam, ubi illorum ſuperbiæ Ludibrio fueritis, per dedecus amittere? Servi ære parati injuſta imperia dominorum non perferunt, & vos in libertate nati æquo animo ſervitutem tolerabitis? fortaſſe quia Chriſtiani eſtis, Sacramenta Regi facta violare timetis. Optime, ſed Regi. Dum mihi Rex erat, & ea, quæ ſunt Regis faciebat, fidelitatem, quam ei juravi, integram & impollutam ſervavi: Poſtquam Rex eſſe deſivit, cui fidem deberem ſervare non fuit, itaque non contra Regem, ſed contra injuſtum meæ libertatis ereptorem: non contra patriam, ſed pro patria, & pro libertate mea (quam nemo bonus niſi cum anima ſimul amittit) arma capio &, ut vos ea mecum capiatis, expoſtulo. Igitur exſpergiſcimini, & hæreditatem vobis à parentibus veſtris relictam, liberis veſtris relinquite: Nec veſtra ſocordia vel deſidia vos & liberos veſtros exulum hominum ſervos fieri permittite. Sed ne cuiquam veſtrum cauſa non ſatis vehemens videatur, quâ adverſus Regem arma capiamus, præcipue nos, qui eum ab infantiâ in terra noſtra nutrivimus, & ei præ cæteris gentibus ſuæ ditioni ſubjectis fideles magis extitimus unus quoque ſuas, quas ab eo paſſus eſt injurias, coram nobis omnibus exponat; & tunc, utrum ſatis magna neceſſitas nos ad injnrias repellendas cogat, judicium commune decernat.

ERGO WERNERUS Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus Civitatem ſuam bis à Rege cædibus & prædationibus invaſam dicebat; & præterea communes injurias ſe non minus dolere, quam ſuas, aſſerebat, & eis, quaſi ſolus omnes fuiſſet paſſus, obviaturum ſe promittebat. Burchardus præſul Haberſtadenſis querebatur, quod prædia cujusdam nobilis viri, cui nomen Bodo, quem jure deberent Eccleſiæ ſuæ, Rex ſibi abſtuliſſet injuſtè. Otto Dux querimoniam fecit, quod Ducatum Bavariæ, quem diu juſtè poſſederat, Rex ſibi in nullo crimine convicto fraude quadam excogitatâ injuſtè rapuerit. Dedo Marchio de prædiis ad ſe jure pertinentibus, ſibi per injuriam ablatis, fecit querelam. Hermannus Comes, quod nuper erat factum narravit, quòd urbem ſuam Luneburg hæreditate relictam callidè Rex occupavit; & ſi eam retinere potuiſſet, totam illam regionem, quam ſibi parentes jure dimiſerant, non regiá poteſtate

ſtate, ſed injuſta poſſidere voluit. Fredericus Comes palatii conqueſtus eſt, quod beneficium, quod de Abbatia Heroldesfelde magnum habuerit, injuſta ſibi juſſione Regis ablatum, centum manſis agrorum à Rege redimere volebat, nec valebat.

Fredericus de Monte & Wilhelmus Rex agnomine; quorum priori libertatem, alteri Rex eripere voluit hereditatem, uterque per ſe querelam faciebat, quæ cunctos plus aliis querimoniis ad miſericordiam commovebat; quod in illis duobus quid univerſis facere cogitabat, æſtimabant. Quod ſcilicet omnibus, ſi poſſet, libertatem ſimul & poſſeſſionem auferre diſponebat. Deinde cæteri ſuas quisque proferebant, quas erat paſſus injurias: ad quas commemorandas nec pagina ſufficit, nec memoria. Omnes autem, qui ibi convenerant, (convenerat autem maximus exercitus) ſigillatim juraverunt, Epiſcopi quidem ut quantum ſuo ſalvo ordine poſſent, totis viribus Eccleſiarum ſuarum, nec non & totius Saxoniæ libertatem contra omnes homines defenderent. Laici verò, ut quamdiu viverent, libertatem ſuam non amitterent, terramq; ſuam nullum deinceps violenter prædari permitterent. Nec multo poſt recta via ad Hartesburg, ubi Rex erat; cum magno exercitu perrexerunt, & contra urbem ita ut non poſſent violari, caſtra poſuerunt. Quod cum Rex vidiſſet, ſubito quidem ſtupore perculſus expavit: Sed ut erat diſſimulator, quaſi nihil timens, nuncios miſit, qui dicerent; Se non parum mirari, quid vellet tanta congregatio populi, ſe non putare, quód contra eos quicquam meruiſſet, quare merito civile bellum incipere debuiſſent, diſcedere eos ab armis. Si quid querendum habeant, ſe paratum animo pacato cognoſcere, & ſi quid ſit corrigendum, conſilio principum & amicorum ſuorum corrigere. Nuntii autem erant Fredericus Epiſcopus, Bartholdus Dux, Sigfridus Regis cappellanus; Nam mortuus erat nuper Adelbertus Bremenſis Epiſcopus; Quibus omnium Saxonum dedit Dux Otto reſponſum; Se non hoſtili animo; nec ut civile bellum vellent incipere, ibi eſſe congregatos: ſe Regi, ſi Rex eſſe vellet, omni fidelitate ſervituros: ſe petere, ut caſtella, quæ non ad munitionem regni ſed ad deſtructionem fabricaverat, vellet deſtruere: ſi verò nollet, tunc ſe intelligere quare conſtructa fuiſſent: ſe libertatem ſuam ſive vel bona ſua contra omnium hominum violentiam cum divinæ pietatis auxilio velle defendere. Cumque nuncii reverſi Regi talia retuliſſent; ipſique quamvis multum tentarent, ei quo rogata faceret, perſuadere non potuiſſent; ipſe jam nec amicis, familiaribus, quod non, ut volebat, conſilium dederant, fidem habuit, ſed omnibus ſemotis, ſolus ſecum quid ageret deliberans, cum nec honeſtum putaret; ut quaſi vi coactus ſubitò caſtella ſua per multos annos conſtructa deſtrueret, nec tutum crederet, ut cum paucis, quibus etiam jam minus credere cæperat, cum tantó exercitu ad omnia parato; placitum aliquod adiret; paucis quibus ipſum caſtellum commendabat, ſcientibus, noctu Saxoniam deſeruit, & per confraga ſilvarum (quæ ſæpe, dum locos caſtellis quæreret peragraverat) fugiens, ad Franciam Orientalem paucis comitantibus venit. Cujus fugam ut principes qui cum eo erant agnoverunt, malè ſe deſertos dicentes, ad ſua quisque ſimili fuga feſtinaverunt. Hæc autem fuga facta eſt Anno ab incarnationis Domini MLXXIII.

Poſtquam vero Regis fugam, quæ diu celari non poterat Saxones agnoverunt, nil morantes, eos qui hoc caſtellum, quod facile deſtrui non poterat, obſiderent, ibi reliquerunt; cæteri verò ad cætera deſtruenda, quæ non adeo erant fortia, perrexerunt: Quidam autem ex ipſis ad Thuringos tranſierunt, & eis totam rei ſeriem innoteſcentes ipſos in ſuam ſocietatem Sacramentis datis & acceptis adjunxerunt. Quicunque etiam prius, dum Rex erat in provinciâ ſecum jurare non auſi fuerant, eos jam Rege fugato, aut ê terrâ ſuâ fugiendo Regem ſequi, aut ſecum pro terrâ contra Regem jurare compellebant.

His omnibus ritè peractis brevi tempore, cùm Hartesburg caſtellum capere fuiſſet difficillimum, (nam ſi in loco competenti ſtaret, regali palatio locus idoneus eſſet) & illud dimittere fuiſſet omni Saxoniæ periculoſum, quod ſi illis eſcæ tantum comportatæ eſſent, quamlibet ingenti exercitui inſuperabile maneret, aliud caſtellum æque firmum conſtruxerunt, in quo poſitis per vices præſidiis, hoſtibus auxilia vel alimenta venire prohibuerunt, ſed illi nónnuquam, dum Saxonibus ad novum caſtellum deferrentur alimenta, ſubito eruperunt, & intra ſuos muros ea deportari fecerunt. Ve-

rum

rum hæc faciendo, damnum quidem aliquod, ſive contumeliam ſuis hoſtibus intulerunt, ſed exinde magis cautos eos & induſtrios eſſe docuerunt.

Ergò ex utraque parte penè ſingulis diebus fortiter pugnatur, ſed Saxones inde fortiores erant, quod & caſtellum ſuum in altiori monte poſitum erat, ita ut in illo inferins conſtituto nullus niſi ſub tectis tutus eſſet à jactibus lapidum, & fatigatis novi milites ſuccedebant, & eis alimenta copiosè veniebant, quæ omnia hoſtibus erant contraria. Nam neq; facilè lapides in altiora mittebant, neq; ipſos feſſos alii ſublevabant, & fames, acerrimus hoſtis, eos non parum affligebat, quæ eos dudum devictos ad deditionem coëgiſſet, niſi eis cibos quidam ex Saxonibus furtim miniſtrarent, qui prius eis familiares fuerant. Intera Rex ſingulos Teutonici regni principes ſupplex adivit, ſe de regno Saxoniæ, quæ cum patria hereditate, cum eorum omnium electione ſuſcepiſſet, injuſtè depulſum, flebiliter indicavit, in quare non tam ſibi dedecus factum quàm illis omnibus, qui in ſe fuiſſent deſpecti, narravit; ab omnibus auxilium, quò & ſuam & illorum vindicaret injuriam, ſuppliciter poſtulavit. Sed non multos ipſorum ſermones ejus movebant, quod quantas calamitates Saxonibus intuliſſet, penè omnes noverant; præſertim quod eadem mala etiam Suevis & Orientalibus Francis inferre voluerat. Tamen ſuo magis, quàm illius honori proſpiciunt, eique ſe venturos in auxilium hac ratione promittunt, ut Saxonibus ad placidum convocatis, utriusque partis cauſſas diligenter agnoſcerent, & ſi qui eum ſine culpâ violenter ejeciſſent, totis eum viribus in ſuum regnum reſtituere laborarent; ſi verò ſuâ culpa terram omnibus opulentiis plenam ſtultorum conſiliis credulus amiſiſſet, ei (ſi ſe vellet audire) ſuaderent, quatenus furore depoſito, ſubjectis ſibi nationibus juſtus & pius, quod eſſet proprium Regis, exiſteret, nec eos, quorum conſilio deceptus erat, amplius audiret. Se contra homines chriſtianos, innocentes, ſibique cognatione propinquos, gratis omnino pugnare, denegant. Quos ſermones Rex ideò quaſi gratos accepit, quia quæ intendebat, fieri non poſſe cognovit, ſcilicet ut ſine placito Saxoniam cum exercitu violenter intraret, & eos invitos ſuæ ditioni ſubjectos ex liberis omnes ſervos faceret. Miſit itaque nuncios ad principes Saxoniæ, omnia bona promittens, ſi ſe permitterent in regnum ſuum cum bona pace redire. Ottoni Duci, de quo ſciebat omnium conſilia pendere honorem injuſtè ablatum pollicetur cum augmento reſtituere, ſi vellet eum in honorem priſtinum reducere.

Igitur exercitu quidem magno, ſed non ad præliandum parato, (niſi magna neceſſitas cogeret) congregato Kalend. Febr. cum Dominicæ Incarnationis Annus MLXXIV. nuper inceptus ageretur, Saxoniam ingredi diſpoſuit. At Saxones adventu præcognito, terram ſuam defenſuri, cum maximo exercitu, apud oppidum quod Nachan appellatur, occurrunt, & à Rege non longius, quam ut uterque exercitus alterum videre potuiſſet, caſtra conſtituunt: Jam invicem miſſi ſpeculatores exercitus utriusq; virtutem diligenter explorant, & utriusq; virtutis, uterq; ſuis, quod viderunt certiſſimè renunciavit. Erat à Saxonum tam magnus exercitus, ut duplo crederetur eſſe major, quam regis exercitus. Ergò qui erant ex parte Regis audita Saxonum multitudine ſimul & armorum inſtructione (nam Rex ſuis dixerat, illos nec equos habere, nec uſum militiæ, ſed ruſticanos homines bellicarum rerum imperitos) cum prius ad præliandum fuiſſent incerti, quia dignam non videbant cauſam pugnandi, nunc ad non pugnandum facti certi; quia cum cauſa deerant eis copiæ, quibus tantæ multitudini tutè poſſent obviare. Miſſis itaque Rex (ut principes ſui jubebant) ad Saxones legationibus, promiſit ſe facturum omnia, quæ vellent ipſi præſcribere, dummodo paternam dignitatem, quam pueritiæ ſuæ, malorumque conſiliorum culpa ſe fatebatur amiſiſſe, nollent ſibi denegare. Tunc Otto Dux & cœteri, quibus magna fuerant promiſſa, perſuadent aliis, quatenus hac eum conditone reciperent; caſtella ſua deſtrueret, nec ulterius ea reſtauraret; deprædationes amplius in ſua terra nullus exerceret; In Saxonia Saxonum conſilio cuncta diſponenda diſponeret, nullumque extraneæ gentis hominem ſuis rebus agendis conſiliatorem admitteret, & hinc ſui expulſionem nunquam in aliquo vindicaret. Cumque Rex omnia hæc & his majora ſe facturum fideliſſimè promitteret, exercitu ſuo dimiſſo cum paucis ad Saxones tranſivit, & cum gaudio triumphali & laudibus deductus Goslariam usque pervenit. Hujus fœderis inconſulta compoſitio Saxonibus maximorum malorum fuit origo.

Nam Suevorum, qui fœderis jam pridem cum Saxonibus facti memores cum Rege contra Saxones venire noluerant, ipſi Saxones, dum fœdus cum Rege facerent, fuerunt obliti, & ob hoc illis Suevi facti ſunt ex amicis fidelibus hoſtes atrociſſimi. Quod ſi aut illud non feciſſent, aut in illo faciendo Suevos ſibi aſſociaſſent, & perfidiæ nota carerent, & non tam multos hoſtes ſæviſſimos haberent. Eodem tum tempore maximam circa nos DEI clementiam cognovimus; quam nunquam oblivioni tradere debemus. Nam cum tanta eſſet hyemis aſperitas, ut omnes fluvii vel paludes tranſire volentibus iter terreſtre præberent, & cum viris omnibus contra Regem congregatis ſolæ mulieres cum parvulis domi relictæ fuiſſent, Pagani nobis ſemper infeſti, totam Saxoniam mulieribus & parvulis, abductis poterant in cinerem convertere, niſi DEUS eos mirabili ſuâ pietate, velut genuinæ crudelitatis oblitos; inter proprios fines quaſi clauſos juberet quieſcere. Igitur cùm Rex exercitu Saxonum comitante Goſlariam veniſſet, ſui non oblitus cæpit occaſiones quærere, ne (ſicut promiſerat) deberet in præſenti caſtella ſua deſtruere. Quem cum moras nectere quidam Principes noſtri viderent, volentes ei placere ſuaſerunt ut illud caſtellum majusque manere volebat, alicui de Principibus Saxoniæ quaſi in deditionem traderet, donec populi furor, qui tunc vehementer ardebat, aliquantum tepeſceret; Nam populus ut dirueretur, vehementer inſtabat, quod niſi fieret, ſe ſtatim ab integro rebellem fore clamabat. Rex verò in multis anguſtiis poſitus, quid faceret, neſciebat, quod nec caſtellum illud deſtuere volebat; nec alicui Principum, qui illud, ſi ſibi quaſi traderetur, ſtaturum permittebant, fidem habebat; & populum ne recidiva bella reſumeret, valdè metuebat. Qua enim virtute penè ſolus in medio exercitu deprehenſus ſe defenderet? vel qua fuga ſe, ſeptus undique hoſtibus ſævis, abſconderet? Igitur ad ingenium ſuum reverſus, excogitavit dolum, qui tamen non eum, quem ſperabat, tenuit effectum. Nam quibusdam de ſuis antiquis familiaribus occultè præcepit, ut ejus tum propugnaculum ſummatim deponerent, & cum populus hoc viſo totum ſperans caſurum diſcederet, illi à diruendo ceſſarent, & ſic illud paucis ruinis reſtauratis integrum ſicut volebat permaneret. Sed illi ſuo labori parcentes vicinos adduxere ruſticos, quos (ſicut erant juſſi) juſſerunt ſummos tamen muros demoliri. Ruſtici vero cum ejus loci poteſtatem nunc accepiſſent, quo multa jam pridem mala paſſi fuiſſent, non quid juberentur, ſed quid jam diu deſideraſſent, intendebant, à dirnendo non quieſcentes, donec lapidem ſuper lapidem non remanere videbant. Ergò regalia ædificia regali ſumptu per multos annos conſtructa, brevi tempore deſtruunt, & in tantis mœnibus nec fundamenta non eruta relinquunt. Legati Regis non audent verbum facere, quæ & ipſos, ſi quid contradicerent, minantur interficere. Itaque Monaſterium laborioſo opere perfectum dejiciunt usque ad fundamentum, totum theſaurum ibi congeſtum ſive Regis eſſet, ſive Eccleſiæ, diripiunt, campanas dulciſonas confringunt, filium Regis & fratrem, quos ibi poſuerat, effodiunt, oſſaque eorum velut quaslibet immundicias deſpergunt, & nihil penitus ejus loci permanere permittunt.

Sed Rex cum caſtellum ſuum ſic cognoviſſet adnihilatum, magno quidèm dolore cordis intrinſecus conturbatus, ſed eum nullo forinſecus ſigno proteſtatur; quod ſuperfluum putabat his, quos odio habebat, dolorem ſuum monſtrare, cum non poſſet in eorum ſuppliciis ad præſens odium ſuum pro velle ſuo ſaturare. Primates autem Saxoniæ cum Regis animum ſcirent, non immerito (quamvis ipſe velaret) valdè turbatum omnibus modis eum mitigare quærebant, ſeipſos à conſilii ſive voluntatis crimine, quocumque modo juberet ipſe, purgando; & eos qui crimine erant involuti, quacunque vellet pœna cruciando, ſed nihil proficiebant. Nam Rex non tum illis, qui ſcelus confeſſi fecerant, quantum iſtis, qui ſe à perpetrato ſcelere purgabant, iraſcitur; & dedignans iraſci in ruſticos; in maximos hujus regionis homines, furorem ſuum, ſi quando tempus haberet, accendere meditatur. Interea tum non quantum volebat, ſed quantum in præſentia valebat, ſuum caſtellum vindicabat, & omnia caſtella, ut quaslibet hujus terræ munitiones, præter antiquas urbes ad honorem regni conſtructas, dirui imperat. Quod imperium non ex tranquillo rigore juſticiæ, ſed ex iracundi pectoris commotione turbida proceſſiſſe, hinc præcipuè cognoſci poterit, quod caſtella quædam de nullo malo infamata deſtrui, plurima verò de

prædis & latrociniis convicta, ſi pecunia data fuiſſet, intacta manere præcepit. His ita patratis non quaſi ullo dolore commotus, aut quicquam mali Saxoniæ cogitans, Martio menſe nondum peracto, Saxoniam reliquit, & ad habitatores Rheni cæterarumque Franciæ partium malè læta mente tranſivit. Fertur vero à finibus noſtris diſcedens, cum juramento dixiſſe; Quod nunquam vellet in Saxoniam amplius redire, niſi prius eam virtutem contraxiſſet, qua poſſet in Saxonia facere, quicquid ſibi libuiſſet. Congregatis itaque illarum Principibus, nunc ſingulis, nunc univerſis, ſe humiliter proſternens, querimoniam fecit, dicens; Quod priores ſuæ expulſionis injuriæ ſibi nunc leves eſſent, iſtas ſibi magnas & inſanabiles videri, in prioribus ſe cum ſuis principibus fuiſſe deſpectum, in iſtis vero ſuo ſuorumque deſpectui conjunctum eſſe cœleſtis militiæ, &(quæ his majus eſſent) majeſtatis divinæ contemptum. Nam narravit eis lacrymans, quæ dum ipſorum conſiliis contra ſuam voluntatem cedens Saxonibus ſuum caſtellum regali ſumptu conſtructum traderet demoliendum, illi non ſolum quod eis permiſſum erat, illud inhumano more deſtruerent, ſed inſuper Monaſterium DEO ſanctiſque conſecratum, paganis omnibus crudeliores funditus diruerent; Campanas, calices & cætera ad honorem DEI collecta velut profana confringerent, vel hoſtili prædatione diriperent; fratrem filiumque ſuum utrumque, prolem regiam, miſerabiliter à ſepulcris ejectos in ventrem membratim diſpergerent, &(quod his omnibus magis eſſet nefandum) Sanctorum reliquias ab Altaribus ſacris execrandis manibus erutas, velut immunditias quaſdam per profana loca diſſiparent.

His omnibus non ſine largo fletu peroratis, ſingulorum pedes oſculans oravit, ut ſi non ſuam vindicare curarent injuriam, ſaltem contumeliam DEo DEique Sanctis illatam remanere non paterentur inultam. Ait Saxones non dicendos eſſe Chriſtianos, qui cum ſupra dicta ſcelera in domo Chriſti facerent, ſe Chriſtum nec amare, nec timere monſtrarent. Illos vero debere per hoc eſſe ſe Chriſti fideles oſtendere, ſi zelo Chriſti ferventes ejus injurias non dubitarent, ipſo adjuvante, vindicare. Has querimonias & ſupplicationes, dum quoties fieret Principum conventus repeteret, annus integer evolvitur antequam ſua voluntas, ut in Saxoniam ducere poſſet exercitum, compleretur. Namque omnes, qui miſerias miſerabiles, quas intulerat Saxoniæ, ſciebant. Cum omne bellum res ſit aſpera, nec hujus belli pateret ſatis idonea cauſa, ad differendum hoc bellum quaslibet occaſiones quærebant. Quod niſi Rudolphum Ducem Suevorum, quando cum Rege fœdus inibant (ut ſupra dictum eſt) Saxones offendiſſent, adhuc forſitan Rex copias contra Saxoniam non haberet. Ille enim à Saxonibus, quorum confidebat auxilio, deceptus, Regi quomodo poterat, reconciliatur, & ei primus ſe cum ſuis omnibus Saxones hoſtiliter invaſurum pollicetur. Sed hoc, ut dixi, poſt annum fiet integrum. Interea miſſis ad omnes circumquaque gentes legatis, donando, majora promittendo, cunctos (ſi poſſent) homines Saxonibus voluit hoſtes efficere, quod non tam eos ſuæ poteſtati (quod leviter fieret ſine bello) ſubjicere, quam funditus ab hominum numero quærebat adimere. Duci Bohemorum Wortislao Miſnam civitatem cum omnibus ad eam pertinentibus promiſit, & ſic eum, ut ſuis partibus adjutor eſſet, aſcivit. Luiticenſibus paganis, crudelitatis, quam ſemper in Saxones habuerant, frena laxavit, & quantum Saxoniæ ſuis finibus poſſent adjungere, conceſſit. Illi vero dixerunt, ſe Saxones multis bellorum tempeſtatibus expertos agnoviſſe & ſe rarò aut nunquam de bellis eorum gaviſos fuiſſe: ſibi ſuam terram ſufficere, ſeque ſi ſuos terminos defendere valeant, contentos eſſe. Regem Danorum promiſſionis juramento confirmatæ commemorat, ſeque illi daturum cuncta, quæ ſit pollicitus affirmat. Philippum Latinæ Franciæ rectorem multis pollicitationibus ſollicitat, ut memor antiquæ amicitiæ, ſibi, quandocunque vocatus fuerit, in auxilium veniat. Sed ille ſimiliter à ſuis accuſatus & pene paterno ſolio depoſitus, vix ſuum honorem, cui adhuc hærebat, ſe dixit retinere; nedum iſti ſuum, à quo penitus ceciderat, tentaret reponere. Wilhelmum gentis Anglicæ Regem hac conditione ſuum vocavit in auxilium, ut ei vicem redderet æquam, ſi ſe unquam haberet neceſſarium. Ille vero reſpondit ſe terram illam bellorum violentia pervaſiſſe, & ideò ſi reliquerit eam, ne poſt hac recipiatur in ea formidare. Wilhelmum ducem Pictavorum, matris ſuæ germanum

ſororis ſuæ filio rogavit misereri, ſibique ferre auxilium, quo poſſet in Regnum patris ſui, quo careret injuſte, reſtitui. At ille tantas Francigenarum, Normannorum vel Aquitanorum virtutes inter ſe & illum eſſe reſpondit, ut nullo ingenio per tantam fortitudinem cum exercitu tranſire potuiſſet. His omnibus præter Bohemos fraudatus, cum de gentibus exteris vires ſatis magnas contra Saxones non haberet, peſſimum (quod optime ſciebat) conſilium invenit, ut Saxoniam divideret, & Saxonibus contra Saxones pugnaret, ut quælibet pars victa jaceret, ipſe victor exultans triumpharet. Principes igitur Saxoniæ ſigillatim jubet ad ſe venire cauſam fingens aliquam grandem, quam dicebat eorum conſilio ſe velle terminare. Illi nil dubitantes, quo ſunt vacati, venerunt, quo nec venire ceſſarent ſi nullius cauſæ interpoſitione ſimplici præcepto Regem adire juſſi eſſent. Sed venientes ſingulos primus accipiebat, cumque jam ſecum aliquandiu ſtarent, animum ſuum eis aperuit, & eos, ut ſe ad opprimendam Saxoniam pro viribus ſuis adjuvarent, & hoc ipſum nulli proderent jurare cogebat, quod niſi ſtatim facerent, ab eo recedere non valebant. Inde factum eſt, ut in noſtra parte Pater, in adverſa filius eſſet; hic frater unus, illic ſtaret alius. Multi etiam de majoribus, quod bona in utriſque regionibus habebant, ut utraque ſervarent ſponte ſua hic relicto filio ſeu fratre ad Regem tranſibant, vel ipſi hic remanentes fratres aut filios ad Regem transmittebant. Pleroſque militaris ordinis ad ſe eodem modo vocabat, & prout cujusque animum cognoſcebat, minis ſive promiſſionibus ad bellum civile ſollicitabat. Etiam famulos ad ſe vocatos non dedignatur orare, ut vel interficiendo vel deſerendo Dominos, mererentur libertate donari, vel etiam Domini Dominorum ſuorum fieri. Sed hæc omnia occulta erant adhuc. Quod ſi quis ei ſuum jurabat adjutorium, jurare cogebatur ejusdem fidele ſilentium. Quid dicam quod Epiſcopis, quos in ſuas partes trahere non poterat, hujuſmodi dona mittebat, quibus illis Epiſcopatum pariter & vitam adimeret, quatenus his perſonis daret Epiſcopatum, quæ ſuæ voluntati præberent ad omnia conſenſum. Per quendam fallacem Monachum Wernero Magdeburg. Archiepiſcopo pulverem pigmentarium munus egregium miſit, quem contra multas ægritudines ſalubrem, ſibi ab Italia à matre ſua tranſmiſſum eſſe mandavit. Cujus partem cruſtæ panis inſertam catulo dari præcepit, eumque ſine mora mori vidimus, & quod Epiſcopus talem Medicinam non guſtaverat lætati ſumus.

Sed poſtquam hæc omnia famæ loquacitas per Saxoniam cæpit prædicare, & mala futura eodem, quo poſtea veniebant, ordine prædicare, plebs quidem (quæ cauſas neſcit) lætatur, & omnes, qui ſuas terras invaſerint primo impetu proſternere minatur; at nobilitas magnis anguſtiis afficitur, dum robur Regis prævalidum, ſuumque perexiguum ſubtili rationis examine metitur. Illinc namque ad pugnam venturos Francos, utrumque littus Rheni tenentes, Suevos, Bavaros, Lotharingos, Bohemos aſpiciunt; Hinc vero non niſi Saxoniæ vix tertiam partem inveniunt, quod omnes Weſtphali & omnes circa Miſnam habitantes Regis auro corrupti à nobis defecerunt. Ipſa quoque pars tertia ſecum fida manebat, quod ſingulos in ea regia promiſſa aſſidue ſollicitabant. Omnes etiam Epiſcopi præter quatuor, Halberſtadenſem, Mersburgenſem, Pathabrunnenſem, aut apertè ad Regem tranſierunt, aut animo nutanti nobiſcum ſteterunt, ut in quamcunque partem res proſpere cederent, illic ſecuri declinare potuiſſent. Eodem tempore multa per Saxoniam ſigna fieri vidimus ex quibus mala, quæ poſt venerunt, præſcire potuimus. Quod enim in Magdeburgenſi prato vidimus corvos tàm acriter inter ſe pugnantes, ut alii alios jacere dimitterent exanimes, narrare ſuperſedeo, quod ſacratiora non minus futurorum præſagia narranda habeo. Epiſcoporum noſtrorum virgæ paſtorales, aëre ſereno nimio æſtivo calore peruſto, ſtantes in capellis ita madeſcebant, ut aqua manum ſuam impleret, ſi quis eas accipiebat. In Stidaraburg erat lignea Chriſti in cruce pendentis imago, quæ eodem tempore tanto ſudoris in æſtivis diebus manabat fluvio, ut nec mappulis terſa ſudare quieſceret, & vaſcula nonnulla ſuſcepto ſudore impleret. Wernerus Mersburgenſis Epiſcopus dum ſacra ſolennia celebraret & more ſolito ſanguini dominico partem Corporis Chriſti imponeret, fundum calicis pars illa petebat ac ſi caro Chriſti in plumbum verſa fuiſſet. Quidam presbyter in Epiſcopatu Magdeburg in villa Weddinge, in neutra parte converſationis egregius, qui nec vitiorum labe,

nec

nec virtutum laude claret eximius, dum in Sacramentorum confeſſione veniſſet ad communionem calice elevato, vidit vinum non ſolum ſpiritualiter, ſed viſibiliter in ſanguinem converſum, cujus rubore pariter & denſitate perterritus, nihil inde ſumere præſumpſit, ſed in Magdeburg civitatem, ubi adhuc venerabiliter ſervatur, cum magno timore portavit. Quæ omnia quid ſignificaſſe putemus, niſi laborem, quem poſt experti ſumus.

Ergò cum Regis ira longitudine temporis in nos nimis accenſa diutius latere non poſſet, certisque ſignis, quæ mala nobis cogitabat facere, pateret; tunc principes noſtri ſinguli & univerſi pariter legationes aſſiduas, nunc cum literis, nunc ſine literis, ipſi Regi fecerunt, quibus hoc ſolum ab eo multa ſupplicatione petierunt, ut cœtu Principum ſuorum collecto, ſe coram eis, aut culpabiles oſtenderet, & convictos eorum judicio puniret, aut ipſi ſuam innocentiam judicio quolibet oſtenderent, & in ejus gratia, ſicut hactenus, permanerent. Verum cum ab eo nullum pietatis reſponſum accepiſſent, & eum de ſua tantum perditione modis omnibus tractare cognoviſſent, ad eos, qui cum eo Principes erant, legationes dirigunt, & eos, ut animum Regis ſibi placare velint, humiliter petunt.

Anno igitur & amplius, poſtquam de Saxonia Rex abiit, evoluto, cum Rex eſſet Moguntiæ in Dominicæ Reſurrectionis feſto Saxonum nuncius illuc cum literis venit, quos Udoni Trevirenſi Archiepiſcopo, qui miſſas eo die celebrabat, cum ſtans in pulpito faceret ſermonem, porrexit, & ut eas omni populo recitaret, & exponeret ex omnium perſona Saxonum pro DEI amore rogavit. Quod cum Rex fieri prohiberet nuncius ipſe literarum ſenſum cuncto populo brevi ſermone fidenter expoſuit, & omnes qui DEUM timerent, ne Saxoniam, priusquam de aliquo crimine convicta fuiſſet, armis invadere vellent, verbis omnium Saxonum poſtulavit. Sed Dux Suevorum Rudolphus fœderis à Saxonibus cum Rege ſubito compoſiti non oblitus, Regem quatenus injuriam cum DEO, tum ſibi ſuisque Principibus univerſis contumelioſè factam non ſine vindicta dimitteret inſtigavit, & ei ſe cum tota virtute quam poſſet habere permiſit. Idem cœteri principes univerſi fecerunt, aliqui quidem multis promiſſionibus allecti, plures autem vicinæ mortis neceſſitate, quam vitare non poterant, adducti.

Quod ubi Saxonibus eſt auditum, tunc frequentes Regi, cunctisque primatibus legationes miſerunt, obſecrantes, ut ſe cum ferro nollent innocentes invadere; quod ſi in aliquo rei Majeſtatis regiæ oſtenderentur, ad ipſorum arbitrium parati eſſent pœnas dare. Tunc Rex Archiepiſcopo Magdeburgenſi cum quibusdam aliis ſuam gratiam mandavit, ſibique à ſuis amicis eſſe conſultum, ne totam gentem ſine culpa deleret, innotuit, quorum conſilium ſe velle dixit audire, ſi iſti vellent à ſuis inimicis diſcedere ſibiq; Burchardum Halberſtadenſem Epiſcopum, Ottonem ducem, Fridericum præfectum palatii, cum cæteris, quos adhuc quæreret, traderent. Cui legationi cum conſenſu ipſorum qui poſcebantur, eſt reſponſum, ut ipſi ei hac conditione præſentarentur, quatenus ſub utrorumque Principum judicio ſtarent, ut eos illorum ſententia vel convictos damnaret, vel innoxios Regis gratiæ cum tota Saxonum gente conciliaret. Sed Wilhelmus Rex agnomine & Fridericus de monte, cum viderent apertè jam bellum cæpiſſe, Sacramenti, quod cum cæteris Saxonibus fecerant, obliti, multarumque calamitatum, quas ipſi fuerant paſſi, nec non quod ipſi cauſa principalis erant incipiendi belli, patriam infideles deſeruerunt, & infideliores ad hoſtem patriæ Regem noctu transfugerunt. Nam poſtea, nec cives, nec hoſtes eis fidem habebant, & apud utrosque viles & infideles, deſpecti & miſeri erant.

Ergò Rex cum toto, quam poterat habere, exercitu juxta Beringa venit, ibique poſitis caſtris conſedit, at ex alia parte Saxones circa Nechilſtedi ſua caſtra locant, & dum Rex eos ad concilium vocet expectant. Cumque verba quibus ſuos accuſatos volebant, expurgare diſponerent, aderat nuncius Regis, qui Regem cum Saxonibus non verbis, ſed ferro diſputare velle dicebat, & huic diſceptationi diem craſtinum determinabat. Nondum bene nuncius ille verba finierat, veniens alter, Regem cum toto exercitu adventare, dicebat. Quod primo non credentes, ubi nimis verum eſſe cognoſcunt, quod nec conſilii locus erat ineundi, nec exercitus ad prælium ordinandi, quod ex improviſo deprehenſi ſolent facere, pauci quibus vel animus,

mus, vel arma fuerant in promptu, fortiter ibant ad pugnam, plures vero, quibus longe vel animus vel arma erant vertuntur in fugam. Verum ipſi pauci, qui ad prælium perſtiterunt, bene quantum poterant vel ſuam, vel illorum qui fugerant vicem peregerunt. Nam niſi Deus ibi ſuperbiam noſtram humiliare decreviſſet, pauciſſimi noſtri totum exercitum illum in fugam vertiſſent: poſtremi enim illorum neſcientes, quod noſtrorum pars major fugæ ſe dediſſet, cæperunt etiam ipſi fugæ præſidia quærere, & niſi illi noſtrorum fugam prius agnoviſſent, fugiendo nobis victoriam reliquiſſent. Quem cui belli caſus daret occidere, ne ipſis qui occidebant dabatur agnoſcere, quod tanta pulveris facta commotio, ut cuiquam vix inter civem & hoſtem poſſet eſſe diſcretio. Hoc tamen comperimus, quod Udo noſter Marchio conſobrinum ſuum Rodulphum Ducem gladio fortiter in faciem percuſſit, & niſi naſus galeæ dependens fideliter defenderet partem capitis ejus ſuperiorem penitus abſcidiſſet, fratres in illo prælio fuere diverſi, patres contra filios, nec non & alii affectus erant contra ſe diviſi. Sed ſi quis ſcelus in ſuo propinquo faceret, à nemine poterat ſciri; ſæviſſimum quidem fuit illud prælium, ſed breviſſimo tempore peractum. Nam noſtri numero quam pauci, ſed virtute multi (ipſi enim hoſtes nunquam tantos ictus gladiorum ſe fatebantur audiſſe) poſtquam ſe à ſuis deſertos eſſe viderunt, & ipſi multos occidendo fatigati fuerunt, ex paucis pauciores, paulatim ſe à periculo ſubtraxerunt, Regique victoriæ quidem gloriam, ſed cum multa ſuorum ruina reliquerunt. Nam cum noſtris ex partibus, ex ſummis principibus Gevehardus comes, ex mediis vero Volcmarus, & Suidgerus cecidiſſent, ex illa parte jacuerunt octo primates, non minus ipſo Rege nobiles. Hoc prælium primum factum anno Domini M.LXXV. Idus Junii feria tertia.

Ergo Rex adepta cum multo ſuorum cruore victoria, aliquot dies intra ſua caſtra manebat, donec eos quos de ſuis metus diſperſerat, recollegit, & mortuos ſuos vel ſepeliri vel in patriam ſepeliendos fecit deportari. Deinde Saxoniam nimis lætus intravit, quam ſic poſtratam ut ulterius non reſurgeret, æſtimavit. Obvia quoque prædando diripuit, aut incendio conſumpſit. Si pagani non ita viciſſent, non majorem in victos crudelitatem exercerent, fæminis nil profuit in Eccleſias fugiſſe, vel illuc ſuas res comportaſſe. Nam viri per ſilvas diffugerant, vel ubicunque ſpem ſalutis invenire latendo potuerant, fæminas in ipſis Eccleſiis, etiam ſi fugiſſent, ad altare, corrumpebant, ſuaque libidine barbaro more completas fæminas cum Eccleſiis comburebant. Principes verò noſtri diverſas munitiones intraverunt, & inde legationes Regis principibus obviam miſerunt, obſecrantes ut vel nunc Deo de ſua gloria gratias agerent, & fratribus ſuis in Chriſto, pro Chriſti nomine, vel victis parcerent.

Ipſo tempore Deus omnipotens urbi Magdeburgenſi, per Sanctorum merita, qui ibi plures habentur, magnam miſericordiam oſtendit, & ipſam urbem, totumque illud Epiſcopium à crudeli Regis invaſione ita mirabiliter defendit, ut nulli qui hoc cognovit, liceat dubitare, ipſorum meritis Sanctorum tunc illam civitatem incolumem permanſiſſe. Nam cuidam ancillæ Dei ante prælium per viſionem fuerat revelatum, ſi caput S. Sebaſtiani, quod in eadem civitate cum multa veneratione habetur, circa terminos Epiſcopii fuiſſet portatum, eosdem terminos nullus poſſit intrare hoſtium. Quod cum ipſa Meinfrido ejusdem urbis præfecto, & præfectus, antequam exirent ad bellum, nobis audientibus Archipræſuli noſtro retuliſſet, peracto jam prælio, caput ipſum omnes terminos noſtros, antequam Rex veniret circuire fecimus, & ita eſſe ſicut ancilla Dei prædixerat, ex ipſo rerum eventu comperimus. Nam ubicunque Rex ad ipſos terminos venit, divino nutu perterritus, rediens nuſquam illud Epiſcopium intravit. Sed cum Rex exercitu comitante veniſſet Goslariam, ibique à quibusdam noſtris Epiſcopis triumphali ſuſceptus eſſet gloria, ab amicis ſuis, quid ſibi foret agendum quæſivit, & vix quod ſibi utile eſſet invenire potuit. Nam conſilium quod ei dederunt pene omnes, ut Deo de victoria ſua gratiam ageret & Saxones in pacem & gratiam ſuam ſicut Rex Chriſtianus reciperet, non accepit: Quod vero ipſe ſolus volebat, ut ſtatim cunctos ſuæ ſervituti ſubjiceret, ad præſens implere non potuit. Nam nec principes omnes capere valebat, quod per diverſa diſperſi fuerant, nec diu cum exercitu in hac terra manere potuit, quod fames in illo

anno

anno nobis tunc utilis fuerat; & Julius menſis fruges adhuc maturas non exhibebat, nec vero tutum putabat ſine exercitu tunc in Saxonia remanere. Abiit ergo cum toto exercitu, & Saxoniam (ſicut prius) habuit in incerto. Nam poſtquam receſſit, Saxones iterum congregantur, Deumque quod eos miſericorditer caſtigans non penitus opprimi permiſerit, humili devotione collaudant, & ſe invicem quatenus unanimiter pro ſua libertate tota virtute pugnent, adhortantur: Deique miſericordiam non ex toto ſibi ſublatam inde conjectant quod quaſi paterna pietate flagellati, ad recipiendam virtutem diſceſſu Regis opportunum tempus acceperant.

Interea Rex totum exercitum iterum congregabat, ut Octobri menſe Saxoniam ingreſſus, fruges, quas Julio menſe multas in agris viderat, aut utendo aut comburendo conſumeret, populum totum vel rebellem gladio devorandum daret, vel humilem perpetuo ſervituti ſubjiceret. Econtra Saxones magno jam periculo fracti prudentes, cum non minore venerunt exercitu, jam non, ſicut antea fugaces terga daturi, ſed fortiter pro libertate pugnaturi ſua, ita ut jam vel Dei auxilio firmiter retinerent, vel cum vita ſimul amitterent. Ergo ambo exercitus in loco qui dicitur Everha, convenerunt, & à ſe non loco ſed animo longe fuerunt, tamen exercitus Regis ad prælium non ut antea promptus erat, quod non (ſicut audierat) imbelles eſſe Saxones expertus fuerat, & magna ſibi pars de priori multitudine deerat. Nam Bertoldus & Rudolphus Duces, poſtquam à priori ſunt prælio reverſi, divina pietate compuncti quadrageſimas publice jejunarunt, & amplius ſe pro Rege contra Saxonum innocentiam non eſſe pugnaturos fideliter Deo voverunt. Tunc illi ad Saxones miſerunt, & accepta dataque fide ad ſecretum conſilium Principes ex utraque parte convenerunt. Ibi illi noſtris in ſuâ fide promiſerunt, quod ſi ſe ſponte tradendo Regi vellent honorem facere, & tota Saxonia quieta ſtaret in pace, & ipſi nec in dura, nec in longa forent captivitate. Fama quoque teſtante comperimus, quod Rex ſuis juraſſet Principibus, ut ſi hoc ad honorem ſuum perficerent, in principio Novembr. proximi, omnes ad ſua cum pace & gratia dimitteret. Igitur omnes Epiſcopi noſtri, Duces, Comites, cæterique majores, manu fidei ab illis accepta Regiæ poteſtati ſe ſponte tradiderunt, totumque populum ſuum valde triſtem in patriam redire juſſerunt. Diſtributis ergo per cuſtodias principibus noſtris, Rex omiſſo exercitu Saxoniam cum magna gloria ingreditur, & ab his qui domi erant cum majore gloria ſuſcipitur. Nam ſperabant eum (ſicut promiſerat) cum pace & pietate venire, omneſque ſuas injurias oblivioni perpetuæ tradere. At ille ſuæ promiſſionis oblitus, nec Deo pro victoria quam ſic leviter acceperat, dignas laudes humiliter reddidit, nec illam quam tunc habebat gloriam, unquam ſe diſpoſiturum credidit. Quod ſi Regi Regum ſe tunc humiliter ſubſterneret, & in victos miſericordiam Dei oſtenderet, non ſolum quos vicerat, Saxones, ſed omnes quibus imperabat gentes timere ſe pariter & amare faceret, & ad illas etiam nationes, quæ ſibi non ſubjacebant, gloriæ ſuæ famam cunctis laudandam transmitteret. Quia vero crudelitatis antiquæ non immemor, timeri tantum nec amari curabat, nec Saxones ſibi fideles, nec alias ſui regni nationes devotas habebat, & ingentem apud exteras gentes laudem, quam poſſet, habere, perdebat. Amicis enim non minus quam hoſtibus crudelis fuit, niſi quod in amicos crudelitatem prius exercebat, ut hoſtes ex hoc cognoſcerent, quid ſibi futurum ſperarent. Erriberti denique Marchionis, qui Saxonibus nullum fecerat auxilium, ſed Regi (utpote valde propinquo genere) toto animo favebat, poſſeſſiones prius invadit, eaſque Otherico cuidam de ſuis conſiliariis donavit. Hic Othericus de Godesheim oriundus fuit, & quod Dei timorem penitus abjecerat, Godeshetz agnomen habebat, quod vere ex odio Dei venerat, quod illi Regi familiariter adhærebat, Regiſque mentem pro ſtro velle diſponebat. Deinde noſtrorum bona captivorum, quæ ipſis manere debebant, integra, ſi fides fuiſſet ei integra, ſuis paraſitis largitur, & quæ ſuis principibus in nos bona promiſit cuncta mentitur. Tunc urbes & caſtella, vel quaſcunque munitiones adhuc habebat Saxonia, ſequacibus commendavit, & ut per totam regionem tyrannidem exercerent imperavit. Natalis Domini feſtivitatem, ubi MLXXVI. annus ab incarnatione Domini inchoatur, convocatis ad ſe ſuarum partium Epiſcopis, animo non feſtivo Goslariæ celebravit, quod feſtum ſalutis humanæ principium Ottonis occiſione nefanda contaminare diſpoſuit, quem Chriſtus ad honorem ſuæ nati-

1 vitatis

vitatis eadem gratia mirabiliter eripuit, qua ad liberandum genus humanum ipſo tempore Deus homo fieri voluit. Nam ipſum Ducem Reperto Bavenbergenſi Epiſcopo ſervandum commiſerat, & Epiſcopus eum in caſtello quodam dum ipſe pergeret ad curtem regiam, militibus ſuis cuſtodiendum tradiderat. At Rex illuc Epiſcopo neſciente miſit, Ducemque ad ſe duci præcepit, ita ut temporum vicibus mutatis per noctes irent, & dies noctium vice quieſcerent. Cumque in media nocte à quatuor armatis ipſe inermis ductus Goslariam veniſſet, & illi per curtem ad ſylvam tendere noluiſſent, tunc primum intellexit, quod in ſylva ſe occidere juſſi fuiſſent. Igitur eos rogat, ut ſibi ad monaſterium orare liceat, quod ei cum fuiſſet negatum, ſubito unius ipſorum gladium comprehendit per capulum, & cum enſe nudo invitus illis ad Epiſcopi ſui cuſtodis cubiculum pervenit, & cum magno ſtrepitu Epiſcopo expergefacto, rem quæ ſecum agebatur innotuit, eumque ut ſe à furtivæ caſu mortis eriperet oravit. Quod cum per oppidum divulgatum fuiſſet, Rex eum ſicut voluerat, non præſumpſit perdere, ſed eum liberè per curiam quò vellet ire permiſit. Sed ille (ſicut erat vir in omnibus prudens) ad conſilia Regis frequenter acceſſit, & ſapientia ſua brevi tempore promeruit, ut quicquid ad honorem Regis pertineret, ejus conſilio maxime Rex ipſe diſponeret. Denique quem nuper habebat, hoſtem ſæviſſimum, eum nunc cæpit habere conſiliatorem fideliſſimum.

Nos autem ubi Principes illos qui noſtros habebant in cuſtodia, Goslariæ eſſe comperimus, literas eis ſupplicationum, pro principum, Epiſcopor.m, aliorumque Captivorum ereptione miſimus.

Cum ergo Rex urbes & omnes in Saxonia munitiones ſuorum fidelium præſidiis occupaſſet, & nihil ſibi quominus in Saxonia faceret cuncta quæ vellet putaret obſtare tranſivit à nobis in medio Quadrageſimæ, obſides mulros ſecum ducens & apud nos qui tributa de regionibus noſtris exigerent, relinquens. Cumque ſuos fines intraſſet & Duces ejus cæteriſque qui fortiter in prælio pugnaverunt, dona triumphalia exſpectarent, ille munus quod ferè cunctis ſuis fidelibus largiri ſolitus erat, etiam nunc in præmio virtutis dare parabat, dolensque quod ex principibus in prælio non ad votum ſuum cecidiſſent, vitam quam per ignaviam eos ſervaſſe credebat, eis per ſævitiam auferre cupiebat. Nam ut ſolus omnium Dominus eſſet, nullum in regno ſuo Dominum vivere vellet, itaque cum tribus fortiſſimis viris armatis quandam domum deſertam medio noctis intravit, & illuc unum ex militibus Rodolphi Ducis ſecreto introduxit. Qui viſis gladiis ſibi timuit, quod quo effugeret non habuit. Sed cum Rex multis eum promiſſionibus oneraret, ſi Rudolphum Ducem ubi primum ſibi daretur opportunitas, occideret, non amore promiſſorum, ſed timore gladiorum præſentium hoc ſe facturum quaſi lætus promiſit, ſuamque promiſſionem juramento confirmavit.

Mane autem facto cum Dux de virtute & fide multum laudatus à Rege cum multa ſuavitate amiſſus abiret, ille correptis armis velociter inſequitur, & lancea protenſa per mediam turbam feſtinans alto clamore ſe Ducem occidere minitatur. A militibus vero circumdatus, & cauſam terroris interrogatus, totam ſeriem negotii, quod in nocte geſtum fuerat, exponit, armiſque projectis ipſi Duci, quid & qua vi coactus juraviſſet, innoteſcit.

Alio tempore cum idem Dux reginam in manu ſua à monaſterio duceret, Rex ſagittario cuidam præcepit, ut eum juxta Reginam ſagitta transfigeret. Sed ab eodem ſagittario præmonitus Dux Reginam non perduxit, ſed inventa qualibet cauſa feſtinans ab ea receſſit.

Tertia vice cum cauſæ quædam intra cubiculum Regis agerentur ut actionibus illis Dux cum paucis ſuis intereſſet, nunciatum eſt ei, quod duo Regis famuli januam cum nudis gladiis obſiderent, qui Ducem egredientem, ex utroque latere perfoderent. Itaque ſuos cum gladiis occultis occulte fecit advenire, & aliquot ex ipſis cubiculum fecit intrare, plurimos vero præ foribus ſtare. Cumque omnia ſicut juſſerat eſſent diſpoſita, cum ſuis accedens ad januam, Tales, inquit, eos janitores, Domine Rex, in veſtro cubiculo nollem modo vidiſſe, nec unquam poſt hac amplius volo videre. Hæc locutus obiit, cum magno furore, & dixit, (quod & implevit) quod nunquam vellet ulterius ad Regis curiam venire.

Eodem

Eodem vel ſimili dolo etiam Berchtoldum Ducem quærebat perdere, quod hi duo magis ejus malitiæ videbantur obſiſtere. Et quare de duobus tantum ejus ſævitiam commemoro, qui nullum de principibus poſſum aſſerere ſecurum tali periculo? Quadam namque die dum ipſe cum ſuis ſcurris moraretur in cubiculo, & Epiſcopi cæterique Primates excubarent, in veſtibulo, fertur illis dixiſſe, qui conſcii & fautores erant ſuæ nequitiæ: Ecce iſti ſunt, qui regni mei divitias habent, & me meosque omnes in paupertate reliquerunt. Quod ſi illi de medio fuiſſent ablati, ego cunctique mei familiares cito poſſemus divites fieri. Quapropter ſi viri eſtis, & divitias habere cupitis, iſtos nunc inermes armati fortiter invadite, & omnia quæ illi poſſident, accipite. Habebat autem in cubili ſuo ſemper multas ſecures lato ferro ſplendentes, quibus nec clypeus nec galea reſiſtere poterat virtute aliqua. Quod niſi Anno, Colonienſis Præſul, ab uno qui cum cæteris facinus erat acturus, paulo ante fuiſſet ſubmonitus, ea die fuiſſet perpetratum miſerabile facinus. Verum ut ad priora paulisper revertar, ubi primum primates, noſtri deditionem fecerunt, omnes ſemitas quæ per montes ducunt in Italiam, Rex claudi præcepit, nec ulli homini viam patere permiſit, ne rei veritas ad Apoſtolicum prius veniret, quam ipſe per Legatos in ſuum favorem ipſum Apoſtolicum traduceret. Deinde miſit Romano pontifici Legatos, qui ei intimarent, quod Epiſcopi Saxoniæ ſui ordinis obliti contra ſe in prælio congreſſi fuiſſent, eumque rogarent, ut eos ſicut infideles, perjuros & belli civilis auctores gradu ſacerdotali deponeret, quatenus tales per quos Eccleſia pacata regeretur, ipſe in eorum locum poneret. Sed Regis Legatos ad Apoſtolicum fama præceſſerat, eique ſeriem rerum geſtarum totam veraciter indicaverat.

Miſit ergo Regi literas, quibus eum de multis aliis criminibus arguebat, & ut Epiſcopos à captivitate dimiſſos, Eccleſiis bonisque ſuis intergrè reſtitutis remitteret, orabat, & poſt hæc concilium in eo loco, quo venire poſſet Apoſtolicus, congregaret, ubi Epiſcopi vel ſi dignius eſſent Epiſcopalem perderent dignitatem, vel injuriarum, quas erant paſſi Canonicam reciperent ſatisfactionem. Quod ſi in his ſacris canonibus noluiſſet Rex obediens exiſtere, & excommunicatos à ſocietate ſua repellere, ſe eum velut putre membrum anathematis gladio ab univerſitate ſanctæ Matris Eccleſiæ minabatur abſcindere. Qua legatione ſuſcepta, & venientibus ſuis, quos miſerat Apoſtolico, confirmata, triſtis valde fuit, quod in Apoſtolica dignitate malitiæ ſuæ, ſicut ſperabat, auxilium non invenit.

Rex igitur cum ſuis deceptoribus una Wormatiam venit, & cum ſingulis illis binis conſilium inivit, qualiter dignam vicem rependeret illi contumeliæ, quam omnes audierant Romanum pontificem ſibi feciſſe, quod cum ſe minatus ſit excommunicaturum, cum tale quid cunctis temporibus fuiſſet inauditum. Cumque multa multis modis diu volutarent, tandem quibusdam eorum placuit, ut Epiſcoporum concilio facto Papam quaſi Simoniacum communi conſenſu damnaret, eoque depoſito Rex in loco ejus unum de ſuis amicis conſtitueret, qui omnia, quæ Regi fuiſſent placita, tota voluntate perficeret. Hoc igitur inito confirmatoque conſilio fecit omnes ſuos Epiſcopos convenire, & coëgit illos Hildebrando, qui Romanus Pontifex vocaretur & non eſſet, ſubjectionem, & obedientiam interdicere, & hoc ut poſtea nullus eorum poſſet negare, fecit unumquemque eorum nomine ſuo prænotato manu propria abnegationem Hildebrando chartis ſingulis inſcribere hoc modo: Ego N. civitatis N. Epiſcopus, Hildebrando ſubjectionem & obedientiam ex hac hora, & deinceps interdico, & eum poſt hac Apoſtolicum nec habebo nec vocabo. Quod quidem pauci fecerunt, ex animo, qui & auctores ipſi fuêre conſilii: plures vero literas quidem abrenunciationis mortis timore ſcripſerunt, ſed invitos ſe feciſſe per hoc oſtenderunt, quod cum primum datur ejus opportunitas, Apoſtolico ſupplices confeſſionis literas dirigunt, & ſe reos ei agnoſcunt, ſed expurgationem neceſſitatis obtendunt. Deinde per totam Italiam miſit Epiſtolas magnis donis, & majoribus promiſſis, illius terræ principes in favorem ſuæ partis inclinans. Itaque noſtrates Epiſcopi, ſolummodo ſcripto illi renunciabant, non juramento, Romanos etiam quam plurimos pecunia corrupit, & ut Hildebrandum ab Apoſtolicæ ſedis honore dejicerent, literis oravit. Ipſi quoque Apoſtolico plenas contumeliis literas direxit; in quibus ut Apoſtolicum nomen & ſedem citò relinqueret, minaliter præcepit.

Quæ literæ cum Domino Papæ in Baſilica Lateranenſi Sanctæ Synodo præſidenti fuiſſent allatæ, & coram Synodo palam recitatæ, tanta fit in Eccleſia commotio, ut idem legatus niſi inter Apoſtolici pedes defenſionem inveniſſet membratim laniatus interiiſſet miſerabiliter. Sequenti verò die Dominus Papa coram ipſa Synodo declaravit, quotiens & quanta manſuetudine Regem de magnis criminibus corripuiſſet, ut Epiſcopos captivitate ſolveret: quanta ſuavitate rogaſſet, Apoſtolica auctoritate juſſiſſet: & pro paterna dulcedine quantam ſuperbiæ amaritudinem recepiſſet. Deinde cunctis acclamantibus ne talis contumelia remaneret inulta, omnium conſilio & conſenſu Henricum Synodali judicio damnavit, regisque nomine & honore privatum Anathematis gladio percuſſit.

Legatus Regis reverſus, cum Regi, qui tunc erat Trajecti, quod erat excommunicatus, indicaret. Wilhelmi ipſius urbis Epiſcopi conſilio Rex excommunicationem illam nihili pendit. Epiſcopus quoque idem timens, ne ſi populus hoc audiſſet, à Rege ſicut ab excommunicato diſcederet, intra miſſas ſermonem faciens ad populum, deriſoriè quod Rex eſſet excommunicatus indicavit, ſed hanc excommunicationem nihil valere, quibus poterat, verbis (utpote facundus homo) confirmavit, ſed quantum valeret, in ſeipſo coactus eſt agnoſcere, ſi liceret ei pœnitendo à ſuperbia reſipiſcere. Nam in ipſo loco, in quo Romano pontifici derogabat, ejusque poteſtatem verboſus adnihilare laborabat, ipſe mala valetudine corripitur, in qua usque ad miſerandum miſeræ vitæ finem detinetur. Itaque morbo magis & magis ingraveſcente dum eſſet cum eo quidam homo Regis, eumque rogaret, ut ſe cum ſuo mandato remitteret ad Regem: Hoc inquit, ei mitto mandatum, quod ipſe & eo, & omnes ejus iniquitati faventes, damnati ſumus in perpetuum. Cumque à ſuis, qui aderant, Clericis, ne talia loqueretur, eſſet admonitus; Quid aliud, inquit, loquar, niſi quod verum eſſe, viſibiliter intueor. Ecce enim Dæmones lectum meum circumſtant, quatenus me mox, ut expiravero, rapiant. Itaque cum fuero de corpore eductus, rogo vos & omnes fideles, ne ſe fatigent pro me faciendo ſupplicationes. Hac igitur in deſperatione defunctus, nullis orationibus DEO reconciliatus, diu jacebat inſepultus donec Romam mittitur, & inde quæſito conſilio, ne populus fœtore corrumpatur, Apoſtolico juſſu ſine commendationibus ſepelitur. Non longè autem poſt mortem ſuam Abbati Coloniacenſi apparuit, priusquam eum fuiſſe mortuum cognoviſſet, & non ſum, inquit, vivus, ſed vere defunctus, & in inferno ſepultus. Sic ille ſapiens, & per omnia vir honeſtus, ſi non eſſet avaritiæ venenis infectus, ſtultum & miſerabilem finem habuit; quod hunc, dum poterat, præcavere noluit. Et cur eum ſolum dico miſerabiliter obiiſſe? cum manifeſtum ſit, omnes ferè Henrici familiares & fideles æquè miſeras mortes incurriſſe, & eos miſeriores, qui fuerant illi fideliores: quod fides illa vera erat perfidia.

Ut enim per exceſſum quædam vel repetam vel percurram, patriarcha qui legatus Apoſtolici maximus auctor abjurationis extiterat Henrici, & novi Regis inſtituendi, poſtquam Exregi quaſi regi ſociatus retrogradus efficitur: repentina morte præventus, quod communicabat excommunicatis, incommunicatus & inconfeſſus huic vitæ ſubtrahitur. Verum quod tantæ dignitatis virum non decebat, ire ſolum ad infernum, quinquaginta (ſicut audivimus) de ſuis habuit ſocios, eadem morte repentina correptos, ne quos habebat in iniquitate conſortes, in retributione non haberet participes.

Volo, Treverenſis Archiepiſcopus, omni pietate plenus, dum nimis manſuetus Tyrannidi non reſiſtens, Henrico plus, quam decebat, obſequitur, ejus flammeo furori ſuæ conſenſionis oleum miniſtrat, & ut Eccleſiæ deprædentur, licentiam donat mox in craſtino manè mortuus invenitur, ut omnibus aperte conſtaret, ideo eum tali morte obiiſſe, quia in Eccleſiarum prædatione non timuit aſſenſum præbere.

Eppo, Cicenſis Epiſcopus, dum in Epiſcopio S. Kiliani quendam rivum forti ſedens in equo tranſiret, quem quilibet pedes ſine periculo tranſire poſſet, ubi nec timor ullus fuit, equo cadente moriens ſic interiit: S. Kiliano ſic diſponente, ut qui ejus urbis violentus incubator injuſtè vinum ſuum bibebat, aquam quoque ſuam juſte bibens ultra vinum non quærat, & quia nobis irreconciliabilis permanſit, ſic & Deo irreconciliatus ab hac vita migravit.

Godefridus Dux, qui fuit maximus hoſtis Saxoniæ, periit in ſecreti corporis parte perfoſſus ſævo mucrone, nec purgatus ultimâ confeſſione, nec munitus ſacrâ communione.

Godebaldus dum equo ſuo noviter ferrato pedem poſteriorem levaret, ut an aptè ferrum eſſet impoſitum perſpiceret, ab ipſo pede in fronte percutitur, & ſic ab hac vitâ abſtrahitur.

Burchardus Miſnenſis præfectus, dum in quadam ſua, cui præerat, urbe, ab urbanis invaditur, equo cui inſidebat, fruſtra calcaribus vulnerato fugere molitur, quod equus ſæpè prius de velocitate laudatur, modo cum maximè maximo curſu opus erat, fit ſtationarius, quaſi diceret, mihi non licet eum nunc à vobis eripere, qui dum ſibi licuit, nolebat ſe corrigere. Moritur ergo tum magno animæ ſuæ periculo, quòd ſæpè conſenſum præbuit perículoſo ſæviſſimi Regis conſilio.

Luipoldus frater Bertoldi Regis conſiliarii, qui & ipſe ejus conſiliarius erat, dum quadam die juxta Regem equitans cum eo quoslibet ſermones conferret, accipiter quem ſiniſtrâ portabat volitare cepit, quaſi capturam peteret, ille vero poſt avem parumper ſe inclinans ab equo gravis cecidit, & enſem, quo cinctus erat, è vagina lapſum, capulo terræ defixo in pectore medio recepit: & qui ſæpe pravi conſilii conſors, vel auctor fuit, ſine conſilio perpetuæ ſalutis ab hac vitâ receſſit. His ex parte tractatis, multa his ſimilia præteriens, ad iter inceptum volo reverti, quod non aberrando, ſed deviando ſpontè deſerui. Igitur compertâ pontificis legatione & excommunicatione ſive depoſitione Henrici regis, omnes, qui noſtros captivos habebant, quod nullam apud regem miſericordiam, dum Rex erat, invenire poterant, & ei nullam, modò cum Rex non eſſet, fidem vel ſubjectionem debebant; omnes eos in patriam gratis, Henrico neſciente, dimiſerunt. Sed Burchardus Halberſtadenſis Epiſcopus quàm mirabiliter à miſerabili damnatione ſit divinâ pietate liberatus, ad Dei laudem, & ad omnium miſerorum conſolationem referemus. Dum Henricus eſſet juxta Danubium, & ſecum haberet ſororis ſuæ maritum Salomonem, ſimiliter ab Ungariæ regno depulſum, quod temporibus illis vigebat regum depoſitio, genero ſuo jam in patriam redituro, in cujus extremitate paucas urbes vix habebat, Epiſcopum Burchardum commendavit, eumque multum, ut nunquam in Teutonicis finibus videretur, obſecravit: quod & ille promiſit. Quod cum Epiſcopus præſenſiſſet, amicos, quos habebat ibi paucos, paucis, (ſicut tempus monebat) verbis alloquutus, rogavit omnes pro Dei nomine, quatenus de ſuâ cogitarent ereptione. Tunc Othelricus quidam dixit ei, ſtare quandam domum deſertam non longè à littore, monuitque eum, ut hanc arte qualibet intrare tentaret. Epiſcopus ergo tantum cum uno capellano navi impoſitus Ex regem jubetur antecedere, donec ipſe cum ſocero pranſus, eum cum gurgite currens velox inſequatur. Leniter ergo defluens Epiſcopus non in ſumnum diſſolvitur, non in vanis confabulationibus occupatur, ſed cor cum totâ devotione levat ad Deum, oculos in littus tenet intentos, donec præmonſtratam conſpiciat domum. Quâ viſâ rogat nautas, ut in littus ſe velint exponere, quatenus ventrem levando perſolvat debita naturæ. Illi nihil ſuſpicantes in miſerum miſericordes fuêre, & cum capellano comite exire permiſſerunt. Quid moror? cum in illo nullam moram intueor? removetur à littore longius, nautisque ne longius abiret, clamantibus, appropinquat domui, leniterque pulſans, Deumque ſuppliciter invocans dixit: Aperi. Nunquam dixit, neque dicturus eſt cum majori devotione cordis: Aperi, niſi ſi ſperaverit, ſibi quandoque januam regni cæleſtis aperiri. Othelricus paratis equis & ſociis, Epiſcopum ſuſcepit, & die quieſcens, nocte verò feſtinans, eum Dei miſericordia comitante in Halberſtedi perduxit. Quantâ gratulatione totius populi fuiſſet acceptus, mens hebes non valet explicare ſtylo. Etiam qui eum prius odio habuerunt, in occurſu læti gaudentesque cucurrerunt.

Principes ergo noſtri diverſis ab exiliis omnes penè ſimul in patriam reverſi magnam his, qui domi erant, dederunt materiam gaudii, & multis id aperuerunt in laudem Dei. Invenerunt enim totam penè plebem congregatam, exigi tributa à prædiis ſuis perſolvenda, jam ſpe retinendæ libertatis depoſita, quæ juberentur cuncta facturam. Hermannus autem Magni ducis patruus, & Thiedricus de Kathalenburg (hi namque prius aliquanto cæteris venerunt) obſtupefactis omnibus exclamaverunt;

runt; Nolite, dicentes, optimi Saxones, nolite ſervitutis juga recipere, nolite de miſericordia Dei deſperare. Ecce nos, qui veſtri cauſa nos in captivitatem dedimus, Dei clementiâ, illo, qui nos tenebat, invito redimus, pro vobis & veſtris pugnaturi quam diu vivimus. Erigite ergo cervicem, jugo ſervitutis excuſſo liberam, nunquam poſthac ſervitute premendam, adjuvante Deo. Retinete manus à tributis ſolvendis, retinete poſſeſſiones veſtras liberas, ſicut liberas eas à parentibus veſtris accepiſtis. Vos autem fautores iniquitatis, qui miſeræ plebis oppreſſionem crudelis tyranni quæſiſtis, ab opprimendo ceſſate, ab exigendo quieſcite, & ex hac horâ, vel nobiſcum pro libertate pugnaturi fideliter & jurati permanete, vel in hac horâ velut hoſtes infidi & perjuri, à nobis & à patriâ noſtrâ nunquam reverſuri diſcedite.

Talibus verbis & hoſtes confuſi à ferocitate quieſcunt, & cives confortati, priſtinâ virtute receptâ, in unanimitatem facilè coäleſcunt. Coädunati denique præſidia Henrici ab omnibus caſtellis ejiciunt, & illis ea, quorum fuerant, libera reſtituunt: poſſeſſiones alias, quas tyrannus injuſte his, quorum erant, ereptas injuſtius, illis, ad quos nullo jure pertinebant, donaverat auferunt, & eas ad juſtos poſſeſſores redire faciunt. His omnibus in finibus noſtris ritè paratis, diem & locum determinant, ubi concordiam ad defenſionem patriæ renovaturi conveniant; & eos, in quibus infidelitatis ſuſpicio reſideret, aut à finibus ſuis exire, aut ſecum fideliter convenire compellant.

Hæc omnia dum Henricus audiſſet, nimis in animo conturbatur, & Moguntiam veniens, quosdam de reſiduis adhuc captivis ad ſe duci præcepit, & cum eis de pretio, quo ſe redimerent, ut dimitterent, egit. Interea ortâ ſeditione inter Moguntinos & Bambergenſes milites, civitas à Bambergenſibus incenditur, ut aut tota, vel maxima pars ejus arſura videretur, ad quam reſtinguendam dum Henricus ipſe omniſque populus feſtinaret, captivi noſtri ſine cuſtode relicti, inventâ navi, Rhenum tranſierunt, & die noctuque feſtinantes in patriam ſuam pervenerunt, inter quos erat etiam Gertrud nobiliſſimi Ottonis ducis fratris Hermanni vidua, quam Ludovicus ante biennium ferè ceperat, & Domino ſuo Henrico, ut ab ea pecuniam extorqueret (quod & fecit) adduxerat.

Henricus ergo Exrex videns ſuæ voluntati cunctas res adverſari, cum intelligeret, ſe de lupinâ ferocitate parum proficere, pellem non corvinam cogitavit induere, ut oſtenſione pietatis & juſtitiæ deciperet, quos crudelitate violenta ſuperare non poterat. Volebat namque legatos ad Saxoniam mittere, qui dicerent, ſe eis, plus quàm ipſi cuperent, bonum eſſe velle, ſe penitus injuſtitiam cum viriis omnibus, quoad poſſet, abjicere, ſe eis in omnibus pariturum dedere. Sed nullum, qui hanc legationem portare præſumeret, invenit: quòd de ſuis quoque eum nullus, quod ore emiſit, in corde habere credebat, nec aliquis dubitavit, quin, ſi quis Saxonibus valdè jam exaſperatis hoc nuncium falſitatis afferret, pro falſis promiſſis pœnas veraciter daret. Remanſerant autem adhuc duo de noſtris apud eum, Wernerus Magdeburgenſis, ejusdemque nominis Mersburgenſis epiſcopi, qui cum poſſent inviro rege (ſicut alii) repatriare, nolebant, quia in illo, licet impio, Deum, à quo eſt omnis poteſtas, offendere timebant. Hos ergo cum ſupradicta legatione ad Saxoniam miſit, ſed de eorum reverſione nihil eis dixit. Illi verò Saxonibus cum tota voluntate, quod erant juſſi, ſuadebant; ſed Saxones cognitis ejus mendaciis, hæc quoque præmiſſa veneno falſitatis infecta non dubitabant, cumque vellent Epiſcopi eorum reſponſa reportare, juſſi ſunt unum è duobus eligere, aut hic modo ſtare aut huc nunquam poſthac redire. Principes ergo noſtri ſimul adunati, juramentis & obſidibus invicem datis, in unum ſe confirmant, & ut ad invicem firmiſſimè cohærerent, regem, cui ſubjaceant, omnes eligere deliberabant. Sed cum audiſſent, quod Suevos tam crudeliter antiquum fœdus infregiſſe pœnituit, ad eos legatos de renovando fœdere mittere complacuit, ut iterum convenientes in unum, inimicitiarum acerbitatem multa dilectionis ſuavitate ſuperarent, & invicem ſibi donantes contra communem omnibus hoſtem uno de ſe rege facto concorditer ſtarent. Domino quoque Apoſtolico literas miſerunt, quibus, ut vel per ſe, vel per nuncium genti penè perditæ conſolator adeſſet, ſuppliciter oraverunt.

Non

Non modico igitur Saxones exercitu collecto, perrexerunt ad Rhenum contra vicum, qui dicitur Oppenheim, quo & patriarcha cum epiſcopo Patavienſi pontificis Romani legato convenerat, & unà Suevorum non parva multitudo, qui omnes exercitum Saxonicum, dum veniret, expectabant; quibus appropinquantibus patriarcha, ceterique primates, quod de recenti prælio utrorumque gladii adhuc cruore madebant, quamvis per legationes mutuas invicem ſibi donaſſent, tamen ne (quod facile eſt armatis) ſeditio vilibus à perſonis factum fœdus corrumperet, obviam Saxonibus ibant, & amicitiam quam renovaverant abſentes, nunc præſentes confirmare monebant. Hinc ergo dux Otto violenter honore ſuo privatus, illinc Walterus dux eodem honore etiam non juſtè ſublimatus, hac conditione ſibi invicem pacis oſcula dederunt, ut electo (propter quod ex utraque parte convenerant) novo Rege, quicunque eorum ipſum honorem jure retineret, alter ei non invidens libenter concederet. Similiter pacis oſcula dederunt ordinis ſecundi ſive tertii, partis utriusque milites, quicquid invicem ſe læſerant, non ſine multo fletu donantes. Tunc omnes facti ex hoſtibus amici fideles, caſtra poſuerunt tam propè, ut viciſſim populus uterque ſermones utriusque non difficilè poſſet audire.

Cumque jam cœpiſſent de rege conſtituendo ſermones conferre, Saxones ex Suevis, Suevi ex Saxonibus unumquemque volebant eligere, Henricum vero tenebat in alterâ ripâ Rheni civitas Moguntina, omni ſpe regni retinendi depoſitâ. Miſit tamen nuncios, qui tentarent iſtos ad miſericordiam flectere, ut ejus jam ſatis correpti correctionem dignarentur accipere. Sed eorum nullius legatio à quoquam noſtratem accipitur, niſi prius per Apoſtolici legatum ab anathematis vinculo ſolvatur. Ut igitur ſtylus velociter currat, humilitatem pœnitentis accepturos ſe promittunt eâ conditione, ſi vellet implere, quæ ei noſtrates facienda proponunt. Quod cum ille ſpopondiſſet, hoc ei primum proponunt, ut epiſcopum Wormacienſem, qui jam diu fuerat expulſus, potentem faceret urbis ſuæ: deinde ut mox literas ſcribi faceret, in quibus ſe fateretur injuſtè Saxones afflixiſſe, quas à noſtris perſpectas imagine ſua noſtris præſentibus ſignari faceret, & ſignatas per Italiam & Teutonicam terram mittendas per noſtros nuncios noſtratibus daret, ipſeque Romam veniens per dignam ſatisfactionem anathematis vinculo careret. Epiſcopus ergo ſtatim cum magno honore in urbem deducitur, literæ in præſentiâ noſtratium bullâ regis ſignatæ per noſtros nuncios per civitates Italiæ regnique Teutonici diriguntur, ipſe ſe totâ feſtinatione parat, ut per Romani pontificis indulgentiam anathematis ligamen exuat. Noſtrates verò ſinguli Sacramento firmaverunt, ut niſi Henricus IV. Henrici imperatoris filius in februarii menſis initio à banno per Apoſtolicum ſolutus fuiſſet, nunquam amplius ullo ingenio ſuo Rex eorum nec appellaretur, nec eſſet. Quod Sacramentum primò fecit Patriarcha & in literas redactum in ſuum miſit marſupium, quod tamen, quia melius ſervavit in ſcripto, quàm in opere (ſicut paulò ante dictum eſt) crudele dedit ſupplicium. Deinde fecit idem Patavienſis epiſcopus, ſedis Romanæ legatus, & poſt hos omnes, qui aderant, Epiſcopi, duces, Comites, ceterique majores & minores: ſed Epiſcopi plus aliis in hoc egerunt, quòd juramentum in literis etiam ſervaverunt.

Tunc miſſo legato rogaverunt Apoſtolicum, ut in principio Februarii vellet Auguſtam venire, ut causâ diligenter examinatâ coram omnibus, vel eum ſolveret, vel eo fortius adhuc ligato, alium ſibi cum ipſius conſenſu quærerent, qui regnare ſciret. His omnibus peractis, exercitus uterque cum multa charitate dividitur, & uterque tripudians & Deo laudes cantans ad ſua revertitur.

Apoſtolicus autem cùm, ſicut rogatus erat, Auguſtam verſus tenderet, ut ibi ingrediente Februario, qui erat annus Domini M.LXXVII. ſicut placuerat principibus, adeſſet, & noſtrates illuc è contra venire feſtinarent, ut Dominum Papam venerabiliter (ſicut decebat) acciperent; ecce nunciato Apoſtolico, Henricum cum magno exercitu Italiam intraſſe, & ſi ipſe montes, ſicut volebat, tranſcendiſſet, alium Papam illum conſtituere velle. Itaque miſſo velociter noſtris obviam legato, ipſe triſtis, immò multa timens revertitur, ut Italiam à gladio & igne tueatur. Henricus autem per Italiam vagans loco, ſed magis animo, quid ageret, neſciebat, quia, qui quid ageret, regnum perdere timebat. Niſi enim ſupplex ad Apoſtolicum veniret &

per eum ſolutus à banno fuiſſet, regnum ſe non recepturum, pro certo ſciebat. Si verò ſupplex ad ſatisfactionem veniret, timebat, ne ſibi pro magnitudine criminum, regnum pontifex auferret, vel ſibi inobedienti vincula poteſtatis Apoſtolicæ duplicaret. Ergo in multis curis in diverſa dividitur. Quamvis autem utroque modo per ſe perditum & perditurum non dubitaret, tamen illam partem, in quâ aliquid ſpei eſſe putabat, elegit, & laneis indutus, nudis pedibus ad Apoſtolicum venit, dicens, ſe plus amare regnum cæleſte, quàm terrenum; & ideo pænitentiam, quamcunque ſibi vellet imponere, ſe humiliter ſuſcepturum. Apoſtolicus verò de tanti viri tantâ humilitate lætatus, præcepit ei, ut regalem ornatum, donec ipſe permitteret, ſibi non imponeret, quatenus omnipotenti Deo acceptior eſſet cordis ejus contritio, quo eam etiam foris oſtenderet vilis habitus teſtimonio: & ut eos, qui erant excommunicati, convivio vel colloquio vitaret; ne quod in ſe propriâ converſione fuiſſet (Dei gratiâ) mundatum, aliorum contagio fieret magis quàm fuerat immundum. Quod utrumque cum ſe facturum polliceretur, abſolutus hac lege dimittitur, multum monitus ne Deo mentiatur: quod ſi promiſſa non impleverit, non ſolum priora vincula non auferantur, ſed etiam alia ſtrictiora ſuperaddantur. Itaque reverſus ad ſuos, cum cæpiſſet eos à ſuo convivio ſeparare, magnum cæperunt tumultum facere dicentes ei, quia ſi eos, quorum ſapientiâ & virtute obtinuiſſet hactenus regnum, nunc à ſe repelleret, Apoſtolicus ei nec illud reddere, nec aliud acquirere potuiſſet.

His & aliis talibus verbis animus ejus immutatur, & ad conſueta pravo pravorumque conſilio revertitur. Imponit capiti aureum diadema, & in corde retinet ferro fortius anathema. Excommunicatorum communioni miſcetur, & à Sanctorum communione miſer ille repellitur. Nunc fecit omnibus manifeſtum, quàm non verum eſſet, quod dixit: plus ſe amare regnum cæleſte, quàm terrenum. Quod ſi parumper in obedientia permanſiſſet, & regnum nunc terrenum cum pace teneret, & quandoque cæleſte ſine fine poſſeſſurus acciperet. Nunc verò factus inobediens, & hoc, quod amat, non habebit niſi cum magno labore; & illud non accipiet, niſi magna totius vitæ mutatione.

Intereà Saxones & Suevi Forcheim conveniunt, ſed & de aliis regionibus legati aderant, quicquid iſti de republica commodè definierint, idem laudare ſuos indicant. Aderat etiam legatus Apoſtolicus, qui cuncta, quæ de regno noſtrates utiliter diſponerent, Apoſtolicæ ſublimitatis autoritate firmaret. Ex multis, quos probitate dignos in electione propoſuerunt, tandem Rudolphum Suevorum Ducem, regem ſibi Saxones & Suevi concorditer elegerunt. At cum ſinguli deberent eum regem laudare, quidam volebant aliquas conditiones interponere, ut hac lege eum ſuper ſe levarent regem, quatenus ſibi de ſuis injuriis ſpecialiter promitteret juſtificationem. Otto namque Dux non prius volebat eum ſibi regem conſtituere niſi promitteret, honorem ſibi injuſtè ablatum reſtituere. Sic & alii multi ſuas ſingulares cauſas interponunt, quas, ut ille ſe correcturum promitteret, volunt. Quod intelligens Apoſtolici legatus fieri prohibuit, & oſtendens eum non ſingulorum, ſed univerſorum fore regem, ut univerſis juſtum ſe promitteret, ſatis eſſe perhibuit. Ait etiam, ſi eo modo, quo cæptum fuerat, promiſſionibus ſingillatim præmiſſis eligeretur, ipſa electio non ſincera, ſed hæreſis Simoniacæ veneno polluta videretur. Tamen quædam ſunt ibi cauſæ ſpecialiter exceptæ, quas, quòd injuſtè viguerant, deberet emendare, ſcilicet ut Epiſcopatus non pro pretio, nec pro amicitia daret; ſed unicuique eccleſiæ de ſuis electionem (ſicut jubent canones) permitteret. Hoc etiam ibi conſenſu communi comprobatum, Romani pontificis auctoritate eſt corroboratum, ut regia poteſtas nulli per hæreditatem (ſicut ante fuit conſuetudo) cederet, ſed filius regis, etiamſi valdè dignus eſſet, per electionem ſpontaneam, quam per ſucceſſionis lineam rex proveniret: ſi verò non eſſet dignus regis filius, vel ſi nollet eum populus, quem regem facere vellet, haberet in poteſtate populus. His omnibus legaliter conſtitutis, Rudolphum electum regem Moguntinam cum magno honore deducunt, & ei, dum conſecrationem regis accipiebat, venerabiliter & fortiter (ſicut mox apparebat) adſiſtunt. Conſecratur autem à Sigisfrido Moguntinæ civitatis Archiepiſcopo, præſentibus & adjuvantibus aliis quàm plurimis, anno Domini MLXXVII.

Digitized by Google

MLXXVII. VII. Kal. April. Ipſo verò die conſecrationis ejus penè contigit miſerandum facinus, ut fieret dies unus principium & finis regni ipſius, & de eo verè poſſit noſci proverbium; Quod tam vigil rex eſſet, ut in regno ſuo nunquam vidiſſet ſomnum. Namque cum ipſa die ejus unctionis in introitu Miſſæ invitaretur ſub nomine Jeruſalem, tota fidelium eccleſia ad læticiam ſpiritualem, & inde habeat omnis ferè eccleſia, etiam in religioſis perſonis, ipſo die ad ludum venere communem, cauſam ob duplicem, cùm regiæ conſecrationis, tum magis antiquæ conſuetudinis.

Urbani verò videntes hunc ludum, in crudelem ſunt accenſi zelum, & quia magis favebant Exregi, quàm regi, cogitabant illum ludum turbare, & ſemen aliquod, unde ſeditio naſceretur, immittere; ad quam ſedandam dum rex procederet, modo quolibet occiſus interiret. Miſerunt ergo quosdam ſuos juvenes, ut curialium ludo ſe miſcerent, & aliquam qualibet arte materiam belli conſtruerent. Itaque unus ex ipſis, cujusdam nobilis ex curia cruſinam gulis ornatam; quaſi furtim præcidit, & inde quaſi furtum volens abſcondere, receſſit, & tamen malebat deprehendi, ut acciperet, quod accepit. Nam ille, cujus honeſta veſtis erat dehoneſtata, ut illum, qui ſuæ veſtis partem geſtabat, inſequutus eſt, colaphum ei tantum dedit, ſuique veſtimenti particulam recepit. Tunc Urbani in ſubſidiis ad hoc ipſum collecti curiales inermes incurrunt armati, & multos ex eis acriter vulneraverunt, aliquos etiam occiderunt. Nam arma curialium in hoſpitiis derelicta, dum ipſi circa regem frequentes eſſent, Urbani præripuerant, & ne illi, quorum erant, ea invenire poſſent, effecerant. Rex talia videns volebat ſe periculo dare, & vel ſuos eripere, vel cum eis ſimul occumbere ſed quia circa eum erant, totum hunc tumultum propter eum fuiſſe inceptum, cognoverunt, & ideo eum de palatio deſcendere non permiſerunt. Contraxerunt ergo ſe curiales, & omnis exercitus in majorem eccleſiam S. Martini, & ibi conglobati, conſiliis, armisque moniti, ſubito cum magno impetu exierunt, & Urbanos aut occiderunt, aut cæperunt, præter eos, qui fugæ ſe credentes timore pernicitatem præbente abierunt velociter. In craſtino verò omnes ex urbe majores ante regem ſupplices venerunt, & de malitia, quam fecerant, ſupplicia, quæ rex volebat accipere, dederunt, & ut poſthac in perpetuum fideles ei manerent, juraverunt. Sed rex non habens eis fidem, civitatem dimiſit, & ad Suevos abiit, ibique parum moratus ad Saxoniam tranſivit. Nam Dominicæ reſurrectionis feſtivitate apud Auguſtam civitatem celebratâ, in pentecoſtes ad Erpesfort venit, & inde non parvâ Saxonum multitudine cum regali honore deductus, Apoſtolorum principum principalem in urbe Merſeburgenſi devotione multâ celebravit. Quo cum de cunctis Saxoniæ partibus majores & mediocres conveniſſent, regemque ſicut à principibus erat electus, unanimiter in regno confirmaſſent, dixit rex, ſibi non videri decens vel utile, Saxones quaſi plena pace potitos domi quietos ſedere: ſuaſitque illis, ut exercitu collecto, hoſtiles ultro partes invaderent, quatenus aliquid fortiter agendo, & à ſe deſidiæ, qua notati erant, nomen abjicerent, & hoſti, qui de victoria ſuperbus tumebat, arrogantiam minuerent, quod & ipſi læti fecerunt.

Igitur in Auguſto menſe cum magna exercitu rex Rudolphus urbem Wirceburg obſedit, ad quam velut expugnandam machinas diverſi generis parari juſſit. Quæ dum parabantur, ipſe ſicut rex Chriſtianus, Deum timens, ſecum cogitabat, quòd ſi urbs capta fuiſſet, ab eccleſiis vel eccleſiaſticis rebus diruendis vel diripiendis vulgus ſemel intromiſſum nec ipſe rex revocare poſſet. Ergo lentus ibi ſedebat, & occaſiones diverſas, ne pugnaretur ad urbem quærendo, integrum ferè menſem nihil proficiens ibi manebat; maluitque glorioſam, quaſi urbem capere non poſſet, habere contumeliam, quàm periculoſam, ut urbe deſtructa, nulli ſacræ rei parceretur, acquirere gloriam. Interea Henricus Exrex exercitu nec magno, nec forti congregato (Nam maxima ejus pars ex mercatoribus erat) obviam noſtris ire paravit, pigroque progrediens inceſſu, Bavaros & Bohemos, quos ſibi in auxilium venire ſperabat, fruſtra exſpectavit. Quo rex Rudolphus audito, lætus obſidionem dimiſit, hoſtique ſævo ſævior occurrere feſtinavit. Ad fluvium itaque qui vocatur Neckar, exercitus ambo convenerunt, & in diverſa ripa, animo pugnandi diverſa caſtra poſuerunt. Nam noſtri dederunt illis optionem, ut vel ipſi longius à littore recedentes, ſibi facultatem tranſeundi concederent, vel ipſi noſtræ ripæ ſpatio ſecuri accepto, cum noſtris pugnaturi tranſirent.

Illi verò quantivis multis, ut utrumlibet facerent, conviciis eſſent exagitati, neutrum facere voluerunt. Cum autem multos ibi dies ſediſſent, illisque noſtri locum ad ſe veniendi ſæpè fruſtra dediſſent, tandem illi nec ſe noſtris pares, nec auxilium, quod ſperabant, venire videntes, cùm militari non poſſent virtute, aſtutiâ tentabant à ſe bellum iſtud amovere. Fecerunt enim cum noſtris pacem ſequeſtram, qua (ſi poſſet fieri) per mutua colloquia pervenirent ad pacem perpetuam. Ad ſe invicem igitur veniendi ſecuritate conceſsâ dixerunt illi: quid opus eſſet noſtris ſecum ferro decernere, cum ipſi parati eſſent, rem verbis agere: & ſiquidem noſtram cauſam juſticia commendaret, ſe relicto ſuo domino, noſtris adſociari, eâ conditione, ut ſi ſua cauſa melior eſſe probaretur, noſtrates illis eadem lege conjungi non dedignarentur. Quod cum noſtri laudaſſent, & ipſe rex noſter ſe, ut pax inter eos fidelis fieret, libenter à regno deſcenſurum promiſiſſet, conſtituto die, quo ad hanc cauſam terminandam neutro rege præſente venirent, ab invicem ambo exercitus diſceſſerunt; & ecce illi magnam turbam ex Bavaris & Bohemis, quos jam diu exſpectaverant, advenire viderunt. Quo cognito, Henricus nimis fit lætus, factæque pacis oblitus, jam noſtros à tergo minus cautos invaderet, ſi principes illi, qui pacis faciendæ mediatores vel auctores fuerant, fidem ſuam contaminare non timerent. Itaque noſtrates domum cum pace reverſi, annum fuerant integrum, nec lædentes aliquem, nec ab aliquo læſi.

Sequenti verò anno, qui erat ab incarnatione Domini MLXXIIX. iterum Saxonicus congregatur exercitus, & miſſa legatione Suevos obviam ſibi venire rogaverunt; ut utriusque populi virtute conjunctâ, omnes ſibi adverſantes, vel à ſe tranſire compellerent, vel ſibi fœderari nolentes dirâ bellorum tribulatione fatigarent.

Quod cognoſcens Henricus, robore congregato, intervenit medius, nec eſt paſſus, ut uterque in unum conveniret exercitus. Exercitus ergo Saxonicus ad Methelrikeſtat venit, ibique Henricum cum non parvo virtutis robore invenit. Quid in narrando moram facio, cum illi nullam feciſſent in agendo? prælium incipitur fortiter, imò crudeliter: ex utraque parte pugnatur, & hinc & inde fuit diverſus eventus pugnæ, fugiunt iſti, fugiunt illi; noſtri capiuntur, ſed eripiuntur, hoſtes interficiuntur. Ex noſtris itaque primi fecerunt fugam, qui nunquam venire debuiſſent ad pugnam, Epiſcopi ſcilicet unius nominis, ſed (ut ita dicam) non unius ominis; uterque enim Wernerus vocatur: ſed Magdeburgenſis ab incolis illius patriæ interceptus, miſerabiliter occiditur.: Merſeburgenſis verò deſpoliatus in patriam nudus revertitur. Quod illi me non ad contumeliam, quisquis hoc legit, dixiſſe putet, ſed ad gloriam: quod ab ipſius ore non ſemel audivi, quod ipſam nuditatem non toleraſſe nollet pro pondere quolibet auri vel argenti. In eadem fuga ſunt capti Bernhardus Romanæ ſedis Archidiaconus, Sigisfridus Archipræſul Moguntinus, Adelbertus Wormacienſis Epiſcopus. Sed duos illos non longè poſt eripuit DEI Clementia, tertius iſte perductus eſt in Henrici crudelis tyranni præſentiam: qui tamen longe poſt invito tyranno divina liberatur miſericordia. Interea noſtri qui fortes hoſtibus ſe primo miſcuerant nihil de poſt terga relictis ſcientes adverſariis fortibus fortes reſiſtebant, minus vero fortibus fortius inſiſtentes eos fugæ præſidiū petere compellebant. Ibi quidam de noſtris adverſarium ſibi videns obvium velut ſuum ſalutavit ſocium dicens: Sancte Petre, quod nomen Saxones pro Symbolo tenebant omnes in ore. Ille vero nimium ſuperbus & tantum deridere nomen exorſus, in ejus vertice librato mucrone: Hoc, inquit, tibi tuus Petrus mittit pro munere & nondum ſermonem finierat totum, cum gladium Saxonis alterius in cerebro habebat, dicentis: Et hoc habeas munus ex parte tui Henrici tyranni inſanientis. Hardewicus tunc Moguntini præſulis Archicapellanus in eodem die poſt annum, urbem Magdeburgenſem Archipræſul ingreſſus ab hoſtium multitudine, ne ullus ei locus eſſet evadendi eſt circumvallatus, cui cum illi velut capto illudentes dicerent, quod libentius eum tunc in gratia domini ſui (ſicut olim fuit) aſpicerent: Ille ſicut Vir prudens ita temperavit reſponſum, ut nec mendacium proferret, & tamen eos fallendo periculum præſens devitaret. Paucis enim (ſicut tempus poſtulabat) verbis reſpondit: Sicut video, dicens, in cubiculo domini Regis heſterna nocte nullus veſtrum me vidit: ſed feſtinemus ad amicos noſtros, ne nos inimici deprehendant incautos. Erant autem non longe ante parva Saxonum

[illegible] legione,

legione, quas cum illi ſuos putarent, etiam ſe pene captos agnoſcerent: Pergite, dixit, ille, quo vultis, ego meis adjungar amicis. Wilhelmus Geronis Comitis filius, cum temere paucis ſe comitantibus iret, ab Everhardo, qui de magnitudine barbæ agnomen habebat, ex improviſo capitur, & Henrico domino ſuo magna pars triumphi præſentandus à militibus ſuis ducitur: Ipſe verò non longe quaſi ne ab aliquibus eripiatur proſpiciens inſequitur, & ecce copiæ Saxonum majores illi de latere veniunt, & eum non multum repugnantem citius occidunt. Quod videntes illi, qui Wilhelmum ducebant, ejus obliti, ad ſuum Dominum feſtinabant. Ille vero ſui non oblitus, quanta potuit velocitate ad ſuos eſt reverſus.

Interea Dux Otto, & Fridericus Palatinus de Somerſchenburg diverſis in partibus acriter pugnantes non ante ceſſaverunt, quam Henricum cum omnibus ſuis ad fugam coëgerunt eosque fugientes tam diu ſunt inſecuti donec eos muro Wirceburgenſi videbant includi. Sed Fridericus neſciens, quid Otto Dux egiſſet, ad locum prælii tripudians revertitur, quia ille qui fugatis hoſtibus locum cædis obtinuerit victor habetur. Otto vero Dux non longe poſt eodem reverſus, viſa tanta multitudine putabat eos hoſtes eſſe, & quia valde feſſus erat non credebat utile cum eis pugnam incipere: Miſit tamen exploratorem, qui ſibi perquireret veritatem. Qui cum ibi moram fecere, reputans ille, quod ab hoſte captus vel occiſus eſſet, quia nullum de ſociis quem cognoſceret invenit Victor, ſed non lætus quia neſciebat, ad patriam revertitur. Fridericus autem collectis ad ſe de diverſis partibus à prælio revertentibus, noctem illam in multa lætitia & maxime in divina laude transegit. In craſtino vero receptis omnibus, quæ vel ſocii vel hoſtes ibi reliquerant meliora quæ poterant aſportare, ſecum tulerunt. Cætera vero, ne prodeſſent hoſtibus igni dederunt. Inde vero cum magno gaudio cantuque redeuntes, Smelekallan, & cæteros in circuitu vicos aut villas prædationibus & incendiis vaſtaverunt, quod incolæ illi pridie noſtros fugientes ſpoliaverant vel occiderant. Sigisfridum quoq; Moguntinum præſulem, quem captum cum multis aliis adhuc ſervabant violenter eripuit: ſecumq; gaudentes, & hymnos Deo canentes ad Saxoniam reducunt. Poſtquam vero diverſis ex partibus omnes noſtris convenerunt, & quid fortiter egiſſent, vel quanta pericula qualiter evaſiſſent, invicem ſinguli retulerunt, non ſine multo fletu multas laudes unanimiter DEO reddiderunt tum pro victis & fugatis hoſtibus, tum etiam pro liberatis tantis ſacerdotibus.

Ex noſtris itaque partibus præter Epiſcopum Magdeburgenſem, qui cecidit in fuga, nemo qui dignus ſit nomine periit in illa pugna: Ex hoſtili vero parte jacuerunt ibi de Principibus nobiliſſimis Everhardus Barbatus, qui hujus belli erat incenſor ſæviſſimus, Poppo ſimul & Theobaldus & Henricus de Lechesmundi: Factum eſt ergo hoc prælium ſecundum Anno Domini MLXXVIII. VII. Idus Auguſti feria tertia. Corpus vero Archiepiſcopi ab ipſis Magdeburg translatum in monaſterio S. Mariæ, quod ipſe conſtruxerat eſt honorabiliter tumulatum. Hic ordinaverat Miſnenſi Eccleſiæ Craft & Bennonem Epiſcopos, Bernhardo quoque Abbate S. Johannis Babtiſtæ de monte Abbatiæ defuncto ordinavit Bernhardum minorem eidem Eccleſiæ Abbatem. Ipſe etiam in diebus ſuis divinæ revelationis inſtinctu principale cum tota majori Eccleſia altare, quod per incendium deſtructum eſt Anno Domini MLXXIIX, conſecravit priori deſtructo ac incluſis multorum Sanctorum integris corporibus videlicet Benningi, Victorini, Vincentii, Hilarii, Siſinnii, Florentii, Innocentii, & Felicis, Timothei & Apollinaris, Eleutherii, Sergii & Bachi, Innocentii, Gratiani & Sacerdotis, Pontiani, Fortunati, Candidæ Virginis. Sed & aliorum multorum, quorum vel numerum vel nomina idcirco neſcimus, quia veraciter à noſtris ſenioribus didicimus: quod primi hujus Eccleſiæ patres eorum Sanctorum: quos plus amabant deleverunt nomina, ut ipſos eis invitis nullus auferret. Super altare veneratur in Sarcophago corpus S. Florentii Epiſcopi & Martyris. Iſte piæ memoriæ (ut præmiſimus) frater fuit Annonis Colonienſis Archiepiſcopi, uterque oriundus ex alto ſanguine Svevorum, de Caſtro quod Stutzlinge nominatur: Ex horum ſtirpe deſcenderunt, genere paterno, Albertus de Arenſtein & ſui fratres, ac alii de Beſenrode.

HARDEWICUS Nonus Archi-Epiſcopus, ſedit annos XXII. Menſes X. dies X. *Hic Moguntinenſis Eccleſiæ canonicus, ac Erfordenſis præpoſitus, vir de principibus Francorum nobilitate clariſſimus, inſtituente Rudolpho Rege, noſtræ ſedi eſt præla-*

 tus

tus ac eodem, quo deceſſor ſuus peremptus deceſſit redeunte poſt annum die eidem ſucceſſit, qui ordinationem à Godeſchalco Havelbergenſe Epiſcopo Pallium vero à Gregorio VII. qui & Hildebrandus percepit. Hujus Archiepiſcopatus anno ſecundo, id eſt, ab inarnatione Domini MLXXX. menſe Januario, Henricus iterum congregato non parvæ multitudinis exercitu, Saxoniam volebat invadere: reputans Saxones (utpote quietem dum pax erat amantes) non frequentes exire hyemis tempore. Saxones verò multis laboribus exercitati, & per multas inquietudines à ſomno quietis expergefacti, tota virtute ſtudebant ei obviam venire, & ejus impetum ab invaſione regionis ſuæ repellere. Sed ille ſolida calliditate Saxones ab invicem multa promittendo diviſerat, ut non diu ante diem prælii Widekint, Wipreche; & Theodoricus Geronis filius cum multis aliis Saxonibus ad hoſtes tranſirent: & Eckibertus Marchio cum ſua legatione neutri parti accedens, non longe à præliantibus lentus ſederet, eventum belli dubius expectans, ut cui parti victoria cederet ei congratulando accederet. Igitur exercitus uterque convenerunt, in loco qui Flatechim vocatur, & ſic conſederunt, ut inter eos rivus non latus, ſed profundus haberetur.

Itaque noſtrates ad defendendum partis ſuæ littus ordinati, illos ad ſe venturos in declivi montis exſpectant, ut ipſius opportunitate loci deſcendentes hoſtes ſupinos facilius retrorſum impellant; & Ottoni Duci, quo primus pugnam conſerat, imperant. Ergo dum ſic ordinati noſtrates, adverſum ſe venturos hoſtes attendunt, illi (ſicut ſemper ſolebant) calliditate pugnaturi, noſtros improviſi circumveniunt, & dum à fronte venire putantur, ſubito poſt tergum reſpicientibus adeſſe videntur. Tunc Rex Rudolphus velocem miſit Ottoni Duci nuncium, per DEUM obteſtans, ut antiquæ memor virtutis, ſicut diſpoſitum fuerat ipſe bellum primus inciperet non refugiat. Cui Dux Otto reſpondit ſi ſibi, ſicut putabantur, primo veniſſent, ſe nullatenus eorum violentiam formidare; nunc vero ſe non noſſe ſuæ legionis ordinem convertere: & rogavit, ut illi quibus primo veniſſent eos tota virtute ſuſciperent, pomittens ſe cum primum poſſet, eis in auxilium venturum. Denique multo aliter incipitur, quam diſpoſitum fuiſſet: nam noviſſimi fuerunt primi, & primi noviſſimi. Acriter itaq; utrinq; pugnatur, ſed momento brevi finitur. Nam Saxones citiſſimè converſi, hoſtibus qui ſibi venerant à tergo vultus horribiles oſtendunt & non ante quieſcunt, quam eos in fugam verſos ſibi terga monſtrare compellunt. Victores itaque Saxones reverſi, multas, ſicut decebat, laudes referebant omnium bonorum largitori. Ex noſtris autem jacuit in illo prælio Meinfridus Magdeburgenſis præfectus, ex illis vero Falmarus & Pragenſis præfectus, & cum eis Bohemorum cæterorumque non parvus numerus. Henricum autem, qui mox incepto prælio fugæ ſe commendavit, Ludovicus per ſylvam ſemitis latentibus abduxit. Exercitus vero ejus non longe poſt ad ejusdem fugæ præſidium coactus, juxta quoddam caſtellum quod dicitur Wartberg fatigatus conſedit & ibi donec cibis & requie recrearentur corpora, repauſavit. Noſtrates verò qui caſtellum tenebant impetu ſubito eos inſiliunt, & eis fugatis omnia pene, quæ habebant, diripiunt, equos, arma, vaſa, aurea & argentea, piper & alia pigmenta, pallia & pretioſa veſtimenta. Erat enim in eadem ſocietate patriarcha, & alii partium illarum principes qui ſecum divitias portaverant ingentes: Factum eſt autem hoc tertium prælium Anno Domini MLXXX. VI. Calend. Febr. feria ſecunda.

Eodem anno menſe videlicet Octobri Henricus militiæ laboribus infatigabilis, iterum congregavit exercitum, ut invaderet Saxoniæ regnum, Saxones vero cum ingenti multitudine occurrerunt ei in loco, qui Cancul vocatur, ibique caſtris poſitis ſederunt, ut fines ſuos cum DEI adjutorio ab hoſtili invaſione tuerentur. Cumque miſſis exploratoribus ille noſtram virtutem cognoſceret, & ei cum ſua virtute congredi non auderet, ad artem malitiæ convertit ſe, dolique calliditate agmen noſtrum in duas partes diſpergit, ut quod integrum, ſuis viribus diffidens adire non præſumebat, diviſum per partes ſi neceſſitas compelleret, aggredi non formidaret. Nam cum prælium devitans cum univerſo exercitu ſuo contra Erpheſtort tenderet, velociſſimos equites retro contra Goslariam mitit, qui quibusdam villis incenſis ad ſe velociter properarent. At Saxones per ſuos exploratores iter ejus contra Erphesfort edocti cum eum facile poſſent inſequi, vel etiam prævenire, viſo poſt dorſum fumo illuc univerſi

feſtinant,

feſtinant, ut ei Goslariam & eas partes Saxoniæ prohibeant. Ille vero ceptum iter ad Erphesfort peragens oppidum jam ſuccenſum fuerat deprædatus, cum noſter exercitus ſe deceptum intelligens, magna turba peditum ſimul & equitum derelicta illum eſt inſecutus. Cumque jam illi noſtrates appropinquarent, eumq; Neuburg Epiſcopatum intendere velle viderent, propero curſu eum per montana prævenientes, urbem ab incendio fortiter defenderunt. Quo ille cognito obvia cuncta comburens & vaſtans, ad fluvium, qui dicitur Elſtera, pervenit: Cujus magna profunditate viſa nolens ibi caſtra locavit.

Hic diverſorum diverſas opiniones mihi contigit agnoſcere, ſed cui earum veritas accedat, non licuit mihi ſcire. Alii namque dicebant quod bis à prælio diſcedebat victus, amplius eum fortunam prælii nolle tentare, ſed noſtris arte ſua deceptis magnam partem regionis velle comburere ſicque ſine prælio, quaſi cum victoriæ gloria ſuas in partes declinare, ſed inſcium fluminis hujus profunditatem incurriſſe ſicque coactum, quod non facile transire poterat, prælio ſe commiſiſſe. Alii vero putabant quod induſtria malevolentiæ hunc pugnæ locum elegiſſet, ubi ſuis (quibus non bene credebat) aut fortiter eſſet pugnandum, aut turpis fugæ præmium periculum fluvii ſubeundum. Alii vero credebant, quod ideo regiones iſtas peteret quod Miſnenſium vel Bohemorum, pro quibus legatos miſerat, auxilium ſperaret, qui ſibi (ſicut expectabant) fuiſſent adunati, inde per Merſeburg & Magdeburg per univerſam potenter tranſiens Saxoniam, cuncta poſſet depopulari ſuæque in perpetuum ſubjicere dominationi.

Igitur Henricus caſtris in Elſtre ripa locatis craſtino mane primo ſuas acies diſpoſuit quod nullum prælii moram per ſe fieri voluit: cum ecce noſtri multa feſtinatione ſimul & itineris aſperitate fatigati multis in via laſſitudine derelictis adveniunt, & audientes, quod hoſtes eſſent, è contra ſine mora ſe ad defenſionem patriæ ſuæ diſponunt. Cum vero pedites admodum pauci eſſe (plurimis non valentibus ſequi) conſpicerentur, omnes qui non ſatis fortes equos habebant, ex equitibus pedites fieri jubentur, & tunc ordinati, hoſtibus obiam paulatim progrediuntur. Epiſcopi vero clericos omnes qui aderant: ut Pſalmum 82. multa devotione cantarent admonebant. Exercitus autem uterque ad paludem, quæ vocatur Gronah convenerunt, & quia ſine vado palus erat, exercitus ambo dubitantes ibi ſubſtiterunt, & alteros alteri, ut priores ad ſe tranſeant, opprobriis increpantes, utriq; ſuam ripam immoti tenuerunt. Tandem noſtri caput ipſius paludis non longe eſſe cognoſcentes ad illud tendebant, quo viſo contrarii æquo itinere ad eundum terminum paludis pergebant. Ibi cum in tuto veniſſent, conſeruere manus & utrumque fecerunt miſerabile facinus. Henricus autem, mox ut eos viciſſim miſceri conſpexit, ſe (ſic ut ſolitus erat) in fugam dedit. Exercitus vero tanta virtute noſtris inſtabant, ut quibusdam terga dantibus ad illorum caſtra fallax fama veniret, quæ Saxones eſſe victos ore mendacii cantaret, Rappodo unus de ſummis principibus portatur occiſus, quem qui ferebant, his, qui in caſtris erant de longe, fugite, fugite, clamabant. Otto namque Dux aſſumpta peditum turma, illis, qui noſtros in fugam verterant, æquam vicem rependit eosque terga ſibi monſtrantes inſequi non ante deſiſtit, quam eos per media caſtra feſtinantes fluvium ſatis cum periculo tranſiſſe conſpexit. Nam fere non minor hoſtium pars in fluvio periit, quam in prælio. Tunc pedites plenam ſe ſperantes victoriam, caſtrorum volebant invadere rapinam. Sed Dux Otto prudens in bello timens ne adhuc hoſtes aliqui poſt terga remanſiſſent, monuit eos à præda manus interim continere, donec certi, quod nullus hoſtis à tergo latuiſſet ſecuri poſſent hoſtilia caſtra diripere. Itaque reverſus cum peditibus invenit in loco prælii Henricum de Lacha cum maxima parte exercitus, jam quaſi de victoria triumphantem & Kyrieleyſon læto clamore canentem. Quam multitudinem cum vidiſſet Dux Otto voluit eam devitare primo, quod non eam turbam ſe vidit habere cum qua cum tanta legione putaret tutum pugnare: ſed rurſus recogitans, quod DEO non eſt difficile multos in paucis vincere, fortiter eos adivit, & (DEO dante illis Spiritum timoris) cito eos in fugam convertit. Omnibus ergo aut in fluvio merſis aut ultra fluvium fugatis. Nunc, ait Dux Otto, caſtra ſecuri perquirite, nunc tuti quicquid inveneritis accipite, & quicquid hodie fuit hoſtium veſtra virtute vobis præſtante, veſtrum vocate. His verbis nondum finitis

hoſtilia caſtra pervadunt, & omnia quæ ſunt inventa, feſtinanter invadunt. Sunt autem inventa multa pretioſa tentoria, multa Epiſcoporum ſcrinia ſacris indumentis & vaſis plena, multa vaſa aurea & argentea, quotidianis uſibus apta, multæ quoque argenti vel auri laminæ, multaque maxima pars numeratæ pecuniæ, equi quam plurimi ſimul & optimi, arma generis univerſi mutatoria, cæteraque ſine æſtimatione veſtimenta, vel (ut breviter dicam) quicquid Epiſcopi Colonienſis fuit, Treverenſis & alii fere quatuordecim ſecum attulerant, quicquid Dux Fridericus, Comes Henricus, cæterique ditiſſimi homines ſecum portaverant, quicquid in Erphesfort rapuerant, omnia illa noſtri ſimul deripientes ad caſtra ſua venerunt triumphantes.

Illi vero qui gladium effugerant, quantas calamitates in fluvio, ſylvis, paludibus ſuſtinerent, nulli eſt credibile cui non contigit hæc omnia loca præſentialiter videre. Fluvius enim tales ex utraque parte ripas habet, ut hic nemo niſi cadens poſſit intrare, illic nemo niſi fruticetis vel herbis arreptis repens poſſit exire. Multi fugientes, cum hic proni fluvium velociter inciderent, & illic de dorſis equorum ripæ inſilirent, gladio ripam cædebant, ut equos poſt ſe de fluvio extraherent, tandemque cædendo fatigati, equis derelictis armisque projectis fugam trepidi corripuerunt.

Ergo quicquid Unſtrad (ubi victi ſumus) in nos peccavit Eſtrad pro nobis dupliciter vindicavit. Illic enim tantum noſtrates fugientes amiſerunt, iſthic & hoſtiles & noſtras quas prædando tulerant fugientes hoſtes, fugientibus & interfectis abſtulerunt. In fuga vero quamplurimi fortes viri à ruſticis ſecuribus & fuſtibus occiſi, multi nobiles & illuſtres ſunt à perſonis vilibus capti, multi fame crudeliſſima cruciati equos & gladios pro fruſto panis dare non dubitabant, nec ſi panem venalem invenirent, ulli ſuæ rei parcebant. Si qui vero capti ad aliquem de noſtris hominem probum ſunt adducti, ſanati, ſi vulnerati erant, gratis in patriam ſuam remittuntur, veſtibus & armis decenter inſtructi. Tunc dictum illis quod Henricum Dominus eorum poſt Bohemos miſiſſet, & illis venientibus cum eodem, qui adhuc reliquus erat, exercitu, Saxoniam repetere voluiſſet. Sed illi reſponderunt, ſe potius, ſi poſſibile eſſet, totum mundum velle circuire, quam Saxoniam terram unquam magis tranſire. Interea Saxones ad ſua caſtra reverſi repererunt imminutam magnam partem ſui gaudii, quod Rex eorum Rudolphus duobus acceptis vulneribus, uno lethali, altero deformi, magis quam ſuum dolebat caſum populi. Sed cum cognoviſſet, quod ſuus haberet victoriam populus. Nunc, ait, lætus patior vivus & moriens, quicquid voluerit Dominus, Quamvis autem dextera manus illi fuiſſet amputata, & grave vulnus haberet, venter ubi deſcendit ad ilia, tamen ut illos, quos de ſua morte videbat dolentes conſolaretur, ſe non in præſenti moriturum fidenter pollicetur, ſuique poſtponens curam, ſuis vulneratis oſtendebat, quam deceret adhiberi medicinam. Qua fortitudine ſimul & pietate noſtri principes valde commoti, concorditer ei omnes ſpoponderunt, ut ſi DEus omnipotens illius vitam ſervare vellet, eo vivo, etiamſi utraque manu careret, Saxonia nullum alium rectorem eligeret. Qua fide multum ille lætatus, felici eſt morte reſolutus, ac inde translatus Merſeburg, ſicuti hodie patet ab ipſis honorificè eſt tumulatus. Factum eſt autem hoc prælium quartum anno ab incarnatione Domini MLXX. Id. Octob. Feria V. Deinde menſe Decembri cum principes noſtri congregati de ſtatu regni ſui tractarent, ecce nuncius aderat, qui diceret. Henricum ad ſuos de prælio reverſum jactaſſe, quod Rege Saxonum occiſo totam Saxoniam ſuæ ditioni ſubjeciſſet & nunc exercitu congregato adventare ita ut Goslariæ Natalem Domini celebraret. Sed noſtri magno exercitu per triduum collecto, ei perrexerunt obviam, virtute ſuam defenſuri patriam. Quod ille cognoſcens à magna ſpe decidit, quod Saxones dum non haberent rectorem, facile vinci poſſe ſperavit.

Igitur exercitu ſuo dimiſſo, conſilioque mutato, miſit ad Saxones legatos, ut quandoquidem nollent eſſe ſine rege, filium ſuum ſibi facerent Regem ſeque illis jurare, quod nunquam intraret terram Saxoniæ. Cui legationi Dux Otto (ſicut erat ſolitus jocoſe magna ſeria nonnullo ſchemate ludenti velare) reſpondit: Sæpe, dicens, ex bove malo malum vitulum vidi gnatum: Ideoque nec filii nec patris habeo deſiderium.

Trans-

Tranſacto vero natali Domini proximo, quo MLXXXI. ab incarnatione Domini inceptus annus erat, Henricus Exrex Italiam diſponebat ingredi, ut imponeret aliquem finem rerum ſuarum longo labori, ſcilicet ut vel Domino Papa Gregorio humiliatione ficta placato, ſive vi tyrannica coacto vincula banni, quibus erat ligatus exueret, vel (quod magis volebat) Gregorio per vim de ſede Pontificatus ejecto, & in ipſa ſede Wiperto Ravennate collocato, qui jam per triennium juſte fuerat excommunicatus libere faceret omnia quæ ſuæ tyrannidi placerent, cum de ſede Apoſtolica omnis ſuæ voluntatis favorem haberet. Sed familiares ipſius non tantum putabant fore, Saxonibus recenti prælio vehementer exacerbatis invadendos fines ſuos relinquere: cum de adventu illorum dubitationem nullam haberent, ſi pergentes in Italiam ſuam patriam ſine virtute militari dimitterent.

Miſerunt ergo principibus noſtris nuncios, qui ſingulare colloquium rogantes, tempus & locum præfinirent, quo ex utraque parte principes electi de communi bono tractaturi convenirent. Convenerunt autem ultra fluvium, qui Waſara dicitur, in ſylva, quæ inde Capuana vocatur, quod ad urbem, quæ Capua nominatur, pertinere cognoſcitur. Convenerunt autem Epiſcopi ex illa parte Colonienſis, Treverenſis, Bambergenſis, Spirenſis, Trajectenſis, ex noſtra vero parte Maguntinus, Magdeburgenſis, Saltzburgenſis, Pathorbrunnenſis, Hilhesheimenſis: Cumque qui ex illa parte erant ſecretum, quod ſoli principes audirent, habere colloquium voluiſſent, noſtri nullum ſermonem conferre volebant, niſi quem cunctis, qui convenerant, magnis & parvis audire liceret. Jam vero ſedentes ex utraque parte diu tacebant, quia & noſtri, qui rogati illis occurrebant, quod illi vellent, expectabant: Et illi non ſe rogaſſe noſtros, ſed noſtris rogatos veniſſe videri volentes, quid à noſtris peteretur, auſcultabant. Tandem noſtri rumpentes ſilentium, ut omnium faceret verbum, Gevehardum petierunt Saltzburgenſem Archiepiſcopum, qui ſurgens (ut erat vir per omnia prudens & honeſtus, & honori quem gerebat, non minimum referens honoris) vultu modeſto, voce mediocri, ſenſum profudit ſapientis & pii pectoris: Epiſcopi venerabiles, cæterique, quos videtis adeſſe, Principes Saxonici, hanc operam mihi dignati ſunt imponere, quatenus animos omnium mei ſermonis officio debeam vobis exponere. Unde vos omnes ſacerdotes ſancti, cæterique primates eximii, rogatos eſſe volo, ut me dignemini patienter audire, & cauſæ communi quam ſum juſſus agere, animum tranquillum, quo verum examinare poſſitis, adhibere, quod non plus noſtra, quam veſtra (ſi vultis) intereſt, quæ ſum dicturus agnoſcere. Veſtro ipſorum teſtimonio fidenter inde nitimur, quod vos, quamvis à noſtra ſocietate diſceſſiſtis, à veritatis amore non diſcedere confidimus: Veſtro, inquam, teſtimonio probare volumus, quantis injuriis, quantis contumeliis ſimus affecti dum toto animo, tota voluntate (ſicut decebat) Regis eramus ſervitio ſubjecti. Vos ipſi ſcitis, quoties ſigillatim vel communiter veſtrum petivimus auxilium, quo pro benivola ſervitute noſtra, vel hoc, ex interceſſione veſtra redderet nobis præmium, ut à multarum, quæ nos importabiles premebant, levaret faſce calamitatum. Hoc quod ſæpe poſtulavimus, optime ſcitis & quid poſtulando profecimus, ſimiliter optime ſcitis. Inde vos non incuſamus quod vos pro noſtra cauſa, quamvis parum prodeſſet nobis, ſæpe laboraſſe, cognovimus. Quale vero præmium noſtræ devotioni dederit ultimum, quid opus eſt dicere: cum manifeſtum eſt oculis omnium, quod hoc, quod habuit maximum, nobis rependit extremum. Sacerdotes namque non ſolum ne nullo crimine convictos, ſed nec legaliter accuſatos aut in vincula (ſicut latrones) conjecit, aut à ſedibus ſuis quos capere non poterat, omnium rerum ſuarum nudos effugavit: Eccleſiarum bono quibus Epiſcopi vel ipſi vivere vel pauperes DEI ſuſtentare deberent, ſcelerum ſuorum fautoribus diſſipanda conceſſit. Terram noſtram multis jam vicibus igni ferroque vaſtavit cognatos ſive milites noſtros in noſtris finibus innocentes occidit, cum nulla fuiſſet ei cauſa bellorum, niſi quod ſervos volebat habere filios liberorum hominum. Sæpe ipſum ſæpe vos ſingulos & univerſos ſuppliciter oravimus ut gladio depoſito, cauſam nobis cum judiciis ageret, & nos veſtrum per omnia judicium ſecuturos animo libenti ſpopondimus. Quid his omnibus perfecerimus, vos ipſos in teſtimonium vocamus. Ergo nos qui nunc adſumus, cum omnibus quos tenet ſaxonica tellus, vobis ô ſanctiſſimi Chriſti ſacer-

dotes, & vobis ô nobiliſſimi principes & fortiſſimi milites, humiliter ſupplicamus, ut omnipotentis Dei memores, noſtrique officii, vos quòd eſtis animarum paſtores non perditores vocati, vos verò quòd gladium ad defenſionem, non ad internecionem accepiſtis innocentum, cogitetis, & nos veſtros fratres in Chriſto, veſtros cognatos in carne, ferro & flamma amplius perſequi ne velitis. Quod hactenus moleſtiarum à vobis perpeſſi ſumus, vobis donantes peccatis noſtris imputabimus, & correptionem divinæ pietatis appellabimus: dum poſthac injuriarum de vobis ſecuri eſſe poſſimus. Gladium & ignem deponite, & (ſicut decet homines Chriſtianos cum Chriſtianis) cauſam rationibus, non cædibus agite, & quod ante cruoris effuſionem poſtulavimus, nunc ſaltem vel cruore noſtro ſatiati, præſtate. Multas quidem nobis ærumnas Dominus veſter Henricus crudeliter intulit, multis calamitatibus nos ultra modum fatigavit, & tamen ecce parati ſumus eum nobis regem, ſicut olim fuit, accipere: ecce parati ſumus ei fidelitatem & ſubjectionem jurare, & juratam fideliter & libenter ſervare. Tantum vos hoc veris adſertionibus adſtruite, ut nos ſalvo noſtro ordine, & laici poſſint facere hoc ſine fidei ſacræ detrimento; nec nos ab iſto campo recedemus, donec omnia, quæ dixi, compleverimus. Si verò noſtras ſententias dignati fueritis attendere, veris & manifeſtis & ex ſcripturarum teſtimonio firmis rationibus oſtendemus, quod Dominum Henricum nec clerici nec laici regem habere poſſumus, cum animarum noſtrarum ſalute. Nunc ergò vel vos nobis, quòd juſtè poſſit regnare, probabiliter oſtendite, & nos ſub ejus regnum ſocios fideles accipite, vel nobis, quòd rex eſſe ille non poſſit, veraciter probare permittite: & nos contra rationem ut hoſtes perſequi deſinite. Quod ſi objicitis, ſacramento, quod ei juraſtis, vos eſſe conſtrictos, ſimili modo confirmabimus, nullo ſacramento jure vos ad noſtram perſequutionem poſſe compelli. Hæc igitur eſt ſumma noſtræ petitionis, ut Dominum Henricum vel vos poſſe jure regnare nobis probabiliter oſtendatis; vel nos vobis, eum non poſſe, veraciter oſtendere ſinatis, & cum res alterutra fuerit demonſtrata, nos igni, ferroque perſequi ceſſetis.

Tunc illi reſponderunt, ſe nec ad cauſam tractandam conveniſſe, nec ſe tantæ eſſe ſapientiæ, ut tam magnam rem ex improviſo agendam præſumant accipere, præſertim cum non ad ſe ſolum, ſed ad regem etiam, cunctoſque regno ejus ſubditos pertinere videatur.

Rogabant autem, ut ab initio februarii (qui tunc erat) usque ad medietatem junii pax ex utraque parte daretur, intra quod tempus, conventu facto, eadem cauſa, quam noſtri nunc agere volebant, communi totius regni, partis utriusque conſilio tractaretur. Noſtri verò dolos illorum percipientes, quod propterea tam longum pacis tempus habere volebant, ut hi, qui domi remanebant, eſſent tuti, donec illi, qui in Italiam pergebant, contumeliam facerent apoſtolicæ dignitati; reſponderunt, ſe nec decipere nec decipi velle, ſed firmam & integram pacem dare ac petere usque ad terminum temporis prædicti. Cumque illi Teutonicis omnibus noſtræ partis adjutoribus pacem ſe dare promitterent; itane dixit Otto dux, nos ſtolidos eſſe putatis, ut non intelligamus conſilium veſtræ calliditatis? Petitis veſtris partibus à nobis pacis ſecuritatem, donec apoſtolicam poſſitis inhonorare dignitatem: & nobis pacem veſtram promittitis, donec illum, qui noſtrum caput eſt, pro veſtro libitu, (ſi Deus permiſerit) malè tractetis. O quàm bona pax datur corpori, dum crudeliter abſciſſo crudelius illuditur capiti! Ergo nobis & noſtris omnibus date, & vobis & veſtris omnibus accipite pacem, aut integram aut nullam. Quod ſi plenam pacem nobis & noſtris omnibus amicis magnis & parvis dare non vultis; pergite iter quod cæpiſtis: hoc tamen ante prædicto, quod in finibus veſtris hoſpites cito non gratos habebitis, nec res veſtras ut velletis, ab Italia reverſi cuſtoditas invenietis. Nam hoc nolumus vos cælare, quod cum primùm poterimus, unum rectorem habere volumus, qui & nos ab injuriis fortiter (adjuvante Deo) defendat, & his, qui nobis injurias fecerunt, æquitatis vicem rependat. Milites ergo plebei adverſæ partis conclamant, noſtros æquam rem offerre, ſuos principes æquum nec præbere nec accipere: ſe poſt hac ad pugnandum minus fore paratos, quàm hactenus fuiſſent, quòd cauſam juſtitiæ cum Saxonibus eſſe conveniſſent, plus nobis illum conventum, quàm in tribus præliis victoriam prodeſſe: quia (quod nunquam credere poterant) noſtros

noſtros humiliter juſtitiam poſtulare, ſimul & offerre, ipſi præſentes audiſſent. Sic ab invicem diſcedunt, tantum per ſeptem dies altrinſecus pace data.

Henricus igitur intrante Martio, intravit Italiam, ſeminaturus & ibi ſicut in Teutonica fecerat terra, diſcordiam, quo nullam regni ſui partem dimitteret, ubi civilium bellorum venenis pacis quietem non corrumperet.

Principes verò Saxoniæ cunctis gentibus Teutonicæ linguæ non minus inimicis quàm amicis, legatos miſerunt rogantes, ut (Henrico, filioque ejus excepto) quemlibet alium rectorem eligerent; ſe ei, quicunque eſſet, fideliter ſervituros pollicentes: quatenus omnia regni membra ſicut olim fuerant, in unum ſub uno rege convenirent.

Menſe autem junio, exercitu collecto, perrexerunt in Orientalem Franciam, & prædiis vel incendiis eam vaſtando, multas, quas ſibi fecerant, injurias vindicaverunt. Nam flamma latum facientes iter, venerunt non longè à Bamberg, ibique Suevos veteres amicos habentes obvios, de communi negotio regis conſtituendi communi conſilio tractaverunt, & poſt multos tractatus, ut Hermannum regem eligerent, unanimiter omnes conſenſerunt.

Sed cum Saxones domum læti glorioſique rediiſſent, nullumque dubium de recipiendo rege retinerent, principes adverſæ partis, artis antiquæ non obliti, quod electum regem valdè timebant, electionem ejus, ne perficeretur, modis omnibus diſturbare quærebant.

Ottonem ergo ducem ſolum ſibi loqui rogabant, multisque pollicitationibus ei, ut in electione vacillaret, perſuadebant; non tamen, ut certum quid eis promitteret, efficere poterant. Sic eo dubitante, magnaque parte ejus dubitationi adſentiente, tota præterit æſtas, & penè totam Saxoniam commoverat ejus inſtabilitas. In Novembre verò menſe iterum vocatus ad ſoliloquium, cum jam totus eſſet inclinatus ad noſtrorum partes hoſtium, Dei miſericordiâ faciente, ne tot ſuos labores, quos pro patria toleraverat, in ultimis temporibus perderet, equus, cui ſedebat, in plano campo cecidit, ipſique ſeſſori crus unum ita contrivit, ut ferè integro menſe, niſi portatus, ire non poſſet. Igitur ad ſe (gratiâ Dei monente) reverſus, ſe peccaſſe, & divina pietate correptum eſſe intellexit. Miſſis itaque legationibus diverſis & hoſtibus renunciavit, & civibus ſuis ſe ſemper fore fidelem & concordem fideliter repromiſit. Unde principes Saxoniæ valdè lætati regem ſuum Hermannum magno cum tripudio Goslariæ ſuſceperunt paucis diebus ante natalem Domini. In natali verò Sancti Stephani à Sigfrido Moguntinæ ſedis Archiepiſcopo in regem honorificè eſt unctus, cum jam M. 82. annus incarnationis dominicæ fuiſſet incoätus.

Hujus etiam ordinationis anno ſexto, coädunato apud Moguntiam malignam cum conſilio Henrici videlicet regis excommnnicati & legatorum Gviberti hæreſiarchæ, & ſupplantatoris præfati Papæ Gregorii ſimulq; fautorum eorumdem, inter cetera erroris ſui promulgata catholici Epiſcopi diverſarum eccleſiarum eis non conſentientes, ab ipſis damnantur & deponendi judicantur. Unde idem Henricus rex Saxoniam veniens & Magdeburg civitatē minaciter ingrediens, ſe ſuſcipi regaliter exegit, ubi & pro Hardwico Epiſcopo (qui interim cum Hermanno rege & Halberſtadenſi Epiſcopo in Daniam ſeceſſaret) Hartwigum Heresfeldenſem abbatem pro Burchardo quoque Halberſtadenſi Hamazonem conſtituit ordinari. Sed non longo poſt tempore Henrico rege à provincia effugato, legitimis Epiſcopis ſedes ſuas ſine contradictione repetentibus, uterque ſuppoſitus locum dedit, nec deinceps injuſtitiæ cathedram uſurpavit. Eodem anno Hermannus rex nomen regium deponit, ac ſtatim à ſuis hominibus in obſidione caſtri ſui Lintberg interficitur. Ipſius etiam Archiepiſcopi Hartwici diebus anno Domini MCXIX. Hieroſolyma capitur à Chriſtianis, Godefrido duce exercitum regente; Wilhelmus etiam rex Angliæ ſagitta interfectus eſt. Henricus verò frater ejus in eodem loco pro remedio animæ ſuæ volens monaſterium conſtruere, apparuit ei, & duo dracones ferentes eum, dicens: nihil ſibi prodeſſe eò, quòd ſuis temporibus omnia deſtructa eſſent, quæ anteceſſores ſui in honorem Domini conſtruxerant: multa etiam alia diebus ejus contigerunt digna memoriâ. Erat autem Hardewicus Archiepiſcopus formâ egregius, divitiis, largitate præſuis contemporalibus excellens, potentiâ & dignitate honorabilis; omni populo & clero acceptus, pro ſua ad

ipſum

ipſum benignitate ſtudium quoque habens extollendæ & amplificandæ Eccleſiæ ſuæ, quædam ipſius ornamenta tollens in pretia redegit. Unde caſtrum quoddam Swinevordiæ ſitum in orientali Francia, cum omnibus prædiis & pertinentiis ſuis à Beatrice filia Ottonis ducis Svevorum legitima Francorum traditione emit, quod & deinceps absque contradictione omni vitæ ſuæ tempore poſſedit. Ipſe etiam ſponte regimen dimittente Bernhardo juniore abbate S. Johannis Baptiſtæ ſubſtituit, ei venerabilem Hildiboldum accerſitum de cænobio Hirſangiæ, per quem & locum illum probabiliori monaſticæ converſationis correxit ordine. Denique Anno MCII. incarnationis dominicæ venit ad curtem ſuam Vadderot cum præfata Beatrice, & aliis quibusdam principibus, ubi dum quadam die cænaſſet incolumis & lætus, eadem nocte, hoc eſt 15. Calend. Julii, obiit, repentinâ morte præventus. Ipſa quoque nocte longè hinc, id eſt, in Magdeburg civitate, frater quidam verax & fidelis tali de illo in ſomnis territus eſt viſione, quæ opto, ut non illi de quo facta eſt notetur vel fuerit pro damnatione; ſed omnibus Eccleſiæ illius aut alterius proviſoribus pro admonitione. In choro namque majoris Eccleſiæ viſus eſt ſibi ſanctorum utriusque ſexus illic per venerabilia ſua corpora quieſcentium conveniſſe cætus, inter quos aderat velut irato vultu metuendus ipſe loci advocatus Princeps Mauritius. Illic præfatus Archiepiſcopus Hartwigus in medium deductus, & à cunctis, eo quod res ſuæ Eccleſiæ illis à dilecto traditas Ottone; poſtquam ipſe regendas ſuſceperit, malè & non pro poſſe, ac ſecundum traditam ſibi divinitus temporis prolixitatem, rerumque facultatem, & potentiæ magnitudinem, utiliter diſpenſaverit, adjudicatus Epiſcopalibus indumentis eſt ſpoliatus, ac de choro ab iisdem expulſus & excluſus. Ille autem, qui hæc viderat, expergefactus, manè convocatis ſanioris conſilii fratribus narrat: à quibus dum properè ad commovendum Archiepiſcopum dirigitur nuncius, in medio itinere index mortui & jam in curru advectitii ejusdem Epiſcopi fit illi obvius, à quibus mutuâ relatione cognoſcitur, ipſâ, qua hæc viſio facta eſt, horâ fuiſſe defunctus. Hoc igitur terribili & nullo ſalutari, & piis ſolito viatico, præmunito exitu, pontificis detur evidens exemplum, & commonitio poſteris, ut pareant quibuslibet Eccleſiæ donariis fidelium oblatione, ac devotione Deo conſecratis, & qui in officio boni ſervi & fidelis conſtituti diſpenſatores domus Domini, talenta ipſius ſuſceperunt lucranda, perpendant quæſo, vel territi Evangelico exemplo, quid mereantur, qui ad lucrum ſibi commiſſa, & ſacra de ſacro ſacrilega temeritate inutiliter diſtrahere non verentur; ſi ſervus piger, licet ſibi tradita ſana & integra Domino reconſignaverit, judicio tamen & maledictioni ſubjacuit, eò quod bono ſtudio & labore illis ſuperlucrari noluerit. Sunt autem quidam Epiſcopi & eccleſiarum prælati, qui ſub occaſione acquirendorum prædiorum aut quorumlibet ſecularium negotiorum Eccleſiam ſuam reſpicientium, non de ſuis impenſis aut exterioribus, vel cenſualibus ejusdem Eccleſiæ bonis multiformiter conquiſitis, quæ circa parentes ſuos & amicos typo vanæ gloriæ & jactantiæ expendunt, non de his inquam cauſas Eccleſiæ agunt, ſed dona fidelium, ſcilicet ornamenta domus, omnipotenti varia Deo dedicata, & anteceſſorum ſuorum banno in eosdem Eccleſiaſtici decoris & honoris uſus conſignata, ſine divini timoris & banni reſpectu, quaſi de ipſo Domini & ſanctorum ejus gremio abſtracta diripiunt, & in diverſis ut diximus, ſecularibus Eccleſiæ cauſis velut licenter, ſed ô utinam ſaltem vel in his fideliter expendunt, & diverſas indigentiæ ſuæ neceſſitatisq; excuſationes fratribus aut aliis fidelibus inde cauſantibus prætendunt. Quod an liceat, aut expediat, ipſi videant, qui, dum licere ſibi omnia putant, pia facta vel decreta anteceſſorum ſuorum infringere parvi pendunt, & ſua quoque ſimili poſthac ratione infringendi poſteris exemplum & occaſionem tribuunt. Nam, ut in authenticis legimus libris, patrum auctoritatis facta pari condemnat ſententia, ſi quis Domino ſacrificet de rapina, quod unum atque idem eſſe, ac ſi canis excerebretur, vel filius coram patre ſuo victimetur, confirmat ſapientia, aut idem ſi quis raptim de ſacrificio ad diſſimiles & in competentes vel ſeculares, licet bonos & eccleſiaſticos uſus diſtraxerit, cum quisque de ſua ſubſtantia & juſtis laboribus ſuis, non alienis Dominum honorare præceptum noverit. De illorum autem periculo neſcio quid referatur, à quibus ornamenta vel theſaurus Eccleſiæ, ad nullam ipſius utilitatem, ſed aut in parentum & amicorum erogationibus, aut illicitarum rerum, perſæpè quoque infandarum abuſionibus diſſipatur & profanatur. Qui procul dubio

cul dubio

cul dubio cum antiquis gentium regibus & tyrannis vaſa domus Domini diripientibus & in idolorum ſuorum abominatione contaminantibus; tam in hoc ſeculo maledictionem, odium, & multi formem adverſitatum perſecutionem merentur, quam in futuro divinæ & ſanctorum ejus ultionis animadverſionem experientur, cum & ille Ezechias juſtiſſimus regum, cujus cor & opus coram Domino fuiſſe pium & rectum, Deum offenderit: non quod vaſa & theſauros, & reliquam ſupellectilem templi diripuerit, ſed quod ea nec à ſe, ſed ab aliis collata pro ſui jactantia, & vana gloria alienigenis poſthæc anferenda oſtenderit. Vivant ergo pii & ſancti patres, & eorum apud Dominum ſit merces & gloria, quorum apud nos in terris immortalis vivit memoria, qui diligentes decorem domus Domini ſanctis laboribus ſtuduerint Eccleſias decorare, quas illorum ſucceſſores non deſinunt tyrannico more ſpoliare, pauca relicta, & ipſa penè dilapſa non ſufficiunt, vel potius non curant reparare. De his autem taceamus, cum alibi à ſanctis terribiliter ſcriptis damnata legamus, ne fortaſſe etiam aliquos in hoc delicto ſibi conſcios offendamus, ſed deſolationem inhumanam noſtræ quondam magnificentiſſimè defleamus Eccleſiæ, de qua poterat olim propheta dixiſſe: Benedicat tibi Dominus pulcritudo juſtitiæ, quæ etiam inſtar civitatis ſanctæ novæ & à Deo paratæ, quam de cælo deſcendentem Johannes vidit in contemplatione. Hæc inquam quaſi ſponſa monilibus ſuis ornata, aut regina aſſiſtens dextris Dei circumdata varietate ſic inæſtimabili, & heu noſtris temporibus irreparabili, omni ornamentorum in coronis mirificis & palliis, in thuribulis & calicibus, & gemmis pretioſiſſimis, & veſtibus, vaſis aurei metalli, ſeu argentei incomparabili ſplendebat diverſitate, utpotè quam Otto Maximus cum ſacris ſuis conjugibus pro magnificentia imperii ſui deſiderio ardenti, nec ſtudio impari non ceſſabat exaltare, &, quam præ vitæ ſuæ dolenda nobis brevitate non valuit pro velle ſuo miris ſtructuris & variis ædificiis conſummare; hanc laborabat prædictorum ornamentorum & ingentium theſaurorum copia ditare. Inde ergo cum materiam cæptam conſummandi relinqueret poſteris, quidam illorum abutentes tantis tanquam inſignibus donariis pauca ut cernimus, relinquere penè cunctis inutiliter diſtractis, exceptis parvis quibusdam, & comparatione tantorum expenſorum vilipendentibus, quibusdam quoque adhuc incertis prædiis Eccleſiæ per hoc acquiſitis. In hoc ergò maximè arguitur peccaſſe hic de quo agitur, Hardewicus Archiepiſcopus, quod tamen petimus ne ei ad peccatum ſtatuat clemens Dominus.

Hujus ſecti inteſtina ſepeliuntur apud ſancti Johannis Baptiſtæ clauſtrum, ſed in monaſterio ſancti Mauritii cum anteceſſoribus ſuis ab Hezelone Havelbergenſi Epiſcopo humatur. Hic in diebus ſuis ordinaverat Brandenburgenſis Eccleſiæ Volcmarum & Hartbertum Havelbergenſem, Wichmannum, & prænominatum Hezelonem Cicenſi, Guntherum & Waltabonum Merſeburgenſem Albinum.

HENRICUS Decimus Archi-Epiſcopus ſedit annis quatuor menſes octo. Hic Eccleſiæ Hildeshemenſi filius Patherburnenſi Paſtore deſtitutæ fuerat deſtinatus Epiſcopus;. Regnabat tunc Henricus prædictus illius nominis quartus, qui velut furens ignis cælo lapſus, certa videlicet tunc mortalibus, ant ſicut & imis abiiſſe emergens infernalis furia conturbabat omnia, fasque, nefasque confundens in Eccleſia, & quaſi Samuelis ſciſſo pallio alter Saul adeo reprobatus, & ab Apoſtolico omnibus Catholicis excommunicatus, in ipſa excommunicatione & maledictione, unde etiam adhuc agnomen habet ſenex ſenuit induratus; Quo eodem tempore cum portis inferi Wiperto ſcilicet hæreſiarcha cæterisque complicibus ejus obſidente Romam, & beati Petri vicarium id eſt papam Gregorium Henricus quidem alins præfato Henrico Patheburnenſi electo non inferior natalibus, ambitione tamen honoris & ſuis valde diſſimilis honoribus, ut ex putridæ carnis ſpecie barbarico agnomine Harmo dictus conſpiratione facta cum Conrado Comite fratre ſuo cui & hæreditatem ſuam donavit cauſa expetendi ſibi ab eodem Rege Patherburnenſi pontificatus ipſum adiit & per interventum prædicti fratris illic more, immo errore tunc ſolito venditur, emitur prædictus Epiſcopatus & conſenſui jam dicti Wiperti hæreſiarchæ illic ſine omni filiorum illius Eccleſiæ electione fit Henricus Epiſcopus, qui ſumptis armis, non ut pater, ſed ut hoſtis eandem invaſit Canonice electum, præda, cæde, igne, expulit ſe ab omnibus violenter exegit, cujus reliqua mala facta, non eſt noſtrum dicere, ſed noſtrum potius Henricum ab eo fugatum ad nos deducere; Huic ergo in quo erat floridiſſimæ indolis ex-

cellentia, amator pacis & quietis, ac pro eo quoderat DEO & hominibus dulcis, à quodam ſui temporis ſapientiſſimo & Catholicæ Eccleſiæ philoſopho, appellatus faſciculus myrrhæ & thuris adiit metropolim Magdeburgenſem in cujus turribus pax & veritas, & concordia præ aliis ſemper inhabitans permanſit, abundantius ibique apud præfatum Archi-Epiſcopum & fratres velut unus ex illis & unitatem ſectatus cum illo eſt diu commoratus. Defuncto vero eodem Archiepiſcopo & nondum humato ipſius corpore ſancto Conventu cum clero & populo principum terræ eundem unanimi voto & ſententia ſucceſſorem ejus deſignare voluerunt, ſed illo hoc aliquotiens ſententiæ & ut declinaret nocturna & quaſi in revocabili fuga diſcedente ſubito quem deſignaverant non invenerunt. In craſtinum verò ſepulto Archiepiſcopo eundem licet abſentem, Canonicè & juxta ſuæ Eccleſiæ privilegia Epiſcopum elegerunt, & per idoneos Legatos quamvis invitum & nolentem reduxerunt, ac in medio poſitum incredibili unanimitate collaudantes legittime & absque imperatorii terrore reſpectu, & ſine omui contradictione inthroniſaverunt. Profato autem Rege immo juroſo regulo & tartarei Regis œſtro Henrico in Eccleſiaſtici juris defenſores nimium ſæviente tanta erat Eccleſiæ fluctuatio & licet Chriſti ad Belial nulla ſit conventio, tanta exiſtit ubique juſticiæ cum injuſticia confuſio, ut inter Catholicos, hæreticos, & ſchiſmaticos, vix etiam eſſet bonis diſcretio, & ſine duobus aut tribus Epiſcopis immo diſorepis pene nulla vacaret cathedra aut electio. Unde Magdeburgenſium in unitate veritas & legitimæ electionis ſuæ immobiliter exiſtentium, gravis ab Henrico ejusque ſequacibus fuit infeſtatio, quia & aliis Catholicis & nominatim Haberſtadenſium majoribus Frederici invaſoris errorem execrantibus tuta fugæ erat apud eos commanſio. Horum electus Henricus inter hæc omnia, virtutis ſuæ & veritatis conſtantia immotus, dum eodem tempore in curte Epiſcopii Wirbinæ moraretur quia futurum erat ut Herodes quæreret ad perdendum eum, ſubito dum quadam nocte in quietudine ſomni eſſet excitus, & nimirum divinæ admonitionis inſpiratione dormire nec permiſſus, animo illius repentina deliberatio incidit, ut ſurgeret & eum ſuis omnibus accelerate diſceſſione, Halæ ſecederet. Quo dum vix deveniſſet, ecce Herodiani Henrici ſæviens ad præfatam curtem venit infeſtatio ſcilicet Dedi, Comes & armatorum ſatellitum ejus multitudo quos adduxerat ſpes capiendi Epiſcopum Domini, utpote habitatione ejus antea certius explorata, in eodem loco, ſed deluſa eſt fraus illorum & fruſtrata, nutu divino, quod ipſe liberatus audiens Deo debitas gratias referebat, ſed mox Magdeburgum reverſus accitis Eccleſiæ majoribus habito conſilio perſecutorum rabiem declinare, quam res Epiſcopi pro odio ſui devaſtari malebat, ſicque ad hæreditatis ſuæ prædia ſe conferebat quam plurima utpote de nobiliſſima ditiſſimorũ principum proſapia oriundus, nec ipſe degenerans virtutibus poſſidebat, tamen ut dilectus dilectis pater filius in Eccleſia Magdeburgenſi diſpoſitione ſua agenda quæq; licet abſens, interim conſulebat. Inter quos contra adverſa omnia divina religione armatus, & ſpes magna fidelibus extitit ejusdem civitatis prænominatus Abbas Hidiboldus ſolidæ quoque in veritate mentis Echardus præpoſitus quibus favebat, & ad quos confugerat eum piæ memoriæ Adelgota poſtea noſtro Archi-Epiſcopo Herrandus vita & habitu vere Monachus & ſanæ partis electione Halberſtadenſis Epiſcopus cum quibus etiam exulare quam in tabernaculis peccatorum habitare elegerat prudentiſſimus ſcholaſticus Hildeshemenſis Thedoricus nec longo poſt tempore cardinalis Romanus & ſatis tam numero quam imitato Conſilio magnus aliorum fidelium conventus. Quem quoniam ut caſtrorum acies ordinata ſæpe dicto Regi terribilis apparuit impugnare aggreſſus eſt quam conamine potuit dum præfectum cum pleriſque ejus urbis civibus miſſis Legationibus & perverſæ auctoritatis ſuæ literis ſollicitans in injuria eorundem fidelium ſtimulavit, & aut, de finibus illis expellendos aut curiam ſuam venire cogendos ab eis mandavit. Ille vero ſumentes ſcutum inexpugnabile æquitatem licet in paucis vexati tamen in multis bene diſponendi viriliter, perſiſtens vicerunt pravorum malignitatem, & quamvis præfato Abbati cum cæteris alias à fidelibus invitato certum potuiſſet eſſe refugium, tamen quia cogitatio ejus erat apud altiſſimum fidelis in dilectione Dei permanens factus eſt inter adverſa aliis illic fidelibus perſeverantiæ exemplum; Unde & exſpectatio juſtorum lætitia fuit, ſpes autem impiorum periit. Nam quidam ex eis ambitione cœca ducti & quaſi ſecuram oportunitatem depulſo priori

electo

electo adepti, ſpe Epiſcopatus adipiſcendi cum magnifico ſumptu qui tantæ ſufficeret Symoniæ ad execratum regem execratum iter arripuerunt, ſed à Theodorico Catholicæ partis principe capti & juſto Dei judicio qui aliena illicite captabant ſuis vel potius Magdeburgenſis Eccleſiæ bonis vel ornatibus, id eſt, ſacris vaſis pro redemptione ſui expoſitis, & poſtea proh dolor! non recuperatis ex ſpoliati unitatem fidelium non deſerendam proprio damno didicerunt; Non longo de hinc tempore Henricus Rex junior cum vivente adhuc patre ſed reprobato, electus à cunctis regnare cæpiſſet, & ab Geberhardo Romanæ ſedis Legato abſolutionem meruiſſet, eò, quod eidem patri ſuo ab quatuor Apoſtolicis, Gregorio, Victore, Urbano, Paſchali excommunicato communiviſſet cum eodem Legato peragrans Bavariam ac Saxoniam invaſores Epiſcoparum & Simoniacos ſinodaliter poſitos effugavit, Catholicos vero ad ſedes ſuas revocavit, inter quos & Henricum electum noſtrum audita Canonica ejus inſtitutione ad ſe evocatum legitime confirmavit. Hunc ergo quia humilitatis cauſa in ſubdiaconatus permanſerat ordine, eodem Rege Goslariæ in hebdomada pentecoſtes commorante, prædictus. Geberhardus Epiſcopus Sabbato, quo claritas DEI diffuſa canitur Diaconi & ſequenti ſanctæ Trinitatis Dominica, presbiteratus ibidem gradu honorifice promovebat, & poſt hæc ſedi ſuæ intronisandum Magdeburgum deducebat. Quo venientem non Epiſcopum, ſed ſicut ipſum de ſuperis lapſum Dominum clerus & populus inenarrabili pompa & jucunditate illo memorando paſchali carmine, quo ſanctorum populus ex inferis redimendus ſuſcepiſſe canitur regem gloriæ ſcilicet: Adveniſti deſiderabilis, quem exſpectabamus in tenebris. Hac inquam voce exultationis & lætitiæ illum ſuum deſiderabilem, illum diu exſpectatum ſuum Henricum ſuſcipientes ſolemni tripudio præceſsêre. Sic ab eodem Geverhardo & ſuffraganeis ſuis Epiſcopis in Archi-Epiſcopum 3. Idus Junii, hoc eſt, in feſtivitate ſancti Barnabæ Apoſtoli, eſt glorioſe conſecratus, & Paſchali, illius temporis Apoſtolico, miſſo illi pallii donatus honore: Accepta ergo ſumma dignitate adornare eam ſtuduit religioſorum morum maturitate, & quia initium eſt ſapientiæ Domini timor, quod evidenter inſinuabant crebro ejus oculi lachrimis perfuſi, in dominica oratione & quod raro ſomnum capiebat ſine divinæ lectionis meditatione; erat autem ſicut genere nobiliſſimus ita & liberalium artium diſciplinis inſtructiſſimus, forma ſpecioſus, corporis ingenii & memoriæ ſingularis eloquentiæ celebris multarumque virtutum inſignitus ſtudiis. Humilitas in eo dubia videbatur, qua ſolis ſervis DEI & pauperibus condeſcendens obſequebatur Principibus vero ſeculi & divitibus accoæqualibus ſuis inferior eſſe pro Eccleſiæ ſuæ honore nullo patiebatur. Denique breviſſimo quo præſedit tempore, ſpem maximam ſuis dabat in omni verbo & opere ſuo, qualibet quantisve beneficiis Eccleſiam ſuam ſuſtuliſſet ſi diutius vita comite hanc regere licuiſſet. Anno igitur dominicæ incarnationis MCVII. dum quadrageſimali tempore Halæ ex more haberet colloquium Synodale inde Nienburg deveniens ibidem dominicam palmarum celebravit, ubi & ſanguinem ſibi minui fecit, ex quo infirmari cæpit, & quarta feria Magdeburgum æquitando pervenit, in cæna Domini ante lectum ſuum larga manu pauperibus ſeruit poſt hæc ſurgens & ſupra vires ſuas laborans peregit Criſmatis conſecrationem cum toto ſed ſibi proh dolor! ultimo officio diei illius, poſt quod accreſcente dolore de ſtratu non ſurrexit ulterius. Sacro autem paſchæ die conventus Cleri ad deducendum ut mos eſt Archi-Epiſcopum cum canticis & feſtiva proceſſione, ad ejus venit cubile, quem dum ſacerdos cum miniſtris adiens devota muniſſet benedictione, rediit eodem ordine flebiliter ſine paſtore; Qui diem ipſum & noctem ſequentem ſupervivens, feria ſecunda illuceſcente inopinata morte & dolentibus cunctis & ſtupentibus XVII. Calend. Maji eſt defunctus, & cum exſtationis conſuetudine ad montem in gaudio & honore deduci & ſuſcipi deberet vivus alio ritu lamentabiliter illuc defertur & ſuſcipitur mortuus. Qui deinde in ſexta feria à venerabili Reinhardo Halberſtadenſi Epiſcopo & Alwino Merſeburgenſi cæteriſque Epiſcopis & Abbatibus eſt ſepultus in auſtrali manica Monaſterii ſanctæ Mariæ. Hic ordinaverat Miſnenſis Eccleſiæ Herewigum Epiſcopum hujus præſulatus anno quinto hoc eſt Dominicæ incarnationis MC. obiit Henricus quartus cui ſucceſſit Henricus filius ejus quintus.

ADELGOTUS Archiepiſcopus Undecimus ſedit annis XL menſes XI. dies XXI. Virgam paſtoralem ſuſcepit ab Henrico rege, ordinationem ab HETELONE

 Havel-

Havelbergenſi Epiſcopo, pallium vero à Papa Paſcali prædicto. Qui ab Halberſtadenſi choro electus ejusdem Eccleſiæ fuit præpoſitus, vir omnium morum probitate decoratus religionis & caſtitatis amator præcipuus inopum compatiens neceſſitatibus, canonice viventes & clero ſingulari quodam affectu diligebat, rebelles vero ſæviſſima diſciplinæ cenſura corripiebat, in utroque ſervans pietatis viſcera dum hos ad meliora accenderet, illos autem à pravitate compeſceret. Dilligentiſſimam quoque adhibens ſollicitudinem ſuæ parochiæ, & augmentandæ in ea ſervitutis divinæ, duas congregationes inſtituit, unam in urbe Metropoli ſub honore ſanctorum Perri & Nicolai in Eccleſia, quam olim anteceſſor ſuus Hunifridus fundaverat cui ex bonis Eccleſiæ & prædiis quam Dominus Bernhardus ſancto Mauritio fundaverat ac donaverat, quod ſufficeret obtulit. Alteram vero in Halla ad honorem DEI genitricis Mariæ à fundamento conſtruxit, cui idem de bonis Eccleſiæ & prædio, quod Chriſtiana quedam matrona dederat ſancto Mauritio in civitate, quæ Stuvi dicitur Archipræſulis Giſelai ſimul & de ſuo prædio neceſſaria attribuit. Ad curam autem pauperum & ſuſceptionem peregrinorum Xenodochium in Magdeburg fecit tali pietatis proviſione, ut in hac negligentias ſuas & omnium prædeceſſorum ſuorum vel ſucceſſorum mereretur abolere. Alia etiam plurima inchoavit in opere diverſo, quorum pleraque defecerunt ipſa morte prævento. Ubi etiam in cætera inſtituit ſpeciali muneris largitatem, ut omni die quadrageſimæ usque in paſcha centum panes & ejusdem numeri allecia totidemque potus menſuræ pauperibus offerantur; & ut proxima commemorationis omnium ſanctorum die memoriæ quoque omnium fidelium defunctorum ritu devotiſſimo agantur, additis inſuper prædiis ad præbendum ipſo die ſervitium caritatis omnium congregationum menſis igitur apud nos in ſancta converſatione vivens diu ſatis caſtigatus eſt continuæ infirmitatis vexatione tandemque ad extrema perveniens cum juxta Eccleſiam à clero & populo obſervaretur, pro exitus ſui expectatione præſentes ut religionis ſuæ & dictorum memores eſſent ſalubri admonuit exhortatione, jamque ultimum trahens ſpiritum inter voces pſallentium, pro poſſibilitate ſua occulos levavit, in cælum ſicque exſpirans 2. Idus Junii Anno dominicæ incarnationis MCXVIII. ut ſperamus migravit ad dominum, hic ſepultus eſt ab Epiſcopis Hartberto ſcilicet Brandenburgenſe & Heinmone Havelbergenſe Abbatibus quoque Hugone, Evemberto, Alverico. Hic ordinaverat Havelbergenſis Eccleſiæ Bernhardum & Heimonem Merſeburgenſi, Arnoldum Cizenſi, Theodoricum Epiſcopos, ſub hujus quoque tempore ſacerdotii defuncto Hildeboldo, Abbate venerabili, conſtituit pro eo Hugonem, item de Hirſangia adductum longo ante tempore in altero quodam cænobio conſecratum ſed inde expulſum defuncto autem Archiepiſcopo nec longo poſt tempore Hugone Abbate ipſum conſecuto electione fratrum ordinatur pro eo Arnoldus Abbas ab Heinmone Havelbergenſe Epiſcopo, Rocari Archiepiſcopo nondum electo. Hujus etiam Archiepiſcopatus Anno VIII. Henricus Imperator illius nominis quintus, iterum Saxoniam opprimere volens cui idem Archiepiſcopus cum Reinhardo Halberſtadenſi Epiſcopo & cæteris Saxoniæ principibus occurrens congreditur incarnationis domini Anno Milleno centeno ter quoque quino Silvam Welphonis maculavit gutta cruoris, uti cæſar victus adfuit ſuorum plurimis amicis. Inter quos Hogerus de Mansfeldt vir fortis etiam occubuit, qui ejusdem belli incenſor erat præcipuus. Ipſo tempore Otto comes de Ballenſtet cum LX. tantum viris vicit duo millia & octoginta de Slavis in loco qui Cothenæ dicitur, ex quibus ibidem corruerunt MDC. & amplius.

ROCCARUS DUODECIMUS Archiepiſcopus ſedit annis ſex. Qui à Bambergenſi Eccleſia permiſſione & licentia ſui Epiſcopi, à domino Adelgoto Archiepiſcopo Magdeburgum adductus, ab ipſo eſt fratrum congregationi aſſociatus & camerarii officio ſimulque præpoſitura Benarenſi donatus, illoque defuncto favore Wiperti Vobis conſanguinitatis cauſa exaltatus, tandem electione cleri & populi eidem cathedræ eſt intronisatus. Bacculum autem à rege Henrico tunc excommunicato ex more non ſuſcepit, ordinationem vero ab Herewigo Miſnenſe Epiſcopo, pallium quoque à papa Calixto percepit. Hic probitate & eloquentia ſatis clarus, in diebus pontificis ſui multis tribulationum adverſitatibus eſt vexatus. Nam & quorumdam machinantibus inſidiis pallii ſui honore aliquanto tempore furto eſt privatus, & ante

(2r.) finem

finem vitæ ſuæ diutino febrium languore excruciatus. Deceſſit autem in Magdeburg civitate 13. Calend: Januarii Anno Dominicæ incarnationis 1125. ſepultusque eſt in ſeptentrionali manica ab Ottone Halberſtadenſi Epiſcopo. Hic ordinaverat Havelbergenſi Eccleſiæ Gumbertum, Brandeburgenſi Ludolphum, Miſnenſi Scambonum & Godelboldum, Cizenſi Riwinum & Udonem Epiſcopos. Hic etiam ſuis diebus ſanctorum quidam ſarcopbaga ſcrutatus reperit inter alia corpus Beati ſecundi Ducis Thebææ Legionis antea incognitum quod ex illo tempore debito à cunctis honore deinceps eſt veneratum ſub hoc quoque ſex anteceſſorum ſuorum Archiepiſcoporum id eſt Alberti, Tagmonis, Walcardi, Geronis, Engelhardi, Hartwigi corpora de medio monaſterii ſunt levata & novo ſanctæ Crucis altari decenter ſuppoſita. Hujus Archipræſulatus anno 4. Calixtus papa revocavit in concione Eccleſiæ Henricum Imperatorem quintum à prædeceſſoribus ſuis Paſchali, Gelaſio excommonicatum, canonica autem auctoritate ſancitum eſt, ne amplius ſibi regalis pietas uſurparet inveſtire ſpiritualia, ſed libera electio fieret à clero & populo & ſic inſigniretur regalibus per ſceptrum. Quod utrique confirmaverunt, ſicque facta eſt pax & concordia inter ipſos Anno etiam Domini 1123. In pago Warmatienſi videbatur per aliquod dies non modica & armata multitudo æquitum euntium & redeuntium, & quaſi ad placita colloquia, nunc bic nunc illic turma facere, circa nonam vero horam monti à quo & exiſſe videbantur ſe reddere. Tandem quidam de incolis regionis illius non ſine magno timore hujusmodi tam prodigioſe concione crucis ſignaculo munitus appropinquat, mox quandam ex illis occurentem ſibi per ſonamper nomen Domini omnipotentis noſtri manifeſtare cauſam populi qui ſic appareret adjurat. Cui ille inter cætera, non ſumus, inquit, ut putatis fantaſmata, nec militum ut à vobis cernimur turba. Sed animæ militum non longe ante hác interfectorum, Arma vero & habitus atq; qui qui à nobis prius fuerant inſtrumenta peccandi, nunc nobis ſunt materia tormenti & ferè totum ignitum eſt, quod in nobis cernitur quamvis vos id corporalibus occulis diſcernere non poſſitis, in hujusmodi comitatu dicitur etiam Emicho comes de Leininge occiſus apparuiſſe, & ab hac pæna orationibus & elemoſinis ſe poſſe redimi docuiſſe. Referunt quidam quod nocte, quæ diem dominicæ cænæ præceſſit dum ad vigilias more Eccleſiaſtico properarent, vidiſſe ſe ſtellas quaſi innumeras de cælo cadere in tantum, ut pluviæ guttas & multitudine & caſibus viderentur imitari. Claruit hoc tempore Thidiricus Cizenſis Epiſcopus literis optime eruditus, ſemper contra ſciſmata qui ſuis temporibus nonnunquam pullulabant propugnator catholicus, & in omni paſtorali ſollicitudine commiſſæ ſibimet Eccleſiæ deſudans utilitatibus. Hic itaque non longe à ſuburbano vel territorio ſuæ civitatis Monaſterium ſive Abbatiam ſummo conatu magnoque ſumtuum ac ædificiorum impenſis per annos aliquot inſtituebat in colle quem antiquitas olim Bohowa nominaverat. Quo loco jam fere ad unguem prædueto utpote non modica conſecrata baſilica, congregatione quoque monachorum ibidem locata, invenitur inter eos, quos converſos fratres dicimus, quidam perverſus ex eadem gente ſoroborum progenitus, nequaquam ſanctæ regulæ ſed propriis deſideriis per omnia ſubjectus. Hic pro ſuis exceſſibus frequenter ab abbate corripitur, ſed non meliortaus Epiſcopo præſentatur corrigendus. Quem Epiſcopus acrius ut dignum fuit corripuit. Ille autem in tantam protervam eripuit, ut Epiſcopum ante altare in oratione ſtantem cultro perfoderit, unde venerandus ſacerdos poſt triduum ad Chriſtum emigravit. Hujus etiam Archi-Epiſcopatus anno 6. hoc eſt dominicæ incarnationis 1126. Henricus Imperator hujus nominis quintus apud Trajectum civitatem ægritudine qua diu laboraverat ſuperatus ad extrema perducitur. Vocatisque Regina Mechtilda conjuge ſua ac filiis ſororis ſuæ Frederico Duce Sueviæ & Conrado fratre ejusdem Rodenburg de Regni ſtatu conſilium dedit propietates ſuas atque Reginam ejusdem utpote hæredibus ſuis commiſit coronam cæteraque regalia usque ad conventum principum conſervanda in Caſtello Trifels reponi juſſit, ſicque viatico Chriſti ſacramentum communicans diem clauſit extremum 10. Calend. Junii, cujus corpus more regio curatum Spiram eſt delatum, & coram multitudine nobilium & inferiorum clericorum atque laicorum infra majorum ſuorum ſepulchra honorifice conditum Anno regni ſui 20. Imperii vero 14. Hic ut præſcriptum eſt primo ſub ſpecie religionis patrem excommunicatum

imperio privavit, confirmatus in honoribus mores mutavit, ſed poſt injurias Apoſtolicæ ſædi illatas ſemper ſe ipſo inferior fuit, ingenio fortis & audax, licet parum felix in præliis, nimis avarus in appetendis alienis pæcunias infinitas congeſſerat, quas ſecundum ſcripturas cui theſauriſaſſet, ipſe ſine liberis obiens heu heu! ignorabat. Hinc Lotharius Dux Saxoniæ Geberhardi commitis filius 80. tertio loco ab Aguſto Moguntia communi electione principum Rex ſubſtituitur.

NORTBERTUS Decimustertius Archiepiſcopus ſedit annis 7. menſes 10. dies XX. Hic ex ignobili genere editus, primo S. victoris apud oppidum Xantum erat canonicus, quem ſuo in ſervitio ſæpius habebat in palatio Imperator Henricus quia non ſolum nobilitate ſed omni genere probitatis, gloria & ſecularium negotiorum induſtria fuerat ſpecialiter inſignitus, Deinde cum conſcientiæ ſuæ metu & divini timoris reſpectu compunctus, mutato habitu & moribus cilició aſperrimo tunicaque lanea coopertus, Limina quoque Apoſtolorum Romæ nudis pedibus adiens gravem ſatis pænitentiam pro quibusdam ageret exceſſibus, in ejusdem converſationis propoſito & habitu deliberans perſeverare, nec poſt manum ſemel in aratrum miſſam, retro ſpectare quod videbatur inchoaſſe velut ex neceſſitate jam tenuit ac exercere cæpit ex uſu & voluntate, unde accepta ab Apoſtolico ſuoque Epiſcopo prædicandi licentia & authoritate quia erat miræ eloquentiæ doctrinæ & ingenii ſingularis plurimosque ſibi attraxit prædicatione verbi ſalutaris, ſicque per ſeptem continuos & eo amplius annos in præparatione Evangelii pacis circumquaque diſcurrebat, diu quidem nudis poſt hæc vero juſſu papæ calciatis pedibus aut in nimia laſſitudine ſubvertione à ſelli humilis, quia per omnia habitans qualitate morumque ſanctitate & gratia Linguæ cunctis apparuit mirabilis. Factum eſt autem ut poſt mulrorum circuitus laborum deveniret cum diſcipulis ſuis pauperibus Chriſti, in quoddam deſertum Franciæ ubi videns locum propoſito vitæ ſuæ oportunum arbuſtis circumquaque eradicatis, caſulisque ædificatis pulchram admodum coloniam ſuis procuravit in quo etiam ab eo exſtructum cænobium præmonſtratum, ab eo nomen accepit, In hoc diu multumque contra multiplices callidi hoſtis inſidias in maxima penuria rerum mira patientia dimicatum eſt, donec cum temptatione etiam proventu facto hoſtis fruſtatus, locus perſonis & facultatibus ſicut hodie cernitur ſatis decoratus eſt, Deinde multarum in aliis quoque locis fundator & Rector extitit cellarum ex Regula Auguſtini, propriaque inſtitutione collecta & in ipſis inſtructa venerabili & perfectiſſima fratrum caterva ſed ut tranſeamus reliqua illius interea magnifica, & memoriæ digna opera, primo Lotharii regis anno, defuncto Roccaro Magdeburgenſi Archi-Epiſcopo cum de eligendo paſtore diu cleri & populi eſſet diſcors ſententia, nec facile poſſet reduci ad unitatis conſenſum, partium ſtudia, tandem majoris Eccleſiæ Spiram accitis à Legatis Apoſtolicis venerunt, abdicatisque utrimque quas in diſſenſione elegerant perſonis communicato ejusdem regis & ipſorum conſilio, Nortbertum quamvis plurimum renitentem & contradicentem elegerunt. Qui mox cum ſacramento regi debito regalibus ab eo per ſceptrum inveſtitus, ac miſſione ipſius Magdeburg comitatu Halverſtadenſis ac Brandeburgenſis Epiſcoporum deductus ibidem 10. Calend: Auguſti quæ tunc evenit dominica, magno concurſu principum & procerum, à clero & populo cum ingenti gloria ſuſcipitur, ab omnibus eligitur & in ſedem ſuam divina lande attollitur & octava dehinc die idem in feſto Jacobi Apoſtoli ab Udone Olenſi Epiſcopo cooperantibus aliis non paucis qui aderant Epiſcopis in Archipræſulem ungitur cui & pallium à papa Honorio dirigitur. Itaque ſacerdotio ſublimatus, ſacerdote congrua ſtudioſe eſt operatus ſeu prædicare, & aliquam de ſe ædificationem, verbo aut exemplo dare paratus in officii ſui adminiſtratione miſſarum celebratione diligens ac devotiſſimus, coram ſeculi hujus principibus dignitate reverentia ſive potentia honorabilis apparens, & glorioſus; ſpiritualibus vero & Chriſti famulis per omnia conformis & aptiſſimus, igitur omnium anniſu & ſollicitudine pro exaltatione ſuæ Eccceleſiæ & augmento cæpit inſiſtere, nec minori diligentia pro lucro animarum & divinæ ſervitutis in melius reformatione ſatagere. Unde & in civitate apud Monaſterium ſanctæ Mariæ pro paucis admodum Canonicis, illic magnam ſatis congregationem diſcipulorum ſuorum adunavit, ſimilique permutatione Polidem Eccleſiam pene dilapſam reſtauravit ſed invidia Diaboli

bono

bono propoſito illius obvia, multis eum adverſis temptavit fatigare in quibus & cives Magdeburgenſes, quodam tempore in odium ipſius cæpit concitare. Ipſe namque quorundam ſuggeſtione audiens majorem Eccleſiam à quibusdam nefando crimine violatam publicè propoſuit, eam expiare ſed non aſſentiente Clero aut populo, eo quod judicem hujus rei aut ipſos reos noluerit certius propalare, & cauſam eorum ſynodaliter ventilare quia aliter nequivit, nocturno tempore purificationem illius cum ſuis peregit. Unde mox aliquorum inſidiis ſonantibus campanis, cives cum ingenti ſtrepitu concurrentes illum ſuper veteri ſtructura obſeſſum cum Miſnenſi & Havelbergenſi Epiſcopis, & majoris Eccleſiæ præpoſito à media fere nocte usque in mediam diem impugnantes coartabant, & cur altaria fregerit Sanctosque furto ſubſtulerit, objurgantes blaſphemabant. Quidam autem per occultos aditus irrumpentes, eum ſtrictis enſibus appetentes viſo pontificali habitum quo erat indutus, nutu Dei territi mutata mente facti ſunt ejus defenſores alii vero furia concitati, hunc colaphiſabant, & gladiis ſed adverſa acie feriebant, unumque ex militibus ejus coram ipſo, ita ut pontificalia ipſius indumenta ſanguine ejusdem militis inſpergerentur multis vulneribus affectum pro mortuo ſemivivum reliquerunt. Sed Henrico urbis præfecto tunc forte abſente mox pernuncium propere accerſito, & tumultum ſedante, Archiepiſcopus liberatus, miſſam eadem die ante altare ſummum complevit, deinde ſeditioſos legitima vocatione ad ſatisfactionem invitatos, ſed parere recuſantes excommunicavit. Poſt ſex vero hebdomadas pænitentes abſolvit, & deinde fideles ſibique devotos habuit Eccleſiam quoque S. Mariæ in Nienburg quorundam malignorum incurſu, rapina, cædibus, incendiis, fratrumque violenta diſtractione temeratam diligenter expiavit, ipſosque raptores ſatisfacere contemnentes ab Eccleſia ſeparavit, ad domicilium iniquitatis eorum ſcilicet Avelenburg cum civibus Magdeburgenſ. obſedit, deſtruit ac terræ coæquavit. Ut autem ad ſupereriora revertar. Hic ſua admonitione & inſtinctu, Ottonem illuſtrem de Revenigge ſuo diſciplinatui adjungens ſeculum relinquere & hæreditatis ſuæ prædia Deo S. Mauritio tradere fecit, & quibus in loco competenti juxta Salam fluvium quem gratiam DEI appellavit, in honore B. Victoris patroni ſui prioris, cujus & reliquias de Xanto adduxit Monaſterium conſtruere incipiens congregationem inſtituit. Dedit enim Eccleſiæ Magdeburgenſi mille & centum Manſos cum Miniſterialibus attinentibus multis honeſte dereliquis quæ habebat vocantia Locum prædictum fieri ordinavit. De theſauro etiam Eccleſiæ Alesleven urbem cum omnibus pertinentiis ſuis ab Irmingarde Marchieniſſa comparavit, Abbatiam quoque in illo ſitam ab Imperatore Lotario precibus & prædiorum commutationibus ſibi donari impetravit nec non & alia prædia usque quaque emendo acquiſita adjecit. Denique ſolus omnium anteceſſorum ſuorum veterem ſtructuram, quam Otto Cæſar magnus magnifice erexerat, ipſe neſcio an ſpe audentiori, ſeu ſtudio devotiori ædificare aggreſſus, perficere magnopere optavit, ſed mors immatura interveniens hæc, ſicut plæraque ejus capta adnihilavit. Nam octavo ordinationis ſuæ anno cum rege Lothario reliquisque principibus in Italiam profectus & officio cancellarii nulla expeditione functus, utpote vir magnæ auctoritatis, conſilio providus, apud Romanorum quoque primos clarus, cum plurima illic de Ordinatione ipſius imperatoris & cæteris regni negotiis compoſuiſſet, de Polanorum quoque Epiſcopis ex primitivis privilegiorum Eccleſiæ hujus ſcilicet Magdeburgenſis ſcriptis ſubjectionem illi debentibus juſticiam expoſcens, iterato ſuſcepiſſet, altero anno in reverſione paulatim infirmam cæpit, & nihilominus circiter ſex menſes cum eodem imperatore pro utilitate reipublicæ per diverſas curias in Germania commoratus. Tandem languore prævalente Magdeburgum devectus ibidem magnificè ab omnibus in quadrageſima eſt ſuſceptus. Sic ergo per totam quadrageſimam illic, nec non apud ſanctum Johannem ſuper lectum doloris ſui recubans, plerumque tamen per ſe quamvis modicè, deambulans, poſtquam in cœna Domini criſmatis conſecrationem & in ſancto paſchæ die miſſæ proh dolor! ultimæ celebrationem in ſede ſua ſuper vires peregit, accreſcente quotidie dolore vexari non deſiit, donec ab omnibus deſperatus, & hac divina domini caſtigatione à delictis ſine quibus nemo, quamlibet juſtus, in hujus vitæ exilio degit, ad purum ut ſperamus expiatus poſt olei unctionem & creberrimam dominici corporis perceptionem, tandem 8.

Idus

Idus Junii in confeſſione nominis Chriſti animam reddidit. Taliter heu! dolenda mortis ſorte & inſperata ſubtractus eſt nobis tanquam flos ſubito decidens vir ille memorabilis, ille prædicator egregius, vir, inquam, Eccleſiæ neceſſarius & deſiderabilis, in quo eſſet miſeris perfugium, afflictis ſolatium, dilectio hominum, odium vitiorum. Nam circa omnes ſe ipſum bonorum præbens exemplum conſolabatur puſillanimes; patiens fuit ad omnes. Quicunque autem ex clero ſcandalo erant Eccleſiæ, ſubvertentes vias Domini rectas hunc ſuis moribus cenſuerunt intollerabilem, diſciplinam ejus tanquam onus Ætna gravius ferre non valentes. Argenti verò & auri quæ primo mortales ducunt adeo contemptor fuit, ut ſuperabundantem Eccleſiæ ſuæ theſaurum expendere non dubitaret, ſi modo ratio alicujus utilitatis, neceſſitatis ſive honeſtatis expoſceret. Cujus corpus, ut moris eſt, per omnes congregationes honeſtiſſimè à Clero & populo deportatum ſexto demum obitus ſui die, aſtantibus principibus, ipſumque bajulantibus cum innumera mœrentium multitudine, & trium qui aderant Epiſcoporum idem Godeboldi Miſnen. Ludolphi Brandenburgen. Anſhelmi Havelberg: flebili commendatione in monaſterio S. Mariæ eſt tumulatum Anno Domini MCXXXIV. Hic ordinavit Merſeburgenſem Meingotum: Havelbergenſem Anſhelmum Epiſcopos, Adelbronen. etiam Nienburgen. Abbatem. Hujus etiam Archiepiſcopatus anno quinto, anno à nativitate Domini MCXXX. Udo Comes de Freckenleve ab hominibus Alberti Marchionis occiſus eſt. Conradus etiam de Eſtede apud Halle à civibus ejuſdem oppidi cum aliis multis miſerabiliter interfectus eſt. Hujus etiam Anno 8. hoc eſt Anno Domini MCXXXIV. Lotharius imperator Halberſtadii celebravit Paſcha, ubi quidam de primoribus Danorum, Magnus nomine, veniens in die ſancto manibus applicatis miles imperatoris efficitur, & regnum ipſius patriæ ab ipſo ſuſcepit, & poſt Sacramenta Cæſari ad Eccleſiam procedenti cingulo illius decoratus, enſem imperatoris honorificè portavit. Qui in patriam reverſus à quodam Erico & fratre illius occiſus eſt cum quinque & Epiſcopis & 60. Clericis. Pater etiam ejuſdem Nicolaus nomine in civitate Sleswig ante Eccleſiam cum ſuis miſerabiliter occubuit inſidioſè invitatus & infideliter interemptus &c.

CONRADUS Decimusquartus Archi-Epiſcopus, ſedit annis ſeptem, menſes decem, dies II. Præſul iſte cunctis ſeculis memorandus ex nobilioribus Saxoniæ extitit oriundus, patre videlicet Geberhardo de Querfort; nepote Lotharii imperatoris, matre verò Oda nuncupata, quæ fuerat filia Thietmari Comitis conſobrini Henrici regis. Commiſſus eſt igitur ſub norma canonica ſancto militaturus Mauritio Adelgoto XI. Magdeburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo. Qui ab illo præmonſtrata & à parentibus innata virtutum ſequens opera, creſcebat tum Philoſophiæ ſcientia quam univerſa morum elegantia. Epiſcopo autem viam univerſæ carnis ingreſſo, & Roccaro in ejus locum ſurrogato, iſte in adoleſcentia poſitus plenus cæpit pollere virtutibus, foris paternæ hæreditatis opibus excreſcens, intus verò inter cætera virtutum inſignia, præcipuè fraternæ charitati ſtudens. Unde & Roccaro ad patres ſuos in pace collecto, facta eſt in eum tam Cleri, quam principum populique concors electio, quæ & rata permanſiſſet, niſi Dominus Arnoldus Abbas cum Friderico majoris & Eccleſiæ præpoſito ab ea diſſentiens obſtitiſſet imò niſi Dominus hunc meliori tempore inſulandum diſtuliſſet. Cum tamen electi honorem aliquandiu teneret, nec tamen pars adverſa cederet, quin potius quod ſolum rationis habebat ſubdiaconum minimè epiſcopandum canonum auctoritate afferrent, cauſa ad Lotharium imperatorem perlata, & potius ſuadente, quam imperante deſcendit ſponte, poſt annos VII. & menſes X. & dies XX. Defuncto Nortberto Conradus iterum à Clero & populo eligitur, & à Lothario imperatore ut prædictum & confirmatur. Ex nobili genere fuit natus, ſcilicet ex patre Geverhardo qui nepos extitit ejuſdem Lotharii imperatoris, & ex matre Oda nomine conſanguinitati procerum Ammenesleve jungebatur, factus autem Epiſcopus obtulit de hæreditate ſua Eccleſiæ ſibi commiſſæ VIII. manſos in villa Oreslavo dicta, & viculam in eadem villa conſiſtentem cum quatuor manſis ad eandem pertinentibus. Secundo ordinationis ſuæ anno Henricus Marchio, qui & Magdeburg Comes fuit, obiit, & præfecturam urbis, quam ipſe tenebat, fratri ſuo Burchardo commiſit, pro qua ipſe tradidit eccleſiæ de proprietate ſua tantum prædiorum, unde ſingulis annis utilitas

utilitas XXX. talent proveniat. Tertio ordinationis ſuæ anno cum imperatore perrexit in Italiam, & propterea tulit de Eccleſia 52. libras auri, quadrantem & pondus 8. denariorum auri in uſus ſuos adſumſit, cum conſilio & conſenſu Cleri & Comitum Rudolphi & Bernhardi cæterorumque Laicorum, tam nobilium quam miniſterialium, qui præſentes erant; ita ut æquali æſtimatione Eccleſiæ reſtitueretur. Acta ſunt hæc 4. Non. Auguſti Anno Domini MCXXXVI. Igitur imperator Italiam circumeundo pertranſiens, Apuliā intravit, & ad Barum civitatem devenit, ubi in die ſancto Pentecoſtes Dominus Apoſtolicus præſente imperatore miſſā cum magna gloria celebravit, & in ipſa hebdomada in Sabbato quatuor temporū ipſo domino Apoſtolico præcipiente in ejus præſentia idem Archiepiſcopus de clero multitudinem maximam ad ſacros ordines promovit ſatisq; placuit eidem Apoſtolico aliiſq; præſentibus devotio Archiepiſcopi in divino miniſterio & ordo rationalis ſuæ Eccleſiæ ad ſacros ordines ſuſcipiendos. Imperator ab inde reverſus apud Trientinam veniens feſtum S. Martini celebravit gaudens & ibidem infirmari cœpit, dumque quotidie languor ingraveſceret, nec ob hoc iter ſuum intermiſiſſet, tandem prævalente mortali ægritudine apud Breduwan villam in faucibus alpium conſtitutam, Anno Domini MCXXXVIII. III. Non. Decembris. Conradus autem Archiepiſcopus ad ſua reverſus obiit Anno MCXLII. VI. Non. Maji. Hic ordinavit Wiggerum Brandenburgenſem Epiſcopum XIII. Et pallium ab Innocentio Papa ſecundo habuit.

FRIDERICUS XV. Archi-Epiſcopus cœpit Anno Domini MCXLIII. & ſedit annos IX. menſes VIII. dies VII. Et obiit Anno Domini MCLII. Pallium habuit à Celeſtino Papa illius nominis ſecundo, & duodecim manſos Eccleſiæ comparavit.

WICHMANNUS XVI. Archi-Epiſcopus cœpit Anno Domini MCLII. obiit Anno Domini MCXCIII. Calend. Septembris. Pallium accepit à Papa Eugenio tertio. Hic ordinavit Wilmarum XIV. Sifridum XV. & Balderamum XVI. Allexium XVII. Brandenburgenſ. Epiſcopos. Hic fuit potentior, quam unquam aliquis Archi-Epiſcopus fuerit in civitate Magdeburgenſ. Nam ipſe fecit primo uniones inſtitorum pannicidarum, & bis in anno monetam innovavit, quæ prius non fiebant, & plura ſtatuta & exactiones impoſuit, quorum nonnulla adhuc ſervantur. Hic cepit Oldenhaldensleve & fregit. Hujus tempore civitas Magdeburgenſis combuſta eſt, quaſi tota à valva ſtrodorum usque ad Albeam ita quod etiam molendina in albea conſtructa, fuerunt combuſta.

LUDOLPHUS XVII. Archi-Epiſcopus cœpit Anno Domini MCXCIV. Hic pallium habuit à Papa Celeſtino tertio. Hic acquiſivit Eccleſiæ Hunoldesburg cum ſuis attinentiis territoriiſque & hominibus. Item caſtrum Scraplaw ipſe conſtruxit, caſtrum Somerſchenborg fregit Werberge, & ſuccendit Helmſtet. Hic fecit in civitate unionem clipeatorum, quæ dicitur die Schilder innunge. Hujus tempore Anno Domini MCCII. feria quarta Pentecoſtes in villa Heſſewigk prope Stendel fulgur de cœlo percuſſit plebanum & amputavit ei brachium unum, cum ſederet & ſigillaret villanis ſuis, percuſſit etiam XXIV. homines ad mortem in ipſa chorea. Hic ordinavit Northertum XVIII. Epiſcopum Brandeburgenſem. Et ſedit annis XV.

ALBERTUS XVIII. Archi-Epiſcopus cœpit Anno Domini MCCIX. Hic pallium ſuum ſuſcepit à Papa Innocentio tertio. Hic caput S. Mauritii adduxit ad Eccleſiam Magdeburg & digitum S. Catharinæ. Hic conſtituit canoniam in Eccleſia ſanctorum Petri & Pauli in nova civitate Magdeburg. Sub hujus Archiepiſcopi tempore fratres minores recepti ſunt in Magdeburg ad ædificandum, & poſiti ſunt primo in nova civitate ſuper foſſatum veteris civitatis quod fuit Anno Domini MCCXXV. & ibi ſederunt quinque annis, & poſtea tranſlati ſunt ad latam plateam veteris civitatis ubi adhuc reſident, ſub ejusdem Archiepiſcopi tempore etiam fratres prædicatores venerunt ad civitatem, & primo locati fuerunt in nova civitate ubi nunc eſt monaſterium S. Agnetis, Anno Domini MCCXXVIII. & ibi ſederunt per unum annum & tunc tranſlati ſunt apud S. Sebaſtianum ubi adhuc morantur. Hic etiam Archiepiſcopus locavit moniales ad ſanctam Agnetem, quæ antea ſederant apud ſanctam Gertrudem, prope monaſterium monachorum in monte. Tempore ejusdem Archiepiſcopi inſtitutum eſt clauſtrum monialium ad S. Mariam Magdalenam Anno Domini MCCXX. ubi prius fuerat caſtrum Burgravii. Hujus etiam Archiepiſcopi tempo-

re anno primo in die paraſceves factum eſt incendium magnum in civitate Magdeburg quod incepit in lata platea & volavit ignis ſuper Eccleſiam S. Johannis, quæ cum turribus & omnibus campanis præter unam fuit combuſta & Eccleſia noſtra Magd burg fuit etiam exuſta. Tempore ejusdem Archiepiſcopi circa finem ſui tempo Dominus Abbas Nienburgenſis combuſtus fuit, & Abbatiſſa Quedelburgen: nomi Sophia repulſa fuit, & ejecta de caſtro pro ſuis delictis. Eodem tempore capta fuit vitas Quedelburg à Comite Hogero à Falkenſtein, circa idem tempus ruptæ ſunt tarrhactæ cœli & in tantum inundaverunt aquæ in Hiwelgerode quod plura oppida & villæ videlicet Womeldesburg, Islebe, Seburg cum villis circumjacentibus diluvio ſubmerſa, multi etiam homines qui ſe ſalvari credebant, ſuper arbores cum ipſis arbo bus ceciderunt & perierunt. Eodem tempore vel circa Philippus Rex habuit magnam curiam in Magdeburg, ubi ipſe Rex inceſſit coronatus, ſimiliter & regina, fueru t etiam ibi multi principes comitantes regem, & apud reginam meruit Domina A tiſſa de Quedelburg gratiam, & duciſſa Saxoniæ cum aliis nobilibus dominabus, contra hunc Philippum electus eſt in regem Romanum Otto de Brunſwigk, qui regnav t annis decem. Hic itaque Albertus Archiepiſcopus ordinavit Baldewinum XIX. Sifridum XX. Geverhardum XXI. Brandeburg. Epiſcopos. Hic anno Do MCCXXIX. intelligens quod Joannes & Otto Marchiones Brandeburg. adhuc ju e-nes validam de partibus Slaviæ militiam conduxiſſent, feſtinato miniſterialium rum collecto exercitu, eisdem occurrit ſuper plavam fluvium, & quia magna exercitus aggerem tranſierat, cum reliqua eſt congreſſus, & quia curribus qui vi alia & arma portabant aggerem occupantibus, & impedientibus quo minus illi, q vadum tranſierant, ad illos qui impugnabantur in adjutorium venire poterant, au ad iſter confugere, diſperſi quidam in plava ſubmerſi, & quidã fugæ præſidium inierunt. Archiepiſcopus autem & ſui curribus dejectis aggerem tranſeuntes reliquos usqu ad civitatem novam Brandenburg per prona fugientes inſecuti ſunt. Illi autem qui in civitate erant, quia crepuſculum erat, & nox imminebat portas civitatis claude tam amicos quam inimicos excluſerunt & ita Archiepiſcopus & ſui quos voleban piebant, Marchionibus fugientibus & ſe traditos credentibus, & lora non retrah bus quousque Spandoviam devenirent; Adhortantibus autem Archiepiſcopum niſterialibus, ut civitatem caperet & poſſideret, Reſpondit paterna voce; vaſal no-ſtri ſunt, & adhuc pueri ſunt, & eorum deſtructionem nolumus, quia adhuc Eccleſiæ noſtræ ſervire, & ſi quid fecerunt, poterunt emendare. Et captivis & ſpoliis abductis cum gaudio ad propria ſunt reverſi. Hic homo benevolus fuit & nulli, quod petebatur, negavit, majorem cunctis animi benevolentiam exhibuit quod per operis efficaciam oſtendit. Conſtruxit & inſtituit idem Albertus monaſterium monialium in Gloëch prope Hallis Anno Domini MCCXXXI. Hic ſedit annis XXVIII. & ei ſucceſſit Dominus Borchardus præpoſitus Hildeſemenſis.

BORCHARDUS XIX. Archi-Epiſcopus cœpit Anno Domini MCCXXXIII. Et obiit Anno Domini MCCXXXVI. electus, confirmatus ſed non conſecratus, & ei ſucceſſit Wilbrandus frater Domini Alberti Archiepiſcopi.

WILBRANDUS XX. Archi-Epiſcopus cœpit Anno Domini MCCXXXVI. Hic ſuſcepit pallium à Papa Honorio tertio, & acquiſivit Eccleſiæ Croſſewig, Lebuſs & Belitz. Hic ordinavit Rutgerum Epiſcopum Brandeburgenſem XXII. Temporibus hujus cum Henricus Marchio Misnenſis Marchioni Johanni de Brandenburg faceret quæſtionem ſuper caſtris Coppenio & Mittelwalde, timens Marchio Jo nnes inde bella futura, rogavit Archiepiſcopum, quatenus inter ipſos faceret pacem, & certus eſſet quod paci intenderet utrumque caſtrum in manu ſua daret, ut ea tamd in ſua poteſtate teneret, quousque ipſos ad concordiam reformaret. Qui Archiepiſcopus acceptis caſtris ea ſuis hominibus cuſtodienda commiſit, & cum ipſa aliquandiu tenuiſſet, quid cauſæ fuerit neſcio, pace non reformata Marchioni Misnenſi caſtra reſignavit. Unde bella maxima & diu orta ſunt, nam Marchio Misnenſis totam novam terram usque in Sturtzberg rapinis & incendiis devaſtavit. Et Anno Domini MCCXL. cum Marchiones Brandenburgenſ. extraneo adjutorio deſtituti cum hominibus terræ ſuæ reſiſterent, Misnenſis circa Coppeint & Mittenwalde Archiepiſcopus adjuncto ſibi Halberſtadenſi Epiſcopo manu valida Marchiam Brandenburgen: invadens

invadens reſedit ſuper Beſſam, quod intelligens Johannes Marchio relicto fratre ſuo contra Misneam; cum his paucis quos habere poterat nocte & die equitans occurrit feſtinanter, & facta collectio populi, cum clavis & arcubus cum paucis militibus bellum eſt aggreſſus & Domino victoriam tribuente alii ſubmerſi ſunt in Beſſa, alii occiſi, alii captivi abducti. Inter quos eſt Halberſtadenſis Epiſcopus captivatus & Archiepiſcopus vulneratus vix effugit in caſtrum Calve, & extunc fama eorum crevit & qui prius eis ſervire pro ſoldo ſeu ſtipendio noluerunt, modo ſe gratis ad ſerviendum obtulerunt. Et quia Halberſtadenſis Epiſcopus Ottonem Marchionem quanquam cœperat, ipſum pro tanto quantum receperat Marchiones ipſi liberum remiſerunt. Archi-Epiſcopus autem adjuvante manum ejus Marchione Misnenſi collecto exercitu villam Wolmerſtede excuſſit, & inde procedens, cum intelligeret, quod Marchio jaceret in cuſtodia terræ ſuæ, ne nihil feciſſe videretur, ædificavit caſtrum Rogentz & inde totam miricam poſuit in deſertum. Et his non contentus cum Johannes eſſet contra miniſteriales ſuos cum valida manu contra terram Havelant, qui pontem Plauen tranſeuntes incendiis & deprædationibus eam devaſtabant. Quibus Otto Marchio cum paucis quos habere poterat occurrens eos invaſit, pugnavit, in fugam vertit, & plurimos captivavit, & ſub pedibus fugientium ponte Plawe confracto multi ſunt ſubmerſi, & demum in amicitiam cum utriusque terræ devaſtatione ſunt reverſi. Et tandem pariter Lebus obſederunt, & poſt cœperunt & poſſederunt. Hic ſedit annos XVII. & menſes aliquot, & obiit Anno Domini MCCLII. Et ſic Dominus Rudolphus de Dingelſtede Decanus ſucceſſit.

RUDOLPHUS XXI. Archi-Epiſcopus cœpit Anno Domini MCCLII. pallium ſuſcepit à Papa Innocentio quarto. Hic acquiſivit Eccleſiæ comitatum in Alvenslebe, & ſedit annis octo & menſes aliquot. Et obiit Anno Domini MCCLX. III. Calend. Maji. Et ei Dominus Rupertus ſucceſſit.

RUPERTUS DE QUERFURT XXII. Archi-Epiſcopus, cœpit Anno Domini MCCLX. Et eodem anno vocatus à Papa Alexandro quarto, ivit ad curiam, & ibi ordinatus pallium recepit, & rediens Anno Domini MCCLXI. concilium in Magdeburg celebravit in Dominica Jubilate, ſed eodem anno Judæos ad feſtum tabernaculorum congregatos in Magdeburg ditiores captivavit, & ut de redemptione eorum centum millia marcarum recepit, & in Halle & Magdeburg domos eorum violenter intrans & ſeras eorum aperiens, quicquid auri & argenti invenit, aſportari fecit. Ipſe anno Domini MCCLXI. parti Liſcenſi faciens Eccleſiam capituli Brandenburg: noluit confirmare, ſed modis, quibus potuit, impeditur, ſedit autem annis ſeptem.

CONRADUS XXIII. Archi-Epiſcopus cœpit Anno Domini MCCLXVIII. Et ſedit annos decem. Hic fuit de Sterneberg, & ſuſcepit pallium à Papa Clemente quarto, quod infra ſeptem annis vix obtinuit. Hic ut plurimum reſidentiam fecit in palatio Epiſcopali apud ſummum, Et hic conſtruxit illud magnum æſtivarium apud idem palatium quod usque hodie perſeverat, ad quod Rex Bohemiæ donavit ſibi ligna. Hujus tempore Rudolphus Comes Haveesburg circa partes Baſileæ electus eſt in regem Almaniæ & Romanorum, quam electionem Gregorius Papa decimus approbavit in favorem terræ ſanctæ, & regnavit apud Teutonicos annis XVIII. Benedictionem tamen imperialem non habuit, nec coronam.

HENRICUS DE SUALENBERGE mortuo Conrado in Archiepiſcopum fuit electus, Anno Domini M.CC. LXXVIII. ſed nondum confirmatus neque conſecratus, propter quod in numero Archiepiſcoporum non connumeratur, digne tamen ejus venerabilis memoria inter Archiepiſcopos recenſetur. Ipſe namque electus, in defenſione Eccleſiæ & terræ bene ſe habuit. Eo enim tempore cum Otto Marchio Brandenburgenſ: adjunctis ſibi Bohemis, Polonis, & Pomeranis maximum exercitum congregaſſet, & ſe apud Froſe prope Albeam cum ſuo exercitu locaſſet, & jactanter glorians in virtute exercitus ſui diceret, in craſtino ſe velle in majori Eccleſia Magdeburg equos ſuos ſtabulare, miſſis exploratoribus de ſero, & iterum aliis in media nocte, qui auſcultarent, quid cives & populus in civitate agerent. Reverſi nunciaverunt ſe nihil audiviſſe, ſed omnes in civitate eſſe timore proſtratos. De mane in aurora iterum miſſi exploratores renunciaverunt totam civitatem eſſe plenam faculis & ſonitu tubarum, tympanarum, & fiſtularum. Nam Archiepiſcopus electus

aſſumto vexillo S. Mauritii, congregatis vaſallis Eccleſiæ, proceſſit ad forum ante conſiſtorium civitatis, ubi congregatos cives rogabat, ut eum ſequerentur contra inimicos, ad quod cives & omnis populus fuit benevolus, & præparabant ſe ad prælium. Egreſſi autem omnes viri bellatores cum Archiepiſcopo electo, & cum vexillo S. Mauritii viriliter contra hoſtes pugnaverunt, & auxiliante Deo & S. Mauritio glorioſe triumphaverunt, & Marchionem captivaverunt & captivum duxerunt ad civitatem, &, facta una ciſta de trabibus, ipſum captum in ea incluſerunt. Factum eſt hoc prælium anno quo ſupra in die Sancti Pauli eremitæ. In cujus memoriam adhuc ſingulis annis in ipſa die datur ſtipa omnibus monaſteriis, & pauperibus in civitate Magdeburg. Iſte ergo Marchio captus taliter fuit liberatus. Miſit namque pro uxore ſua Domina Marchioniſſa, rogans quatenus habito conſilio ſuorum conſiliariorum & maxime ſenioris de Buck, qui fuerat de conſilio Marchionum ab antiquo, ſed nunc ex quadam indignatione erat à conſilio Marchionis excluſus, veniret ad ipſum & pro ſui liberatione tractaret, ſed præfatus de Bnck vir prudens primo ſe excuſans & retrahens ſe à conſilio pro eo quod Marchio eum à ſuo conſilio repuliſſet. Tandem tamen precibus & fletibus dominæ devictus tale dedit conſilium, quod ipſa Domina deberet ſe munire multa pecunia & tranſire in Magdeburg & ſecreto ſingulos potentiores conſilio Archiepiſcopi electi tam de canonicis quam de vaſallis ad ſe ſigillatim & clandeſtine accerſere, & cuilibet eorum bonam ſummam pecuniæ dare, uni centum marcas, alteri LX. & ſic de ſingulis unicuique ſecundum menſuram ſtatus ſui. Quod conſilium Domina Marchioniſſa poſuit in effectum, & ſic omnes conſiliarios Archiepiſcopi ſubornavit. Cumque ipſa pro redemptione Domini cum Archiepiſcopo loqueretur, ipſe electus accerſito conſilio ſuo cum eis locutus eſt. At illi omnes favorabiliter locuti ſunt pro Marchione perſuadentes quod non nimium emungi deberet, quia Marchio poſſet ſervire Eccleſiæ in futurum. Ipſe ergo electus nolens conſilio ſuorum contradicere, de eorum conſiliorum dedit Marchioni inducias per quatuor ſeptimanas, & tunc deberet redire ad captivitatem, vel ſe redimere cum quatuor millibus marcarum in promptu. Et ſic dimiſſus Marchio vocato conſilio ſuo ſimul cum illo de Buck propoſuit rogans ut vias conquirendi illam pecuniæ ſummam invenirent, ne oporteret eum ad captivitatem redire. Qui tale dederunt conſilium, quod per ſingulas Eccleſias calices & quæque aurea & argentea ornamenta deberent tolli, & civitates omnes Marchionatus exactionari & ſic tanta ſumma pecuniæ poſſet conquæri. Quo conſilio audito dixit ille de Buck ad Marchionem, Domine iſta eſſet una via quæ tacta eſt pecuniam conquirendi. Sed ſi velletis me recipere ad gratiam veſtram priſtinam, ego vobis oſtenderem viam meliorem. Et cum Marchio promitteret ſibi multa bona ipſe aſſumſit Marchionem cum fratre ſuo ſeorſim, & duxit eos ad ſacriſtiam in Angermunden & ibi oſtendit eis unum magnum truncum ferro benè circumſeptum, & magno theſauro in auro & argento plenum, dicens; Iſtum theſaurum pater veſter mihi commendavit ad fidem meam, pro neceſſitatibus veſtris, quando mihi videretur, ſi utemini conſilio meo, & ſic habetis penè tantam ſummam pro nunc requiſitam. Tunc illi valdè gaviſi ſummam taxatam pro redemtione Archiepiſcopo transmiſerunt. Veniens autem Marchio Otto ſoluta pecunia ad Archiepiſcopum coram multis Dominis allocutus eſt Archiepiſcopum his: Domine Epiſcope, ſum ne modò liber à veſtra captivitate? Quo reſpondente, quod ſit: ſubjunxit Marchio: Vos neſcitis exactionare unum Marchionem, vos debuiſſetis me poſuiſſe ſuper uno dextrario cum elevata haſta, & ſic me cum argento & auro circumfudiſſe usque ad ſummum tunc fuiſſem debitè exactionatus: Poſthæc innotuit Archiepiſcopo electo, quomodo conſiliarii ſui tam canonici, quam vaſalli corrupti fuerant pecunia, de quo valdè commotus renunciavit electioni dicens: Quia vos eſtis infideles Eccleſiæ veſtræ & S. Mauritio, id circo ego nolo eſſe veſter Epiſcopus. Exinde ſtetit Epiſcopatus in errore ferè per biennium propter diſſidium capituli, ſed tandem concordaverunt in Dominum Ericum, qui etiam habuit reſiſtentiam antequam admitteretur ad poſſeſſionem pacificam, de quo ſequitur.

ERICUS XXIIII. Archi-Epiſcopus cœpit anno Domini M. CC. LXXXIII. & ſedit annos XII. menſes IV. hebdomadas tres. Hic fuit frater Marchionis Brandenburgenſ: Domini Ottonis nuper capti, & liberati, ut præhabitum eſt, de cujus ele-

ctione

ctione cives Magdeburgenſes primitus aliqualiter doluerunt. Cum enim canonici eſſent in capitulo ad eligendum paſtorem, cives multi convenerunt in ſummo volentes ſcire, quem canonici eligere vellent, & cum diutius exſpectaſſent, quia frigus erat, fecerunt multos ignes in ſummo. Et cum tandem canonici concorditer in Dominum Ericum prædictum conſenſiſſent publicata electione. Idem Dominus Ericus audiens murmur populi, retro per cameras privatas dominorum ſe ſubmitti fecit, & procurata ſibi una navicula deſcendendo per albeam, venit in Wolmerſtede ad fratrem ſuum, & licet per diſplicentiam civium ac etiam reſiſtentiam miniſterialium fuerit aliquanto tempore impeditus; ipſe tamen tandem poſſeſſionem pacificam Epiſcopatus obtinuit. Hic accepit pallium à Papa Martino quarto & bene concordavit cum civibus. Unde cum ipſe poſtmodum in obſidione caſtri Harliberge captus eſſet, & nec frater ſuus Marchio, nec capitulum vellet eum redimere, cives ipſum redemerunt, ſolventes pro ſui liberatione quingentas marcas, quas tamen ipſe liberatus, poſtmodum eis gratanter reſtituit. Hujus Archiepiſcopi tempore pontificatus ſui anno 2. receptus eſt locus fratrum ordinis eremitarum S. Auguſtini in civitate Magdeburg ad preces Domini Papæ & duorum cardinalium ac etiam regis Almaniæ & hoc per interceſſionem S. Martini glorioſi, qui trina viſione de hoc revelavit viro magnæ religionis fratri Henrico dicto Pavoni, quod ad receptionem ejusdem intendere deberet, & negotium conſtanter proſequi ad effectum, quod & fecit, unde de hoc ſunt verſus ſcripti in eodem conventu ſic:

Huc Auguſtini fratres Chriſtus prece duxit.
Sancti Martini, quod per tria ſomnia luxit.

Hujus etiam tempore captum & fractum fuit caſtrum Harligeberg, ubi idem Archiepiſcopus & cives cum eo fuerunt in obſidione caſtri cum multis aliis principibus & Baronibus, ubi etiam ortum eſt magnum bellum, in quo dux de Brunſwigk cum ſuis ſuccubuit. Eodem etiam anno mortuus eſt rex Almaniæ & Romanorum Rudolphus, regni ſui anno XVIII. & ſepultus eſt in Spira, de his ſunt verſus:

Poſt M. poſt duo CC. poſt nonaginta monosque
Harliberg capitur, moritur Rex, Dux ſuperatur.

Anno Domini M. CC XCII. Adolphus comes de Naſſaw in regem Almaniæ & Romanorum eligitur. Qui exercitum congregans contra Albertum, ducem Auſtriæ, Rudolphi quondam regis filium, prælium iniit, in quo Adolphus occiſus eſt & ſui in fugam converſi ſunt, Anno Domini M. CC. XCVIII. Regnavit autem apud Teutonicos annis ſex, benedictionem Imperialem non habuit nec coronam. Hic Archiepiſcopus Marchiam Luſatiæ alienavit ab Eccleſia, vel obligavit, tradens eam Marchioni fratri ſuo pro quibusdam damnis receptis occaſione tali. Cum enim Epiſcopus Guerram contra miniſteriales Eccleſiæ concitaſſet in obſidione caſtri Niengatersleven Marchio venit ſibi in auxilium cum bona gente. Quadam autem die cum dominus exercitus obſidionis pro ſua deductione & ſolatio oppidum Calvis intraſſet, interim inimici, ſcilicet miniſteriales; cum ſuis ſubito irruerunt in caſtra & cæperunt multos milites & famulos valentes, quos oportebat Marchionem redimere, pro quo damno Archiepiſcopus obligavit Marchioni terram prædictam Luſatiæ quæ usque hodie non eſt recuperata ab Eccleſia. Capitaneus autem miniſterialium in illa Guerra fuit quidam miles dictus Falco, hunc poſtmodum Marchio fecit occidi in civitate Magdeburg in Eccleſia fratrum prædicatorum & fuit tractus per capillos extra Eccleſiam ad latam plateam. His temporibus cives Civitatis Magdeburg emerunt Burggravionatum, id eſt, officium, & jus Burggravii in Magdeburg pro nongentis marcis à duce Saxoniæ, emerunt etiam Schultetatum, id eſt, officium Schulteti cum ſuo jure pro quingentis marcis ab illis de Eckersdorff, & hæc duo ipſi cives dederunt Eccleſiæ Magdeburg: ea conditione quod Burggravionatus non poteſt dimitti ab Eccleſia, absq; voluntate civium; Officium autem Schulteti Archiepiſcopus, qui pro tempore eſſet, deberet conferre uni civium, quemcunque vellent, ita quod ipſi cives poſſent eum removere, quando vellent, & alium ſubſtituere, quem Archiepiſcopus teneretur acceptare. Usque ad iſta tempora Scabini fuerunt in conſilio Civitatis, à quo extunc fuerunt excluſi, & ortæ ſunt multæ diſſenſiones inter conſules & magiſtros unionum & ſcabinos ſuper variis cauſis, quæ poſtmodum ſunt ſopitæ. Ita quod donationes &

translationes hæreditatum & proprietatum fieri deberent extunc coram Conſul… in judicio, quod dicitur Pardingk, & libri qui ſuper talibus ſcripti & ſcribendi eſſ… deberent apud Conſules non apud Scabinos conſervari, quæ omnia prius apud Scabinos expediebantur. Eodem tempore combuſtum eſt lobium civitatis & Eccleſia cu… turribus S. Johannis.

BURCHARDUS DE BLANCKENBURG XXV. Archiepiſcopus cæpit A… Domini M. CC. XCV. & ſedit annos novem, Pallium habuit à Papa Bonifacio VIII. … benè concordavit cum civibus, hujus tempore cives Magdeburgenſes expugnav… caſtrum Randolve & funditus deſtruxerunt. Hic fuit pius pater ad pauperes & ad … gioſos quos ſæpè in menſa habere voluit, & pias ſubventiones ad conventus m…ſit; I… enim perſonaliter ſolebat in feſtivitatibus religioſorum monachorum & clauſtra… miſſas celebrare, & ubicunque celebravit, ibi etiam ſtipendia corporalia pro refecti… fratrum miniſtravit, & quicquid conſecrandum, vel dedicandum in eorum eccleſiis … per ſe ipſum gratis pro DEO conſecravit. Nam & in loco fratrum Auguſtinenſium conſecravit cœmiterium, & quatuor altaria pure propter DEum & pietatem largam fratribus dedit. Hujus etiam tempore Albertus Dux Auſtriæ filius quondam Rudolphi regis fuit electus in Regem Almanniæ & Romanorum ab Electoribus congregatis Aq…grani anno Domini M. CC. XCVIII. electionem Papa Bonifacius prima vice rep…, ſed tandem orta gravi diſcordia inter regem Franciæ Philippum, & Papam Bon…cium, ipſe Papa eundem electum in Regem & Imperatorem confirmat ſubjiciens eidem regnum Franciæ, ſicut & alia regna, qui ſolum regnavit apud Teutonicos … nis 10. ſed benedictionem imperialem non habuit, nec coronam. Præterea hujus tempore, ſive anno Domini, M. CCC. Bonifacius conſtituit annum Jubilæum dando plenam indulgentiam omnium peccatorum omnibus viſitantibus limina Apoſto…rum Petri & Pauli Romæ, extendens eandem indulgentiam ad omnem annum centenarium ſubſequenter. Eodem tempore in lacu, vel ſtagno prope caſtrum Retven hoffe aliqui erant Spiritus mali quorum maleficio omnes piſcantes aut navigantes … eo ludificabantur & etiam periclitabantur, quod audiens Burchardus Archiepiſcopus acceſſit illuc, & benedixit lacum, & Spiritus malos inde repulit, ita quod poſtea nihil mali ibi perceptum eſt, propter quod lacus ille usque hodie ſacer lacus appellatus eſt. Circa idem tempus, anno Domini M. CCCI. in civitate Magdeburg m…ſtri unionum cremati fuerunt in foro propter proditionem eis impoſitam. Eod… tempore villa Judæorum fuit capta per communes & deprædata pluribus Judæis occiſis, feria quarta paſchæ pro eo, quod divulgatum fuit, quod ipſi feciſſent imagi… crucifixi & Chriſtum in illa imagine crucifixiſſent denuo, ſicut per unam an…lam Judæorum Chriſtianam publicatum fuit. Sub hujus etiam tempore anno Domini M. CCC. III. Bonifacius Papa eſt captus & detentus Avaginæ & inde Roma… adductus, theſauro ſuo & Eccleſiæ deprædatus, ibidem in lecto doloris & amaritudinis po…ſitus præ anguſtia Spiritus cum eſſet corde magnanimus obiit, & fuit in tumulo, q… ſibi vivens præparaverat in Eccleſia S. Petri honorificè tumulatus. Super ipſum i…que Bonifacium, quia reges, principes, pontifices, clerum & populum horrere, … mere & pavere fecerat, timor, tremor & dolor una die pariter irruerunt, ut exemplo ejus diſcant ſuperiores prælati non ſuperbe dominari in clero & populo, ſed curam ſubditorum pio moderamine gerentes plus amari appetant, quàm timeri.

HENRICUS DE ANHALT. XXVI. Archiepiſcopus cœpit anno Domini M. CCC. IIII. Qui electus ivit ad curiam Romanam pro pallio, quod Papa ſibi dare denegavit pro eo, quod modicæ literaturæ eſſet. Cùm enim Papa ab eo quæreret, an ſciret Orationem dominicam, ipſe neſcivit reſpondere, quia non intellexit, quid eſſet dominica Oratio. Sed tunc Magiſter ſuus, volens eundem juvare, dixit, Pater ſanctiſſime apud nos iſte titulus; dominicæ Orationis non eſt uſitatus, ſed vocatur, Pater noſter, & ſi ſic quæreretis, benè ſciret reſpondere. Sic ergò ſtetit in curia antequa… obtineret pallium ferè duobus annis, quod tamen tandem ex induſtria Magiſtri ſui obtinuit à Papa Clemente quinto. Sedit autem poſt ſuſceptum pallium annis cir…iter duobus. Eo tempore apud Fredeberg cum coruſcatione ceciderunt lapides de cœlo ignei, duri, ſicut ferrum, & nigri, ſicut carbones, qui combuſſerunt gramina ubi ciciderunt. Hic Archiepiſcopus cœpit oppidum Schönbeck per ſtrenuum militem

Di.

Dn. Ottonem de Welsleve cum cautela tali: Ipſe ordinavit aliquos currus cum viris armatis, quos operuit ſaccis & deſuper aucas & agnetas ligavit, quaſi ituros ad forum Schönebeck cumque veniſſent ſub valvam civitatis, ibi perſtiterunt quaſi aliquo præpediti, tunc proſilierunt illi armati de curribus & repagula valvæ ſuperiora ne deſcendere poſſent lingnis adhoc præordinatis ſubfirmaverunt, & interim exercitus ſequens concitus ſupervenit, & cæperunt civitatem, Anno Domini M. CCC. VII. in die S. Sixti. Eodem anno obiit idem Henricus Archiepiſcopus in vigilia S. Martini.

BURCHARDUS DE SCHRAPELAWE XXVII. Archiepiſcopus, Electus anno Domini M. CCC. VII. in die S. Catharinæ & ſuſcepit pallium à Papa Clemente quinto. Hic lætum habuit principium, quia Dominus Papa Clemens ipſum cum hilaritate ſuſcepit ſuamque electionem confirmavit & poſtea ipſum in Archiepiſcopum conſecravit. Fertur, quod licet plures Archiepiſcopi & Epiſcopi fuerunt tunc ſimul à Papa conſecrati, ſingulariter tamen Papa, quando venit ad iſtum, lacrymas fudit, præ ſingulari affectione, quam videbatur habere ad ipſum, ſecundum interpretationem circumſtantium. Quod factum cum poſtea eo reverſo ad partes in præſentia nobilium recitaretur quaſi eidem Archiepiſcopo præſenti congratulando quidam nobilium bonus burdator joculariter reſpondit; Bene, inquit, oportuit Papam ſuper eum multum flere, ſi debuit omnes nequitias ſuas priores abolere. Hoc autem burdaicè dictum fuit, quia ante ſui creationem bonus ſocius fuerat. Sed æſtimo, quod Papa tunc flens ſpiritu prophetico tactus, cum eſſet ſummus Pontifex anni illius prophetavit, futurum eventum de ejus lamentabili interitu, de quo infra dicetur. Statim autem ut conſecratus fuit, dedit ei Papa licentiam eundi ad partes injungens ſibi in virtute ſanctæ obedientiæ, ut omnes templarios in ſuo territorio commorantes capi faceret & detineri propter crimina ipſis impoſita. Quod factum eſt quia circa principium menſis Maii, anno Domini M. CCC. VIII. idem Burchardus Archiepiſcopus reverſus de Romana curia in Magdeburg cum magna ſolemnitate receptus fuit. Occurrerunt enim viri & mulieres cum magno gaudio ipſum ſuſcipientes, & ſtatim poſt idem tempus Archiepiſcopus fecit una die capi omnes templarios, & magiſtros eorum de quatuor curiis in terra ſua jacentibus, propter quod Eccleſia Magdeburg maximas perſecutiones ſuſtinuit, quas tamen idem Archiepiſcopus poſtea ſapienter extinxit. Imponebatur enim eis profeſſio prophana cum abnegatione Chriſti & exſpuitione ſuper crucem, in opprobrium crucifixi, cum ſimilibus execrabilibus articulis. Sed ut vulgariter dicebatur, major cauſa deſtructionis eorum erant magnæ divitiæ ipſorum, præcipue in regno Franciæ. Quia difficile eſt credere quod tantus ordo, utpote cruce ſignatus, ſuper crucis gloria fundatus ad tam nefandos execrabiles errores & ignominias crucis deveniſſet.

Ex alia etiam parte judicium ſedis Apoſtolicæ calumniari temerarium foret. Quapropter quod veritatis fuerit Domini judicio relinquedum eſt. Eodem anno Henricus Comes Lutzenburgenſis fuit electus in regem Almanniæ & Romanorum in Franckfurt, & eodem anno Aquiſgrani coronatur. Cujus electionem Papa Clemens V. admiſit, confirmavit & coronationem commiſit, coronatus eſt ergò Romæ Apoſtolorum Petri & Pauli Anno Domini MCCCXII. Deinde circumiens per Italiam requirit civitates de homagio ſibi faciendo, quarum nonnullæ per tempus reſtiterunt, quia res nova & dura videbatur quibusdam Imperatori ſubjici, cum à ſexaginta quinque annis & amplius poſt depoſitionem vel mortem Friderici ſecundi absque Imperatoris dominio præſtitiſſent, finaliter tum ut plurimum ſe ſibi ſubdiderunt, ſed quia multum jam videbatur proſperari, Papa idem Clemens ſumta occaſione ex parte Ruperti regis Siciliæ oppoſuit ſe Imperatori, imponendo ei perjurium, ut haberetur in conſtitutionibus Clementinis de jure Romani Principis. Erat autem iſte Imperator pius in moribus & probus in armis proſequens jura imperii, & ſic pertranſeundo Italiam, tandem malorum ſatore procurante veneno mirabiliter interiit, calice ſalutis verſo in vas mortis. Eodem tempore, ſive Anno Domini MCCCIX. diſcurrebant per mundum cruce ſignati, gens ſine capite in magna multitudine, ſed ſicut à ſeipſis ſurrexerunt, ita in ſeipſis perierunt. Anno Domini MCCCXI. per Papam Clementem quintum celebratum fuit Concilium generale in Vienna ſuper Rodanum. Cui iſte Dominus Burchardus Archiepiſcopus interfuit, ubi provideri ſibi fecit, & conſecrari

crari unum vicarium in pontificalibus, Epiſcopum ſive Coromacenſem fratrem Epiſcopum * * * * de Bolenum, prius priorem Magdeburgenſem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, quem ſecum adduxit ad partes. Et hic primus fuit vicarius in pontificalibus in Eccleſia Magdeburg. Nam antea Archiepiſcopi per ſeipſos Pontificalia exercebant. In hoc Concilio conſtitutiones Clementinæ, prius quidem [illegible] publicatæ fuerunt, ſed Papa infirmato conſtitutiones remanſerunt quadriennio [illegible]ſpenſo: donec poſtea per ejus ſucceſſorem Johannem Papam fuerunt prom[illegible] & ſub bulla ad ſtudia generalia deſtinatæ. Obiit autem hic Papa Clemens poſtq[illegible] ſedit annis fere novem Anno Domini MCCCXIII. Hic Dominus Burchardus Archiepiſcopus ſatis placide ſe in principio tenere ad cives videbatur, ſed ſucceſſu temporis ſub ortis pluribus diſplicentiis hinc inde factus eſt eis multum moleſtus, ædi[illegible]vit enim novum caſtrum in Honwarde ubi novum thelonium inſtituit, quod caſtrum cives expugnaverunt & effregerunt. Item ipſe cepit caſtrum Mülinge & deſtruxit, quod erat Domini de Barbei tunc adjutorio civium, ſed idem Dominus de Barbei cum adjutorio civium aliud caſtrum ibi propè in fortiori ſitu reædificavit. Item ædificavit tranſitum de palatio Epiſcopali ad Eccleſiam majorem, quem cives fregerunt, ſed poſtea reparaverunt. Item idem Dominus Burchardus anno Domini MCCCXIV. obvallavit civitatem habens ſecum in obſidione Marchionem Miſnenſem, Ducem Brunſvicenſem & plures alios Principes & Dominos. Et incaſtellavit Eccleſias in Hartzdorff & in Ottersleben, & ſic quantum potuit angariavit civitatem. Cives cum omni die valvas civitatis reſeraverunt, miſeruntque unum è civibus ad exercitum qui diceret Principibus qui cum Archiepiſcopo erant, rogando quod non citò recederent & ſi in victualibus vel pabulo aliquem defectum haberent quod ſecurè mitterent pro talibus eorum indigentiis ad civitatem, & deberent eis vendi eodem precio quo civibus ſuis, & nihilominus aſſecurare eis vellent illa usque ad erercitum quem ambaſiatam Principes gratanter audientes miſerunt nuncios ſuos ad civitatem pro vino & piſcibus quotiens volebant. Cumque jam per quatuor ſeptimanas in obſidione ſtetiſſent, Marchio miſit ad Conſules ut eum liceret ad civitatem venire & eam videre quod cives annuebant, & proclamata eſt ei pax & ſecuritas. Venit enim ad civitatem cum ſuis, & cives ſuſceperunt eum honorabiliter, propinantes ei vinum ſuum, & permiſſus eſt ire vel equitare per civitatem, quo ſibi placebat. Et cum vidiſſet ſingula quæ volebat reverſus ad exercitum Archiepiſcopo dixit; Domine Epiſcope, vos dixiſtis nobis quod civitas eſſet ſemideſtructa & quod gramina creſcerent in plateis, ego ſpeculatus ſum civitatem, nos infatuamus nos, hîc diu jacendo, quia nullum profectum poterimus reportare. Non enim poſſumus hanc civitatem expugnare nec per violentiam nec per famem. Et ſic Marchio cum ſua gente receſſit & conſequenter alii Principes ac Domini, & ipſe Archiepiſcopus ab obſidione receſſerunt, & extunc cives potenter intraverunt terram, & villas Epiſcopatus exactionaverunt, quod audiens Archi-Epiſcopus prohibuit ruſticos diſtrictè ne exactionem extortam civibus ſolvere deberent. Veniente autem termino ſolutionis Ruſtici timentes indignationem Archiepiſcopi ſi ſolverent exacta, ex alia parte timebant à civibus devaſtari, hoc uſi ſunt conſilio, quod totam annonam exactionis de ſingulis villis ipſi vellent comportare in Otterslebe ad theatrum, & ſi cives vellent, poſſent ibi aufferre. Cives enim ad diem præfixum cum multis armigeris exiverunt, & ſeptuaginta curribus & villam Ottersleben potenter intraverunt, & annonam deduxerunt Archiepiſcopo vidente propè & inſidias tenente cum trecentis armatis nec quicquam contra faciente.

Deinde pax facta eſt taliter, quod cives quandam ſummam pecuniæ Archiepiſcopo dederunt cum hoc pacto quod illa caſtra nova frangi deberent & deinceps nullum unquam caſtrum ipſe nec ſui ſucceſſores in perpetuum ædificare deberent infra duo milliaria ad civitatem, quod ſigillis Archiepiſcopi & Capituli eſt roboratum. Eodem tempore Magiſter inſtitorum Petrus Odilie rogavit Canonicos concedi eis more ſolito vexillum S. Mauritii in die Aſcenſionis Domini per marcam deferendum. Quod cum Canonici facere recuſarent propter controverſias, quas cum Archiepiſcopo habebant, Petrus fecit aliud vexillum ſimilè huic, quod cum portatũ fuiſſet per marcam & reverſi eſſent ad novam civitatem ibi in prato filius ejusdem Petri curſitans in magno equo cecidit & fracta cervice expiravit. Hic etiam habuit guerras cum miniſterialibus Eccleſiæ

cleſiæ, nam caſtrum Watersleve obſedit donec ſecum certis pactis ad gratiam ſuam darent. Deinde obſedit caſtrum Arxslebe ubi Dominus Marchio Brandeburgenſis Wolmarus adveniens ſe interpoſuit placicando pacem & amicitiam, inter partes, in quibus placitis terram Luſatiæ Marchio, quam illis de Arxleve expoſuerat, recuperavit, & ipſe caſtrum ſuum in Wollmerſtede Archiepepiſcopo & Eccleſiæ obligavit pro 12. millibus marcarum, tali adjecta cautione & conditione, quod ſiquando idem caſtrum à ſe vel ſuis hæredibus vel ſucceſſoribus pro illa ſumma pecuniæ redimeretur, nunquam damnum aliquod de caſtro illo Eccleſiæ Magdeburg deberet inferri, & de hoc redemptor caſtri facere deberet idoneam cautionem & ſic caſtrum Wollmerſted venit ad Eccleſiam. Anno Domini MCCCXV. viſi ſunt duo cometæ. Anno Domini MCCCXVI. orta eſt magna fames ita quod multi homines fame mortui ſunt.

Eodem anno Dominus Burchardus Archi-Epiſcopus captus fuit à civibus in Magdeburg in novo foro & detentus in lobio vel conſiſtorio Civitatis, parabaturque ei una ciſta ſuper turrim S. Johannis in qua includi debebat ut dicebatur, ſed ipſe ut prudens iram civium verbis mollibus & blandis frangere ſatagebat promiſitque eis magnam pacem & amicitiam, quod & juramento non exactus firmavit. Miſit enim ad plebanum Eccleſiæ S. Johannis mandans, ut ſibi corpus Dominicum adportaret, quo facto ipſe proprio motu juravit ſuper corpus Chriſti quod vellet eſſe fidelis civibus nec de illa captivitate ſe unquam velle expetere ultionem, & tunc dimiſſus liber ad ſuum palatium cum honore eſt deductus. Captivatores autem ſui poſtea in propriis perſonis ad curiam Romanam accedentes abſolutionem gratioſam tandem meruerunt. Ipſe autem Epiſcopus poſt ſicut ante gravitatem animi ſui civibus oſtendebat, dicens ſe illud juramentum feciſſe metu mortis, ac per hoc ſe illud ſervandum minimè obligari. Unum tamen actum legalitatis notabilem fecit erga cives; Contigit enim illos qui pro abſolutione iverant ad curiam, qui erant de majoribus civitatis, viri duodecim in eorum reditu in Weſtphalia captivari & in caſtro qui Swalenberg dicitur hoſtiliter detineri. Quod cum iſte Dominus Burchardus Archiepiſcopus comperiſſet, mox miſit gentem ſuam expeditam & fortem illuc ante caſtrum, qui evicto caſtro tam ſubtiliter quam potenter captivos illos liberos ad propria reduxerunt. Anno Domini MCCCXVII. ſecta Begardorum & Bekinarum per Dominum Johannem Papam deleta fuit, quia in quibusdam partibus & maximè circa Rhenum de ſumma Trinitate & fide Catholica diſputantes, errores inducere præſumſerunt & ſimplices ſeduxerunt ſub quodam velamine Sanctitatis, ut de hoc in conſtitutionibus Clementinis de hær. cap. ad noſtrum. Nam Dominus Clemens inceperat, ſed Dominus Johannes Papa XXII. mittendo ſuper hoc literas ſuas per mundum negotium ad effectum deducere decrevit, ſed adhuc reliqua remanſerunt quæ pullulant de die in diem nec civitas Magdeburg expers fuit. Anno Domini MCCCXVIII. Ludovicus Dux Bavariæ electus fuit in regem Almaniæ & Romanorum in Franckfurt temporibus Johannis Papæ ubi convenientes Principes Electores diſcordantes in Electione elegerunt duos, videlicet Ludovicum præfatum & Fridericum Ducem Auſtriæ filium regis Alberti, qui duo multis guerris inter ſe geſtis tandem Duce Auſtriæ devicto & capto triumphus prædicto Ludovico cum jure Electionis acceſſit. Audiens autem Papa Johannes Ludovicum triumphaſſe cui tamen prius plus favere videbatur, ſe eidem oppoſuit ipſumque excommunicavit, graves proceſſus faciens contra eum & quantum in eo fuit ipſum ab imperio depoſuit, ſed idem Ludovicus reputans ſibi & imperio injuriam fieri nihilominus proceſſit faciendo ſe coronari, omnibus tribus coronis conſuetis in locis, principes etiam & civitates imperii obedierunt ſibi. Hic itaque cum in variis controverſiis cum Papa Johanne & ejus ſucceſſoribus Benedicto & Clemente per plures annos imperaſſet, tandem Anno Domini MCCCXLVII. defunctus, ut quidam dicunt, de veneno, aliis dicentibus quod in venatione cecidit de equo, & agonizans multa verba contritionis & devotionis fertur protuliſſe. Anno Domini MCCCXXIV. Dominus Albertus filius Ducis Alberti de Brunſwig electus fuit in Epiſcopum Halberſt: Eccleſiæ & à ſuo metropolitano Archiepiſcopo Moguntinenſi confirmatus & conſecratus. Sed Papa Johannes tam Electionem quam confirmationem irritas reputans & inanes propter reſervationem ſuam providit de eadem Eccleſia Domino Gislero de Holſatia, qui tamen poſſeſſionem nunquam intrare valuit propter potentiam Domini

Alberti prædicti, Giſlero defuncto Papa Clemens VI. providit de eadem Eccleſia Domino Alberto filio Comitis de Mansfeldt, ſed nec ille poſſeſſionem potuit obtinere propter eandem cauſam. Et ſic præfatus Dominus Albertus de Brunſwig Eccleſiam Halberſtadenſem per 35. annos potenter occupavit, contra velle quatuor ſummorum Pontificum ſibi invicem ſuccedentium. Demum Domino Alberto de Mansfeldt mortuo Papa Innocentius VI. de eadem Eccleſia Halberſtadenſi providit Domino Ludovico fratri Marchionis Miſnenſis. Et tunc quia iſte Dominus Albertus de Brunſwigh jam ſenectute defectus & conſcientia motus, & quia fortem tunc habuit adverſarium ceſſit & ſedi Apoſtolicæ obedivit, qui & brevi poſtea tempore ſupervixit. Sed eodem tempore & modo ſimili Dominus Henricus frater germanus dicti Domini Alberti de Brunſwig occupavit Eccleſiam Hildesheimenſem potenter per 37. annos & multo atrocisus, quia coëgit omnes clericos profanare aut beneficia ſua dimittere & extra ſuam terram exulare. Hic tamen tandem apud Papam Innocentium VI. intervenientibus realibus interceſſoribus gratiam obtinuit, hoc modo, quia reſignatione facta Papa eidem quaſi de novo de eadem Eccleſia providit & conſimilem gratiam non dubium quin & alter frater ſuus Dominus Albertus inveniſſet, ſi idoneos procuratores & interceſſores validos in Romana curia habuiſſet. Et ut ad propoſitum redeamus cum iterum iſte Dominus Burchardus Archiepiſcopus pluria gravamina contra cives attentaret & non ſolum Magdeburgenſibus ſed etiam Hallenſibus & Calvenſibus nec non miniſterialibus & Baronibus & Comitibus circum quaque ſe gravem exhiberet; Ipſi ut humana habet induſtria ſeſe invicem contra Archiepiſcopum fortificantes confœderati ſunt & plures Domini terræ facti ſunt cives in Magdeburg, videlicet Comes de Mansfeldt & Comes de Wernigerod, Dominus gardinius de Hadnersleben & aliqui miniſteriales. Tandem Angelus Satanæ miſit in corda aliquorum ut conſpirarent in necem ejus, factum eſt ergo Anno Domini MCCCXV. in die decollationis S. Johannis Baptiſtæ cum idem Archiepiſcopus intraſſet civitatem Magdeburg captus eſt & detentus in palatio Epiſcopali cum diligenti cuſtodia. Ponebant enim vigiles multos per ſingulas noctes juxta palatium circumquaque & per hoc involvebant totam communitatem. Ipſi autem Conſules per ſe diebus ac noctibus intra palatium apud eum excubabant. Cumque tandem de tam crebra & laborioſa cuſtodia accediarentur, pluresque conſulum horrerent nefas ejus necis, quaſi volentes ſe à ſcelere ejus extrahere ad inſtar Pilati qui lavans manus ſuas dicebat, Innocens ego ſum à Sanguine hujus, commiſerunt eum viris ſceleratioribus, qui inter eos majori odio ad ipſum afficiebantur. Et illi adhuc nequioribus qui larvis induti in ipſa nocte S. Matthæi Apoſtoli ipſum de palatio ſuo ad Cellarium novum Civitatis, in quo captivi & malefactores detineri ſolent duxerunt, ibique eum cum fuſte vel clava in cerebro percutientes, proh dolor! occiderunt, & ut ſperandum eſt Chriſti martyrem ipſum fecerunt. Hoc autem factum horrendum utique & nefandum diu celatum habebatur, ſuſpicio quidem & rumor erat in populo de ejus morte, ſed nemo fatebatur ſe de hoc quicquam certi ſcire. Verum cum Domini Canonici ad electionem futuri antiſtitis nullatenus procedere vellent, quousque eis conſtaret certitudinaliter de morte ſui paſtoris & ejus ſepultura : tandem anno ſequenti corpus ejus quod in arena in loco occiſionis fuerat conſervatum productum eſt deportatumque ad capellam S. Gangolphi, & inde ad majorem Eccleſiam ad communem omnium aſpectum, quod in eadem Eccleſia condigno cum honore ſepultum eſt XIV. Calend. Septemb. Qui autem fuerant hujus nefandi ſceleris actuales patratores usque hodie neſcitur pro certo, niſi quod demum per ipſos Conſules productus fuit quidam vir de Calvis, qui fatebatur ſe manu propria interfeciſſe, interrogatus quare ipſe auſus fuit mittere manus in Chriſtum Domini ? reſpondit, quod quia ipſe eum depauperaverat & omnia bona ſua ſibi abſtulerat, idcirco nacta oportunitate ſe de eo poſſe vindicare gaudebat; ſed quicquid veritatis de hoc ſit vel illis; qui tradiderunt eum in manus peccatoris, viri ſunt deſperati. *Ob* hanc cauſam civitas fuit ſuppoſita graviſſimo interdicto, ut dignum erat pro tanto ſcelere, licet multi valdè dolerent de facinore perpetrato. Demum enim communitas civitatis attendens rectores ſuos tam enormiter erraſſe, & civitatem ipſam ſuis iniquis conſiliis ad tanta diſcrimina honoris famæ atque rerum perduxiſſe, omnes conſules de tribus conſiliis qui erant viri XXXVI. de civitate expulerunt eosque proſcripſerunt,

runt, quod factum fuit Anno Domini MCCCXXX. XI. Cal. Maji. Sedit autem hic Dominus Burchardus annis XVIII. Qui licet fuerit tam gravis civibus & Dominis terræ ac etiam nonnullis Eccleſiaſticis perſonis, ut eſt dictum, piè tamen præſumendum eſt quod talia fecerit zelo juſticiæ pro Eccleſia ſua pro qua multum zelabat. Interdum etiam cum præjudicio aliorum. Unde quando aliqui ſubditorum ſuorum bona ſua diſtrahebant per viam teſtamenti vel donationis inter vivos, vel cauſa mortis, ipſe plerumque caſſiavit, dicens, non, non, ſed illa debentur S. Mauritio. Quod enim talia ex zelo juſticiæ fecerit, patet ex eo quod in uſus perſonæ ſuæ vel etiam ſuorum conſanguineorum pauca conſumpſit, ſed omnia quæ potuit ad uſus Eccleſiæ deputavit. Fuit autem iſte Dominus Burchardus caſtus, vitans conſortia mulierum. Unde poſtquam factus eſt Archiepiſcopus nunquam viſa eſt mulier inhoneſta in habitudine ſua. Dilexit etiam honeſtatem cleri, quia non potuit videre, quod aliquis clericus vel religioſus incederet inhoneſtè & incompoſitè ſive in veſtitu ſive in moribus corporis. Propter quas & alias virtutes ſperandum eſt eum in numero Sanctorum martyrum collocatum. Unde & fertur nonnullis miraculis claruiſſe. Sepulto itaque corpore Domini Burchardi Archiepiſcopi ut moris eſt Archiepiſcopos ſepelire, Canonici elegerunt in Archiepiſcopum Magiſtrum Heidenricum Eipen, Decretorum Doctorem ejusdem Eccleſiæ Canonicum, qui dum poſuiſſet ſe ad viam verſus curiam Romanam captus eſt in via propè Iſenacum in qua captione infirmatus, quia vir ſenex erat diem clauſit extremum, & ſepultus eſt in loco fratrum minorum. Deinde Canonici elegerunt in Archiepiſcopum Dominum Henricum de Stolberg ejusdem Eccleſiæ Præpoſitum, qui quia prudens Dominus erat, ſperabatur, quod Eccleſia deberet per eum multum proſperari.

Sed interim Landgravius Haſſiæ cum uxore ſua exiſtens in curia Romana à Papa Johanne Archiepiſcopatum Magdeburg pro filio ſuo Ottone impetravit. Qui Dominus Otto licet adhuc juvenis, pro reverentia tamen ſedis Apoſtolicæ, cujus gratiâ pro tunc civitas Magdeburg multum indiguit, ac etiam ob reverentiam S. Eliſabeth de cujus progenie idem Otto fuit, ab omnibus glorioſè fuit receptus tam à Canonicis quam à civibus & nobilibus terræ & Dominus Henricus de Stolberg electus, pro communi pace Electioni ſuæ reſignavit ſponte.

OTTO FILIUS LANTGRAVII DE HASSIA XXVIII. Archi-Epiſcopus datus, à Papa Johanne XXII. & ab eodem Papa recepit pallium anno proviſionis ſuæ tertio, Anno Domini M. CCC. XXVIII. Hic invenit Eccleſiam multum diſturbatam & dilapidatam in caſtris & munitionibus. Nam quidam de canonicis caſtra nonnulla pro ſe & ſuis amicis occupaverant, & debita ſuper ea accumulaverant. Ipſe etiam proviſus in primo adventu ſuo tam pro expenſis introitus ſui quam pro ſervitio Cameræ, Papæ, eadem pauca quæ non occupata invenit, exponere compulſus eſt. Ita quod ipſe nullum locum manſionis habebat; niſi palatium Epiſcopale intra civitatem apud ſummum. Succeſſu tamen temporis fortuna ſibi arridente multa recuperavit. Nam caſtrum Wolmerſtede quod ex cauſis præmiſſis extra Eccleſiam venerat, & fuit in manu Domini Ottonis ducis Brunswigenſis ipſe Archiepiſcopus per induſtriam famoſi militis Domini Henningi de Steinforde, cæpit Anno Domini M. CCC. XXXIIII. in nocte diei Dominicæ qua cantatur Judica & deinde tam per viam guerrarum quam per induſtriam placitorum ſucceſſive in multis ut ſequitur proſperatus fuit. Hic ſatis competenter ſe habuit ad cives, & licet aliquando: duros tractatus fuerit, citra ipſos nunquam tamen movit eis guerram. Hujus tempore cum populus civitatis in ſeditionem verteretur, & communes jam haberent currus cum ſtraminibus parator ad incendium thecas ſeu cameras inſtitorum & panincidarum, & armati ſtarent ad invadendum divites, qui erant in Labio, & ipſi divites ex adverſo ſe armarent. Archiepiſcopus hæc audiens de palatio ſuo cum paucis qui ſecum erant deſcendit & accurrens poſuit ſe in medio furentium & cum magna difficultate ſedavit eos, faciendo treugas inter partes, quas poſtea amicabiliter concordavit. Et tunc facta eſt unio Braxatorum & piſtorum quæ antea non erat. Et hæc geſta ſunt anno Domini M. CCC. XXX. Eodem tempore civitas expulit XXXVI. viros qui fuerant in conſilio tempore necis Domini Burchardi Anno Domini M. CCC. XXXI. cives Magdeburgenſes obtinuerunt gratiam ſedis apoſtolicæ de nece Domini Burchardi

 hoc

hoc modo, quod communitas conſulum & civium conſtruere deberent unam Capellam & ſex altaria eaque dotare & homagium facere Domino Archiepiſcopo, qui pro tempore in ſua novitate in memoriam necis tam horrendæ & ſic abſolvi deberent omnes & ſinguli ab excommunicatione & habilitari per commiſſarios, ad hoc à ſede deputatos, qui fuerunt iſti: Præpoſitus beatæ virginis in Magdeburg & Prior provincialis provinciæ Saxoniæ ordinis Eremitarum S. Auguſtini. Qui provincialis ſubdelegavit in totum hoc negocium fratri Jordano tunc lectori Erfordenſi ejusdem ordinis qui duo ſcilicet præpoſitus & frater Jordanus cum auxilio Dei idem negocium ſibi efficaciter aſſumſerunt, licet magnam reſiſtentiam haberent à Domino Ottone Archiepiſcopo & capitulo Eccleſiæ ejusdem pro eo quod Eccleſia eorum quæ læſa fuit per necem ſui paſtoris videretur minimè ſatis factum. Sed ex altera parte videbatur quod Dominus Papa illam emendam de capellæ & altarium conſtructione, & homagii præſtatione in ſatisfactionem Eccleſiæ taxaſſet, & his & pluribus aliis quæſtionibus incidentibus executio negocii impediebatur ferè per 4. menſes, ſed tandem multis laboribus tractatibus & placitis per ipſos commiſſarios habitis inter partes eas ad pacem & concordiam reduxerunt. Et tunc iidem commiſſarii cives omnes & ſingulos qui indigebant ab excommunicatione abſolverunt, interdictum ſolenniter relaxarunt, cœmiteria reconcitiari fecerunt, cives ipſos & eorum filios ac nepotes ad beneficia Eccleſiaſtica recipienda abilicaverunt, infamiæ maculam ſive notam omnesque pœnas alias ſpirituales & temporales aboleverunt. Homagium cuilibet Archiepiſcopo in ſua novitate faciendum induxerunt. Capellam & altaria ſex in emendam ſæpe dicti Domini Burchardi occiſi conſtruenda & dotanda ad effectum poſuerunt prout hæc in literis apoſtolicis eisdem commiſſariis in executoribus ſuper his directis plenius continentur. Anno Domini M. CCC. XXXIIII. obiit Johannes Papa XXII. cui ſucceſſit eodem anno ex electione Cardinalium Benedictus Papa XII. qui prius fuerat abbas Cyſtercienſis ordinis & poſtea cardinalis, demum Papa, & ſedit annis octo. Anno Domini M. CCC. XXXVI. in vigilia Simonis & Judæ fuit diluvium magnum ventorum quo multæ Eccleſiæ & alia magna ædificia in diverſis partibus corruerunt, & arbores maximæ plures radicitus ſunt evulſæ trabes etiam & plantæ magnæ quaſi pennigero volatu de cælo ad locum viſæ ſunt transferri. Eo tempore in civitate Magdeburg depræhenſæ ſunt quædam Beghinæ de his quæ ſe de alto ſpiritu appellant circa articulos fidei plurimum delirantes, quas Dominus Otto Archiepiſcopus ad ſe adductas aſſumtis aliquibus prælatis & religioſis diligenter examinatis, invenit eas nonnullos prophanos & execrandos articulos temere profitentes in blaſpemiam Chriſti & Sanctorum quos etiam articulos ob eorum deteſtabilitatem dignum non duxi ſcripto commendare. Quas perſonas idem Dominus Archiepiſcopus fecit carcerali cuſtodi mancipari. Sed poſt dies aliquot, quia errorem ſuum puto ſolum verbotenus revocaverunt de cuſtodia ſunt ereptæ. Circa idem tempus cum gravis infamia de hæreſi laboraret contra inhabitatores civitatis Angermundis Brandeburgenſis diœceſeos, miſſi ſunt illuc inquiſitores hæreticæ pravitatis frater Jordanus præfatus tunc lector Magdeburg: adjunctis ſibi per dominum Ludovicum Brandeb: Eccleſiæ Epiſcopum fratre Nicolao Gardiano fratrum minorum in Berlin & Magiſtro Vinearum, præpoſito in Sehauſen cum officiali Domini Epiſcopi Brandeb: hi officium ſuum exequentes in Angermundis plures perſonas utriusque ſexus invenerunt, de hæreſi Luciferanorum ſuſpectas & infamatas quibus ſecundum Juris exigentiam purgationem canonicam indixerunt. Inter quos fuerunt ſpecialiter XIIII. perſonæ utriusque ſexus quæ in purgationc deficientes poſt receſſum inquiſitorum per advocatum Marchionis ignibus traditi, fuerunt cremati. Circa idem tempus quidam Begardus hæreticus nomine Conſtantinus inter alias ſuas veſanias aſſeruit ſe eſſe filium Dei ſicut Chriſtum ſine aliqua diſtinctione. Idem dixit evangelia Marci & Lucæ eſſe fabulas, Matthæi autem & Johannis evangelia conceſſit. Item dixit Auguſtinum & omnes doctores noſtros eſſe truphatores & ſinceræ veritatis perverſores. Idem dixit Papam, Epiſcopos & omnes ſacerdotes eſſe hominum deceptores. Item de Euchariſtia & aliis ſacramentis Eccleſiæ nihil tenuit, ſed talia propter avaritiam à clericis ſore conficta aſſeruit, iſte examinatus coram vicario Domini Archiepiſcopi Mogont: conſtanter immo pertinaciter omnes hos articulos & plures alios aſſeveravit, cui examinationi

nationi prædictus frater Jordanus etiam interfuit, & quia iſte ab errore ſuo reſilire noluit in foro Erfordiæ ſolenniter eſt crematus. Anno Domini M. CCC. XLII. fuit diluvium aquarum tam magnum quod in plerisque locis homines in ſuperioribus domorum ſolariis vix ſe poterant conſervare, unde homines & Jumenta plurima perierunt quæ non poterant confugere ad montes. Eodem anno mortuus eſt Papa Benedictus XII. & creatus eſt Clemens Papa VI. qui ſedit annos circiter decem. Anno Domini M. CCC. XLVI. Karolus filius regis Bohemiæ Johannis Imperatoris Henrici filius electus eſt in regem Almaniæ & Romanorum ab una parte principum ex impoſitione Clementis Papæ ante mortem Ludovici ad XIIII. menſes. Sed ipſe Carolus vivente Ludovico modicum vel nihil proficiebat propter potentiam ejusdem Ludovici, niſi quod mortuo patre ſuo in bello quod erat inter reges Franciæ & Angliæ ipſe ſucceſſit patri ſuo in regno Bohemiæ.. Mortuo autem Ludovico cœpit ſe de regno Almaniæ intromittere. Sed tunc alia pars principum electorum elegit contra eum comitem Guntherum de Swartzburgk in regem Almaniæ & Romanorum, qui cæpit ſtrenuè agere, ſedeo in brevi mortuo per toxicum ut dicitur. Ex tunc Carolus remanſit rex Almaniæ & Romanorum ſimul & rex Bohemorum. Qui etiam poſtmodum ad Italiam veniens coronam imperialem Romæ accepit, & hic fuit à Julio Cæſare XXVIII. Anno Domini M. CCC. XLVIII. & aliquibus ſequentibus annis maxima peſtilentia, quaſi: per totum orbem generaliter eſt perorta ſed ſparſim de una terra in aliam transvolando, ad inſtar ludi ſcacorum quia etiam in Magdeb: innumerabiles homines interierunt. Eodem tempore Judæi ubilibet per ferrum & ignem & aliis modis diverſis paſſim occidebantur, quia imponebatur eis intoxicatio fontium & puteorum & aliarum aquarum & ex hac cauſa ut ferebatur fuit tanta mortalitas hominum, quod ſi verum fuerit non diffinio ſed certum eſt ſecundum omnes aſtronomos quod fuit ex concurſu aſtrorum & poſſibile eſt quod Judæi fuerunt concauſa, quia plures eorum comprehenſi hoc faſſi fuerunt, ut fertur in diverſis locis ſuper omnia autem voluntas DEI fuit in cauſa qui ſic ab æterno diſpoſuir aſtra & prævidit ſic Judæos facturos, in tempore quod permiſir propter peccata hominum. Cum ergo ſic Judæi ubique trucidarentur Dominus Otto Archiepiſcopus unà cum conſulibus civitatis nitebantur conſervare Judæos ſuos ſed communitas civitatis ſimul cum ruſticis villarum aduniti irruerunt in villam Judæorum, quibusdam ex Judæis fugam petentibus aliis vero ſeſe & villam fortiter defenſantibus, tandem communitas prævaluit & capta præda Judæos in domibus & cum domibus combuſſerunt, ſed tamen Archiepiſcopus & Domini alii terrarum plures ex Judæis ad ſe confugientes in caſtris ſuis conſervarunt. His temporibus ſurrexit quidam vir opinione quorundam ruſticus, vel ut dicebatur molendinarius, qui dixit ſe eſſe Waldemarum marchionem Brandeburg. Cum tamen verus Marchio Waldemarus ante XXIX. annos fuerit mortuus, & in Coryn Clauſtro ordinis Ciſtertien: præſentibus pluribus nobilibus utriusq; ſexus fuerit ſepultus. Ipſe autem aſſerebat ſe nunquam fuiſſe mortuum ſed quod in quadam ſimulata infirmitate ſua ordinaverit quendam virum mortuum loco ſui. Ipſe vero extra terram fugiens tanto tempore ut præfertur exulem ſe fecit, & ſic in perſona illius viri ipſe putabatur ſepultus ut dicebat. Quare autem fugam petierit & tantum principatum dimiſerit una cauſſa fuit, ut ipſe aſſerebat propter uxorem ſuam cui in gradu prohibito conjunctus fuerat, nec aliter ut ſibi videbatur ſine conſcientiæ, & uxoris honore & ſaluti providere poterat niſi taliter eam relinquendo ut ipſa cum honore virum alium accipere poſſet, ſicut & fecit. Alia tamen cauſſa aſſignabatur ab aliis quia delirus factus fuit ut etiam poſt reditum ſuum patuit evidenter. Multi tamen principes & nobiles & civitates plurimæ eum acceptarunt eique adhæſerunt ſicut Dominus Otto Magd: Archiepiſcopus Dominus dux Saxoniæ Dux Stetinenſis Duces Sundenſes comites de Anhalt, civitas Brandeb: utraque Berlin: Stendalenſis & aliæ multæ quarum tamen quædam poſtea ab eo reſilierunt. Multi etiam alii nobiles & populi ei ſicut vero marchioni intendebant. Immò etiam Dominus Carolus rex Romanorum ipſum in ſuo latere ſicut principem ſedere fecit. Vixit autem in hoc ſtatu annis circiter IX. & mortuus eſt & ſepultus in Deſſaw. ſicut & Marchio coram altari unius Capellæ. Hunc virum iſte Dominus Otto Archiepiſcus tenuit pro vero Marchione aſſerens in fide ſua, me audiente quod ipſe eſſet ille ideus

verus Marchio Waldemarus qui putabatur ſepultus. Unde iſto Archiepiſcopus cum tota potentia ſua aſſiſtebat ei juvando eum ad recuperandum terram Marchiæ de manu Ludovici Marchionis de qua terra Marchionatus ille acquiſivit magnam partem ut dictum eſt & ipſe Dominus Arch: de hoc habuit partem ſuam pro eccleſia in recompenſam expenſarum: videlicet caſtrum Jerchaw cum terra adjacente Sandaw caſtrum & oppidum cum attinentibus, caſtrum Plawe, caſtrum Plote cum villis annexis. Mirabile valde fuit de iſto homine Waldemaro & usque in hodiernum diem ſunt de eo opiniones. Eodem tempore flagellatores diverſarum ſtatuum & conditionum diſcurrunt per diverſas terras, inter quos quidam erant ſacerdotes & clerici, quidam laici nobiles & plures alii in magno numero qui flagellabant ſe publicè per Eccleſias cincti linea veſte ſub cingulo & deſuper toti nudi, cantantes cantiones ad hoc factas. Mulieres etiam in quibusdam partibus in magna multitudine proceſſionaliter incedentes eodem modo cum ſuis cantionibus ſe flagellabant, cinctæ veſte linea ſub cingulo & ante pectoralia delatæ, dorſum autem totum nudum habebant, faciebus autem velatis. Hæc facta periculoſe erant: prædicabant enim mirabilia & omnem gradum cleri deſpiciebant, & ſacramenta Eccleſiæ aſpernabantur propter quod Papa Clemens ſectam illam prohibuit & delevit per ſuas literas, quibus eos excommunicari & capi mandavit ubicunque reperirentur. Sed & ante hujusmodi mandatum papale Dominus Otto Archiepiſcopus Magd: ipſos ſtrictiſſime prohibuerat in terra ſua ſub obtentu corporum atque rerum Anno. Domini M. CCC. L. Papa Clemens annum Jubilæum id eſt remiſſionis & gratiæ conſtituit, in quolibet anno quinquageſimo obſervandum, ita quod omnes Chriſti fideles anno illo Apoſtolorum Romæ limina viſitantes omnium peccatorum ſuorum remiſſionem pleniſſimam conſequantur, ad inſtar Bonifacii Papæ octavi qui hanc gratiam in quolibet centeſimo fuerat primitus elargitus. Anno Domini M. CCC. LII. Papa Clemens VI. obiit & eodem anno creatus eſt Innocentius VI. & ſedit annos circiter X. Anno Domini M. CCC. LVI. Imperator Carolus inveſtivit de Marchionatu Brandeburgen: Romanum filium Ludovici qui Marchiam occupabat ſed propter impugnationem principum vicinorum quam fecerunt nomine Waldemari antiqui & de novo reſuſcitati vel reviventis ut dictum eſt propter rebellionem civitatum ceſſit fratri ſuo & ipſe Ludovicus Bavariam & Carinthiam poſſedit. Hic Dominus Otto Archiepiſcopus potenter cœpit caſtrum Rideburg contra Marchionem Miſnenſem. Item ædificavit caſtrum Angheru: Ipſe etiam expugnavit oppidum Schöninge contra Ottonem ducem de Brunſwiga pro quo habuit caſtrum Hotensleve. Item expugnavit caſtrum Wardenberg, quod fregit & funditus deſtruxit, quia de eo fuerunt perpetrata & nihilominus XXIIII. viros in eodem caſtro comprehenſos fecit ſuſpendi. Item expugnavit & fregit caſtrum Sotenhagen propter rapinas. Item cœpit & obtinuit caſtrum Scapowe ducis de Sangerhuſen. Item recuperavit Eccleſiæ caſtrum Alvenslebe & caſtrum Hunesburg. Item expugnavit & deſtruxit caſtrum Lindere propter cauſſam ſimilem ſpoliorum. Item obtinuit triumphum in prælio contra Ottonem ducem de Brunſwig in campo inter Haldesleve & Gardelege captivos duces LXX. viros ex valentioribus totius ducatus à quibus idem Archiepiſcopus magnam pecuniam recepit & pluribus aliis præliis & conflictibus victorioſus & fortunatus extitit. Denique licet iſte Dominus in multis proſperatus fuerit munitionem tamen & caſtrorum per eum ut prædicitur acquiſitorum plura & penè omnia ante mortem ſuam expoſuit & pro peccuniis obligavit, ita quod ſucceſſor pauca libera receperit quæ non extiterint obligata. Fuit autem iſte Dominus Archiepiſcopus fautor & letator religioſorum mendicantium & conſervavit eos bene in pace cum plebanis. Item etiam Carmelitas locavit in Sudeborg Hic ſedit annis XXXIII. Obiit autem in caſtro Wolmerſtede Anno Domini M. CCCLXI. pridie Calend. Maii & deductus ad civitatem ſepultus eſt in Eccleſia majori cum ſolennitate debita ſicut moris eſt Archiepiſcopos ſepelire.

THEODORICUS XXIX. Archiepiſcopus Cœpit Anno Domini M. CCC. LXI. Qui primitus ciſtertienſis ordinis Monachus in Lenyn: Deinde ſareptenſis Epiſcopus poſtea Epiſcopus Eccleſiæ Sleſewicenſis, poſt hæc Minden: Eccleſiæ epiſcopalis ſimul & Wisgraden: Eccleſiæ præpoſitus. Hic apud illum Imperatorem Dominum Carolum IV. Bohemiæ regem charus & acceptus ſuis conſiliis, actibusque ſtrenuis

cauſas

cauſſas imperii atque regni per plures annos ita ſolerter & providè direxit & geſſit, quod idem imperator conſiderata prudentia & induſtria perſonæ de Archiepiſcopatu S. Magdeburgenſis Eccleſiæ tunc vacantis ab Innocentio Papa VI. ſibi provideri palliumque eidem mox tranmitti gratioſè impetravit. Cujus quidem proviſioni licet nonnulli canonicorum in principio obſiſtere niterentur, tandem tamen interpoſitis placitis & laboribus fidelis & ſtrenui viri ex utraque parte amici Nicolai de Biſmarck coopitulantibus nihilo minus civibus Magd: civitatis cum conſenſu omnium tam canonicorum quam miniſterialium & vaſallorum Eccleſiæ conſulum quoque ac univerſæ civitatis ejuſdem cum magna ſolennitate à toto clero & religioſorum multitudine nec non conſulibus & populo civitatis utriusque ſexus nonnullis etiam nobilibus terræ ad id confluentibus reverenter & honorificè ſuſceptus eſt. Anno Domini ut ſupra die XVII. menſis Novembris De iſto nimirum Domino locum habet dictum cujusdam ſapientis: Non de magnis eſſe, ſed magnum eſſe, magnum eſt. Quamvis autem ipſe non fuerit de magnis, quam magnus tamen extiterit ſequentia manifeſtant. Denique quia ipſe plures munitiones & caſtra Eccleſiæ reperit à ſuis prædeceſſoribus expoſita & obligata conatus eſt ea recuperare & ad Eccleſiam revocare. Ipſe namque in primo adventu ſuo antequam veniſſet ad ſedem ſuam redemit caſtrum Jutenburg cum terra adjacente. Et poſthæc intra primum annum introitus ſui redemit hoc caſtrum Fredeberg cum comitatu annexo, caſtrum Alsleve, caſtrumque Lochſtede, caſtrum Saltzmunde, Caſtrum Horensleve & oppidum Loborg Caſtrum Jerichaw cum terra adjacente caſtrum Croſewig, caſtrum Sandaw cum oppido, caſtrum Langenboge. Item obtinuit caſtrum & comitatum Scrapelaw quæ ad Eccleſiam per eum primitus pervenerunt. Item in Calvis novum caſtrum cum muris & foſſatis inſtauravit. Item villas Olden, Weddinge, Dalewestlebe & Meitzendorf, quæ diu extiterant obligata, redemit. Anno ſuo 2. ipſe redemit caſtrum Stasforde cum oppido, & aliis annexis de cujus recuperatione tamen propter diuturnitatem temporis, nam per LII. annos extiterat obligatum extra manum Eccleſiæ tamen propter magnitudinem ſummæ pecuniæ nec non & propter arduitatem obligationis, Eccleſia fuerat de eo quaſi deſperata, quod tamen idem Archiepiſcopus de manu Domini Ottonis de Hatmersleve & ſuorum hæredum redemit datis quinque millibus trecentis quinquaginta marcis. Item in Halle recuperavit præfecturam qua diu Eccleſia caruerat. Item in Gebichenſtein fecit pontem ſumtuoſum trans Salam fluvium de novo & dictum caſtrum Gebichenſtein in magna parte ruptum & deſtructum in muris & aliis reformavit. Item in Sandaw caſtrum ædificavit cum muris. Item in Buxdorf redemit vectigal valoris 200. Marcarum annuatim. Item redemit vectigal in Trote pro 150. Marcis. Item Conir quod fuerat obligatum liberum redire fecit ad Eccleſiam. Hic nihilominus Archiepiſcopus etiam in Specialibus ad creditum ſibi à Deo miniſterium ſolerter intentus fuit, nam ipſe crucem argenteam & deauratam ante ſe reverenter & religioſe in baculo deargentato deferri fecit, quocunque eum in publico incedere contingebat, ſecundum morem aliorum Archiepiſcoporum Gallicorum. Etenim hæc dignitas huic venerandæ Eccleſiæ in Principio ſuæ fundationis à ſede Apoſtolica ſingulariter eſt addicta ſicut ſupra in primo capitulo de primo Archiepiſcopo continetur, licet prædeceſſores ſui modernis temporibus pro Cruce enſem ad modum Principum ſeſularium ante ſe portari fecerunt. Sed & iſte nihilominus enſis inſigne non abnuit locis & temporibus opportunis. Hic etiam correctiones diſtrictas fecit, de nonnullis Canonicis qui tempore vacationis Eccleſiæ de adminiſtratione bonorum ipſius Eccleſiæ ſe intromiſerant nimis cautè. Item ipſe in die S. Lucæ anno ſuo ſecundo perſonaliter præſedit Synodo aſſidentibus ſibi Domino Ebronenſi Epiſcopo & Abbatibus pluribus infulatis in qua Synodo nihil gravaminis actum eſt, ſed pro pace & contra peſtilentiam miſſas & ſuffragia idem Archiepiſcopus injunxit, ad hoc nihilominus ſuam indulgentiam largiendo.

Item ipſe conſtruxit altare majus chori majoris Eccleſiæ opere ſumtuoſo miro marmoreo tabulatu cujus ſuperior tabula habet in Longitudine XVI. pedes, in latitudine 7. & circumquaque tabulæ marmoreæ altare idem decenti opere circumcingunt. Nec prætereundum eſt ſilentio de illa ſolenni dedicatione venerabilis Eccleſiæ S. Mauritii quæ à principio fundationis ipſius tot annis & tot Archiepiſcoporum temporibus nunquam

nunquam dedicata fuerat. Sed ut verbis Apoſtoli utamur huic noviſſimè omnium tanquam abortino aliis peæteruntibus hujus ſingularis prærogativæ meritum extitit reſervatum. Enim vero ipſe ad labores & expenſas ad hoc requiſitas intrepidus pro hujus dedicationis ſolennitate invitavit Epiſcopos, abbates, principes nobiles, comites Barones miniſteriales milites & famulos militares prælatos quoq; clericos vicinarum urbium & civitatum in numero copioſo. Itaque huic ſolennitati inter fuerunt VII. Epiſcopi cum ipſo Domino Archiep: videlicet Hildesſemenſis, Oltenburgenſis, Havelb: Brandeb: Ebron: & Thaborenſis, Vicarius in Pontificalibus Epiſcopi Hildesſemenſis cum aliis pluribus qui omnes infulati in Pontificalibus Domino Epiſcopo in actu conſecrationis aſtiterunt. De ſecularibus vero Principibus & Dominis adfuerunt hi: Duces Saxoniæ tres Marchiones Miſnen: duo Duces Brunſvigenſes, tres Comites de Anhalts; 4. nobiles de Hartmersleve tres nobiles de Querfort, 5. de Scrapelaw, tres Comites de Schwartzburg, duo Comites de Regenſtein, duo Comites de Honſtein cũ copioſa numeroſitate miniſterialium, militum famulorũ ac Eccleſiæ vaſallorum. Confluxerunt præterea ad tam grandem Solennitatem Illuſtriſſimæ Dominæ conjuges & filiæ principum & nobilium dominorum 23. Duciſſa Saxoniæ cum filiabus ſuis, Duciſſa de Brunſvig. Comitiſſa de Anhalt & plures aliæ Dominæ & puellæ generoſæ cum ſuis Comitibus. At vero Dominus Archiepiſcopus peracto conſecrationis officio ſolennem curiam tenuit, in menſa ſua Epiſcopis principibus & nobilibus univerſis tunc inibi congregatis, invitatis nihilominus ad ejusmodi convivium conſulibus civitatis cum prælatis & religioſis quam plurimis. In quo quidem convivio Comes de Anhalt dapifer Eccleſiæ juxta exigentiam officii ſui ſedens in equo cum magna gloria reverentiali Domino Archi-Epiſcopo attulit primum ferculum; ſimiliter Dux Saxoniæ pincerna Eccleſiæ in equo ſedens potum juxta ſuum officium Domino Archiepiſcopo miniſtravit. Et hæc ſolennitas Eccleſiæ dedidationis & menſalis curiæ fuit Anno Domini MCCCLXIII. die dominica ante feſtum Simonis & Judæ. Altera autem die idem Dominus Archiepiſcopus Eccleſiam S. Johannis Baptiſtæ in monte foras muros civitatis ſolenniter dedicavit principes vero & nobiles ad honorem ſolennitatis præmiſſæ haſti ludia ſua exercuerunt per triduum glorioſe. Et hic ſolennitatis iſtius lætcia duravit per 4. dies & Dominus Archiepiſcopus tam Dominis quam Dominabus providit magnificè in exenniis expenſarum. Sub hujus Domini Archiepiſcopi anno 2. mortuus eſt Papa Innocentius VI. ſc. Anno Domini MCCCLXII. Et eodem anno creatus eſt Urbanus Papa V. Hic etiam Dominus Archiepiſcopus anno ſuo 3. induxit proceſſionem generalem faciendam contra peſtilenciæ cladem quæ tum circumquaque atrocius ſæviebat Anno Domini MCCCLXIII. Sed DEus Omnipotens miſericorditer adhuc Magdeburgenſ: civitatis incolas cuſtodivit. Et ipſe Archiepiſcopus cum omnibus Prælatis Canonicis & religioſis clero & populo ſingulis cereos geſtantibus in manibus celebrata primitus una miſſa in majori Eccleſia cum devotione in communi cum officio: Recordare Domine: contra peſtilentiam à Papa Clemente VI. inſtituto perſonaliter pedeſtris circumivit per omnes Eccleſias civitatis in qualibet Eccleſia orationes ſpeciales faciendo Anno Domini memorato XV. die menſis Decembris. Cæterum hic idem Dominus Theodericus Archiepiſcopus divina inſpiratione afflatur quo aſſumto Domino Johanne Ebronen: Epiſcopo cum magna ſolennitate & devotione dedicavit chorum ſimul & Eccleſiam fratrum ordinis Eremitarum S. Auguſtini in Magdeburg pure propter DEum, nihil requirens niſi orationes fratrum: Et in ſuper dedit illis fratribus Eleemoſynam benè largam. Facta eſt hæc dedicatio Anno Domini MCCCLXVI. Dominica Lætare. Item ipſe magnæ humilitatis & pietatis opus exercere ſolebat quia in die Cœnæ Domini ipſe perſonaliter non ſolum canonicorum ſed etiam pauperum in hoſpitali pedes lavare conſuevit, quibus etiam ſingulis dedit Eleemoſynas competentes. Circa idem tempus claruerunt in Eccleſia Dei duo nova ſigna noſtris temporibus inaudita, unum eſt quod à centum quinquaginta annis vel amplius ſc. à tempore Friderici II. qui fuit Anno Domini MCCXVI. usque ad tempus iſtud nunquam aliquis Imperator viderit Papam. Nunc iſto tempore Carolus Imperator IV. & Rex Bohemiæ cum magna ſolennitate viſitavit Urbanum Papam V. in Avinione tunc curiam ſuam tenentem, à quo idem Imperator cum ſuis principibus lætanter & gratioſè receptus eſt cum gloria imperiali prout antiquitus erat conſuetum. Aliud inſigne quod hoc tempore reſplen-

reſplenduit eſt quod cum infra 64. annos nunquam aliquis Papa in ſede Romana corporali præſentia fuerit 23. à tempore Benedicti Papæ undecimi, qui fuit Anno Domini MCCCIII. & ſedit menſes VIII. dies XVI. Hujus ſucceſſor Clemes V. natione Vaſco licet electus fuerit in Romanis partibus ſc. Peruſii, ipſe cum decreto electionis Burdegalis, ubi erat Archiepiſcopus recepto nequaquam ad partes Romanas ubi erant Cardinales ſe transtulit, ſed verſus Lugdunum dirigens greſſus ſuos Cardinalibus illuc ad ſe vocatis, ibidem ſolenniter coronatus fuit, ſub Anno Domini MCCCV. & ſic nunquam poſtea, nec ipſe nec ſucceſſores ſui ad partes Romanas declinare curaverunt. Sed nunc iſto

Hic quædam in MSto deſunt.

de Anhalt, qui fuit unus de ſub pedibus concultatis Dominus Wollradus de Querfort, Scholaſticus Eccleſiæ Magdeburgenſis, Dominus Johannes de Hadmersleve, Johannes de Saldere, Henricus Gryben de Wernlinge, Henningus frater Epiſcop. Halberſtad. Joannes de Oberge, Hermannus de Werden valens juvenis, & plurimi alii valentes viri. Captivi verò principaliores fuerunt hi: Dominus Albertus Epiſcopus Halberſt. Dominus Magnus, Dux Brunſvicenſis, duo de Hacſseborne, Dominus Meinhardus de Schirſted, Nicolaus de Dismarcke, qui fuerunt capitanei Domini Archiepiſcopi, Dominus Henningus de Steinforde capitaneus civitatis Magdeburgenſis, Dominus Conradus de Boneke, Gumpertus de Wantsleve, Dn. Henricus & Ludolphus de Alvensleve, Buſſo de Aſſeburg, Alvericus de Wantsleve & quam plures alii: Poſt hæc Dominus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & Dominus Epiſcopus Hildeſſ. convenientes ad placita, tractabant de pace & de redemtione captivorum, ac Dominus Hildesheimenſis attendens grande beneficium Dei in belli victoria, quaſi miraculoſum ſibi Eccleſiæ ſuæ præſtitum ſatisgratioſum ſe exhibuit erga captivos, ita quod pro omnibus captis pertinentibus ad Epiſcopum Hildesheim: & qui erant de familia vel ſervitio Domini numero circa LXXVI. placitum eſt fore danda ſex millia marcarum puri argenti, quorum tria millia Dominus Archiepiſcopus Theodoricus civibus Magdeburgenſibus & Hallenſ: in mutuo duorum millium marcarum ſuffragantibus ipſi ante ſuam mortem Domino Gerhardo Epiſcopo Hildeſſ: & Eccleſiæ ſuæ cum aliquibus damnis in eodem bello perceptis expediit. Reliqua verò tria millia marcarum ac pecuniæ, qua alii captivi ſe redemerunt, qui in poteſtate Domini Epiſcopi Hildesh. non fuerunt, ſed alibi deducti, quemadmodum Dn. Henricus de Alvensleve miles, Buſſo de Aſſeburg, Alvericus & Gumpertus de Wantsleve & quam plures alii, nec non plurima damna in equis & aliis rebus per præfatum Dominum Theodoricum non ſoluta, poſt ipſius obitum remanſerunt ſucceſſori & Eccleſiæ Magdeburgenſi exſolvenda. Inſuper idem Dn. Theodoricus adhuc vivens pleriſq; ſuis ſervientibus non captivis refudit damna, quæ in bello & guerra ſe accepiſſe notabiliter oſtendebant. Præterea quia mortuo Domino Joanne de Hadmersleve ſine hærede caſtrum Hadmersleve cum omnibus juribus ſuis devolutum fuit ad Eccleſiā Magdeburgenſem, quod occupabatur à quibusdam conſanguineis ſuis, dicentibus ſe eſſe hæredes, ſed à latere. Idem ergo Dn. Theodorus congregato exercitu caſtrū ipſum obſedit, & demum intervenientibus placitis amicabiliter, idem Dominus Archiepiſcopus caſtrum illud cum toto Dominio attinente obtinuit libere ab Eccleſia perpetuis temporibus poſſidendum. Item ipſe emit quartam partem in caſtro Wansleve pro bis mille marcis & unam villam adjacentem pro centum marcis totum

totum pro Eccleſia. Poſtremò idem Dominus Theodorus gravi ægritudine correptus fuit, in qua cum diu laboraſſet, tandem diem clauſit extremum, Anno Domini MCCCLXVII. 16. die menſis Decembris Pontificatus ſui Anno VII. & ſepultus fuit cum ſolemnitate debita & conſueta in ſepulchro, quod ipſe prius ante duos annos in choro majoris Eccleſiæ ſibi conſtrui fecerat, ubi prope altare extra chorum altare quoddam in honore S. Mariæ & quarundam aliarum virginum conſtrui fecerat, quod perſonaliter dedicarit, quod etiam altare copioſè dotaverat pro ſui memoria perpetuis temporibus peragenda in miſſis per centum ſacerdotem ad hoc canonicè ſtatuendum diebus ſingulis celebrandis, qui quidem ſacerdo altariſta cum ſuo miniſtro proventus decem marcarum percipiet annuatim, & nihilominus in extremis ſuis pulcrum teſtamentum condidit non quidem de bonis Eccleſiæ, ſed de rebus perſonalibus relinquendo vid. imprimis majori Eccleſiæ in Clenodiis & aliis CCC. marcarum. Item in die memoriæ ſuæ annis ſingulis peragendæ conſtituit ſingulis canonicis, quod præſentia dandum unum ferronem. Inſuper cuilibet monaſterio intra civitatem Magdeborg legavit dandas ad minus marcarum X. & quibusdam plus. Item omnibus pauperibus ordinavit fienda ſtipendia benè larga: Cujus enim memoria in benedictione ſit nunc & in ævum.

ALBERTUS XXX. Archiepiſcopus ſedit annos tres menſes ſex. Hic erat nobilis de Sternburg Moraviæ regionis, pallium à Papa Urbano V. in Italia apud Mantuanam civitatem per Cardinalem Albanenſem videlicet fratrem prædicti Urbani Papæ ſibi traſmiſſum ſuſcepit. Hic etiam de Epiſcopatu Suerinenſi in Saxonia ad Epiſcopatum Luchtmoſtenſem in Bohemia per Innocentium Papam translatus. Tandem per ſereniſſimum Carolum quartum Anno MCCCLXXI. promotus per Dominum Urbanum Papam quintum ad Sanctam Magdeburgenſ. Eccleſiam translatus extitit: Cujus geſta deſcribere non valemus propter brevitatem temporis, quo præfuit Eccleſiæ prænotatæ. Attamen de voluntate & conſenſu & Canonicorum Capituli Magdeburgenſis, ſed non omnium terram Luſatiæ, cujus terræ proprietas & in feudaico Eccleſiæ Magdeburg. pertinebat, regi Bohemiæ & ſuo regno in perpetuo vendidit & ab Eccleſia abalienavit, quæ tum nobilitatis moribus ſibi aſſiſtentibus facere non potuiſſet, ſi infidelium ſubjectorũ conſiliis uſus non fuiſſet, quorum conſiliariorum falſis ſuaſionibus plus imputari poterit, quam ejusdē præſulis perſonæ. Fuerat enim vir Magnifici ſtatus honeſtatem & multiplicitatem ſumptuum frequentans militarium & familiarium copia, ſplendidis veſtimentorum & balthorum ornatibus incedentibus utebatur. Denique idiomatis Saxonici uſu vacillans absque interpretum mediatione vix aliqua gentis ſuæ aut ſubditorum incommoda expedire valebat, ſed id, quod agere debuit, non niſi conſiliariorum informatione dirigebat. Poſt annos itaque quatuor & tres menſes conſiderans ac mente ſæpè revolvens conſcientiam ferre ac ſalutis ſuæ meritum fallere pertimeſcens, pro eo etiam, quia corporis debilitate tactus paralyſi morbo ſæpius laborans ſibi & Eccleſiæ futuræ negligentiæ incurſus imminere formidans, ſereniſſimum Imperatorem Carolum quartum celerius adiit, ex cujus promotione Eccleſiæ Magdeburgenſis fuerat præfectus, ſupplicibus votis de hujusmodi periculis ſibi imminentibus conſilium lamentabiliter depoſcebat, qui videlicet imperator conſueta pietate aves manſuetas & vultum gratioſum ipſi Archiepiſcopo demonſtrans, ſic fertur reſpondiſſe, quod tam magnificæ & honorabili Eccleſiæ Magdeburg. non ſine conſilio & voluntate Domini Papæ ac ſacri collegii Cardinalium minimè conſulere valeret, ſed pro honore Eccleſiæ & Archiepiſcopi neceſſitate ambaſiatores ſuos continenti ad Dominum Gregorium Papam undecimum deſtinas prætactos defectos prædicti Archiepiſcopi inſinuans hujusmodi translationem celebrandam à prædicto Domino Papa & ſacro collegio affectanter & humiliter poſtulavit, ut prædictus Archiepiſcopus ad Eccleſiam Luthomiſchemenſem quam prius habuerat, reverteretur. Ipſius autem Eccleſiæ Luthomiſchelenſis Epiſcopus videlicet Petrus de Brunna, qui de Eccleſia Curienſi, in Eccleſiam Luthom. translatus fuerat ad Eccleſiam Magdeburg. in nomine Domini transponeretur, quem prædictus Imperator Apoſtolicæ ſedi cordialiter commendans vita & moribus, prout melius potuit, declaravit, Imperatoris hujus ſupplicibus votis Rom. Eccleſiæ parere cupiens prout affectavit, ut præſcriptum eſt hujusmodi translationes celebravit, & ſic Autore DEO Albertus pridem Magdeb.

Epiſcopus

Epiſcopus Luthomiſ. Eccleſiæ reſtitutus, Petrus vero ad Saxoniam in Eccleſiam Magdeburg. Archiepiſcopus à DEO factus deſtinatur, prædictus etiam Albertus ſui regiminis tempore caſtrum in Aldenhauſen à Magno Duce Brunſvicenſi Eccleſiæ Magdeburgenſi pro 1200. marcis in obligationem procuravit. Ipſe etiam devotione eſt ductus multas volatiles reliquias de Eccleſia Magdeburgenſe in Behemiam transduxit, inter quas fuerunt caput S. Felicitatis Martyris, dimidium corporis. B. Victorini Epiſcopi Martyris, partem brachii S. Philippi Apoſtoli, partem brachii S. Stephani protomartyris & partem vel totum vexilli S. Mauritii patroni noſtri, & multas alias reliquias, quarum nomina nunc ſcribere erubeſcimus propter malitiam & infidelitatem Theſaurarii & aliquorum prælatorum & canonicorum Magdeburgi Eccleſiæ, qui falſis ſuggeſtionibus infecti proprium nidum, ut upupa, defœdantes, plus alienum quam ſuum proprium & Eccleſiæ ſuæ honorem conſpexerunt, quæ tamen divinæ ultioni lachrimabiliter committimus nunc & in futurum.

PETRUS DE BRUNNA XXXI. Archi-Epiſcopus de Moravia Oriundus, tranlatus de Eccleſia Luthomaricenſ. ut ſupra tactum eſt. Sedit annis IX. Recepit pallium à domino Gregorio Papa XI. & anno Domini MCCCLXXV. in die circumciſionis Domini venit Calvis & poſtea ipſe ad Eccleſiam ſuam & civitatem Magdeburg ſolenniter accedente, toto Clero, ut ſolitum fieri eſt ſibi cum lætitia pro ſolenni ſuſceptione obviante cum cantu lætitiæ 53. Adveniſti deſiderabilis &c. Chorales tamen in contemptum & verecundiam tanti patris canticum lamentationis & mæſtitiæ videlicet: Abſolve Domine &c. inceperunt forte ex juſſu ſuorum majorum & ſubordinantium iſta ſic fieri, in confuſionem dicti patris Archiepiſcopi invidiæ livore ſibi ipſis in animarum ſuarum periculum. Qui Chorales ſic uttimetur in malitia confortati quaſi publicas inimicitias cum prædicto Domino Archiepiſcopo habuerunt, ſibi multas felonicas & diſplicentias interendo. Et quando famuli ſui ad aquas equos equitabant, ipſi abjectis de equis famulis equos receperunt, & opprobria multa ſibi ſuiſque intulerunt. Archiepiſcopus callide tantam audaciam ſubditorum ex alio fonte emanare conſiderans, ut prudens diſſimulavit vindictam exercere. Quia etiam cum capitulo ſuo indifferentia & diſcordia fuit, ſic quod etiam capitulum inter ſe ſtatuerunt, ut nullus Canonicorum etiam vocatus ad eum accederet, etiam cum vaſallis in diſcordia fuit. Hic tamen Dominus Petrus, quando intravit terram Magdeburg adinvenit quinque millia groſſorum pro terra Luſatiæ ſolutorum. Ipſe etiam habuit conflictum cum Brunſvicenſ. & Ducem de Brunſvick, captivavit, cum multis aliis vaſallis, qui pecuniis videlicet IIII. millia marcarum ſe redemerunt. Hallenſes etiam de Anno Domini MCCCLXXV. cum eo litigaverunt, qui abſtraxerunt ſe à ſolutione ſtoparum vini melioris, quod in civitate venale poterit reperiri omni die, dum & quando in caſtro ſuo Gebichnſtein reſideret, cum aliquibus fruſtis ſalis, in quibus ad dandum & ad repræſentandum ſibi in Gebichnſtein obligati exiſtebant, tandem cauſſam in curia Imperali præfatus Dominus Archiepiſcopus ſententialiter vicit & Hallenſes ſibi via concordiæ dederunt quatuor millia cum quingentis Sexagenis groſſis Cruciferorum, & perpetuo ad dandum vinum ſupradictum manent obligati. Præfatus inſuper Dominus Petrus fundavit inſignem capellam B. Mariæ Virginis & S. Gangolphi ſub aula Archiepiſcopati ſumptuoſa & polita ſtructura, in qua inſtituit Canonicos ad cantandum quotidie horas B. Virginis, & præbendam eorum ſatis dotavit, & eis benè prævidit, honeſtam curiam tenuit & ſemper ante ſe crucem ferre fecit, quando intravit civitatem Magdeburg, & honeſtiſſime inceſſit ſuos proprios etiam cantores ſemper ſecum habuit, ſequentes eum in curru. Dictus Dominus Petrus Archiepiſcopus obligavit caſtrum Sommersburgk pro 900. marcis Brandeburg. Inſuper quando venit Impertor cum filiis ſuis ad terram iſtam tunc Dominus Archiepiſcopus propinavit ſibi oppidum Gortzigk/ & ſine conſenſu capituli, quod oppidum fuit caput per fideles Eccleſiæ Magdeburgæ à Bavaris in publica guerra. Prædictus etiam Archiepiſcopus caſtrum Wansleve pro ſeptem millibus marcis Brandeburgiacis ab illis de Wantsleve cum omnibus pertinentiis ſuis Eccleſiæ Magd. comparavit & appropretiavit. Item villam Bodeleve pro CCCC. marcis Brandeb. obligavit. Item emit curiam in Croſigk à nobilibus de Scraplaw. Emit etiam à Comite Gunthero Comite Mulingen: & Domino de Barby caſtrum & opidum Schonebeck cum pertinentiis & ab Ottone nobili de

Hadmersleve emit jus ſuum, quod habuit ſuper caſtrum Hamersleve. Idem Archi-Epiſcopus ſolvit Electori Cameræ pro ſe & ſuis ſuffraganeis 6. millia florenorum loco decimæ Apoſtolica authoritate interdictæ in viam concordiæ, qua prius cum Clero ſuo & ſuffraganeis ab indictione hujusmodi decimæ appellavit & poſtea concordavit. Et quanquam præfatus Dominus Petrus ſatis benè rexit, & in bellis & in aliis agendum fortiſſimus fuit, videns tamen ſe eſſe in diſcordia cum capitulo & Vaſallis ſuis, quia aliquos de capitulo cepit, incarceravit & mulctavit, & multas moleſtias & injurias capitulo intulit. Sic quod capitulum ab eo ad ſanctam Apoſtolicam ſedem appellavit, & appellationem proſequebatur etiam eo tempore unio Clero Magdeburgi fuit, propter illam diſcordiam, & hic ſe exoſum haberi & reputari cernens dedit iracundiæ & iracundum locum & obtinuit ſe à Papa Urbano VI. de metropolitica Eccleſia Magd: ad ſimplicem Cathedralem Eccleſiam Olomitenſem in Moravia transferri viam humilitatis Chriſti, qua exinanivit, formam ſervi, cum eſſet DEUS, accipiens, imitando, ſic ille cum primas Germaniæ & Archiepiſcopus eſſet, diſcendendo Epiſcopus ſimplex humilitatis virtute fieri ubi etiam pacificè finem vitæ ſuæ in Domino finivit.

Incidentia iſtorum temporum ſubdicti Archiepiſcopi Petri regimine obiit ſereniſſimus & invictiſſimus Imperator Carolus quartus Bohemiæ rex anno Domini M. CCCLXXVIII. 3. Calend. decemb. qui anno Domini M. CCCXLVIII. electus fuit indiſcordia & prius vocabatur Wenceslaus, & poſt electionem Carolus vocatus eſt, & Guntherus comes de Schwartzburgk etiam electus, & poſtea veneno occiſus eſt, & ſic Carolus electus fuit concorditer, aurea privilegia Clero dedit. In Carolina Magdeburgum venit, concordiam inter Archiepiſcopum Petrum & cives de novo foro fecit, ad tempus Erfordiam obſedit, cum XL. millibus, ſed nihil profecit, qui tandem moritur, & ſepultus fuit in caſtro Pragenſi: Cui ſucceſſit filius ſuus Wenceslaus, quem eo vivente in Regem Romanorum & Bohemiæ fecit eligi, promittendo cuilibet electorum centum millia florenorum, quæ cum poſtea ſolvere non potuit, regalia eis pro his impignoravit, videlicet tholonia & vectigalia &c. Et ſic imperium nimium debilitavit, quod nequaquam reſpirare poteſt, ut Æneas in Chronica Bohemorum enarrat, qui multum deſidioſè rexit, imperium illud etiam illecebri, & inhoneſta vita & moribus maculando nocturnis temporibus cum vaga ſocietate, aut ſolus uti fatuus in plateis diſcurrendo, & multas vanitates, Imperatori indignas exercendo. Tandem Electores Imperii dictum Wenceslaum monuerunt, & crebris moneri vicibus fecerunt, ut de his vanitatibus & ſævitatibus ceſſaret, & ſacri Imperii gubernacula ſtrenuè aſſumeret, & ipſum ab oppreſſionibus variis, ut ex debito juramento tenebatur, defenſaret, ſed videntes quod in nullo proficere poſſent, apud Dominum Bonifacium Papam IX. per ſuos ſolennes ambagiatores inſtiterunt, ut ad depoſitionem dicti Wenceslai tanquam inutilis & deſidis inſpecta ſegnitiæ & turpi vita ſua, ex quo in Eccleſia diſcrimina & innumeroſa ſcandala pullulabant, procedere dignaretur. Quibus Papa annuens dedit eis licentiam alium regem Romanorum eligendi. Tandem more & conſuetudine ſuis convenientes Imperii Electores vota ſua concorditer nemine diſcrepante in illuſtrem principem & Dominum Rupertum Bavariæ ducem & comitem Palatinum direxerunt; quam verò Electionem & nominationem Dominus Papa Bonifacius IX. gratam & ratam habuit, & autoritate Apoſtolica eam approbavit, ac eundem in Imperatorem coronavit. Hic etiam Imperator à Florentinis magna conductus pecunia cum ingenti Almanorum exercitu Italiam ingrediens contra galeatum ducem Mediolanenſem & cum jactura gravi reverſus. Dignus habitus ut pro juſtitia pateretur. Et tandem anno Domini M. CCCCX. viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, relinquens poſt ſe IV. filios Ludovicum Palatinum Rheni, Ottonem ducem Bavariæ, Ducem Stephanum & Johannem, ex quibus multi duces ſunt propagati. Poſt mortem Ruperti Imperatoris electus fuit Sigismundus rex Ungariæ Frater regis Wenceslai depoſiti, qui miræ prudentiæ devotus & Chriſtianiſſimus fuit.

Hic afflictæ Eccleſiæ Schiſmatibus ſua mirabili ſapientia & induſtria ſuccurrit, nec ſibi, nec ſuis pepercit, donec plena unio fieret, in concilio Conſtantienſi perſonaliter

naliter adfuit, & contra Turcas IX. bella habuit, ubique triumphando, ſed heu à Bohemis hæreticis deceptus fuit, quia cum potenti principum adjutorio fortiſſimo exercitu Pragam obſideret, & indubiæ cœpiſſet, & hæreſi iſti peſtiferæ finem feciſſet, venerunt Pragenſes ad eum, ſuadentes, ne civitatem ſuam exterminio daret, exercitum ſuum dimitteret & civitatem ſuam intraret, ipſi omnia ad vota ſua emendare vellent, credidit, exercitus dilabitur, decipitur à Pragenſibus, & tandem heus deceptum ſe ingemiſcens nimium credulus dixit, namque prius, ſi cor ſuum ſcinderetur citius Bohemus, quam Almannus reperiretur in eo. Et ſic invaluit hæreſis mirabiliter & totam Almaniam afflixit crudeliter. Concilium Conſtantienſe Papam Johannem XXII. depoſuit propter Simoniæ pravitatem, & ſceleraalia ingentia, adeo, ut diabolus incarnatus diceretur. Eodem anno Johannes Huſſo hæreſiarcha commotus & confeſſus hæreticus incineratur: quo combuſto Bohemi ejus diſcipuli confœderati ſcripſerunt literas ad concilium trecentis & quinquaginta ſigillis ſigillatas, continentes, quod injurioſè & invidioſe virum ſanctum & Catholicum combuſſerunt, tunc cœperunt pullulare hæreſes in civitate Pragenſi & locis vicinis, de quibus infra.

LUDOVICUS GERMANUS Lantgravii Thuringiæ & Marchionis Miſnenſis XXXII. Archiepiſcopus poſt deceſſum Domini Petri Eccleſiæ Magdeburgenſi parvo tempore ut commendatarius præfuit, titulum Moguntinenſis Archiepiſcopi ſibi aſcribens, cujus propter potentiam Moguntinenſis Archiepiſcopi Domini Adolphi de Naſſaw poſſeſſionem habere non potuit, idem tamen Ludovicus iſto non obſtante prætendens ſe ad Eccleſiam Moguntinenſem jus habere, titulum demittere ſaltem nomine noluit, licet alter poſſeſſione & fructibus uteretur. Item Ludovicus primo promotus fuit ad Eccleſiam Halberſtadenſem, quam electus & confirmatus rexerat ad XI. annos, de qua poſtulatus fuit ad Eccleſiam Bambergenſem, de qua ad Moguntinenſem ſaltem nomine pervenit. Poſthæc Eccleſia Magdeburgenſis ſibi per Urbanum Papam VI. fuit ad gubernandum commendata, licet eo invito ut diceba- tur. Sed heus modico & eidem Eccleſiæ præfuit tempore, quia anno Domini M. CCCLXXXII. ad Eccleſiam venit & eodem anno obiit.

Fuit namque in oppido ſuo Calvis prope Salam, ibi tenens curiam ſolennem cum vaſallis ſuis & uxoribus & filiabus eorum in carnis privio. Et cum in prætorio oppidi præfati cum dominabus & virginibus ad chriſandum adfuit, quidam junior ſubito de igne quodam ſive incendio prætorii oritur, quidam volunt, quod fuit deluſio diabolica, alii verò quod juvenes cereas ſub lobio extinxerunt, unde fumus in pulveribus oriebatur, ita quod propter momentaneum timorem & incuſſum metum quilibet volens per gradus evadere, alter alterum ex ſubito concurſu compreſſit, adeo quod Ludovicus volens per gradus deſcendere, unus alterum ſic ſequendo cecidit ad terram & fractis cervicibus exſpiravit ſolus de tanta multitudine. Sepultus in Eccleſia B. virginis ſive Gangolphi ſine ſolennitate. Ecce qui tam nobilis tam multis dignitatibus inſignitus princeps, quam miſerè in corpore, utinam non & in anima mortem, obiit. Hæc communiter maximis principibus tyrannis, in ſuperbia & faſtu regentibus, evenire juſta DEI permiſſione de die in diem videntur. Caſtrum Sandaw, tum Eccleſia Magdeb. per quendam amiſit, licet etiam poſt revicerunt, etiam civitates Magdeburg & Halle recuſaverunt ſibi homagium præſtare, quia non fuit Archiepiſcopus & caruit pallio, nec regalia habuit, quod ægrè tulit, & ſe ſi vixiſſet, fortè vindicaſſet.

FRIDERICUS XXXIII. Archiepiſcopus de Hoym natus, veteranus Eccleſiæ Merſburgenſis, cui præfuit ad XXVI. annos. Mortuo Ludovico anno Domini M. CCCLXXXII. 9. die Novemb. ad Eccleſiam Magdeb. poſtulatus fuit & tranſlatione ab Urbano Papa Sexto facta, eodem anno rebus humanis exemptus fuit, de quo notatur, quod poſtquam confirmationem ſe ſenſit habere, volens patronis Eccleſiæ Merſeburgenſis, cui utiliter per annos quintos præfuit ſe recommendare & gratum impendere Domino DEO famulatum. Accerſitis Cappellanis ſuis & Clericis ſibi ſecretis & dilectis in jungens eiſdem, ut ornamenta ad miſſam neceſſaria exponerent, quibus inductus & ad miſſam celebrandum paratus, pontificiale ſuum quotidianum aperiens officium de patronis, de quibus Miſſam celebrare intendebat,

 diligenter

diligenter inquirens, ut ſolitus fuit, & foliis libri diligenter revolutis, hinc inde cum Capellanis officium inquirens nequaquam illud in libro invenire potuit. Tandem ſtupefactus credens hoc non ſine ſpeciali judicio DEI ſibi accidiſſe veſtes ſacras exuens ſe humili corde proſtravit ad Dominum DEUM omnipotentem, ac ad patronos, S. Laurentium, & Romanum oculos dirigens, veniam poſtulando, & mox morbo correptus eſt ibidem, in Merſeburg vitâ defunctus eſt. Quem præfati, ut vaticinantur patroni, quia Eccleſiæ eorum utiliter præfuit, in vita etiam mortuum apud ſe optabant retinere. Præfatus etiam Fridericus poſuit cum ſuis campum, & obſedit caſtrum Plavre, abinde tamen recedentis nihil utiliter geſſerunt. Anno Domini MCCCLXXXIII. Dominica poſt Aſſumptionis oppidum Weſſenach in diœceſi Havelbergen: cum Eccleſia Parrochiah. per raptores totaliter combuſtum fuit, & quædam hoſtiæ conſecratæ reſperſæ cinere repertæ fuerunt, ut dicunt, & fit ingens concurſus, & multa miracula ibi fiunt, prout hodiè etiam fiunt, & pronuociantur in Eccleſia prædicta, Archiepiſcopus tamen Fridericus de Dichnge ſucceſſor hujus fœtus conſilio Doctoris Henrici Falhenſe huic concurſui oppoſuit propter multa pericula animarum & tamen Dominus Marchio apud Papam Nicolaum obtinuit, ut hoſtia ſacrata poneretur ad aliam hoſtiam ſanguinolentam, ne idolatria committeretur, ſed ut finetur magis pro denario lucrando, quam ſalute animarum inquirendo, quia hoſtiæ ſic immutatæ conſumi debent à Presbitero, aut recludi, & neve periculum animarum ibi vertitur, ſed avaritia excæcat homines.

ALBERTUS de QUERFORT Archiepiſcopus XXXIV. electus anno Domini MCCCLXXXII. die menſis Septembris, ſedit annos XXV. confirmationem & pallium à Domino Urbano Papa recepit. Hic prius fuit Eccleſiarum Magdeburgeo: & Merſeburgen: canonicus, & poſt poſtulationem Domini Friderici de Merſeburg: ad Magdeburgenſem Eccleſiam factam, idem Dominus Albertus propria in perſona ſe ad Romanam curiam pro Eccleſia Merſeburgenſi, ſi & in quantum Dominus Fridericus ad Magdeburg Eccleſiam transferretur obtinenda apud Dominum Apoſtolicum inſtitit tandem Domino Friderico de Eccleſia proviſo modico ſuperviventi tempore, ac eo defuncto canonici Eccletiæ Magdeburg: eundem Dominum Albertum adhuc in curia Romana exiſtentem, & pro Eccleſia Marſeburg: laborantem concorditer nemine diſcrepante in Archiepiſcopum elegerunt, & decretum electionis per ſuos certos fideles nuncios, in urbe Romana eidem præſentari fecerunt, præterea attempta tam concordi electione in perſonam dicti Domini Alberti per capitulum facta, Dominus Urbanus præfatam electionem confirmavit, ac eundem confirmatum ad partes, & ad Eccleſiam ſuam remiſit. Dictus Dominus Albertus capit caſtrum Molſeren, quod fuit illorum de Alvensleve, & capitulo pro memoria ſuo ſingulis annis in Eccleſia peragenda dedit. Anno Domini MCCCCI. in vigilia Purificationis capitulum Eccleſiæ majoris unà cum Domino Alberto Archiepiſcopo, & toto clero propter metum civium Magdeburg: & diſcordiam quam habuerunt ratione monetæ cuſæ à Domino, civitatem Magdeburg: compulſi ſunt exire, & venerunt in Wansleven, & poſt in Schinebrok denarios Magdeburgenſes cuderunt, & tandem per dominum Archiepiſcopum pacificati reintaverunt: ſed iterum Anno Domini MCCCCII. ſtatim ſcilicet feria quarta, quatuor temporum ante Mauritii communitus contra conſulatum inſurrexit, monetam in foro combuſſerunt, & domos aliquorum civium ſpoliaverunt, & cum Bannirio catervatim ad prætorium acceſſerunt illud ſpoliare, & conſules ex feneſtris projicere volebant. Tandem unus ex conſulibus de feneſtra ad eos clamavit: den Papen hoeſſen tho. Et ſic ſe redimentes tumultum ad curias dominorum diverterunt, & ſpoliaverunt usque ad limen penitus omnia devodendo, uti populus communis & tumultuoſus aſſiſtet, multasque injurias & folonias verbo & facto clero intulerunt. Et poſt tamen uſi ſapientum conſilio cognoſcentes ſe perperam egiſſe, cives cum toto clero concordia per Archiepiſcopum & comitem de Schwartzborg Guntherum, ac alios nobiles factam inierunt, omnia damna & bona ablata clero, quæ per juramenta obtinere voluerunt plene ſoluta, & pro his ſatisfactum eis fuit, ita quod Anno Domini MCCCCIII. in die cœnæ Domini civitatem reintraverunt. Item Anno Domini MCCCXCIV. in nocte S. Leodegarii martyris oppidum Achen per Archiepiſcopum Albertum capitur contra Rudolphum ducem Saxoniæ. Eodem

tempore

tempore Galeatus Mediolanenſis Dominus in Ducem creatus fuit, & principem Mediolanenſem per Wenceſlaum Romanorum & Bohemiæ regem. Item anno, quo ſupra XCIV. in nocte ſanctæ Barbaræ Dominus Albertus Archiepiſcopus cepit oppidum Rethenaw, incolas expulit in maximis frigoribus, ubi plures mulieres in campo oborſæ ſunt, & miſerabiliter in partu perierunt, & omnia bona eorum in prædam dedit, & oppidum ad duos & ultra annos poſſedit. Item Anno M CCC XCV. Dominus Bonifacius IX. annum gratiæ Magdeburg: dedit & incepit in die S. Egidii, & duravit per annum, ut videlicet promereri volens plenariam remiſſionem in Magdeburg: per XIV. ſtaret, & ſingulis diebus quatuor Eccleſias viſitaret, videlicet majorem in Berga in nova civitate Eccleſiam S. Petri & Pauli, & monaſterium S. Auguſtini, in his Eccleſiis ciſtæ poſitæ fuerunt, & maxima pecunia congregata fuit. Eodem anno circa feſtum Simonis & Judæ Rudolphus Dux Saxoniæ in bello proſtravit Archiepiſcopum Albertum Henricum de Werberga præpoſitum, & alios multos captivavit, à civibus captis ultra quatuor millia extorſit. Et Dominus Albertus cum duce tractavit pro redemptione aliorum captivorum in vim concordiæ fratrem ſuum Wenceslaum in coadiutorem cum conſenſu capituli ad Eccleſiam eligere promiſit, qui anno ſequenti Pragæ obiit. Item anno Domini M CCC XCVI. Dominus Albertus Archiepiſcopus cancellarium Imperatoris Sigiſmundi ad inſtantiam ejusdem Lippoldi de Bredaw libertate donavit & oppidum Rothenaw reſtituit. Anno Domini M. CCCC. die Junii Albertus Archiepiſcopus moritur in Gubichenſtein, & in Eccleſia ſua ſub altare trium regum vel corporis Chriſti, quod de novo fundavit, ſepultus eſt. Tempore Alberti Archiepiſcopi Wilhelmus monoculus Marchio Miſnenſis impetravit exemptionem Eccleſiæ, & diœceſis Miſſen: contra Magdeburgi Eccleſiam & Prâgen Anno Domini M CCCC II. ſurreptici enarrant, quod Eccleſia Miſn. cum omnibus & pertinentiis ſuis ab ejus primæva fundatione ac creatione libera & exempta ac ſedi Apoſtolicæ ita mediate ſubjecta fuiſſet, tamen poſtmodum eadem Eccleſia Archiepiſcopo Magdeburg: pro tempore exiſtendi jure metropolitico primo. Deinde Archiepiſcopo Pragenſi etiam pro tempore exiſtenti, qui legatus natus exſtitit jure legationis, auctoritate Apoſtolica per nonnullos Romanos pontifices extitit ſubjecta. Sed conſtat quod hoc eſt falſum, quia Otto Magnus fundavit Eccleſiam, Magdeburg: & ſeptem Eccleſias ſuffraganeas videlicet Miſnenſem, Citzon. Merſeburg. &c. & omnes ſubjecit Eccleſiæ Magdeburgenſi, ut patet in principio hujus Chronicæ, inde etiam & bella & lites exortæ fuerunt inter Archiepiſcopum Guntherum & Marchiones Miſnens: & oppida & villæ hinc inde devaſtata & deſtructæ, & hodiè diſplicentia manet. Hæc etiam ſurreptiva bulla exemptionis expedita eſt per cameram, & non per cancellariam, quia Papa ſemper quando confirmat Epiſcopum Miſnenſem in ſuis bullis ſervat jus Metrapolitari ſalvum.

GUNTHERUS DE SCHWARTZBURG XXXV. Archi-Epiſcopus Eccleſiarum Maguntinenſ. & Jetſeburg. Maguntinenſis diœceſis præpoſitus, & Eccleſiæ Colonienſis Canonicus XXI. anno ad Eccleſiam Magdeburg. poſtulatus fuit Anno Domini MCCCCIII. XXV. Menſis Junii, fuit à Papa Bonifacio IX. confirmatus anno ſuo XIV. qui in Epiſcopatu ſuo XV. annis ſedit, & eodem anno paſſum à prædicto Domino Apoſtolico recepit, & ſedit annis XII. Hic in principio ſui adventus ad terram Magdeburg: per Dominum Albertum prædeceſſorem ſuum in metum & capitulum in Adminiſtratorem generalem ſolenniter fuit receptus, quod in primo anno ſuo graves diſcordias cum Domino Rudolpho de Anhalt & Mansfelt habuit terras & villas hinc inde in dominiis utrorumque in favillam & cineres redigentes tandem ſeſe per media ſalutifera ad pacem dederunt. Hic etiam caſtrum & Dominium Dhame licet erat de fundo Eccleſiæ per mortem ultimi Domini de Dhame, qui tunc erat ad eum devolutum, fuiſſet tamen ſuperſiſtentibus filiabus data pecunia in bona quantitate ad easdem maritandas, caſtrum & Dominium cum Attinentiis ſuis ad Eccleſiam Magdeburg. incorporari fecit. Hic etiam per mortem Domini Conradi de Hatmersleben caſtrum Egeten, quod fuit devolutum ad Dominum Burchardum de Mulingen Comitem Domini in Barbi data notabili ſumma pecuniarum, eidem comiti per bona media de conſenſu Venerabilis Dominæ Agnetis de Sidawe Abbatiſſæ in Serenrode, quæ fuit domina feudi, à qua Duces Saxoniæ de Wittenberg. hoc in feudum habuerunt, & per obitum

obitum illorum devolutum ad Abbatiſſam, & hodiè ab Eccleſia dantur ei certi floreni annuatim ad perpetuam rei memoriam; & Eccleſia ſponſæ ſuæ appropriari fecit. Item Anno Domini MCCCCXVI. caſtrum Sandaw, quod habuit Henricus de Eiſenberg, captum fuit à Jaſper Gans de Pœlitz cum complicibus ſuis, quod tamen Dei gratia licet non ſine magnis laboribus expenſis, & perſonarum perditione recuperavit, Anno Domini &c. IV. Papa Bonifacius moritur, & Innocentus VII. electus eſt, & partialitates & diſcordiæ fuerunt in Urbe Romana, ſic quod Papa curiam ad Viterbium transtulit, tamen victis precibus in urbe manſit. Et Anno Domini &c. VI. v. Octobris moritur. Et Gregorius XI. eligitur eo ſchiſma ſurrexit, quia Benedictus XIII. electus fuit Anno Domini &c. ſeptimo in die S. Barbaræ Dominus Henningus de Bredaw Epiſcopus Brandenburg. ſtatim poſt coronationem à Johanne Treſcaw, & Wiperto de Barby captus fuit, & in caſtro eorum Muslo usque ad feſtum Georgii detentus, & data pecunia à ſede Apoſtolica fuerunt abſoluti. Anno Domini &c. IX. ſtudium univerſitatis Pragenſis translatum fuit in Leipſitzg. quo ad tres nationes videlicet Saxonum Polonorum & Bavarorum. Et Bohemi propter hæreſin excluſi fuerunt. Verſus:

Praga modo doleas nunquam caritura dolore,
Cum Clero careas, qui te ditavit bonore.

Inſuper eodem Anno 1409. ipſo die Johannis & Pauli in concilio Piſano Gregorius 12. & Benedictus 13. Papæ depoſiti fuerunt, & Alexander Quintus electus fuit, qui ſedit menſes 10. & 3. hebdomadas, poſt eum Johannes 24. eligitur, unde ſunt, verſus:

Lucifer & Luna cum dejicerentur ab una
Mitra papati ſub concilio generali
Quintus Alexander præcellens valde Magiſter
De Græcis natus eſt, Piſis Papa creatus
Poſt M CCCC quatuor tria poſt hæc ſi referas ter
Lothan in feſto cujus Sancti memor eſto.

Anno Domini MCCCCX. in die diviſionis Apoſtolorum in campo quatuor marſorum prope Oſterroden juxta flumen die Weſſele Magiſter Ordinis Teutonicorum, & Rex Poloniæ Waldislaus conflixerunt LXXX. millia & ultra hominum ceciderunt, & omnes civitates Pruſiæ dempto Margenborg regi Homagium fecerunt. His temporibus Marchio Jodocus de Moravia habuit Marchiam, & aliquando veniens & colligens pecunias receſſit, poſuitque rectores qui nihil curabantur, ſed iſti de Quitzaw cum ſuis complicibus tyrannice ſibi regimen uſurparunt, & Marchiam graviter & dure oppreſſerunt, nec à Jodoco revelabantur imò penitus deferebantur. Idem Marchio Jodocus Anno Domini MCCCCXI. in Moravia in caſtro Brunne obiit, & Marchia ad Sigismundum regem Ungariæ filium Caroli 4. Imperatoris devoluta eſt, & duo de qualibet civitate Marchia iverunt in Ungariam, & homagia fecerunt ſibi ſalvis conſuetudinibus, privilegiis, & libertatibus ſuis. Anno 1412. circa feſtum Dhanius Dominus Fridericus Burgravius de Nörenberg deſcendit ad Marchiam convocatis omnibus nobilibus & civitatibus homagium ſuper pecunia ſua videlicet centum millia florenorum Ungarum homagium poſtulavit juxta literas ſuas, quas exhibuit, & niſi ſoluta pecunia ab eo non recedendo Civitates in tot & in tantis periculis conſtitutæ paratæ fuerunt & ſub hac forma juraverunt: Wir hulden und ſchweren Herrn Sigmunde und ſeinen Erben Marggraven zu Brandenburg eine rechte Erbhuldung/und hulden und ſchweren Herrn Friderichen und ſeinen Erben Burggraffen zu Runemberg eine rechte Huldinge zu ſeinem Gelde nach Außweiſung ſeiner Brieffe getrewe wehr und gehorſamb zu ſeyn als uns GOtt helffe.

Anno Domini 1413. Præfatus Marchio Fridericus fœderavit ſe cum Principibus in Monaſterio Cynna, & ſimulatè & callidè in diſcordia ab invicem receſſerunt propter proditores illorum de Quitzow, qui ibi miſſi & ſecretè fuerunt. Et quarta feria poſt purificationis fecerunt quatuor exercitus. Dominus Magdeburg. Guntherus cum ſuo exercitu obſedit caſtrum Plawe, in quo Hans de Quitzow reſedit Dominus Rudolphus Saxoniæ Dux, in die Agathæ caſtrum Soltzow Burggravius per ſe cum ſuis Dorotheæ caſtrum Friſius in quo Theodoricus de Quitzow degebat. Dominus Johannes de Torgaw caſtrum Buthe in quo Goßhergrecol obſederunt & ceperunt paucis

diebus

diebus & illos de Quitzow captivarunt & exularunt, juſta Tyrannorum retributio, quia humiliati usque ad terram fuerunt. His diebus Concilium Conſtantinenſe maximè floruit, in quo fides Chriſtiana, quæ jam multis annis quaſi titubare videbatur, fortiter exurrexit ubi, ſchiſma peſſimum quinquaginta annorum terminatum eſt, ibi hæreſes damnatæ & duo hæreſiarchæ ſcilicet Johannes Huſs. & Hieronimus combuſti fuerunt, & plura bona inſtituta, determinavit etiam hæc ſancta Synodus, quod Concilium legitimè congregatum, repræſentans Eccleſiam plenam, poteſtatem habet à Chriſto immediatè, cui omnes ſtatus etiam papalis obedire teneretur, in his quæ ſunt ad generalem reformationem Eccleſiæ in fide & in moribus tam in Capite quam in membris. Item quod deinceps Concilium de decennio debet celebrari, quod heu! non eſt ſervatum, ideò multa ſcandala in Eccleſia DEI exorta ſunt: Concilium Papam Johannem 23. depoſuit & elegit Mattheum quintum in Papam & rediit plena unio diu deſiderata. Item Anno Domini 1429. die ſabbati menſis Julii in ſeſſione generali in præſentia Sigismundi Regis Romanorum & plurimorum Principum & Prælatorum introductus M. Johannes Huſs. de Praga hæreſiarcha convictus & confeſſus hæreticus, uti Epiſcopus Lundenſis fecit ſermonem brevem. Thema fuit: Deſtruatur corpus peccati; Ad Rom. 6. Et poſt multi articuli hæreticales fuerunt lecti de quibus infra, & ſententia contra Johannem Huſs Hæreſiarcham fuit lata, in qua Sacroſanctum Concilium eundem Johannem Huſs tanquam hæreticum indicavit & condemnavit ab ordine ſacerdotali ac aliis ordinibus ſacris depoſuit, & per aliquos Epiſcopos degradari fecerunt ſecundum librum Pontificialem incipiendo: O! Juda qui dereliquiſti conſilium pacis & auferentes ab eo Calicem, Caſulam & alias veſtes ſacras, tandem eum judici ſeculari tradiderunt extra civitatem ſtipite affixum & Papyrea Corona diabolis nigris depicta coronatum igne combuſſerunt. Et eodem annó ſabbato poſt Aſcenſionis M. Hieronimus diſcipulus Johan. Huſs. in præſcripto Concilio Conſtantinenſe incineratus eſt Vir Doctiſſimus & ingenii magni præter fidem in ſua pertinacia perſeverans igne conſumtus eſt. Poſt horum mortem cœpit pullulare hæreſis in civitate Pragenſi, & in Bohemia poſt mortem Regis Wenceslai Huſſitæ de civitate Pragenſe. Prius expulſis Catholicis exierunt pontem armata manu & clauſtrum Cutnenſe incenderunt, combuſſerunt, fratres expulerunt, quos Abbas in Oſodetizt prope montem Cutnitz collegit, multa horrenda in Bohemiæ regno in deſtructione Eccleſiarum, truncatione imaginum & ſpoliatione Eccleſiarum acciderunt. In oppido Chrantz Eccleſia Parochialis & monaſteria deſtructa fuerunt, Clerici fugati & hæreſis Huſs. publicè prædicata, & inſurrexerunt heu! multa mala, quia non fuit judex Machabæus in terra, nec aliquis Principium, qui voluit reponere mulum pro domo Iſrael, veriſimiliter credendum, quod tota quaſi Almania permiſſione diurna cum his hæreticis plagata fuit, & quod fuit flagellum Nabuchodonoſor, quia DEUS inimicos cum inimicis flagellari ſæpè conſuevit. Item anno Domini 1420. die Dominica Panthaleonis vacante regno Bohemiæ, per mortem Regis Wenceslai, Dominus Sigiſmundus Romanorum, Ungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ Rex, Marchio Brandenburgenſis & Lutzburgenſis, fecit ſe in Regem Bohemiæ coronari in caſtro Pragenſe per Archi-Epiſcopum Pragenſem & à Baronibus & nobilibus regni Bohemiæ. Eodem tempore Rex Sigismundus copioſum exercitum habuit, à Principibus ſpiritualibus & ſecularibus congregatum, & obſedit civitatem Pragenſem, ſed nihil boni perfecit, quia Rex diſſimulavit contra Bohemos aliquid facere, & ſic exercitus dilapſus fuit in die eodem & Senneci ſibi Regnum Bohemiæ & civitatem Pragenſem pacificè tradere, & ſic nimis credulus deceptus fuit. Eodem anno Rex Sigismundus cum Regina ſua Domina Barbara ad Uratiſlaviam venit tractans pacem inter Regem Poloniæ & Magiſtrum Teutonicorum, & certum Laidum pronunciavit quod Muſechallus Cruciferorum etymologavit, ſed ambuſiatores Regis reclamaverunt. Et Sigismundus Rex in civitate prædicta ſecunda feria poſt Reminiſcere 24. ſues de communitate & mechanicis decaſtitari fecit, quia inſultum contra conſulatum fecerunt, & eos de prætorio præcipitaverunt. Eodem anno poſt Gertrudis feria ſecunda in Magdeburg repertus fuit quidam Jacob Chremer de Werden oriundus ſub diu unus hæreticus, qui à Magiſtro Kunelart publicè in novo foro de hæreſi convictus fuit, & brachio ſeculari traditus & combuſtus.

Hic plures articulos erroneos tenuit contra fidem. Primus: in divinis eſt tantum una Perſona, ſic tantum una eſt in eſſentia.
2. Generatio naturalis non eſt ponenda in divinis nec proceſſio aliqua.
3. Spiritus S. non procedit à patre & filio, tantum ab uno principio.
4. DEUS poſt Creationem hominis & ornatum ſcilicet dierum nihil denovo condidit.
5. DEUS non dedit Legem, quæ dicitur Evangelica.
6. DEUS datione exteriori legem, quam dedit Moiſi, dedit Adæ.
7. DEUS non poteſt annihilare individuum alicujus ſpeciei, niſi annihilet totum univerſum.
8. DEUS non poteſt deſtruere hominem, & hic eſt articulus Wichelef.
9. Wichelef eſt injuſtè increatus & jam ſalvatus.
10. DEUS non eſt factus homo, ſed cum homine.
11. Non eſt ponendum Chriſtum fuiſſe neque beatam virginem.
12. Virgo Maria non fuit mater DEI, nec mater JESU Chriſti, quia ſuper naturam.
13. Jacob filius Iſaac naturalis eſt Deus eſſentialiter atq; paſſus Crucifixus & mortuus.
14. Lignum & ſignum ſanctæ Crucis nullius ſunt virtutis.
15. Baptiſmus fluminis nullam habet virtutem. Item, DEUS in Sacramento altaris eſt cum pane, ſicut cum ſigno & lapide in ſua natura. Item, Subſtantia panis & vini manet poſt conſecrationem in Sacramento altaris.
Ut Subſtantia eſt accidens & accidens eſt ſubſtantia.
Ut Doctores ſancti non ſunt ſalvati: Item, Apoſtoli non fuerunt. Item, Chriſtus non Criſmate unctus. Item, Papa non eſt vicarius Chriſti. Et ſic de multis articulis hæreticis. Oravit hæreticus iſto modo. Pater noſter, qui es nobis, ſanctum habeamus te DEUM noſtrum Jacob ad regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in ſanctis & in nobis, amorem tuum da nobis hodiè, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne permittas nos peccatores, ſed libera nos ab omnibus malis, Amen.

Eodem anno 1420. feria quarta poſt Judica Dominus Marchio expugnavit oppidum Tangermundenſe & in nocte Dux Caſimirus oppidum intravit, & arduè conflixerunt triumpho Marchioni cedente. Articuli Huſſitarum multi fuerunt, & aliquos ponam propter ignorantiam; ac ut ſciatur error eorum & evitetur. Primus. Beata virgo non eſt reputanda, niſi ſicut alia mulier, nec poteſt ſervare quemquam neque juvare, & imago ejus non deveneranda eſt, etſi centies in illa homo ſibi obviaret, caput ſuum diſcooperiri non tenetur coram ea.
Secundus: Hæreſis eſt, flectere genua coram Sacramento Corporis Chriſti, cum ibi non ſit verum Corpus ſed tantum Panis & Manna.
Tertius. Romana Eccleſia eſt ſpelunca latronum, & Papa eſt autor.
Quartus. Quilibet homo debet Communicare quotidiè ſub pœna æternæ damnationis.
Quintus. Johannes Hus eſſet major omnibus ſanctis, & ſocius ejus Hieronimus magnus martyr.
Sextus. Non eſt opus ut aliquis confiteatur, niſi ſoli DEO.
Septimus. Non debet injungi alia pænitentia, niſi: vade & amplius noli peccare.
Octavus. Miſſa propter aſtantem populum debet abbreviari, incipiendo ibi: Te igitur &c.
Nonus. Homo non tenetur orare etiam Presbyter, niſi Pater Noſter.
10. Infantuli ſtatim poſt Baptiſma communicandi ſunt Sacramento altaris ſub utraque ſpecie, quod jam ab omnibus communiter practicetur.
11. Vir potens prolificare habens uxorem ſterilem illa dimiſſa poteſt ducere aliam.
12. Nulla feſta Eccleſiæ ſunt celebranda, niſi Dies Dominica & feſtum Huſs.
13. Populus communis poteſt ſeipſum cum Sacramentum eis per Sacerdotem ad altare portatur.
14. Manus Sacerdotis conſecrati non eſt dignior ad porrigendum Sacramentum, quam manus cujuſcunque Laici.

15. Nullus poteſt communicare aliquem niſi ſolus DEUS. Et ſic de aliis multis &c. Et licet Pragenſes ſubſcriptos Articulos tenuerunt, tamen ab eis recepiſſent ſi per legatum & per Regem de quatuor ſubſcriptis articulis certificati fuiſſent.

1. Primus de communione utriusque populi Laicalis.

2. Quod verbum DEI per regnum Bohemiæ liberè & ſine impedimento à Sacerdotibus DEI prædicetur.

3. Quod Sacerdotes à Papa incipiendo ſuam pompam & avaritiam dimittentes exemplo Chriſti & Apoſtolorum ipſis exemplariter vivant.

4. Quod omnia peccata mortalia ſpecialiter publico in ſtatu prohibeantur & deſtruantur per eos, ad quos ſpectat, quos legatus & Rex admittere recuſarunt. Poſtquam autem Principes receſſerunt, Huſſitæ pejora prioribus perpetrarunt, Monaſterium aulæ Regiæ deſtruxerunt, ubi Wenceslaus tumulatus erat, & multa horrenda nefandiſſime in aſpectu & deſpectu, & opprobrium Regis fecerunt de quo Rex tarde dolens in mala hora patientiam habuit.

Anno Domini 1421. Rex Romanorum Sigismundus magnam convocationem Principum Norinbergæ Dominica Jubilate fecit, per ſe autem non venit contra hæreticos tractando & hæretici oppidum Lemethaw ceperunt, Teutonicos 64. interfecerunt, infantes 5. vel 6. in una lancea transfixerunt, erigentes eos in deriſum Paſſionis Chriſti, Cantantes Bopſimutitzii, &c. Et clangore tubarum eos ad martyrium duxerunt. Mulieres Huſſitæ, quæ cum viris armatæ currebant Teutonicis mulieribus, quas non occiderunt, crines, aures, naſum aut labia amputarunt. Oppidum Cadan Dominica Miſericordia expugnarunt & Teutonicos martyriſaverunt. Circa feſtum Pentecoſtes obtinuerunt montem Cotnis & Monaſterium Scedelitz ordinis Ciſterſienſium, in quo Carthuſienſes, de Pragaw expulſi, ſunt recepti, funditus deſtruxerunt, & monachos cum Carthuſienſibus inhumaniter interfecerunt. Eodem anno oppidum Belyn & Monaſterium Efigk deſtruxerunt & Martyres plures effecerunt; Eodem anno Huſſitæ Brux obſederunt & Miſneum in die Oswaldi contra eos prælium inſtituerunt, & eos fugarunt & ultra duo millia proſtraverunt. Eodem anno principes in Egra convenerunt circa Bartholomæi juxta intimationem regiam & Rex iterum non venit & ipſi Saez obſederunt & quia capite caruerunt & concordare non potuerunt, ideo receſſerunt, horror ingens circum circa omnes invaſit, quia inter Chriſtianos & Huſſitas tanta lis exorta fuit, ut ſi quis ex alterutra primum capiebatur, igne cremabatur. Fuerunt extunc peſtilentiæ, & magnus clamor contra clerum, quod ipſi eſſent occaſio hæreſeos illius, licet falſò, & tam horrenda & ſæva fuerunt tempora, ſic quod à multis mors appetebatur, propter perſecutionem & conquaſſationem bonorum hominum. Eodem anno 1421. Magdeburgenſes pontem fecerunt per Albeam ſine conſenſu Archi-Epiſcopi Guntheri & capituli ſui propter hæc etiam ab eo in Jure impediti fuerunt & in 6. millibus florenis condemnati ab arbitris, ad hoc à præfato Gunthero electis & conſilium * * * opprobriis ſententiam ad 700. floren: reduxit.

Anno Domini 1422. Stephanus Bodeker in Epiſcopum Brandeburgenſem conſecratus fuit. Dominus Albertus dux Saxoniæ moritur, quatuor coronatorum, & ducatus iſte Domino Friderico Marchioni Miſnen: à rege Romanorum datus ſalvis magnis propinis. Anno Domini 1423. lis oritur inter Marchionem & duces Stetinenſes & Marchio cæpit oppidum Tangermunden. Eodem anno crux prædicata fuit à Domino Placentino cardinali, legato contra Bohemos. Anno Domini 1425. Dominus Johan: de Hoym Epiſcopus Halberſt. civitatem eandem obſedit & cives proconſulem ſuum Lange Matthies cum filio & fratre & Wernero Winnicken Epiſcopo tradiderunt, qui decollati fuerunt & tria millia florenorum pro emenda dederunt, quia prius quatuor de conſolatu propria temeritate capitibus mulctarunt. Anno Domini 1426. bellum prope Uſſigk in Bohemia inter Miſnen: & Bohemos habitum fuit, Bohemis prævalentibus & circa tria millia noſtrorum occiſi ſunt & nobiles Miſnen: multi heu ibi ceciderunt. Lytaniæ, Miſiæ & alia devotionis opera indicuntur. Eodem anno Marchio Johannes oppidum Prentzlaw expugnavit & reobtinuit. Anno Domini 1427. indicta fuit contributio generalis contra hæreticos per Cardinalem S. angeli legatum. Hæretici iſto anno exierunt cum magno exercitu & ad Eccleſiam ſe ver-

Digitized by Google

ſe verterunt, & multa oppida expugnarunt videlicet Brige, Hayma, Luban, Nuenmarck, Reichenbach, Goltbergk, Franckenſtein, Bunitzlaw &c. & Chriſtianos ſine miſericordia occiderunt, non eſt dicibile, quantum miſeri tunc noſtrates ſuſtinuerunt.

Anno Domini 1429. Bohemi Hæretici oppida Gubbin, Canentz, S. Prengberck/ Molbergk/ Streien devaſtarunt. Anno Domini 1430. Bohemi Huſſitæ hæretici iterum exierunt ad oppidum Oſhwiz applicuerunt ibi Marchio Johannes magno cum exercitu aufugit & oppidum reliquit, & hæretici intraverunt & igne ædificia conflagrarunt. Et oppida Biſchoffswerde/ Thipelswalde/ Sloswyn/ Radeburgk/ Loymatzſch/ Rosvein Wurtzen/ Stulpen & ultra mille villas expugnarunt & deſtruxerunt. Iſti Bohemi habuerunt tres exercitus, ſc: Trabicarum de plebeis, Orphanorum de collectis ribaldis, & Pragenſium de nobilibus & militaribus, quorum ſuperior fuit Procopius plebanus reginæ in Gretz, qui quemlibet in ſecta ſua fovebat. Inſurrexerunt ex poſt multæ ſectæ Hæreticorum in Bohemia, una, quæ dicebatur Adamitarum, cujus ſectæ profeſſores tam viri quam mulieres & virgines nudi ut Adam in Paradiſo inceſſerunt, & ſuperior eorum dicebatur Adam & uxor ejus Eva, & in brevi tempore maxima multitudo in una Inſula congregata fuit & præcipientes avibus in aëre & piſcibus in aquis & animalibus in terris & obediunt ei veniendo ante pedes eorum & ſe capi & interfici permiſerunt, quanta illuſio diaboli. Tandem Elyſcha capitaneus hæreticorum cum exercitu ivit contra eos & omnes cruenta acie interfecit, & tamen poſtea gladio cecidit, & ſic omnes interfecti occubuerunt, & exſtincta fuit illa hæreſis. Poſt hæc Bohemi terram advocatorum intraverunt & oppidum Plawe cum caſtro deſtruxerunt, & oppidum Hoſſe & ad Franconiam euntes Kolmach Barreut cum pluribus oppidis devaſtarunt, heu quanta diſſimulatio Romani regis & omnium principum Almaniæ & totius Chriſtianitatis, quilibet advertere poteſt, non fuit tunc Judas Maccabæus ſuper terram, defendens fidem Chriſti ad ſanguinem, ſed omnes conſternati tabeſcunt & tanta mala fieri permittebant. Civitatem Bambergenſem & bona Eccleſiæ & clericorum pro decem millibus florenorum deportarunt. Item anno Domini 1431. in die S. Agathæ virginis concordia facta eſt inter Capitulum & conſules civitatis veteris Magdeburg per Brunſ. in quas ambæ partes promiſerunt primo de quatuor turribus quas conſules violenter ab Eccleſia receperunt, ſibi videlicet. Quod iſti quatuor turres deberent Dominis reſtitui ad unum menſem & tunc deberent civitati reddi ad defendendum civitatem, & civitas Dominis 200. florenos dare deberet cum quibus perſonis 4. quæ turres habuerunt ad vicarias ſuas deberent contentari, & cannalia tria dominis fracta deberent per civitatem plenè refici & fovea ſive foſſatum in novo foro deberet obſtrui & planari, & capitulum cum civitate dicta congruentem modum invenire quo aqua pluvialis educi poſſet expenſis ambarum partium, ſic quod Capitulum ad hoc tertium debet dare denarium. Item cannale vicariorum per civitatem fractum debet purgari & reformari, & ſic concordati ſunt & partes per amplius ſi ad diſcordiam venirent non violentia ſed Jure uti deberent. Et ſic iſta diſcordia de qua longa controverſia pluribus annis laboribus & expenſis partes ſe invicem fatigarunt ſic per gratiam Dei facta eſt, ſed male ſervata, quia nec pecuniæ datæ nec foſſatum impletum &c. ut hodie patet, & conſules Brunſ. literas, ſuper dicta concordia datas, ſigillare, uti capitulo promiſerunt, expoſt miſſo ad eos Doctore Take facere, perperam recuſarunt, fidem, capitulo dictam, frangendo. Inſuper per totum iſtum annum tractatum fuit de concordia inter Archiepiſcopum & civitatem Magdeb: ſed heu inveriori non potuit Deo permittente & indubie peccatis noſtris id merentibus & ideo Dominus Archiepiſcopus gratulabatur de ſua juſticia contra civitatem. Reſpondit ei Dominus Doctor Take magnum & manifeſtum jus contra Magdeburg habetis, ſed utinam etiam cum Deo jus haberetis. Rurſum Domini de capitulo dum conſules rebelliſare cœperunt Domini ſe extra civitatem recipientes & Stasfurdt ſe locantes in die exaltationis S. crucis primum capitulum inibi habuerunt & tenuerunt, in quo concluſum fuit, quod ſex de capitulo deberent deputari & ibi ut capitulum permanere & capitulum repræſentari, quibus de præbendis viſum fuit cæteris ſi vellent, poſſent manere aut recedere ad libitum ſuum. Item feria 3. quæ fuit dies S. Herculani Dominus Archiepiſcopus Guntherus miſit literas diffidatorias civitati Magdeb: poſt diffidavit Marchio Brandeburg Johannes, quod tamen

poſtea

poſtea accepta à Magdeb: pecunia reſiliit. Item feria 6. in die S. Theodori miſerunt literam diffidatoriam Magdeburgenſes Capitulo in Stasfurt, quod vellent omnium noſtrum eſſe inimici diffidati tam ſpiritualium, quam ſecularium.

Anno Domini 1431. obiit Papa Martinus & Eugenius quartus electus fuit. Hoc anno Archiep. Guntherus incepit litigare cum civitate Magd: propter ſtructuram turris poſt curiam Mollendenſem & varias libertates & damna Eccleſiæ per cives ablatas, licet per aliquot annos multi tractatus amicabiles & compromiſſa habita ſunt, tamen, quia cives indurati flecti non potuerunt, in duriſſima hyeme clerici civitatem, compulſi, exierunt, curiis ſuis vacuis derelictis, interim cives iniqua fecerunt ſtatuta & canonicis cum clericis ante Mauritii exiverunt civitatem & ad 4. annos exules diſperſi fuerunt hinc inde. Anno Domini 1432. Huſſitæ Marchiam intraverunt & in Melraſen plures à Franckfurt combuſti fuerunt & alii de exercitu caſtrum Lubuſſ cæperunt. Deinde oppida Morkenbergk & Stratzeberg devaſtarunt, Forſtenwalde & Lantsbergk cum depactatione liberatum fuit, quia quodlibet 300. florenos dedit, & oppidum Bernaw tertia feria Paſchæ obſederunt & Dei adjutorio fortiſſima incolarum defenſione paſſi ſunt repulſam non ſine interfectione multorum. Anno Domini 1433. rex Sigismundus Romæ à Papa Eugenio in Imperatorem in feſto Pentecoſtes coronatus eſt & tunc mox per Papam & imperatorem conſilium Baſilienſe indictum eſt.

Anno Domini 1434. Imperator Sigismundus curiam Romanam exiens in concilio Baſilienſe reſidere cæpit. Eodem anno Bohemi deficere cæperunt, quia Chriſtiani in bello contra eos habito in octava corporis Chriſti ultra 12. millia Huſſitarum occiderunt & etiam Taberitas proſtraverunt & dux Auſtriæ Albertus civitatem Pragenſem cum 10. millibus obſedit & intravit & novam civitatem penitus deſtruxit ſic quod Dei gratia Huſſitæ labi cæperunt. Eodem anno tempore æſtus cives Magdeb: oppida puta Borg / Calve, Salma, Stasfort / Loborgk / Mokeren cum caſtro Niegrip & Tuchen hoſtiliter vallaverunt, ceperunt, & ditioni ſuæ ſubdiderunt. Et eodem anno Michaëlis cives Magd: caſtrum Plate obſederunt quod Gerhardus de Plate & Henricus de Boygen habuerunt & obtinuerunt, Tunc Gerhardus cum uxore & filiis ſuis exulari cæperunt. Pareji ad tempus inhabitantes cives Mag: adjunctis ſibi aliis oppidis dominii Magdeburg mutuo confœderati & connumerati Dominum Guntherum Archiepiſcopum in Calvis obſederunt & ipſi intromiſſi fuerunt & Archiepiſcopus per poſticam caſtri evaſit & Magd: oppidum ceperunt, & caſtrum & turrim in medio caſtri everterunt & cum inferius foramen in turri feciſſent ad imponendum pulveres ad diruendam turrim, unus præbyter qui cruorem in hoſtia conſecrata in Wartenbergk prope Wittenbergk ad concurſum faciendum ſubdole fecerat ibidem incarceratus ab Archiepiſcopo Gunthero, exclamavit ut eriperent eum, & ſic per foramen extractus pulveres impoſuerunt & incenſis his turrim evertentes ſolo æquarunt, etiam in abſentia Archiepiſcopi turrim fortiſſimam poſt curiam Molendini quem vocant Kieck in die Köken / conſtruxerunt, & foſſata fecerunt, ibique introitum & exitum quem prædeceſſores ſui & ipſe ſemper ſolebant habere, percluſerunt in dominio Eccleſiæ. Propter hæc & multa alia Archiepiſcopus Guntherus cauſam contra eos in concilio Baſilienſi fecit committi & contra eos agere cœpit, judicio contradictorio civibus ſe defendentibus ſententias contra eos obtinuit & invocato contra eos brachio ſeculari à Sereniſſimo Domino Sigismundo Romanorum imperatore, cum cenſuras Eccleſiaſticas non verebantur, impetravit Bannum imperialem contra eos, & in maximis ſummarum pecuniis condemnati fuerunt quæ in concilio moderatæ fuerunt, ſed executionem effectualem ſententiarum Archiepiſcopus obtinere non potuit propter potentiam & rebellionem adverſariorum Magdeb: qui nec cenſuras Eccleſiaſticas nec pœnas Banni imperialis tanquam deſperati non curarunt. Fertur imperatorem Sigiſmundum quæſiſſe à Domino Archiepiſcopo, anne in dominio Eccleſiæ ſuæ haberet tam forte & munitum caſtrum in quo manere ſecure & ſe de inimicis & adverſariis tueri poſſet Qui reſpondit quod non tunc ſubjunxit imperator, ſi habetis plura caſtra non fortia vendatis tria vel 4. caſtra non munita, & muniatis unum caſtrum in tantum, quod à ſubditis expelli de terra veſtra non poteritis: ſanum conſilium & à poſteris notandum & obſervandum quia nihil & inutile æquipollent.

Tandem fatigatus Arch: & clerus laboribus & expenſis cum ultra 4. annos à civitate ſecluſi fuerunt etſic depauperati talem qualem concordiam mire coacti fuerunt ut dicebatur Eccleſiæ Magdeb: heus nimis oneroſam & damnoſam, & Dominus Guntherus Archiepiſcopus cum ſolennitate ſatis decenti ſtatim ante Mauritii per cives Magdeb: introductus anno Domini 1435. in die Florentii & ſic etiam totus clerus rediit. Advertendum quod Dominus Guntherus Arch: in Juventute ad regimen aſſumtus fuit qui licet ſatis manſuetus, tamen, ut aſſolet juvenilis ætas, vanitatibus videlicet, venationibus, commeſſationibus, choreis, ſagittationibus & ſeculi oblectamentis potius, quam debitæ Eccleſiæ ſuæ utilitati & regimini inſiſtens infinita debita ſui regiminis tempore alienationis & impignorationis bonorum Eccleſiæ ultra centum millia florenorum contraxit decies decimum denarium à ſubditis Eccleſiæ ſui regiminis tempore exegit & conſumpſit, ſic quod de eo vulgo dicebatur quod totam terram conſumſiſſet & Eccleſia ab eo depauperata fuit, ſic quod ſucceſſori ſuo parum reliquit. Et mira divinæ bonitatis diſpenſatio qui cum principes non ex Deo regnant, qui eos ſua gratia ad præeſſe & prodeſſe vocavit, ſed ſuas vanitates & carnalia oblectamenta ſectantur, permittit Deus ut ſubditi qui eis obedire deberent, ſi Deo obedirent contra eos inobedientes & rebelles inſurgunt & perſequuntur eos atque à ſe repellunt ut ſic ex vexatione quæ intellectum dat oculis quem culpa delectationis clauſit pœna juſtæ ultionis aperit & cum in obedientia divinæ majeſtatis deliquerunt in inobedientia ſubditorum condigna retributione juſtè puniantur hoc patet clare in multis Novi & veteris teſtamenti hiſtoriis & hodie ad oculum cunctis conſiderantibus luce clarius liquet.

Anno Domini 1436. Reverendiſſimus Dominus Guntherus caſtigatus ac emendatus anno præſidentiæ ſuæ 36. in Eccleſia ſua Magdeb: in nativitatis Chriſti feſto ſuam primam miſſam more Archiepiſcoporum ſolenniter cantando celebravit in quo Heiſſo de Steinfort vaſallus Eccleſiæ ibi centum aureos obtulit, cui tamen idem Archiepiſcopus ad ſuggeſtionem æmulorum ſuorum, poſtea duo caſtra videlicet Egelen & Alvensleve cum attinentiis ſuis abſtulit, quæ in pignore ab Eccleſia habuit, & hoſtiliter ab eodem vicit ac etiam eundem extra dominium Eccleſiæ ſuæ profugavit. Item anno 1437. die octobris 14. Eugenius Papa revocavit, ut ipſe aſſeruit concilium Baſilienſe & inſtituit novum concilium œconomicum in Ferraria ad quod vocavit prælatos ſub debito obedientiæ & præſtiti juramenti ut veniant ad menſem Novembris & quantocius poſſunt. Græci venerunt ad Venetias anno Domini 1438. die 8. Februarii & jam ſe duodecima vice confœderaverunt Eccleſiæ Romanæ, & poſtea æque bene ab obedientia receſſerunt & inter ſe diſcordes fuerunt, quæ diſcordia fuit cauſa quod Conſtantinopolis capta eſt & iſta percipiens concilium Baſilienſe caſſavit omnia illa & ſimiliter vocavit de novo prælatos ad concilium ſuum. Inſuper concilium ſuſpendit Papam Eugenium ab adminiſtratione papatus Anno Domini 1438. die 18. Januarii. O Deus quanta ſcandala & animarum pericula & tribulationes tunc fuerunt in Eccleſia Dei! Item anno Domini 1439. Baſileæ in concilio congregati depoſuerunt Eugenium Papam quartum in caſtrino S. Johannis Baptiſtæ & declaraverunt eum hæreticum, poſtea concordia facta eſt, quia Felix ceſſit Nicolao.

Anno Domini 1440. ſabbato ſitientes idem Dominus Archiepiſcopus Guntherus ſacros ordines celebravit in Eccleſia Magdeb: in ſummo altari præſentibus principibus Dominis Johanne & Friderico germanis Marchionibus Brandeb: Et in bona quinta feria ſequenti criſma conſecravit ac omnia ſolennia divinarum in hoc ſacro paſſionis tempore ipſe præfatis principibus præſentibus cum magna devotione peregit. Hæc imitatio dextre Dei excelſi.

Anno Domini 1442. Dominus Archiepiſcopus & Capitulum Eccleſiæ Magd: ad ſolvendum debita propter diſcordiam & expulſionem cleri per cives Magdeb: facta contracta vendiderunt caſtrum Fredeberg cum attinentiis & diſtrictu comitibus de Mansfelt pro 14. millibus ſexaque groſſ: antiquis Miſnen: ita quod Archiepiſcopum pro tempore exiſtentem Dominum eorum feudi ipſi comites recognoſcerent & in feudum illud ab Eccleſia reciperent & haberent. Anno Domini 1445. 22. die menſis Martii obiit Dominus Guntherus Archiepiſcopus qui ſedit 42. annis 3. menſibus demtis qui in ſumtibus nimis præcioſus fuit ita quod Eccleſiam ſuam in magnis anguſtiis & tribu-

tribulationibus & debitis maximis nimis gravatam reliquit ſepultus in Eccleſia Magd: prope Altare S. Johannis Baptiſtæ.

FRIDERICUS DE BICHLINGE XXXVI. Archiepiſcopus anno Domini 1445. 19. Aprilis in Archiepiſcopum poſtulatus fuit. Hic fuit magiſter curiæ Archiepiſcopi Guntheri & merus & purus laicus nec primam tonſuram habens, qui propter vitæ ſuæ puritatem, probitatem & morum honeſtatem concorditer nemine diſcrepante per inſpirationem divinam à capitulo poſtulatus fuit, & per concilium Baſilienſe confirmatus per ſuum ſuffraganeum cui cives Magdeb: altero die homagium præſtiterunt, qui civitatem Magdeburg die Martis quæ fuit beati Laurentii cum maximo comitatu comitum Baronum & nobilium intravit. Et quia Eccleſiam depauperatam invenit per ſuos prædeceſſores duos & multa impignorata ipſe ſingulari prudentia multa recuperare ſtuduit per providentiam ſuam in temporalibus, quia caſtrum Crebuhenſtein quaſi de novo conſtruxit, allodia multa inſtruxit, piſcinas fecit & Caſtrum calvis reformavit & allodia & ovilia multa fieri fecit & ut verus pater familias omnia in temporalibus primo in debito ordine inſtituit, ſic quod in brevi creſcere in divitiis cæpit: & quamquam imperfectum ſcientiæ charitas in eo ſupplevit, tamen dono Dei etiam in brevi totum officium pontificiale ac horas canonicas ac alia ſtatui ſuo epiſcopali neceſſaria ſtuduit, & omnia legere diſtinctè & intelligere novit, ut etiam in hoc alios præcellebat pontifices & in hoc quaſi alter ſeverus inventus fuit. Suffraganeos ſuos conſecravit Theodoricum Schechow Brandeb: & Theodoricum Buxtorff Nuenburg: titularem ſibi ſuffraganeum habere noluit, quia compertum eſt veraciter, quod omnes Archiepiſcopi qui ſuffraganeos habuerunt multas adverſitates & tribulationes habuerunt, quia Burchardus interfectus fuit, Guntherus expulſus & ſic de aliis, & in proverbio dicitur: Eccleſia Magdeb. vult habere Archiepiſcopum non ſuffraganeum. Ordines ſacros per ſe celebravit pure propter Deum nec ordinati pro litteris aliquid dederunt & omnia ſecundum ſacrorum canonum diſpoſitionem fideliter agere curabat & ob id quia Deum dilexit, & Deus cum eo fuit, cilicio ſemper uſus fuit, & Zelo rectæ religionis adeo fuit imflammatus, ut etiam omnia monaſteria monachorum & monialium ſuæ civitatis, & diœceſis cum maximis laboribus & expenſis reformavit, quamquam multas reſiſtentias & adverſitates & populorum comitationes perpeſſus fuit, ipſe tamen mandatis amplius aliisque auxiliis & conſiliis ſagaciter uſus omnia vicit, & Dei gratia ad optatum finem perduxit, ſic quod per totam Germaniam & ut timetur Chriſtianitatem non reperitur Eccleſia civitas diœceſis in qua omnia monaſteria ſunt reformata, ſicut in Magd: Eccleſia, in eo tamen facto permaximè uſus fuit conſilio & opera domini M. Henrici Take ſacræ theologiæ profeſſoris, canonici Eccleſiæ ſuæ Magd: & lectoris principalis in Theologia, viri utique inſignis & heroici & etiam in concilio Baſilienſi à Domino Gunthero Archiepiſcopo miſſus multa bona fecit & fortiter contra hæreſin & hæreticos Bohemos laboravit, & ſcripſit, ſeque Zelo fidei periculo dans Bohemiam à concilio miſſus, intravit & tamen effecit quod Bohemi primores ad concilium Baſilienſe venerunt, & cum conſilio de erroribus ſuis permultos tractarunt dies. Idem Dominus Fridericus Archiepiſcopus in cultu Dei totus Zeloſus ſuperſtitiones ne dum de diœceſi ſua ſed etiam de tota provincia fortiter exterminare ſtuduit cum in his Deus per maximè offenditur, & populus à recta fide ad Idololatriam trahitur. Ob id ut concurſum ſuperſtitioſum in Welſeuach deſtrueret & in juſtis rationibus actis & ſignis evidentibus non verum ſanguinem Chriſti, ſed ex falſo propter quæſtum fictum oſtendit & plures diætas cum Epiſcopo in Havelberg & cum Marchione Friderico tenuit, qui uſi conciliis Doctorum S. Theologiæ Doring & Cannemann reſtiterunt fortiter quanquam præfatus D. Henricus Take eos rationibus evidentibus & argumentis inſolubilibus vicit, ſed vinci noluerunt, & Dominum Papam Nicolaum adierunt qui Marchionem indulſit, ut hoſtia conſecrata ſuper iſtam transformatam hoſtiam poneretur &c. quod factum fuit & hodiè durat in periculum animarum multarum de quibus præfatus D. Take multa ſcripſit & vere murum pro recta fide ſe poſuit ſed avaritia prævalente in parte ruptus fuit murus, & prænominatus D. Take omnibus iſtis concurſibus ſeductoriis & quæſtuariis fortiter ut veræ Chriſtianæ fidei miles ſe oppoſuit & in 10. locis deſtruxit, & eos ſuperſtioſos & ſacræ fidei contrarios oſtendit.

Inciden-

Incidentia. Anno Domini 1440. electus fuit Dux Fridericus Auſtriæ in regem Romanorum. Eodem anno fuit coronatus in imperatorem à Papa Nicolao. Sequenti anno 1441. concilium Baſilienſe terminatum fuit, quod incepit Anno 1441. & ſic ad 10. annos duravit. Eodem Anno 41. ciſtæ in Eccleſiis poſitæ fuerunt, & plena via remiſſio data pro reductione Græcorum à concilio heu! fruſtra, quia nihil fuit actum in concilio ſuo Florentino Anno Domini 1439. & pecunia hinc inde collecta per dominos recepta fuit & ſchiſma inter Papam Nicolaum & Felicem quem concilium elegerat in Papam durat ad 16. annos tandem Felix divino uſus concilio ceſſit Anno 49. De quo verſus;

Lux fulſit in mundo Felix ceſſit Nicolao.

Item bellum fuit inter Chriſtianos & Turcas inter Adrianopolin & Danubium & ceciderunt 30. ferme millia Turcorum qui à Chriſtianis interempti fuerunt, ſed Rex Poloniæ Ladislaus & Julianus Cæſarienſis Diaconus Cardinalis cum multis Chriſtianis occiſi fuerunt & caput regis abſciſum Turcus circum duci fecit per omnes terras Turcorum, dicitur quod tradincendo Venetorum Chriſtiani ſuccubuerunt. Item anno Domini 1447. Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis Suſatum obſedit qui tandem Dux Lantgravius Wilhelmus cum Bohemis quos contra fratrem ſuum ducem Fridericum, cum quo ſatis durè litigavit ſtipendio conduxerat ſuccurrebat concordia inter fratres facta & licet fortiter civitatem oppugnaſſent nihil tamen profecerunt, ſed cum confuſione receſſerunt.

Anno Domini 1450. Dux Ludovicus Bavariæ diffidavit Marchionem Albertum & forti exercitu terram Marchionis intravit, & per tres menſes ibi perſeveravit, & licet Marchio cum Duce Wilhelmo Lantgravio multum collegiſſet populum, eum expellere non potuerunt, quia Epiſcopi Bambergenſis & Herbipolenſis ſibi prius confœderati ab eo receſſerunt, adverſariisque ſuis adhæſerunt tandem terra deſtructa treugæ factæ fuerunt & concordes.

Eodem anno Marchio Brandenb. Fridericus & Dux Saxoniæ Fridericus in Luckaw pro terra Luſatiæ verbis altercati fuerunt, quos Archiepiſcopus Fridericus in Serveſta concordavit. Eodem anno inſtitit guerra horrida, inter ambos fratres Fridericum & Wilhelmum duces Saxoniæ, conſiliariis hoc permittentibus & Dux Fridericus intravit Thuringiam & plures villas igne combuſſit, & Wilhelmus terram Miſnenſ. prope Regaw ad 500. villas ut dicebatur igne conflagravit, Marchiones Fridericus & Albertus Wilhelmo adhæſerunt & Fridericus terram Saxoniæ intravit, & oppidum Beltz, Nimick, Zanæ, Brugge incineravit, Eccleſiæ heu ſpoliatæ & exuſtæ fuerunt & multæ villæ depactatæ, tandem pro Nimick exercitus utramque in ſimul convenerunt & acies ſtruentes, Saxones marchitas proſtraverunt & centum & duos ceperunt & 300. equos, alii multi proſtrati fuerunt, duos Barones & 14. nobiles captos ad oppidum Wittenberg duxerunt & hæc ſtrages fuit cauſa concordiæ inter fratres quæ poſt infinita damna & propriis ſubditis & divitiis miſere deroboratis & deſolatis tandem concordati fuerunt. Archiepiſcopus Fridericus Sagax & prudens neutri partium adhæſit, ſed multum pro concordia laborabat. Cauſa diſcordiæ fuit quidam Apelwitz dum, qui repulſus fuit à Friderico propter nefas ſuum à Wilhelmo receptus qui ſeminavit diſcordias inter fratres adeo, ut terras ſuas diviſerunt & dignas traditor luebat pœnas qui anno 1451. ſequenti poſt concordiam cepit legatos ducis Burgundiæ miſſos ad ducem Fridericum pro matrimonio inter filium & filiam eorum contrahendo & in Dorneborch eos captivos rebus eorum omnibus poſtpoſitis tenuit, hac de cauſa Dux Wilhelmus exercitu forti collecto omnia caſtra eorum obſedit cœpit & Abel cum omni progenie ſua expulit legatos liberavit, & maximo honore eis impenſo libere abire permiſit Anno Domini 1450. Papa Nicolaus indixit annum Jubilæum Romæ & ſolenniter tenuit, & qui in centeſimo anno teneri conſuevit, jam in 50. abbreviatus, & jam in 25. anno propter brevitatem vitæ hominum poſitus eſt & à modo ſervari debet, & per totum iſtum annum innumerabilis populus utriusque ſexus ibidem confluebat, plures præ laſſitudine, ſiti & fame fatigati obierunt & multi ſecretè interfecti fuerunt.

Singulariter contigit, quod quædam nobilis domina in prædicta peregrinatione in hoſpitio ad ſcalas in remula per comitem qui dicebatur Malatas & Capitaneum Venetorum oppidi Domini de turpitudinis actu ſollicitata fuit, & renitentem fortiter vi

opprime-

opprimere conabatur, tandem pudica Domina viriliter reſiſtendo, digitum invaſoris dente amputavit, vel dure vulneravit, nec ſe violari permiſit, ille iniquitatis filius & beſtia crudeliſſima, capto pugione, eam interfecit, & ut dicebatur mortuam agnovit, & duas alias mulieres pediſſequas, quæ eam nitebantur liberare. O! Deus quantum facinus, quanta inhumana violentia, ab omnibus beſtiis aliena, quæ etiam, ſi erga meretricem facta eſſet, utique duriſſima animadverſione fuiſſet plectenda. Benedicta ſis tu mulier virilis à Deo immo, martyr Chriſti, pudicitiæ ſpeculum, longe glorioſius eſt tua facienda in benedictione memoria, quam illius Lucretiæ Romanæ.

Eodem anno prædicto dominica ante nativitatem Chriſti in profeſto S. Thomæ Romæ in ponte ſancti angeli tanta venit preſſura, euntis & redeuntis populi quod oppreſſi & mortui fuerunt 250. homines præter eos, qui in Tyberim ceciderunt & ſubmerſi fuerunt, etiam unus Epiſcopus manſit mortuus & Papa mortuorum corpora ad agrum Domini portare fecit ubi aperte jacuerunt, ut à ſuis cognoſci poſſent notis & amicis & poſtea ibi ſunt ſepulti.

Inſuper accidit Romæ quod Stephanus precariis Doctor & miles contra Papam & tradimentum fecit, ut in die Epiphaniæ * * * caperet & cardinales interficeret, & ipſe novum Papam & cardinales facere vellet captus fuit, & in Caſtro S. Angeli ſuſpenſus cum aliquibus.

Anno Domini 1452. feria ſexta ante Pentecoſten Dominus Cardinalis Nicolaus de Cuſa legatus per Almaniam venit in Berga & volens intrare civitatem Magd. multi proſcripti & banniti volebant cum eo intrare, quos conſulatus recuſabat intromittere, & ſic proceſſio rediit tandem tractantes & conventum fuit, quod illi qui non eſſent banniti poſſent crucem ſequi, & ſic in die Pentecoſtes de mane ſolenniter cum proceſſione introductus fuit cum Archiepiſcopo in inſula incedens & iſto die ſummam celebravit miſſam, & convocare fecit ſuffraganeos ad conſilium provinciale celebrandum, & duo tantum comparuerunt ſcilicet Brandeburgenſ. & Merſeburgenſ. ubi aliqua decreta ſtatuta fuerunt rationalia & tempori congruentia quæ poſt receſſum ſuum toti clero fuerunt publicata, in octava Petri & Pauli Apoſtolorum per Archiepiſcopum Fridericũ &c. Cardinalis dedit largiſſimas Jubilæi indulgentias & quinquies in foro novo prædicavit. Et Dominica infra Octavas corporis Chriſti cardinalis ivit in proceſſione cum archiepiſcopo, & portavit Sacramentum corporis Chriſti & in oſtenſione fuit præſens, & dedit benedictionem ſuper populum. Secunda feria ſequenti receſſit Cardinalis verſus Halberſtadt, Brunſwig, Hildesheim, Minden & Rhenum verſus per Weſtphaliam & expoſt miſit ambaſiatorem ſuum & apertæ fuerunt ciſtæ ad S. Joannem & reperierunt copioſam collectam pecuniam.

Eodem anno ſequenti in nocte Mariæ Magdalenæ turres Eccleſiæ S. Joannis cum tecto Eccleſiæ fulmine incenſæ conflagrarunt cum notabili damno Eccleſiæ, quia multæ campanæ igne diſſolutæ fuerunt & poſtea Cardinalis Cuſa ex rogatu Archiepiſcopi ex civium de pecunia comperta in ciſta poſita in Eccleſia S. Johannis medietatem oblationum pro reſtauratione Eccleſiæ & turrium dedit, & acquiſierunt * * * pro parte ſua.

Annno Domini 1452. orta fuit lis & guerra inter dominos & civitates Pruſiæ & ſubditos eorum, qui ſe dederunt ad regem Poloniæ & civitates multa caſtra dominorum ceperunt & fregerunt. Dominus voluit humiliare ſuperbiam eorum dominorum, juxta Prophetiam S. Brigittæ quam prædixit & quo graves & intolerabiles ſubditis eorum fuerunt, Ideo per eorum dexter enervabitur:

Anno Domini 1453. Rex Poloniæ cum magno exercitu intravit Pruſciam, caſtra metatus eſt prope Cunitz: ubi ordo cum ſuis ſubditis qui recenter advenerunt contra exercitum ſuum aciem inſtruxit, cum multis paucioribus & congredientes in prælio Dei adjutorio & glorioſæ patronæ eorum virginis Mariæ exercitum Polonorum contriverunt, & in fugam verterunt & glorioſum de inimicis triumphum obtinuerunt, multis millibus hominum occiſis, proſtratis & captis, ſpolia multa in curribus & tentoriis & magnis clenodiis etiam corona regis Poloniæ rege turpiter fugato ceperunt, Dominus Rudolphus de Sagano cum paucis de exercitu Prutenorum interfecti fuerunt. Expoſt frater ejus Dux Balthaſar terram intravit, & loco fratris capitaneus factus eſt, lis & horribilis guerra invaluit, multa caſtra, oppida, & villæ deſtructæ fue-

ctæ fuerunt & terra deſolata. Soldati à magiſtro ſtipendia petentes protracti fuerunt verbis bonis ad 4. ferme annos & tandem exhauſti ultra præſtolari non valentes cum conſenſu Magiſtri heu coacti caſtrum Margenborg cum oppido vendiderunt regi & magiſtro dimiſſo cum omnibus rebus ſuis ac imaginibus præcioſis glorioſæ virginis ac beatæ Barbaræ diſpoſitis Gandanenſ. ac præſenti caſtrum regi tradiderunt, qui ex hoc poſtea ut traditores beatæ virginis ac ordinis ubiq; perſecuti fuerunt, & multi male interierunt. Circa illa tempora videlicet 1450. anno vel citra vel ultra conſulatus civitatis Luneburg denegavit dare cenſum prælatis & aliis civibus, ob id excommunicati fuerunt, & ideo conſulatus à communitate depoſitus fuit, quia cenſura pati nolebat & alius novus conſulatus poſitus, qui alios de antiquo conſulatu incarceraverunt, & eos in magnis pecuniarum ſumtuis mulctarunt, eos tamen in civitate reliquerunt usque ad 56. annum Domini. Interim illi antiquo conſulatu practicaverunt apud imperatorem & alios principes & civitates ſic quod imperator ambaſiatores ſuos miſit, & eos in priſtina ſede locari fecit, aliis viceverſa expulſis, unde inſtitit inter eos magna controverſia & infinitæ pecuniæ conſumtæ fuerunt, & taliter qualiter dilapidatæ fuerunt. Ecce quod parit injuſtitia, qui non reddit, quod alteri debetur ſua juſte amittit. Conſulatus Magd. circa annum 52. venit in diſcordiam cum ducibus Saxoniæ qui volebant reemere caſtrum Gummeren, Elbenate, Rannis, quæ conſulatus habuit ſub redemptione ab iisdem principibus, tandem concordia facta fuit & conſulatus ultra ſummam capitalem dedit eis 1400. florenos, quæ accreſcebat capitali ſummæ, & ſic concordati fuerunt, & caſtrum obtinuerunt, ut prius.

Anno Domini 1453. devotus frater Johannes de Capiſtrano minor fuit legatus à Domino Papa Nicolao ad Bohemiam, ſed circumibat hic per terram, quia non potuit habere ſalvum conductum ad Bohemiam, & fuit Erfordt, Nuenborg, Hallis & in Magd. venit in octava S. Franciſci & ſolenniter introductus ab Archiepiſcopo & toto clero & populo & prædicavit in novo foro in latino interprete vulgariſanti ad populum, & fecit comburi aleas publice & multa alia vanitatis inſtrumenta, & illicitos ornatus mulierum & receſſit dominica ante Galli verſus Cerbeſt/ Wittemberg/ Leipzig/ Meiſſen/ Camentz/ Budiſſen / Gorlitz/ Bußlare & ubique prædicavit, & fuit concurſus ubique populorum & cum reliquiis S. Bernhardi miracula fecit, eos ſuper capita infirmorum ponendo pauca tantum & intravit Hungariam ad ſeptem caſtra & fuit ibi quando Chriſtiani cum Turcis conflixerunt, & Deo auxiliante in fugam converterunt, & ultra centum millia de Turcis interfecerunt, & Turcus per ſe vulneratus aufugit, Capiſtranus ſtans in alta turri voce magna crucem elevando tempore conflictionis & belli clamavit: JEſu exurge, defende cauſam tuam, tua res agitur, diſſipa gentes, contere eorũ exercitum &c. Similibus verbis: Dormis? quare dormis? Exurge ſalvum fac populum tuum: & gratia Dei ex adjutorio altiſſimi glorioſum triumphum obtinuerunt. In Anno 1455. Dominus Archiepiſcopus miſit ſuos armigeros cum aliis collectis 700. in terram Luneborg. & parum ibi deprædati fuerunt quia aviſati. Item anno 53. Conſtantinopolis per Turcum capta fuit & depopulata, & quaſi tota Græcia. Item anno 1454. die jovis 16. Martii Papa Nicolaus coronavit regem Romanorum Fridericum ſecunda corona quam debuiſſet ſecundum conſuetudinem cœpiſſe in Mediolano. Deinde 19. die ejusdem menſis quæ fuit Lætare coronavit cum tertia corona & ſuam reginam filiam regis Portugaliæ Lœneram, fecit milites coronatus in ponte S. Angeli 20. die vel citra proceſſit ad S. Johannem ubi impoſuerunt ſibi coronam Caroli Magni & cappam ejus & gladium. Deinde 24. receſſit imperator ab urbe. Anno Domini 1454. feria quarta poſt Lætare fuerunt combuſti in Sangerhauſen viginti duæ perſonæ utriusque ſexus de ſecta flagellatorum, quæ ſæpius fuit inventa in Thuringia & induratiſſimi omnem malitiam originaliter provenire teſtantur à Clero male vivente.

It. Anno Domini 1456. in die S. Nicolai fuit maximus & inauditus terræ motus in regno Neopolitano ita quod major pars civitatis Neapolis dilapſa fuit, caſtellum S. Hermen cum caſtro & maxima pars in Archiepiſcopatu corruit monaſterium ſanctæ Claræ in magna parte laceratum fuit & in civitate Entzoſa 40. domus collapſæ fuerunt & multitudo hominum maxima ad 70. ſuppreſſa, ut dicebatur & interierunt & quædam civitates, caſtella & villæ omnino ſubmerſæ fuerunt, & licet naturalis terræ motus ille eſſe potuit, tamen propter peccata noſtra horribilia Deus has & alias permittit horri-

biles

biles fieri plagas. Eodem anno ſecunda feria poſt Laurentii Dominus Fridericus Archi-Epiſcopus totis viribus reformationi deditus monaſterium S. Pauli in Magdeburg reformavit & adduxit 18. fratres reformatos de Noriberga & capitulo ſuo conſulatu & Scabinis intravit monaſterium & facta collatione in præſentia fratrum lege fecit mandatum Apoſtolicum, in quo ſibi reformatio demandata fuit, & tunc dedit incolis liberam aut manendi aut exeundi poteſtatem, & quatuor tantum manſerunt, alii receptis litteris receſſerunt. Eodem anno in die S. Lucæ theatrum hic in Magdeburg apertum fuit clam, & clenodia in ſcyphis argenteis & cochlearibus ad 40. Marc. cum multis promptis pecuniis furata & ablata fuerunt.

Eodem anno quidam Marianus Italicus largas indulgentias Papales hic ad preces pro regno cypri & regi adportavit aurum plus quam ſalutem ſitiens animarum & ob id captus fuit, & incarceratus à Domino Caſparo Epiſcopo Misnenſi. Sed Dux Fridericus Saxoniæ eum liberavit, poſtea tamen falſitas ſua à Papa reperta fuit & aliqualiter licet non condigne punitus fuit infinitam pecuniam deportavit, heu cæcitas Almanorum. It. Anno Domini 1458. obiit Albertus Rex Ungariæ & Bohemiæ Rex & Dux Auſtriæ in Ungaria intoxicatus à nefandiſſimis Ungaris. Vir miræ nobilitatis & bonitatis cujus mundus non erat dignus cui ſucceſſit Ladislaus filius minorennis apud Imperatorem Fridericum decenter edicatus, tandem Bohemi cum gubernatore ſuo Gerſiconi de Patebart eundem adhuc impuberem & juvenem imperatorem ſibi dari poſtularunt, & vi quodammodo ab eo extorſerunt, quem in Bohemiæ regnum ſuum introduxerunt, cui tandem procreata ac deſponſata fuit filia regis Franciæ & cum tempus nuptias celebrandi ſtatutum fuit, ſingulaque ad nuptiarum ſolennitatem ſpectantia depoſita, & ſponſa jam in itinere eſſet, Rex Ladislaus intoxicatus fuit & veneno expulſo & poſtea in lecto ſuffocatus dicebatur, hoc nefas Gerſiconi & ſuis complicibus hæreticis adſcribitur, quia timuerunt ne Rex hæreſin eorum quam odio habuit extirparet, heu! morte pater & gemma Chriſtianitatis interiit. Eodem anno Gerſicus in regem electus eſt, & quia ſummo pontifici promiſit chriſtiane velle vivere & hæreſin extirpare, coronatus eſt à Papa imperatore, poſtea, qui promiſſionem non tenuit depoſitus fuit & hæreticus declaratus eſt, & contra eum per Papam Pium & Paulum, tanquam hæreticum proceſſerunt. Confœderatis tamen principibus Almaniæ, quia ſequenti anno in Egra convenerunt, Gerſicon Rex Marchio Albertus, Duces Saxoniæ Erneſtus & Albertus & Wilhelmus Landgravii Thuringiæ & ibi fuit confœderatio facta & Marchio Albertus tradidit filiam ſuam Barbaram filio Gerſiconis. Et Dux Albertus filiam Gerſiconis duxit in matrimonium & Landgravius etiam filiam ſuam filio Gerſiconis nuptui tradidit, contra voluntatem Papæ, & Archiepiſcopus Fridericus Magdeburg eos copulavit pacem per hoc omnibus provinciis Almaniæ facientes ſibi & patriæ conſulentes forte non improvidi, ſed utatis lavienſes recuſarunt Gerſiconem recipere Dominum, & facere ſibi homagium propter hæreſin, unde multa VI. lites & patriæ devaſtationes ſecutæ ſunt. Item Anno Domini 1459. lis oritur inter Marchionem Albertum & Noribergenſem ſic quod ſe alterutrum diffidarunt, ac patriam & dominia devaſtarunt & Dominium Marchionis quaſi demonſtratum fuit. Et circa piſcinam Noribergenſem Marchionem proſtraverunt 300. equos ſellatos cum multis captivis ceperunt, tandem concordia facta fuit quod Noribergen: ſibi ad vitam dant annuatim 2000. flor: iſto anno factus eſt Rolandus in Magd: It. iſto anno tertia feria poſt Lamperti fuit una conſpiratio facta inter cives contra conſulatum in Magdeburg, & unus pellifex dictus Wadenpul venit ad turrim Eccleſiæ S. Jacobi & terribiliter tetigit campanam ſonando, invocando & inclamando ſocios, ſed quia erravit in hora, nullus ad eum acceſſit, ſed de turri ſecuratus facta fuit concordia. Et quanquam in ſpiritualibus Archiepiſcopus Fridericus multum vigilans laborioſus & ſollicitus fuit, tamen temporalia non neglexit, unde primo factus Archiepiſcopus Exiles valde reperit Epiſcopales reditus & proventus pignoribus omnibus impignoratis propter bella quæ prædeceſſor ſuus cum propriis ſuis civitatibus pro conſervatione jurium & libertatum Eccleſiæ ſuæ habuit ſed ipſe induſtria fretus plura recuperavit caſtrorum ſuorum caduca ædificia, ut daret intuenti, reſtauravit, pontem trans Salum prope Calvis ædificavit, caulas ovium & allodia pro pecoribus & piſcinas multipliciter inſtauravit præcipue magnam piſcinam in Langen-

beye cum multis ſumptibus fieri fecit, quæ ſibi ſuis temporibus quaſi nullius utilitatis fuit, nunc vero valde fructuoſa facta. Hic in principio ſui regiminis redemit villam Lindenberg cum reditibus in Theolonico, in Trote & etiam villam Gorbes. Item emit Telonia in Burgtorff/ Oſtendorff/ Ride & Aldeberg & villam Cerwen cum acquiſitione duarum marcarum videlicet Geumitz & Granow & fecit fieri utile allodium in Granaw, caſtrum Gebuchenſtein cum diverſis bonis ſibi devolutis melioravit. Redemit etiam caſtrum Langenbeye propter piſcinam ſupra dictam: Emit etiam villam Benſtede pro 1200. flor. quam comites de Mansfeld tempore Joannis Archiepiſcopi reemerunt & pecunia fuit converſa ad liberationem caſtri Nienhoff: redemit etiam curiam in Achen cum navigio, curiam Molendini in Magd: cum multis reditibus ſibi devolutis melioravit, reditus in Teolonia in Magdeburg ac alios ibidem devolutos pro ſua & ſuorum ſucceſſorum utilitate, & pro ſigno veri dominii ejusdem civitatis retinuit caſtrum Wandtslebe quod à prædeceſſore ſuo Gunthero Archiepiſcopo comiti, Gunthero de Barbi pro 12. millibus florenis ob emptionem caſtri Eigelen inpignoratum fuit redemit & propter carentiam totalis ſummæ, idem caſtrum cum agro & ſervitio pro 6000. flor. impignoravit, & piſcinas meliores cum reditibus & frumentis pro ſe & ſuis ſucceſſoribus retinuit. Redemit etiam caſtrum Wolmerſtelde cum pertinentiis ſuis.

Item liberavit à conſulatu in Magd: villam Cruſen cum curia & lignetis ac aliis pertinentiis dando conſulatui 1031. flor: & illis dictis Krechte pro reſignatione jurium eorum 500. florenos Rhenenſes. Idem Archiepiſcopus fuit conſanguineus comitum de Mansfeld ab eodem in Eccleſia Magd: in feudum quod in multis annis non fuit in feudum receptum ſed pro proprietate habitum. Item concordavit cum principibus in Anhale, quod caſtra & oppida Barneburg/ Scanderlebe/ Warnstorff & alia bona hæreditaria domini Bernhardi principis de Anhale de cætero debent eſſe verum feudum Archiepiſcopi & Eccleſiæ Magd: Item anno Domini 1460. Dominus Fridericus Archiepiſcopus fecit cudi novam monetam bonam & 42. ſolidi debent ſolvere marcam quæ debet continere 8. Lot argenti & 12. ſolidi debent ſolvere floren: ſed Miſnenſium moneta eam devoravit, quia bona, & ſic omnes bonæ monetæ devorantur, ut tandem vix cupream retinere poſſimus. Iſte Fridericus in omnibus adverſitatibus ſuis in Domino ſpem ſuam poſuit, & plus oratione quam gladio pugnavit. Gerſicus rex Bohemiæ repetiit ab eo caſtrum Dhamis cum oppido dicens, illa ad coronam Bohemiæ ſpectare, & obſidere & vi ea capere voluit, & Dominus Archiepiſcopus derelictus fuit ab omnibus principibus vicinis ſuis, tandem comitiis cum capitaneo regis factis & tractatibus habitis concordia fuit facta, ſic quod dominus caſtrorum cunni domino regi dimiſit & tradidit, & rex caſtrum & oppidum Dahme perpetuo Eccleſiæ appropriavit & confirmavit, & ſic concordia bona facta fuit pro Eccleſia, & rex dilexit Dominum Archiepiſcopum propter bonam vitam ſuam, & niſi morte præventus fuiſſet, aliquod boni contra hæreſin ſperabatur feciſſet. Idem inſuper dominus Fridericus maximas habuit & tenuit amicitias cum Domino Wilhelmo duce Saxonum & Thuringiæ Landgravius ſub quo natus fuit & ſe mutuo dilexerunt, & ſæpius convenerunt, & tractatus tacitos habuerunt, etiam omnibus comitibus & vaſallis Eccleſiæ amicabilis & gratus fuit. Unde dum Magdeburgenſes ſemel in deriſionem & contumeliam Domini Archiepiſcopi unum Ribaldum pontificialibus indutum ſuper aſinam poſuiſſent & per omnes plateas civitatis duci feciſſent, præcedente uno cum clava & clamante materna lingua:

Her Biſchop will gi nicht up her gahn
So will ick juw mitt düſſer Küle up de Platte ſchlan.

Vel ſic

Biſchop laet din pralen ſien
De Küle ſall ſin datt letze Erve din.

Quanta temeritas & malitia contra tam ſanctum virum conſulatus dixit ſine ſcitu eorum hoc factum eſſe ſed præſumptio vehemens fuit contra eos. Etiam temporibus iſtis fuit diſcordia inter Archiepiſcopum & conſulatum de foro tenendo infra octavas Sancti Mauritii, quia conſulatus voluit quod inſtitores non deberent ſtare in novo foro, ſed in lata platea ante monaſterium S. Pauli & tamen aliqui æque bene in novo

foro

foro manſerunt ſtare in nocte poſt diem S. Mauritii cives & vigiles per conſulatum deputati invaſerunt inſtitores verbis & factis injurioſis ut percutiendo, vulnerando & maledicendo ipſis ex Archiepiſcopo eo in curia ſtante & audiente dicendo tenes hic forum, facte nunc defenſare Epiſcopum tuum, quæ patienter tollerans multitudini parcens ſagaciter propter tumultum populi vitandum. Expoſt Landgravius tantam contumeliam domino & amico ſuo illatam ægre ferens, cum aliis comitibus domino adhæſit, & emendam pro tanta injuria à conſulatu petierunt tandem tractaribus hujusmodi habitis, conſulatus ſolennem emendam Domino fecit & Landgravio propinam, & ſic cauſa concordata fuit, etiam miræ patientiæ fuit, unde cum ſemel in oratione proſtratus jacuiſſet, ſupervenit quædam fatua mulier, & dominum fortiter cum manu ſuper ſuum & coronam percuſſit, quod patienter tulit, & miniſtris manu indicans ut nihil moleſtiæ mulieri propterea inferrent, quia ſcivit ſibi à Diabolo ſic fuiſſe ſuggeſtum. Deinde conſecravit dominum Theodoricum de Scechore Brandenburgenſem, & Dominum Theodoricum de Buxtorf, Nuenburgenſem & N. de Werder Merſenburgenſem, ſuffraganeos Eccleſiæ ſuæ. Idem Archiepiſcopus fecit fieri & pro magna parte & quæ fuerunt matris ſuæ calicem cum patina, ex auro juriſſimo cum multis lapidibus precioſis & gemmis decoratum de ſubtiliſſimo labore prout & acute eſt videndum, cujus laboris precium ad 400. aureos ſe extendebat, quem DEO & S. Mauritio patrono Eccleſiæ apud Eccleſiam perpetuo permanſurum obtulit, & in quibus feſtivitatibus ad ſummum altare uti deberet ſtatuit & ordinavit. Dedit etiam omnia vaſa ſua artia quæ poſt immediati prædeceſſoris ſui emit, pro ornatu reliquarum Eccleſiæ Magd: tali adjecta conditione: ſi immediatus ſucceſſor ſuus eadem vaſa emere vellet, quod pro marca argenti puri, ſex flor. Rhenenſes dare deberet, quæ pecunia deberet converti ad decorandum reliquias prædictas, prout factum eſt videlicet, ſcrinium magnum argentum, imago S. Mauritii & imago S. Chriſtophori, quæ vaſa argentea poſtquam Johannes Archiepiſcopus ſucceſſit de communi patriæ pecunia videlicet precaria ſunt ſoluta, & ut in perpetuum apud Archiepiſcopos debeant permanere, & cum 50. Marcis meliorare eſt ſtatutum & ordinatum.

Volens igitur juſtiſſimus judex fidelem ſervum pro bene actis & malis propter ejus honorem perpeſſis uti ſperatur remunerare, 19. ſui præſulatus anno gravi languore correptus, ſentiens itaque extremos ſibi superveniſſe dies, omnibus rite depoſitis ſana mente, ſanoque conſilio lætus corde & facie patientiſſimus, usque ad noviſſimam horam permanſit. Demum conſiliariis & familiaribus ſingulis ex nomine adpellatis pro eorum ſervitiis gratiarum reddidit actiones nec diu poſtea piiſſimus ac fideliſſimus pontifex Sacramentis devote acceptis, animam ſuam in manus ſui traditit conditoris, in caſtro Calvis ipſo die S. Martini in aurora Anno Chriſti 1464. Cujus corpus ad civitatem Magd: ſolenniter eſt delatum, & ab omni populo maximo cum planctu eſt receptum & peractis miſſarum ſolenniis, in medio Eccleſiæ eſt tumulatum, cujus anima requieſcat in pace Amen. Hæc ſcripta ſunt defuncti præſulis, ad dignam memoriam poſteris, & nobis imitandi exemplum, totique patria ad laudem & gloriam quæ tali merui paſtore gubernari.

Epitaphium.

Præſulis eximii jacet hic corpus Friderici,
Qui lex caſtrorum, lux cleri, pax populorum

JOHANNES Archiepiſcopus XXXVII. de illuſtri proſapia comitum Palatinorum Rheni, ducum Bavariæ, fuit poſtulatus & translatus de Eccleſia monaſterienſ. ad Eccleſiam Magdeburgenſem ſedit annis XI. Hic fuit vir magnæ ſcientiæ & experientiæ veſtigia immediati prædeceſſoris ſui in conſecratione criſmatis, clericorum ordinationibus, & in aliis omnibus Epiſcopalibus officiis ſequens, fautor, amator, coadjutor, reformator, inſtauratam ſui prædeceſſoris reformationem ineſſe, & pacem patriæ conſervans, & utilitatem Eccleſiæ pro poſſe procurans. In primo enim anno ſui introitus illuſtrem Dominum Bernhardum principem in Anhalt, ob ejus rogatum in caſtro ſuo Bernberg viſitavit, & ibidem ab eo & contorali ſua Domina Hedewig ex ducibus Sagaw nata, honorificè fuit ſuſceptus, & etiam ibidem dictus prin-

Digitized by Google

ceps de Anhalt ab eodem Archiepiſcopo caſtrum Berneburg cum oppidis & dominio toto, caſtrum & oppidum Scandersleve cum dominio, caſtrum & oppidum Grobtzigk & caſtrum Warmsdorf & infeudationem caſtrorum Erxleve & Henſeförde, & omnia alia caſtra & bona quæ prius ſua hæreditaria fuerant in feudum recipit, quæ idem Archiepiſcopus ob rogatum dicti principis dictæ Dominæ Hedewig contulit, in vitalicium. Et ob id tria millia flor: ſibi data ſunt à Domino, & Dominæ Hedewig conjugi ſuæ 200. flor: propinati. Et cum iisdem bonis poſtea Dominus Georgium Adolphum, Albertum & Woldemarum omnes principes de Anhalt conjunctim infeudavit. Hic in diſcordia illorum de Veltheim caſtrum Herbeck, quod invincibile dicebatur, potenter ad manus ſuas recepit, quod poſtea in amicabili compoſitione ob ſpem majoris fidelitatis & ſervitutis eis reſtituit. Hic etiam obtinuit caſtrum Plate & pro ſe & Eccleſia reſervavit, ſimiliter & caſtrum Sandow cum oppido in ædificatione caſtrorum Eccleſiæ ſui prædeceſſoris veſtigia etiam ſequens prout in Gebichenſtein, Wolmerſtelde, Wantsleve & Egelen daret & etiam in melioratione bonorum Eccleſiæ ſollicitus fuit, quia Glonch ſuburbium foris Hallis redemit, ſimiliter caſtra in Salina Neuenhoff & Somerſchenburg cum eorum pertinentiis redemit. Temporibus ipſius cives Magd: fecerunt fieri domum pro meretricibus prope curiam Epiſcopalem, quod Archiepiſcopus ægrè ferens, indignatus civibus, advocans ad ſeſe conſulatum in Calvis dicens eis & mandans quod proſtibulum deponere deberent, quia eis hoc non liceret, & interim quod hoc non fieret, ipſe civitatem Magd: intrare non vellet, & querelas de illata injuria & violentia Papæ Imperatori & omnibus principibus & amicis facere & cogitare & agere quod iſta mala domus ibidem non deberet eſſe ſed deponi. Audientes miſſi à conſulatu hujusmodi, promiſerunt omnem erga conſulatum facere diligentiam, quod domus deponi deberet, & ſic factum eſt, & ab Archiepiſcopo viceverſa ad gratiam ſunt recepti, in qua, usque ad exitum hujus vitæ ſuæ, permanſerunt. Eodem anno 1466. Dominus Tilemannus de Trote præpoſitus Eccleſiæ Magd. & Eccleſiæ Merſeburgenſis electus in Dominica Lætare à Domino Archiepiſcopo Johanne fuit conſecratus & coronatus.

It. Iſto anno 3. feria ante Aſcenſionis Dominus Johannes Archiepiſcopus cepit caſtrum Plate incurſu de manè, & duos de Bigem videlicet Jacobum & Mauritium captivavit & N. Mollendorf propter rapinas & inobedientias ſuas. It. Iſto anno rex Bohemiæ Gerſico à Papa Paulo depoſitus & privatus fuit regno propter hæreſin & filius regis Poloniæ, à ſede Apoſtolica in regem aſſumptus & rex Bohemiæ conſtitutus, unde multa bella & mala exorta fuerunt, Gerſico à proceſſibus Papæ privatione ad futurum concilium appellavit. Item Dominus Archiepiſcopus Johannes concordavit cum conſulatu veteris civitatis de foſſato fiendo inter novam civitatem & veterem & linea pertracta fuit, & magna pars de Dominio Eccleſiæ dimiſſa fuit in præjudicium Eccleſiæ & multæ domus & tota platea novæ civitatis deſtructa fuerunt. It. ſecunda feria poſt Lucæ Dominus Johannes tenuit Synodum in Eccleſia Magd: ubi perſonaliter interfuit cum tribus Abbatibus & multis prælatis. It. Quidam Nickel Pflug vaſallus fecit ſe infeudari ab Imperatore cum cœmiterio Judæorum prope Hallis, & requiſitus Dominus cum literis Imperialibus, ut ei poſſeſſionem daret Dominus reſpondit ſibi, quod illud Cœmiterium eſſet de dominio Eccleſiæ, & fuit ſemper & ideo Imperator male informatus eſſet & nihil obtinuit. It. Anno Domini 1468. in vigilia Epiphaniæ obiit Comes Bernhardus in Berneburg & Sexta feria poſt Pauli Dominus Georgius comes de Anhalt cum 30. equis civitatem Berneburg intravit & poſtea in nocte ſecuti fuerunt 300. & ultra. Et ſic diſcordia inter Dominum & comites facta fuit, quæ poſtea per Archiepiſcopum fuit concordata. Item iſto anno Leodium à duce Burgundiæ & rege Franciæ penitus deſtructum fuit duabus demtis Eccleſiis omnibus interfectis inibi repertis à majore ad minimum & hoc propter inobedientiam & contumeliam quas proprio Domino ſuo Epiſcopo exhibuerunt. Item circa conceptionis Mariæ duces Saxoniæ receperunt poſſeſſionem Caſtri Oſtro, Helffreden de Mecow cum aliis bonis contentarunt, neglexerunt illud pro Eccleſia cambire turpiter cum ſibi exhibitum fuit à poſſeſſore domino multa alia ſic neglecta ſunt, de quibus poſtea doluerunt. Item in Dominica Palmarum Domini duces Stetinenſes, Pomeraniæ &c. fecerunt homagium Domino Friderico Marchioni in Prentzlaw & ſe ſibi ſubdiderunt.

derunt. Et ſic diuturna lis extincta fuit, ſed dicitur quod poſtea revocaverunt; ſunt tamen nunc concordati. Item iſtis diebus conſulatus Norenberg ſuſpendit proconſulem ſuum Nicolaum Muffel magnæ autoritatis virum. Item anno Domini 1470. Caſtrum Schladen fuit captum ab Henrico de Schulenburg & iſtis de Bartensleve & Clammer de Veltheim expulſus. Item iſto anno Turci ceperunt Nigrorum Pontem nobilem civitatem Venetorum cum violentia & ultra 50000. Chriſtianorum interfecerunt & capitaneum fortiter civitatem defendentem. Item poſt Nativitatis Mariæ cives fecerunt tranſitum poſt curiam molendini de muro ad turrim contra libertatem Eccleſiæ & concordiam prius factam, ſine conſenſu Capituli. His diebus Ladislaus filius regis Poloniæ in regem Bohemiæ electus eſt propter bonam famam & merita ſua. It. 18. Julii Imperator venit ad diætam in Ratisbona cum 10000. equitum cum multis principibus & legatus ſedis Apoſtolicæ Dominus Senenſis ibi fuit & exivit ei obviam. Et eodem die quo Imperator exivit Turcus intravit terram ſuam, & plusquam decem millia hominum abegit. Eodem anno in feſto S. Annæ Papa Paulus obiit & de ſero lætus cum ſuis fuit edendo & bibendo, & circa horam tertiam ſe male ſentiens, ſubito heu! ſine Sacramentis exſpiravit, & Domini Cardinales in die Sixti conclave intraverunt, & cardinalem S. Petri ad vincula elegerunt, quem Sixtum vocaverunt quartum. Item rex Bohemiæ Ladislaus Pragam venit, coronatur ipſo die Simphoriani & cum magno exercitu & pompa civitatem Pragenſem intravit. It. magnus cometa apparuit circa plejades per totum menſem Februarii. It. Anno Domini 1472. ſexta feria ante Petri & Pauli Erfordia quaſi pro tertia parte igne conſumta fuit, per quendam incendiarium monachum Apoſtatam de porta, qui etiam poſtea ibi degradatus & crudeliter cum ignitis tridentibus diſcerptus & igne conſumtus fuit.

Anno Domini 1473. circa feſtum Paſchæ depoſitus fuit Rupertus Archiepiſcopus Colonienſis, quia male rexit & fuit frater Palatini Rheni & à Paulo Papa citatus & monitus ut capitulo & vaſallis ablata reſtitueret, quod contumaciter recuſavit, ideo per Papam privatus fuit, capitulum, vaſalli, civitates concorditer aduniti ſumſerunt ducem Haſſiæ Hermannum pro advocato, ex hoc & guerræ & lites ſurrexerunt. It. Anno Domini 1474. in die Petri & Pauli Apoſtolorum in Anguſta hora veſperarum irruit tempeſtas acris valida, & dejecit tectum cum tignis & tegulis Eccleſiæ S. Udalrici ſic quod multi homines utriusque ſexus in veſperis exiſtentes ſtrati fuerunt lapidibus & lignis & interierunt. Monachi tamen, in Choro veſperas canentes illæſi manſerunt. Item circa feſtum Laurentii eodem anno Dux Burgundiæ cum magno exercitu obſedit civitatem Nuſſ prope Coloniam & ſatis dure civitatem ipſam oppugnavit, & ædificavit tres pontes per Rhenum claudens navigium Rheni & die noctuque magnoque lapides ad civitatem cum bombardis torquebat, & muros dejecit, & cum arietibus inſtrumentis roſtratis foſſatum regens usque ad murum cum roſtro pertingens per armatos transgredi foſſatum & murum conabatur, ſed incolæ civitatis fortiter reſiſtunt & cum bombardis machinam hanc deſtruxerunt, & multos occiderunt, & realiter ut boni milites ſe defenderunt. Dicebatur quod S. Quiriacus patronus eorum, cujus corpus ibi requieſcit ſæpius noctu viſus fuit civitatis circuire muros, & in ſpem defenſionis eos erexit: Imperator tamen cum multis principibus ibi advenit & cum maxima populorum multitudine & placitantes & poſtea cauſam concordarunt. Item ipſo die decollationis S. Johannis conſulatus veteris civitatis fecit extrahi ſtipites hinc inde in novo foro, ſtantes prope & ante domos canonicorum, incipientes à Domo Domini Balthaſaris de Slinen, & ſic circuieundo aliqui diu ſteterunt, aliqui de novo poſiti fuerunt, & omnes violenter extraxerunt violando libertatem Eccleſiæ. Eodem anno fuit peſtis in Magdeb. ad integrum annum Cometa viſus ſuam exercuit virtutem. Item anno Domini 1475. In vigilia Paſchæ conſulatus in Zerbſt habuit pulveres pro bombardis in turribus Eccleſiæ & non clauſerunt oſtia & Scholares apud ſepulchrum Domini exiſtentes cum lumine intraverunt & pulveres ſumſerunt & ſparſerunt, & ignis venit ad pulveres & pulveribus incenſis, turris diſrapta fuit, & campanæ ceciderunt & ex hoc civitas magnum damnum incurrit ex negligentia propria. Item Dominica Miſericordia Domini, Dominus Archiepiſcopus clauſit curiam ſuam, & noluit intromittere chorales ad prandium juxta conſuetudinem propter negligentias eorum, & chorales, dummodo chorum intrare vellent pro veſperis cantandum

tandum

tandum Archiepiſcopus venit eis obviam ante chorum, tunc chorales omnes aufugerunt, & veſpere ceciderunt in confuſionem domini, qui ex hoc male contentus fuit, chorales tamen hoc parum adverterunt, nec chorum intrare voluerunt. It. circa feſtum Petri & Pauli Apoſtolorum venit Magdeburgum multus populus juvenum & ſenum catervatim verſus Welſenach ambulans de omnibus partibus Almaniæ, Bavariæ, Franconiæ, Thuringiæ, Meſſiæ Eccleſiis, & dicunt quod eis venit in mentem quod debent ambulare, tunc non poſſunt reſiſtere, ſed optime, ut ambulent, alias dementarentur, & ſic ſtatim in mentem eorum incidit omnibus dimiſſis & ſumtibus & veſtibus decurrunt, nec retrahi poſſunt: multi opinantur quod ex ſuggeſtione diabolica hoc evenit, & ex quadam ſuperſtitione, quia locus, ad quem currunt, tam de ſanguine, quam de miraculis ſuſpectus habetur, & indulgentiæ eorum dicuntur revocatæ. Item Dominus Archiepiſcopus Johannes volens purgare malis hominibus terram ſuam Jericho cepit primo caſtrum Sandow & ibi cepit Fricken de Pleſſow, & mox caſtrum Nigrip, ibi cepit Henrich Treſſaw & cepit eis caſtrum Bucko & Milo. Item cepit & caſtrum Craſſaw, ubi captivavit validum Werner Kracht / Fricken Pleſſaw zu Gebichenſtein duci & incarcerari fecit, Kracht zum Eggelen ſimiliter duci fecit & alios Wandtslebe & ſic fecit terrorem in locis illis quod multi vaſalli timentes à terra receſſerunt. It. Poſt Dominicam Trinit. Dominus Magd. cum Capitulo fuit in Hallis & placitavit inter conſulatum ibidem uniones & communione ex una & ſartaginenſi ibidem ex altera partibus, qui fuerunt in magna diſcordia. Tertia feria poſt ſeveri conſulatus Hallenſis cepit & incarceravit 16. Sartaginens. Dominus quinta feria ſequenti intravit civitatem & legi fecit certam ordinationem cum conſulatu ſuper bona ſalenaria, quam Sartaginem prima fronte recuſarunt recipere, potentes dictos captivos, tamen poſtea ordinationem iſtam acceptarunt, & captivi etiam eam ſervare promiſerant, & ſic dimiſſi ſunt, in domibus ſuis cum mandato non exeundi ante finem cauſæ, & illa diſcordia fuit origo, quod Hallis per ſucceſſorem ſuum capta fuit & ſub obedientia Archiepiſcopi redacta, die vero tranſitus ſui de hoc mundo, prout divinæ placuit majeſtati, adveniente, Sacramentis prius præmunitus, obiit in caſtro Gebichenſtein in die S. Luciæ Anno Domini 1475. Qui quidem Archiepiſcopus nihil aliud diſpoſuit in fine, niſi quod in Eccleſia Magd. juxta conſuetudinem Eccleſiæ ejusdem prope immediatum prædeceſſorem ſuum ſepeliri deberet, quanto propinquius fieri poſſet ſingulariter committens, quod non ſupra, ſed infra eum corpus ſuum deberet poni, quod piiſſimi patris magnæ humilitatis ſignum fuit, quod & ſic factum eſt honorifice cum Solennitatibus in Eccleſia Magd. conſuetis præſentibus ibidem principibus, comitibus Baronibus & vaſallis Eccleſiæ; cui Dominus noſter Jeſus Chriſtus requiem ætern. & lucem perpet. tribuere dignetur. Amen.

Epitaphium dicti Archiepiſcopi.

Bavariæ natus 10. Præſul & hic tumulatus,
Virtutum cultor, pacis Dux criminis ultor.

ERNESTUS DUX SAXONIÆ Landtgravius Thuringiæ & Marchio Miſnæ XXXVIII. Archiepiſcopus ætatis ſuæ anno II. vel circa. Anno vero Domini 1476. feria tertia poſt Epiphaniam Domini 8. Januarii ad Eccleſiam Magd. eſt poſtulatus & per Sixtum Papam quartum ad inſtantiam capituli & vaſallorum ac Sereniſſimi Imperatoris Friderici tertii & aliorum multorum principum, quorum conſanguineus extiterat, maxime intuitu boni principis Domini Erneſti Patris ſui, famoſæ domos dominorum ducum Saxoniæ, & ut rebellio ſubditorum Eccleſiæ, etiam alienata ab Eccleſia, poſſent per eum & amicos ſuos coerceri & recuperari, & omnia in melius reformari &c. In Adminiſtratorem eſt confirmatus & anno ſequenti die SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ ad Urbem Magd. ſolenniter cum pompa & apparatu Principum, nobilium cujus in retroactis annis non eſt viſa nec legitur ſimilis, præſente Patre ſuo Duce Erneſto & Patrono ſuo Duce Wilhelmo Marchgravio Brand. Johanne Principibus Electoribus Domino Ludovico Landtgravio Haſſiæ cum filiis, Duce Wilhelmo & aliis Ducibus de Brunſwigk, Epiſcopis vero Halberſtadenſi, Hildeshemenſ. & Brandeb. Merſeburg. Nuenburg. Havelberg. Lebutenenſ. & aliis Prælatis, Comitibus,

bus, Nobilibus multis comitantibus & deducentibus eſt introductus. Anno Domini 1478. die S. Panthaleonis facta ſeditio & tumultus in Hallis, ita quod in duas partes diviſi, Conſulatus & Comunitas in unam, majores & ditiores Sartaginenſes in aliam mutuo ſe armis inſequebantur. Adminiſtrator prædictus ab una partium ſive Conſulatu, abſque mora collectis principibus, Nobilibus, Vaſallis ac aliis ſubditis Eccleſiæ, eodem anno Dominica poſt exaltationis crucis, potenti manu Civitatem Hallis perſonaliter intravit, ſeditioni finem imponens omnes majores captivari fecit, & in vincula detrudi & expoſt exactionari & puniri in bonis ac rebus ſuis omnemq; ſuperioritatem de bonis ſalinariis utilitatem ſibi & Eccleſiæ debitam prædeceſſoribus ſuis tamen potentia & ſtolida præſumtione injuſte longo tempore per Hallenſes ablatam, & quaſi penitus exſtinctam, ipſe plene recuperavit ac ſuis futurum ſucceſſoribus cum maximo fructu Eccleſiæ utendum reliquit. Anno Domini 1479. per liberam reſignationem Domini Gerhardi de Hoym Epiſcopi Halberſt. de conſenſu capituli auctoritate Apoſtolica factus eſt etiam Eccleſiæ Halberſtad. Adminiſtrator. Et eodem anno feria ſecunda poſt Margaretæ ad Halberſtadenſem Diœceſin & civitatem patre ſuo Erneſto Duce Saxoniæ & Principe Electore duntaxat præſente eſt introductus. Ipſe Dominus Adminiſtrator Anno 1486. Advocatiam cum ſuis attinentiis à prædeceſſoribus ſuis Epiſcopis Halberſtadenſibus conſulatui civitatis prædictæ inpignoratam, oblata ſumma capitali juxta tenorem literarum redimere volens, in uſum & commodum ſuum & Eccleſiæ, ſed à civibus tractatibus obtinere non potuit, unde adjunctis ſibi à Patre & Patruo Ducibus Saxoniæ, ac aliis principibus & ſubditis Eccleſiæ multis armatis ipſam civitatem obſedit, finaliter advocatiam nulla data pecunia obtinuit, & civitatem ipſam ad omnimodam obedientiam ſuam & Eccleſiæ redegit & ſubjugavit. Anno Domini 1489. In vigilia corporis Chriſti ipſe Dominus in propria perſona primum lapidem pro fundamento novi Caſtri quod ex nunc cernitur in civitate Hallenſe exſtructum poſuit, & cum tempore perfecit & arcem D. Mauritii vocari voluit ad præcavenda futura mala, & bella & rebellionem, quantum eſt poſſibile. Ipſe etiam reparavit multa ædificia, exſtruxit in caſtris Egelen, Wandesleve, Wolmerſtedt ſimiliter in curia & aula Archiepiſcopali in Magd. & curiam Epiſcopalem in Halberſtadt & caſtrum Grüningen, Gatersleven, Slanſtedt multa ædificia fieri fecit; Ipſe etiam caſtrum Wevelingen, intendens expugnare, præprimis Latrocinia & exceſſus Laurentii de Holle, ſervatis tamen tractatibus cum Duce Henrico Brunſvicenſe in proprium Eccleſiæ ſuæ Halb. perpetuo obtinuit. Anno 1489. die Dominica in Feſto Sanctæ Cæciliæ virginis eſt per Fylonem de Fronte Epiſcopum Merſeburgenſem in choro majoris Eccleſiæ Magd. adſiſtentibus duobus duntaxat Eccleſiæ ſuæ Suffraganeis, Dominis Buſſone de Alvensleve, Havelbergenſe, & Theodorico de Schönenberg, Nuenburgenſe, Eccleſiarum Epiſcopis, decenti & humili pompa & diſpenſatione Apoſtolica in Archiepiſcopum ſolenniter conſecratus. Ipſe etiam ſuccedente tempore, ſi non multum arduis præpeditus ad feſta Archiepiſcopalia Eccleſiæ Magd. in perſona Miſſas celebravit & officia ſua peregit, etiam ordines miniſtrando temporibus ſuis Eccleſiam S. Sebaſtiani in novo foro capellam in ſuburbio, quæ ante tempora ſynagoga Judæorum extiterat & in aliis Eccleſiis civitatis Magd. & in diverſis locis plura altaria gratis conſecravit Epiſcopum Naumburgenſem in Zeytz conſecravit Abbatem in Berga Matthiam benedixit, qua die & in refectorio cum fratribus pranſus eſt, ſanctas Moniales velavit & alia Epiſcopalia excercuit officia cum fratrib. prædicatoribus minoribus Auguſtinenſib⁹ in Magd. & Hallis in refectorio ſubtili indutus lintea veſte humiliter reſidens de ſuo Convivia præparari faciens repetitis vicibus pranſus eſt. Inſtituit & fundavit in Eccleſia majori Magd. ſub turribus novum chorum pro decantandis ibidem horis de dominica. Et ibidem ante altare, quod ipſe conſtrui fecerat & per ſe conſecravit, ſepulchrum teſtudinatum & ab extra de electro opus ſumtuoſum poni fecerat. Anno Domini 1491. die Inventionis S. Stephani iſte Dominus in Eccleſia ſua Halberſtadenſe Summam Miſſam in Pontificalibus celebravit cum ſolennitate & Ceremoniis Eccleſiæ ejusdem conſuetis quæ ultra memoriam hominum à prædeceſſoribus ſuis Epiſcopis neglecta & omiſſa in centum annis, uti dicebatur, viſæ non fuerunt. Eodem anno Dominica poſt Bartholomæi in propria perſona laborioſum opus conſecrationis Eccleſiæ majoris & ſummi altaris præſentibus duntaxat Abbatibus in Hüſeburg &

Ilſenborg cum decantatione miſſæ in Pontificialibus devote & expedite adiit & perfecit, quæ conſecrare per multos annos fuit, protracta & ſuſpenſa & forte divinitus huic Domino reſervata. Anno ſequente ſive 1492. Duces Henricus Brunſvicenſis & Luneburgenſis oppidum Brunſvig obſederunt, ſed parum profecerunt: ex iſta obſidione orta eſt differentia & diſplicentia inter Dominum noſtrum Archiepiſcopum & Duces Brunſvicenſ. præfatos. Et licet inſidiæ & opprobria ab extraneis & ſubditis ob hanc cauſam ſibi parabantur, non tamen ad arma moveri potuit, parcens ſibi & ſubditis. Anno 1493. Iſte Dominus Archiepiſcopus autoritate propria villam Judæorum in ſuburbio ſitam ingredi mandavit & omnes Judæos quaſi una die non tamen iſtum locum, ſed totam terram ſuam per ſuos exire compulit, nihil de bonis eorum ſibi uſurpans, ſed eorum debitoribus data ſumma capitali aut ipſis Judæis ſine aliqua diminutione reddi & aſſignari demandavit, & ipſum locum quem inhabitabant antea Judæi pro ampliatione ſuburbii & cæmiterium Judæorum, quod ſolotenus deſtructum agriculturæ denuo aptari ipſis civib. & communitati eorum in proprium dedit. Anno 1495. tempore peſtis obiit Nobilis Dominus Bruno de Querfort cum uno filio ſuo minorenne in peſte, & ſequente anno feria ſexta poſt Invocavit obiit Senior Dominus Bruno de Querfort nullum poſt ſe derelinquens filium aut hæredẽ maſculum, totum Dominium, Caſtrum cum civitate Querfort ad Eccleſiam Magd. cujus feudum fuit, devolvitur & Dominica Reminiſcere & feria ſecunda ſequente ipſo Anno 96. homagium à ſubditis & poſſeſſio domus ſumta per miſſos ejusdem Domini Archiepiſcopi & Capituli. Eodem Anno Dominus Archiepiſcopus habens multas differentias, longo tempore hinc inde cumulatas, cum Civib. veteris Civit. Magd. fuit de eisdem omnibus peramicabiles compoſitores concordatus cum eisdem & propinarunt ſibi 6666. flor. dederunt & antea ſibi prædicti cives 8000. flor. tempore concordiæ inter eundem Dominum Archiepiſcopum & ipſos cives per illuſtrem Dominum Albertum Ducem Saxoniæ patruum ſuum factam.

Incidentia temporibus iſtius Domini: In Papatu ſedit Sixtus 4. poſt eum Innocentius 8. poſt Innoc. Alexandr. ſextus, poſt Alexandr. Pius 3. & demum Julius ſecundus. Sixtus Papa diſpenſavit cum Domino noſtro, & germano ejus Alberto, ita quod in minori ætate conſtituti, Dominus noſter Mag. alter vero Mogunt. Eccleſias gubernaret. Innocentius diſpenſavit cum Carolo rege Francorum, quod unicam Ducis Britanniæ relictam filiam Annam jamdudum Maximiliano regi Romanorum matrimonialiter deſponſatam in uxorem duceret & ſibi licite cohabitare poſſet. Alexander Papa diſpenſavit, ut unus Cardinalium mutato habitu & ſtatu ſpirituali ordine etiam ſacro ſubdiaconatus factus eſt laicus, uxorem duxit & filios procreavit dictus & nominatus poſtea Dux Valentinianus. Miſit etiam ad Almaniam bina vice Jubilæum per Reumundum ultimo Cardinalem & legatum de latere; celebratus eſt etiam annus centeſimus multas pecunias colligens ea prodictus & alias temporib. ſuis. Julius ſecundus Pontifex modernus diſpenſavit, ut Dux Frid. Patruus Domini noſtri Reverendiſſimi generalis ordinis Teutonicorum eſſet Coadjutor & poſt obitum noſtri Reverendiſſimi indubitatus ſucceſſor una cum Magiſtratu ordinis prædicti, & ita eſſet Laicus & Clericus. Imperator Fridericus 3. Francofurtum præſidentib. principibus Electorib. filium ſuum Maximilianum, eo reſignante, in regem Romanorum, & Aquisgrano coronari fecit. Mortuus eſt poſt factam iſtam electionem Marchio Albertus Princeps Elector moritur, & ipſe Dominus Imperator Anno Domini 1492. detruncato ſibi prius uno crure propter infirmitatem quandam ſibi evenientem. Rex Ungariæ Matthias moritur miſere in Vienna & Rex Bohemiæ ſibi ſubſtituitur. Poſt obitum Domini Imperatoris Friderici Maximilianus Rex Romanorum Auſtriam, Alſatiam &c. ſimiliter Hollandiam, Brabantiam, Burgundiam &c. ſibi ſubjugavit, multas tamen adverſitates paſſus eſt à ſuis ſubditis captivatur in Burgundia & Flandria à Carolo rege Francorum unica filia regis Britanniæ ſibi matrimonialiter deſponſata una cum regno Britanniæ privatur & ſpoliatur vi & injuſtiſſimè. Ipſe Carolus Rex Franciæ Anno 1495. Italiam intravit cum multis millibus & regnum Neapolitanum & Italiæ civitates occupavit. Iſto anno & primum in ejus exercitu graviſſimus morbus Gallicus deſævit, adeo quod in ejus reditu Romæ multi de hoc morbo infecti ſunt & abinde quaſi in omnes urbes & regiones viſus eſt Maximilianus Romanorum Rex indixit & ſervavit

vavit diætam Principum in Wormatia. Anno 1498. Ludovicus Rex Franciæ ſucceſſor Caroli occupavit ducatum Mediolanenſem, & detinuit per traditamentum ipſum Ducem captivum ſecum ducens in Franciam. Anno 1499. Anno ſequenti ſcilicet 1500. celebratus eſt Jubilæus Romæ & eodem anno celebravit diætam in Auguſta ad quam intravit. Dominus noſter Archiep. ſcopus una cum Domino Duce Friderico, electore, germano ſuo Dominica Miſericordias Domini & manſit ibidem in magno honore, habitus & detentus usque ad finem diætæ & usque ad feſtum Laurentii vel citra. Eodem anno Dominica Eſto mihi Dux Johannes germanus Domini noſtri Reverendiſſimi celebravit nuptias in Torgaw cum Domina Sophia filia Ducis Magni Magnopolenſis. Eodem anno Rex Datiæ conflictum habens cum Ditmerſibus damnificatus eſt in maximo occiſis 7000. collectis ex diverſis partibus dictis die grote Garde/ & aliis quam plurimis regni ſui militibus & proceribus. Eodem anno Dominus noſter Archiepiſcopus circa feſtum Galli cum Principe electore germano ſuo verſus Norenberg ad regiam majeſtatem ivit, manſit ibidem magnis impenſis usque in feriam tertiam poſt Quaſimodogeniti anni ſequentis. Anno Domini 1502. Dominus Joachimmus Marchio Brandeburgenſis Princeps elector nupſit filiam regis Datiæ, celebravit nuptias in Stendel, ubi & Dominus noſter Archiepiſcopus interfuit copulando ſponſum & ſponſam, & ſequenti die nuptiarum miſſam celebravit, in pontificalibus præſentibus multis principibus & nobilibus. Anno Domini 1503. Dominica die S. Vincentii Martyris Dominus Raymundus Epiſcopus Gurcenſis Cardinalis legatus à latere Magd. intravit à Domino Archiepiſcopo cum magna & quaſi inſolita Solennitate Cleri & populi proceſſione introductus eſt &c. Iſte Dominus noſter Archiepiſcopus ſumptuoſam capellam in caſtro ſuo Hallis conſtruxit, multas pretioſas reliquias ſanctorum & Clenodia ibidem reponens, pretioſam intendens inſtituere Eccleſiam collegiatam, ſed præventus morte immutatus eſt.

Anno Domini 1512. viſus eſt cometa, anno ſequenti ſcilicet 1513. Papa Julius ſecundus feria ſecunda poſt Reminiſcere defunctus eſt, & in locum ejus Cardinalis de Medicis feria ſexta poſt Lætare eſt electus dictus Leo decimus. Eodem anno & die mortuus eſt Rex Datiæ, qui fuit affinis Domini noſtri Reverendiſſimi Soror ejus fuit uxor & contoralis &c.

Ipſo anno Dominus noſter reverendiſſimus prædictus tertia Auguſti in Hallis caſtro S. Mauritii diem ſuum clauſit extremum & in Magdeburg die S. Laurentii ſepultus in capella infra turres Eccleſiæ in ſepulchro ſuo. Cujus anima requieſcat in pace Amen.

HENRICVS MEIBOMIVS
Junior
Lectori S.

Debetur *Chronicon* hoc *Magdeburgenſe Anonymi* maximo JCto & Hiſtorico, deque Germaniæ, Superioris imprimis, antiquitatibus inter primos optimè merito, MARQUARDO FREHERO, Conſiliario Palatino: cujus viri inſignem in promovenda & illuſtranda Germaniæ hiſtoria promptitudinem, omnibus notiſſimam, ut hac etiam occaſione diſces, ipſas ejus literas ante annos octoginta ſeptem ad Avum meum ſcriptas, hic ſubjiciam: S. P. D. *Quamvis nihil hactenus tecum noticiæ mibi interceſſerit, Vir clariſſime, & ſcriptis intereà mihi cognitiſſime; tamen, quod proponam, tanti videtur, ut etiam ignoto citra offenſam proponi poſſit. E Wechelianis Typographis, qui Francofurti, intellexi te Tomum illuſtrium Saxoniæ Scriptorum, hactenus non editorum, adornare: quorum & Catalogum ibidem vidi.*

Ejus generis ἀνέκδοτα, *præſertim ad Res Germanicas, plurima apud me ſunt: quæ & ipſa cum tempore, Deo juvante, apparebunt. Duo autem potiſſimum opuſcula, etſi jam in uno meorum Tomo collocata, talia videbantur, ut commodius atque juſtius Saxonicis illis tuis jungerentur: ideoque vel ultro illa tibi cedere, pro meo in rem litterariam, & amicitiarum augendarum ſtudio, decernerem. Ea ſunt hæc: De Civitatis Magdeburgenſis & Archiepiſcopatus ibidem exordio: & geſta Pontificum Magdeburgenſium ab Adelberto primo Archiepiſcopo usque ad Theodoricum XXVIII. Archiepiſcopum. MS. in membrana 4. Chronica Montis-Sereni, Monaſterii B. Petri in Diœceſi Magdeburgenſi, incipiens à prima ejus fundatione Anno Domini MXXIV. per Dedonem Thimonis F. Comitem de Wetyn, usque ad Annum MCCXXV. MS in charta antiqua. 4. Ea igitur ſi augendo & ornando illi tuo operi fore putas, meque de voluntate & ſententia tua verbulo certiorum facias; paratus ſum prima quaque occaſione, (quam oſtenderis) ipſos codices ad te transmittere, ut deſcriptos congruis locis inſeras. Quod ſi aliquid tibi ſuppetat ad hiſtoriam Alemanniæ hujus noſtræ ſive ſuperioris Germaniæ, aut Imperatoris alicujus vitam pertinens, idque viciſſim noſtro inſtituto adjuvando communicare velis, gratiſſimam rem feceris. Hiſce vale, Vir clariſſime, & libertatem hanc meam, ſed & adjunctam ſtrenulam litterariam boni conſule. Heidelbergæ XIV. Januarii. Anno Chriſti MDC.* *Tui ſtudioſiſſimus*

Marquardus Friberus
Conſiliarius Palatinus.

Excepit autem illam ſummi Viri benevolentiam & publicum juvandi promtitudinem pari affectu Avus meus, &, quamdiu vixit, ſancte cum ipſo amicitiam, ex virtute & ſtudiorum paritate natam, coluit, utque id publicè quoque conſtaret, libellum de Saxoniæ Pagis à ſe editum illi cum honoris debita præfatione inſcripſit. Poſtquam etiam ſupradictos Codices MStos accepit, diligenter deſcriptos editioni deſtinavit, ſed interveniente morte, nec illos, nec Tomum Scriptorum Saxonicorum publicare potuit. Alterum ex illis, *Chronicon Montis-Sereni*, mirum habuit fatum. Manu enim Avi mei deſcriptum, temporeque feralis belli Germanici Anno 1625. Brunſvigam miſſum cum plurimis præſtantiſſimis libris editis & ineditis, periit nobis, nec ubi hæreret, ſciri potuit, donec Illuſtris Vir, *Johannes Schwartzkopfius*, Sereniſſimi Brunſvic. & Lyneb. Ducis Cancellarius, πολιτικώτατος καὶ ἱστορικώτατος, in ſua Bibliotheca id eſſe teſtaretur, à milite quodam ære redemtum. Cum igitur, quid Membranis Freherianis factum ſit, neſciamus, huic *Schwartzkopfio* hoc Chronicon qui faucibus Orci quaſi eripuit, debemus, qui etiam Viro Cl. & hiſtoriæ patriæ ſtudioſiſſimo Madero illud Meibomiana manu exſcriptum exemplar dedit, ut publicis typis vulgaret; quod & viri diligentiſſimi cura in hac Academia ante XII. annos factum eſt. Alterum *Magdeburgenſe Chronicon* apud Meibomianos hæredes manſit, & à me nunc publicatur, uno ſaltem in loco mutilum, alibi quidem etiam minus rectè & integrè ſcriptum: quæ tamen hiſtoriæ integritati parum officiunt. De ſcriptore ipſo, quis fuerit, nil habeo. In ipſius quod dicam; nec in laudem ejus quicquam addo: certus tamen ſum, ex illo non pauca ad hiſtoriam Saxoniæ & dicti Archiepiſcopatus haberi poſſe, quæ alibi non extant. Ut tamen ex Adverſariis meis commentario aliquo eum illuſtrarem, à me impetrare non potui: cum præſertim ſciam Amicum noſtrum V. Cl. & Hiſtoriæ Patriæ curioſiſſimum CASP. SAGITTARIUM Rebus Magdeburgenſibus ſcribendis nunc occupatum eſſe, cui nihil præreptum ea in re velim. Quædam tamen Præcepta Imperatoria, ex veteri quodam Copiali Eccleſiæ Cathedralis Archiepiſcopatus Magdeburgenſis deſcripta, cum non parum illuſtrent ea, quæ ſcriptor noſter habet, ſuis locis adjungere volui.

P. 276. de Ottone II. Imp. ſcribit, *quod inter cætera velut dote memorabili ſibi ſubarrhans Eccleſiam Magdeburgenſem perpetuo illi liberam percipiendi ſibi Pontificis conceſſit electionem*, quæ conceſſio ita habet: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Omnibus Chriſtianæ fidei religioſis cultoribus. ac regiæ & Imperialis excellentiæ magnitudinem fidelitate debita jure honorantibus præſentibus ſcilicet & futuris per ſubjectum adbibitæ ſcriptionis titulum pateat, qualiter nos interventu dilectæ conjugis noſtræ Theophanu Imperatricis Auguſtæ ac rogatu fidelis noſtri Adelberti videlicet Archiepiſcopi Eccleſiæ Magdeburgenſis, quam divæ ac ſanctæ memoriæ*

memoriæ genitor noſter Dn. Otto, approbatione & conſenſu Romanæ Urbis (inſolita locutio) *tunc Papæ, Johannis omni veneratione digni, clero à ſe noviter ibi congregato primum proviſorem præfecit, ob ſpem æternæ nobis à Deo donandæ mercedis, ac remedium animæ jam dicti cari genitoris noſtri, Eccleſiæ ipſius primi ædificatoris, ut Colonienſis & aliæ per noſtrum Eccleſiæ regnum diffuſæ Regum & Imperatorum præceptis & privilegiis in poteſtate conceſſam tenent, præfati loci clero, Deo diu noctuque ac S. Mauricio ibi militaturo jus ſpeciale, quotieſcunque ſucceſſionis uſus exigat ac ſingulare arbitrium eligendi inter ſe paſtorem, quod rex nullus aut imperialis poteſtas deinceps niſi ſub anathemate à ſuo jure demere poſſit, hoc privilegio firmiter conceſſimus, ea videlicet ratione, ut divina per ſingulos dies ſervitute congregatio ejusdem loci præſens ac futura devotior exiſtat, ac pro ſtatu imperii ac pro animabus parentum & propriè noſtræ, vel etiam pro aliis fidelibus jugiter eam exorare, Deum melius delectet. Et ut hæc noſtra conceſſionis devotio in futuris temporibus à cunctis certior habeatur, noſtræ auctoritatis privilegium hoc inde conſcribi, manuque propria ſubtus notatum ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus*

Signum Domini Imp.



Ottonis Invictiſſimi Auguſti.

Hildebaldus Epiſcopus & Cancellarius ad vicem Willigiſi Archi-Capellani recognovi.

Data XIII. Kalend. Decembr. Anno DCCCCLXXIX. Indict. VI. anno vero regni ſecundi Ottonis XVIII. Imperii autem XII. Actum Walbechi feliciter, Amen.

Videbor vero mihi operæ pretium facere, & antiquitatis amantes demereri, ſi tria alia ejusdem Imperatoris Ottonis II. privilegia, Eccleſiæ Magdeburgenſi data, ex eodem codice ſubjiciam.

I.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente Clementia Imperator Auguſtus. Quoniam loca Deo & ſanctis ejus dicata à noſtris Anteceſſoribus, Regibus ſcilicet & Imperatoribus & poſſeſſionibus ampliata & privilegiis vel decretis eſſe munita noſcuntur. Idcirco nos pia Dominæ & cariſſimæ Genitricis noſtræ Adelheidis admonitione ob memoriam & remedium animæ piiſſimi Genitoris noſtri Ottonis, privilegia ſeu decreta Magdeburgenſis Eccleſiæ, quam ipſe à fundamento conſtruxit, noſtra etiam auctoritate roborare & confirmare decrevimus. Statuentes imprimis ne quis Comes vel Judex vel Vicarius publicus in Magdeborg civitate vel territoriis ejus aliquam poteſtatem aut bannum habeat, niſi advocatus, quem Archiepiſcopus illius Eccleſiæ ſecundum ſuum libitum ſibi elegerit. Et negociatores vel Judæi ibi habitantes, omnesque familiæ lidorum & colonorum vel ſervorum vel Sclavorum illuc pertinentes à nullo alio niſi eodem advocato ſecundum leges conſtringantur, vel judiciales ſententias patiantur. Præterea Magdeborg civitatem eandem cum teloneo & mercatu ſeu moneta, municipium ejus, quod nos Burgwardum dicimus, curtem quoque cum omnibus appendiciis, territoriis ſcilicet vel ædificiis ex occidentali parte Albiæ fluminis illuc pertinentibus, ſicut beatæ memoriæ noſter piiſſimus genitor ex ſuo proprio in jus & proprietatem ſancti martyris Chriſti Mauricii pro remedio animæ ſuæ liberaliter obtulit, noſtra quoq; nos munificentia vel auctoritate eidē Eccleſiæ roboramus & confirmamus, in locis ſubnotatis, hoc eſt, Fridimaresleba, Pretalike, Buchumii, Froſa, Roddarteſtorp, Haptareſtorp, Bemmeneſtorp, Thiederiſtorp, Otters-leba,

leba, Oſterwadinga, Suldorp, Immerwadinga, Jchtesdorp, Dudelou, item Dudelou, Wodeneneg, Mendesleba, Mendeleba, Undrideſtorp, Unondiſconburg, Pizimizi, Lienoldesdorp, Trumplike & quatuor manſos in Valdorp, caſtrum quoque Unnesburg, Burnon; Biſcopesdorp, Wilmerosleba, Rodenvordi, Numkildorp, Adeſtendendorp, Makteſtedi, Curlingen, Alderwaddinge cum pertinentiis ſuis Brunxſtedi, Dunenſtedi, Attinge, vel quicquid ſuæ proprietatis ad hæc loca in pago Nortthuringo pertinere videtur ex aquilonari parte Oræ fluminis in locis ita nominatis Moſau, Pelmizi, Dudixi, Nuboro, Velbuſi, Zelici cum pertinentiis ſuis. Mercatum quoque in Gettige & monetam cum teloneo & bannum, ſicut piiſſimus Genitor noſter, ita & nos quoque eidem ſanctæ Magdeburgenſi Eccleſiæ offerimus & concedimus. Etiam Medabeki, Rintborſt, Bnocſtaden cum appendiciis & in pago Hardogſtarii Roresbem cum pertinentiis ſuis, Valresleba, Barsdorp, Duttenſtedi cum appendentiis vel quicquid ex occidentali parte Muſore fluminis ſancto Mauricio liberaliter obtulerat, hoc eſt, Rosbeki, Uſton cum pertinentiis ſuis, Brilon cum appendiciis ſuis, & in Arpesfelt XXX. manſos. Hæc & omnia à beatæ memoriæ genitore noſtro præfatæ Eccleſiæ collata hoc præſenti auctoritatis noſtræ præcepto roboramus & confirmamus. Et ut hæc munificentiæ noſtræ traditio ſeu confirmatio certa permaneat cartam hanc conſcribi & annuli noſtri impreſſione ſignari, juſſimus quam & manu propria ſubtus firmavimus.

Signum Ottonis Imperatoris



Magni & inviStisſimi Auguſti.

Willegiſus Cancellarius ad vicem Rodoberti Archi-Cancellarii ſubſcripſi.

Data II. Non. Junii Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIII. Indict. XIV. anno Imperii Domini Imp. Ottonis ſecundi VII. Actum Magdeborg, Amen.

Diploma hoc alibi extare non memini, verſio tamen ejus Germanica edita eſt à *Marco Wagnero* in libello vom Königreich Thüringen / quæ tamen in quibusdam variat, præſertim in nominibus locorum & ſubſcriptione, nec ubique ſenſum Latinarum vocum ſatis exprimit. Neſcio autem, quale ſit, cujus in eo mentio fit, *flumen Muſore*, ut in MSto inveni, aut *Murſoræ*, ut edidit *Wagnerus*? An forte *Wiſeræ*, ut Viſurgis aliàs appellatur? Nihil tamen definio.

II.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Sentiat omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium tam præſentium, quàm futurorum induſtria, qualiter nos rogatu ac petitione archiantiſtitis Adelberti S. Martyri Mauricio & ipſius Eccleſiæ in Magdeburg civitate constructæ, cui idem Archipontifex præſulari videtur, pro æterni præmii remuneratione, anima quoque noſtri genitoris, cujus corpus in ſupradicta Martyris eccleſia ſepulturæ tumulum ſortitur, Imperatoriæ noſtræ auctoritatis annum ſuper eandem Eccleſiam & civitatem ea ratione dedimus atque perpetualiter conceſſimus, ut deinceps nullus comes, neque advocatus, aut exactor, vel alicujus dignitatis præfectus in ſæpedicta civitate vel ſuburbio ejus undique ſecus inhabitantibus aut impoſterum inhabitaturis negotiatoribus ſive Judæis aliisque cujuſcunque conditionis inibi morantibus aliquam judiciariæ ſeveritatis, aut ullius temeritatis habeat exercendi poteſtatem, niſi quem prædictæ urbis Archiepiſcopus, quisquis unquam fuerit, ſibi ex voto elegerit advocatum. Sed, ut hoc firmum ſtabileque apud omnes noſtræ

dignita-

dignitatis ſucceſſores permaneat, hanc cartam ſcribi, eamque ſubtus notando juſſimus ſigillari.

Signum Dn. Otto-  *nis piiſſimi & invictiſ-*
ſimi Impera- *toris Auguſti.*

Hildeboldus Cancellarius ad vicem Wilgiſi arcbicapellani recognovi.

Data Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIX. regni vero Ottonis invictiſſimi Imperatoris XVIII. Imperii autem IX. Indict. VI. Actum Magdeburg in Chriſti nomine. Amen.

Hoc ipſum Diploma edidit ex Authentico *Benjamin Leuberus Diſquiſ. de Stapula Magdeburgenſi* n. 1613. quod propter annum dati diplomatis conferre meretur. Male tamen, & nullo ſenſu, in *Leuberiano* editum eſt, errore, ut arbitror, typographi, *negotiatoribus ſive judicis*, cum ſcribi omnino debeat, *Judæis*, ut in MS. noſtro & præcedenti Ottonis II. habetur.

III.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Animadvertat omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm futurorum ſollers induſtria, qualiter genitor noſter atque æquivocus Otto ſcilicet auguſtæ memoriæ Imperator Auguſtus, poſtquam Magdeburgenſis Eccleſiæ ſedem, apoſtolica dictante ſententia, arcbipræſulatus honore ſublimaverat, quædam ſui juris prædia, tam intra quam extra civitatem poſita, quæ quolibet locorum ſita exiſta parte Albiæ fluminis ſuis uſibus privata illuc pertinere videbantur, eidem Eccleſiæ per ſuæ traditionis paginam in perpetuum proprietatis uſum conceſſerat, & quædam loca ſupradictorum inibi morandi gratia ſibimet pro beneficio retinuerat: atqui poſtquam regimen imperii patre ſopito noſtræ diſpoſitionis in ſecuram ſuſceperat, quicquid idem genitor noſter prius de eadem traditione in ſuos uſus occupaverat, rogatu dilectæ noſtræ conjugis Theophanii nec non Giſelbarii ejusdem Eccleſiæ archipræſulis amore commoniti, ex toto & integro per hoc noſtræ auctoritatis præceptum jam dictæ ſedi perpetim tenendum remiſimus ea videlicet ratione, ut nullus comes vel judex aut publicus exactor, aut aliqua cujuslibet dignitatis perſona, judiciariæ poteſtatis ſeveritatem in illud exercere præſumat, niſi quem prædictæ ſedis Archiepiſcopus ſibi elegerit advocatum. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas apud omnes noſtræ dignitatis ſucceſſores ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc cartam ſcribi eamque ſubtus notando annuli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Signum Dn.  *Ottonis Imperatoris*
Au- *guſti.*

Hildebaldus Cancellarius vice Willigiſi notavi.

Data IX. Kal. Octobr. anno Dominicæ incarnatiouis DCCCCLXXXI. Indict. X. anno vero regni ſecundi Ottonis XXI. Imperii autem XIIII. Actum Luceriæ.

Huic ſubjungo ex eodem codice Ottonis III. Præceptum, Magdeburgenſi Eccleſiæ datum:

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Si Eccleſiis Dei de noſtræ majeſtatis regia munificentia aliquid accommodaverimus, id procul dubio ad præſentis vitæ ſtatum & æternæ beatitudinis præmium capeſſendum nobis prodeſſe confidimus. Quapropter omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet ac futurorum pateat induſtriæ, quia vir venerabilis Giſallarius Magdeburgenſis Eccleſiæ ſecundus

Archi-

Archiepiſcopus ad nos venit ſecum deferens præcepta avi noſtri bonæ memoriæ Ottonis Imperatoris Auguſti, nec non & piæ recordationis genitoris noſtri filii æquivoci illius coimperatoris Auguſti, in quibus continebatur, quomodo ipſe antedictus avus noſter præfatam Magdeburgenſem Eccleſiam à fundamento conſtruxit, ac multis prædiis ſuis & aliis quamplurimis rebus pretioſis adornavit & condonavit regali & imperiali ſua auctoritate illuc à ſe vel ab aliis religioſis viris tradita omnia confirmans: & qualiter prænotatus genitor noſter multa prædia & alia eidem Eccleſiæ contulit ac ſuas & patris aliorumque fidelium traditiones dominationis ſuæ auctoritate & præceptione poſtea corroboravit, pro rei tamen firmitate idem jam dictus Giſalbarius prædicti loci ſecundus magnæ reverentiæ Archiepiſcopus, petivit celſitudinem noſtram, ut nos denuo ab avo vel genitore Imperatoribus auguſtis, ſeu ab aliis aliquibus tradita ſive tradenda, regiæ magnificentiæ noſtræ dono ac præcepto confirmaremus. Cujus rei petitionem benignè ſuſcipientes, quicquid præſcripti Imperatores Auguſti, avus ſcilicet & genitor noſter, ſive alii viri religioſi in prædiis aut mancipiis vel aliis rebus ad eandem Eccleſiam pro divino amore condonaverunt, ſeu quæ adhuc à catholicis viris divini inſtinctus aliqua traditione illuc condonari poſſunt, regia noſtræ donationis munificentia noviter tradimus, confirmamus & approbamus, regia firmiter jubentes potentia, ut nullus comes vel judex vel alia qualibet judiciaria perſona, ſive regis exactor, aliquem deinceps in prædiis vel locis ab avo vel patre noſtro vel à nobis ſeu ab aliis aliquibus prædictæ Eccleſiæ datis vel dandis, poteſtatem habeat, aut prædictum Archiepiſcopum ſuosque ſucceſſores cum omnibus præceptionibus ſubintroductis vel aliis machinationibus invidis inquietare audeat, aut homines ipſius Eccleſiæ diſtringere, ſive paratas ac manſiones facere vel alias illicitas redhibitiones exigere præſumat, præter eum, quem ipſe, qui modo ut Eccleſiæ præſidet Archiepiſcopus, ſuique ſucceſſores, elegerint advocatum. Et ut hæc noſtræ donationis traditio & confirmatio præſenti ac futuro tempore firma à cunctis fidelibus habeatur, hoc regiæ magnitudinis præceptum inde conſcriptum ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Dn.  *Ottonis glorioſiſſimi regis.*

Hildebaldus Epiſcopus & Cancellarius vice Willigiſi archicapellani cognovi.
Data XV. Kal. Martii anno Domin. Incarnat. DCCCCLXXXV. Indict. XIIII. anno vero regni tertii Ottonis ſecundo. Aleſtedi in Dei nomine feliciter. Amen.

Pag. 283. Auctor Chronici noſtri de *Taginone* ita loquitur: *In brevi, quo præſedit tempore pluribus prædiis à rege* (Henrico II.) *pro devotione prioris ſervitii & fidelitatis acquiſitis ſuam augmentavit Eccleſiam. Sunt autem hæc: Arnaburg & Froſa.* Extant vero ipſæ harum Donationum formulæ. Priorem quidem de urbe Arnaburg, quia jam tum à *Benjam Leubero lib. de Stapul. Magdeb.* n. 1621. editam obſervo, huc non tranſcribo: alteram vero de Froſa urbe ex veteri copiali libro cathedralis Eccleſiæ Magdeb. ut hîc apponam, operæ pretium videtur.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex omnibus fidelibus noſtris præſentibus ſcilicet & futuris notum eſſe volumus, Qualiter nos pro remedio vitæ perpetuæ feliciter cum ſanctis ac fidelibus adipiſcendo ac pro memoria patris noſtri ac omnium parentum noſtrorum curtem regalem ſeu etiam civitatem Froſa cum omnibus, quæ ad eam pertinent, quæſitis perquirendisque villis, areis, ædificiis, mancipiis utriusque ſexus, terris cultis & incultis, ſilvis, venationibus, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, piſcationibus, molendinis viis & inviis exitibus & reditibus interventu conthoralis noſtræ Chunigundæ Reginæ ac ſororum noſtrarum Adelheide abbatiſſæ, atque Sophiæ abbatiſſæ, imò etiam pro ſtrenuiſſima ac fideliſſima ſervitute Archiepiſcopi Taginonis tertii, deo ſanctoque martyri Mauritio condonavimus, noſtro videlicet ſpeciali patrono, ea ſcilicet ratione, quatenus fidelis noſter prædictus archipræſul ſuique ſucceſſores liberam habeant ſibi advocatum eligendi, prædictam curtem poſſidendi, ſeu etiam in uſum Eccleſiæ Magdeburgenſis commutandi, poteſtatem. Si quis autem impoſterum hanc noſtram donationem inquietare præſumſerit ſummi judicis vin-

dictæ

dictæ puniendus exponatur. Sed ut hæc noſtra traditio nunc & in futurum inconvulſa permaneat, hanc chartam manu Erici Epiſcopi noſtra juſſione conſcriptam noſtra imagine ſigillari præcepimus, inſuper etiam more parentum noſtrorum, regum videlicet & Imperatorum manu propria ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Dn. Henrici invictiſſimi regis.

Guntherius Cancellarius vice Herchambaldi archicapellani recognovi. Data XII. Kal. Febr. anno Dominicæ Incarnationis MXII. Indictione X. Actum Magdeburg.

Pag. 329. & 330. Cum ſub Alberto decimo octavo Archiepiſcopo magna in Imperio diſcordia inter Philippum & Ottonem IV. & crudele dein bellum eſſet, Magdeburgenſis tamen Eccleſia ab Ottone privilegium impetravit A. 1208. in quo Imperator teſtatur, quod *dilectus princeps Albertus Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ab exortu ſuæ promotionis ferventer ſibi præclara devotionis obſequia exhibuerit.* Ipſam formulam diplomatis Cæſarei, quoniam totum id ab Avo meo in Apologia pro Ottone IV. editum eſt, hîc non appono. Fridericus tamen ſecundus non minus ſe faventem illi Eccleſiæ exhibuit, memoratque *Archiepiſcopum hunc Adelbertum principalem & præcipuum ſuæ ſublimationis extitiſſe auctorem & promotorem.* Totum diploma ex MSto Codice, cum multa egregia contineat, ſubjungam:

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus Dei gratia Romanorum rex & ſemper auguſtus & Siciliæ rex. Illud privilegium, quod rex regum & dominus dominantium in memoriam eccleſiaſticæ libertatis præcioſiſſimo ſanguine ſuo ſcripſit, ita regio decet cuſtodire favore, ut nunquam in eo quicquam appareat, quod illius gratiæ videatur obtenebrare decorem, quæ à tanto procedit auctore: Ut ergo poſt terrени regni faſtigia ſecurius exſpectare poſſimus ab ipſo æternæ felicitatis coronam, cum noſtræ devotionis miniſterio permanſerit in ſuæ integritatis gloria ſponſa Chriſti, grata ſui ſtatus debet à nobis percipere potius incrementa, quàm ipſius ſub quadam ſpecie ſervitutis pro poſſe ſinamus indumenta diſcerpi: ideoque veterem illam conſuetudinem deteſtantes, quam anteceſſores noſtri Romanorum Imperatores & reges in cathedrales exercuerunt Eccleſias & abbatias, quæ manu regia porriguntur, quod videlicet decedentibus Epiſcopis & prælatis earum, non tam reliquias rerum mobilium eorundem conſverant ocupare, & convertere in uſus proprios occupatas, quam etiam reditus & proventus per totius anni curriculum ita prorſus auferre, ut non poſſint ſolvi debita decedentis, nec ſuccedenti prælato neceſſaria miniſtrari. Eidem conſuetudini, ſive juri, vel quocunque vocabulo exprimatur, renunciamus penitus, ob reverentiam Crucifixi, cujus in corpore noſtro bajulamus inſignia, illud eiſdem Eccleſiis perpetuo jure donantes, & auctoritate regia ſtatuentes, ut Eccleſiarum omnium libertate integra ſemper in omnibus permanente, res & reditus hujusmodi in ſolvenda debita decedentium Prælatorum & in alios Eccleſiarum uſus per manus legitime ſuccedentium liberè convertantur. Obſecramus igitur eaſdem Eccleſias, & in virtute altiſſimi conteſtamur, quatenus ob hanc munificentiæ noſtræ gratiam apud altiſſimum ſupplere dignentur impoſterum piis orationibus & poſt terminum vitæ noſtræ anniverſarium obitus noſtri divæ in perpetuæ commendationis memoria retinere. Cum autem Magdeburgenſis Eccleſia, quæ nonnullos pro exaltatione noſtra paſſa eſt ſollicitudines & labores, in ſubſcriptis articulis, à quibusdam anteceſſoribus noſtris privilegio premeruit honorari, nos privatæ libertatis ipſius nolentes reſtringere terminos, ſed potius ampliare ad preces dilecti principis noſtri, ejusdem Eccleſiæ Archiepiſcopi Adelberti, qui principalis & præcipuus noſtræ ſublimationis auctor extitit & promotor, noſtra auctoritate ſtatuimus innovantes, ut cum in civitate Magdeburgenſis Eccleſiæ, vel oppidis pertinentibus ad eandem, à nobis vel ſucceſſoribus noſtris, curias regales celebrari contigerit, univerſis, quæ in aliis civitatibus aut locis in moneta teloniis & cæteris utilitatibus quibuscunque imperiali juri provenerint, ab eiſdem in præfati Archiepiſcopi & ſucceſſorum ejus bonis & fructibus libera ſemper exiſtant prædictæ Eccleſiæ profutura: in omnes etiam homines civitatis, oppidorum ſeu villarum ipſius regales talliæ, petitiones aut exactiones nulla unquam occaſione, præter ejusdem Archiepiſcopi & ſucceſſorum ipſius exerceant aſſenſum, nec quisquam præter ipſum Archiepiſcopum & dictos ſucceſſores ejus aliquid juris habeat in

eoſdem, & ubicunque percuſsio Magdeburgenſis numiſmatis hactenus currere conſuevit, nullus unquam præſumat cudere de novo monetam, ſed præfati curſus numiſmatis largè per prædictos terminos in ſuo robore perſeveret. Adhæc eidem Eccleſiæ noſtra liberalitate donamus, ut ſi alicubi in bonis ejus in quavis ſpecie contigerit reperiri metallum in uſus ipſius Eccleſiæ perpetuo deputetur. adjicientes, ut quælibet jura quæ ſæpedictæ Eccleſiæ à noſtris anteceſſoribus fuit conceſſa, libera ſemper ipſi maneant & quieta. Ut autem hæc omnia, ſicut à bonæ voluntatis noſtræ liberalitate procedunt, perpetuis temporibus maneant inconvulſa, præſens inde privilegium conſcribi præcepimus & noſtræ imaginis impreſsione muniri, ſtatuentes, ut quisquis contra hoc præſumpſerit aliquid attentare, centum libris auri pro pæna componat, quarum medietas fiſco cedat, & pars altera illis, quibus injuria fuit irrogata. Teſtes hujus rei ſunt, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Conradus Ratisbonenſis Epiſcopus, Otto Herbipolenſis Epiſcopus, Sifridus Auguſtenſis Epiſcopus, Siboto Havelbergenſis Epiſcopus, Engelhardus Colonienſis electus, Ulricus Patavienſis electus, Henricus abbas Herſfeldenſis, Cono abbas Elevacenſis, Hartmannus Fuldenſis electus, Ludovicus comes Palatinus Reni & dux Bavariæ, Leopoldus Dux Auſtriæ, Otto dux Moraviæ, Hermannus Marchio de Baden & Fridericus frater ejus, Anſhelmus Marſchalcus, Wernerus dapifer, Walterus pincerna regalis aulæ & alii quamplures.

Et ego Conradus Metenſis Epiſcopus Imperialis aulæ Cancellarius vice Domini Sifridi Moguntinenſis Archiepiſcopi totius Germaniæ archicancellarii recognovi.

Acta ſunt hæc incarnationis Domini anno MCCXVI. Indict. IV. regnante Domino Friderico II. Rom. rege glorioſiſsimo & rege Siciliæ. Datæ Herbipoli per manum Bertoldi regalis aulæ protonotarii. V. Idus Maji. anno regni Domini regis IV.

P. 343. Anonymus Chronici auctor narrat, quod Archiepiſcopo Theodorico à Papa proviſo nonnulli Canonicorum obſtiterint, deinde tamen res compoſita ſit, annitentibus conſulibus & populo civitatis Magdeburgenſis. Huc igitur pertinet Mandatum, quod Carolus IV. Imp. ad civitatem Magdeburgenſem miſit, ut Theodorico Archiepiſcopo homagium præſtat, quod, ex MSto codice integrum hîc apponam, cum in eo modo dictus ab Imperatore laudetur & Chronicon noſtrum inde illuſtretur:

Karolus quartus divina favente clementia Romanorum Imp. ſemper Auguſtus ac Bohemiæ rex, Magiſtro conſulum, conſulibus & univerſitati civitatis Magdeburgenſis, fidelibus ſuis dilectis, gratiam ſuam & omne bonum. Cum ſedes Apoſtolica venerabili Theodorico, pridem Mindenſi Epiſcopo, principi & conſiliario noſtro dilecto, de Eccleſia Magdeburgenſi providerit & Archiepiſcopali pallio per ſedem eandem ſibi tranſmiſſo, in præſentia noſtra nuper cum omni reverentia digne recepto, etiam regalia Eccleſiæ ſuæ prædictæ à nobis, tanquam à Romano Imperatore ac Domino ſuo, ſuſcepit, ut decebat: nos eundem Archiepiſcopum habito reſpectu ad multiplicia merita probitatis ipſius, una cum Eccleſia ſua caſtris civitatibus, munitionibus & Dominiis in noſtram & imperii ſacri protectionem & tuitionem aſſumſimus gratioſè, volentes ipſum & eandem Eccleſiam ſuam in juribus, privilegiis & libertatibus & gratiis obtentis ab Imperatore benigno favore protegere & Imperialis tuitionis præſidio conſervare, ſicut hæc omnia nuncii ſive procuratores præfati Archiepiſcopi, quos idem ad vos pridem præmiſiſſe dinoſcitur, ad veſtram, ut credimus notitiam plenius perduxerunt. Quia vero dictus Archiepiſcopus ſedem ſuam, vosque ac loca ſingula ſibiq; & Eccleſiæ ſuæ ſubjecta jam viſitare, accedere & videre decreverit propria in perſona, fidelitatem veſtram ſerioſe requirimus & hortamur, vobis diſtricte præcipiendo mandamus. quatenus ipſum tanquam ordinarium & verum dominum veſtrum cum reverentia condigna recipere, ſibiq; fidelitatis & homagii juramenta præſtare, obedire fideliter & parere, & in omnibus ad ipſum & Eccleſiam ſuam ſpectantibus debito ſubjectionis reſpectu efficaciter intendere debeatis, nullam in his ſub pæna graviſsimæ indignationis noſtræ renitentiam facientes, præſentium ſub Imperialis majeſtatis noſtræ ſigilli teſtimonio litterarum. Datum Nurenbergæ. anno MCCCLXI. Indictione XIIII. die XX. menſis Octobris, regnorum noſtrorum anno ſexto decimo, imperii vero ſeptimo.

Et hæc quidem ad Chronici illuſtrationem ſufficiant, quod vel emendare vel augere nunc non libet. Vale, Lector, & fave.

Digitized by Google

ANONYMI
Narratio Hiſtorica de rebus geſtis
ALBERTI
Ex Ducibus Brunſvicenſibus Epiſcopi Halberſtadenſis XIX.

Narratio Hiſtorica
De
ALBERTO EPISCOPO HALBERSTADENSE,
Duce Brunſvicenſe & Luneburgenſe.

ANNO incarnati Chriſti MCCCXXIV. Dominus Albertus de Anehalt, Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus, in die exaltationis S. Crucis ex hoc ſeculo, ut pie creditur, ad Chriſtum migravit. Qui licet multa pericula in rebus & corpore pro Eccleſia ſua ſuſtinuit, tamen eam competenter ampliavit, civitatem & caſtrum Aſchariæ recuperavit. Caſtrum Snötlinge, & caſtrum Konigshof in Hartone, ſuis denariis acquiſivit. Ejus quoque corpore, quaſi in medio Eccleſiæ Cathedralis, tradito Eccleſiaſticæ ſepulturæ, fratres tunc præſentes, in loco Capitulari ſeorſim ſe recipientes, & terminum ad tractandum de electione futuri Pontificis præfigentes, in quo tamen, vocatis vocandis, vota fratrum ſe diviſerunt. Et major pars Capituli elegit Dominum Lodewicum de Neyndorp in Epiſcopum & Paſtorem, qui poſtea ex proviſione Papæ Joannis XXII. factus eſt Epiſcopus Brandenburgenſis. Alia vero pars Capituli, puta quinque numero, elegit Dominum Albertum de genere Ducum de Brunſwick progenitum. Papa vero Joannes XXII. providit Domino Ghiſekoni, ex genere nobilium de Holſatia procreato. Sed licet prædicti duo, à partibus Capituli electi, proviſionem Papæ ignorantes, ſuper ſuis electionibus, in diſcordia celebratis, coram Archiepiſcopo Moguntino, Domino Matthia, multum diſceptaſſent tandem ſervato juris ordine ſententiatum fuit, cum magna ſolennitate, pro Domino Alberto, & ejus electio per Archiepiſcopum eſt confirmata, & pars adverſa ſibi in expenſis condemnata; Poſt confirmationem & inveſtituram celeberrime factam, infra annum eſt in presbyterum ordinatus & in Epiſcopum, ſecundum formam Eccleſiæ, conſecratus. Poſt conſecrationem ſibi nihil certi apparuit de proviſione Papæ: prout idem Papa ſub bulla ſua proteſtabatur. Sic igitur in vinea Domini fideliter laboravit, & pondus diei & æſtus in humeris portavit, ut pro bravio denarium comprehenderet, cum ad ſtadium de talentis ſibi creditis redditurus rationem perveniret, & ſic in vinea ſua diſſipavit, ædificavit & plantavit. Caſtrum enim Emersleve, à ſuo prædeceſſore obligatum, tanquam ſpelunca latronum factum, valida manu circumvallavit & viriliter expugnavit, captos ibidem laqueo ſuſpendit. Caſtrum etiam Garersleve circumvallando armatis viribus Eccleſiæ recuperavit, dudum ab Eccleſia alienatum. Item caſtrum Guntekenborg, ante civitatem Quedelingeburg ab eo circumvallatum fortiter expugnavit & deſtruxit. Civitatem quoque Quedelingeburg ſervitio cum quinquaginta marcarum reditibus Eccleſiæ ſubjugavit. Diſſenſione vero valida inter ipſum & Marchionem Miſnenſem exorta ſuis inimicis non parcens, quantum in eo fuit, incendiis & rapinis eodem demeritis exigentibus moleſtavit. Marchione autem Miſnenſe prædicto eidem Domino Epiſcopo ſe opponente in perſecutione ſuorum inimicorum in quodam conflictu bellicoſo convenientium, interfecti multi, & circa ſexaginta milites & famuli famoſi & ſtrenui ſunt captivati: inter quos Dux Wilhelmus patruus, & Dux Erneſtus frater carnalis de Brunſwick ipſius, capti ſunt & detenti, licet ipſe

cet ipſe cum difficultate evaſit. Verum ipſe ob tale infortunium non deſperans, ſed potius fortis in adverſis, caſtrum Warmeſtorp cum trecentis viris galeatis circumvallavit, & partem muri deſtruxit, & grande cœnaculum igne combuſſit; licet in procinctu expugnationis Marchio Miſnenſis cum duobus millibus galeatis, & optime expeditis, in adjutorium caſtro circumvallato venit, & ab obſeſſione liberavit, terramque incendiis & ſpoliis devaſtavit. Poſt receſſum vero Marchionis idem Epiſcopus caſtrum Groninge obſedit multis machinis & aliis inſtrumentis ad expugnandum habilibus: & cum ſpes jam expugnationis adeſſet, ex quadam diſcordia Luneburgenſis Ducis, patrui ſui ibidem cum ſuis armatis exeuntis, & recedentis, caſtrum ſalvabatur. Hujusmodi vero inimicis ſedatis Comites de Rhegenſtein, & fere cum omnibus nobilibus & Comitibus ante Hartonem, inſurrexerunt contra Eccleſiam Halberſtadenſem, & ex tribus eccleſiis tria caſtra ante civitatem Quedelingeborg erexerunt, incendiis & rapinis Eccleſiam inhumaniter devaſtantes. Ipſe vero non ut mercenarius fugit, ſed ut bonus paſtor animam pro ovibus ſuis poſuit, & congregata magna multitudine armatorum bene expeditorum, prædicta tria caſtra, fugatis & quibusdam inimicis captis, potenter expugnavit, & civitatem Quedelingeburg ſic obſeſſam priſtinæ libertati reſtituit. Illa autem ſeditione pacifice ſedata, non longe poſt iterum Comites de Rhegenſtein ad vomitum, ſicut canes, redeuntes, Eccleſiam Halberſtadenſem nimium crudeliter invaſerunt, Eccleſias confregerunt, clericos captivos in vinculis detinuerunt, & quod miſerabilius eſt dicere, nec religioſis viris, nec ſanctimonialibus pepercerunt. Durantibus ſic ab extra infeſtationibus, bella inteſtina pullularunt. Surrexit enim quidam Jacob, dictus Snelhart, quem idem Epiſcopus in curiæ ſuæ Officialem recepit, & in Canonicum B. Mariæ virginis Halberſtadii promovit, eidem præbendam conferendo, & parochiam in Oſterwick vacantem ſibi contulit, & procedente aliquo tempore ipſum ad Cathedralem Eccleſiam transtulit, & in Canonicum & Decanum præfecit. Quid plura? res & honores ſibi credidit, & ſic dilatavit, impinguavit, incraſſavit, propter quod recalcitravit, dominum ſuum derelinquens & factorem, immemor omnium beneficiorum iſtorum, & quod horrendum eſt dicere, juramenti præſtiti oblitus, quo Spiritu ductus nemo ſanæ mentis dubitat, quandam conſpirationem cum quibusdam Canonicis contra dominum ſuum Epiſcopum occulte fabricavit. Quod cum idem Dominus cum quibusdam Canonicis non conſentientibus, ut debuit, impugnavit. Unde Jacobus Snelhart ſuper depoſitione & deſtitutione ſui Epiſcopi fortiſſime laborabat: ita quod aliam quandam conſpirationem, pejorem priore, cum civibus Halberſtadenſibus iniit contra Eccleſiaſticam libertatem, & eam Sigillo Capituli, multis fratribus de Capitulo & Epiſcopo contradicentibus, ſigillavit. Obligavit enim Eccleſiam Halberſtadenſem perpetuæ exactioni dando civibus Halberſtadenſibus: ut ſic Eccleſiam Halberſtadenſem, matrem & dominam plenam, populo, quod plorando pronunciandum eſt, fecit ſub tributo. Super qua conſpiratione, ad querimoniam Domini Alberti Epiſcopi, Dominus Henricus Moguntinus Archiepiſcopus miſit magiſtrum Albertum de Gotha, ad inquirendum de veritate conſpirationis: qua inventa, auctoritate ſtatutorum provincialium prædictum Jacobum beneficio & officio ſententionaliter cum ſuis ſequacibus privavit. Propter quod idem Jacobus Snelhart ſuam linguam ut gladium acuit; & non ſolum in verba prorupit blaſphema & ſchiſmatica, ſed & inſana, putans maledicere fore bona conſcientiæ ſignum: & quod veritate non poterat, ſaltem cum vitiis præſumſit eundem dominum ſuum Epiſcopum lacerare: cum & ratione hujusmodi conſpirationis quidam Canonici vicarii & presbyteri civitatis Halberſtadenſis contra mandatum ſuum divina ſolenniter celebrarent, quod ſpirituali gladio non poterat, ſeculari brachio cum conſilio & auxilio ſuorum Conſulum & civium Halberſtadenſium attentavit, Cathedralem Eccleſiam & beatæ Virginis in urbe (Budæus *invitè* habet, ſed minus rectè) clauſit, & aſſumptis clavibus earundem, ne claves contemnerent, & nervos Eccleſiaſticæ diſciplinæ ad idem faciendum, miſit clericos ſuos ſolemniores cum laicis multis ad Eccleſiam S. Pauli, ut quendam profanum celebrare prohiberent. Quod cum facerent reverentia qua decuit, inſurrexerunt filii iniquitatis, immo, ut verius dicam, non filii ſed privigni & nefarii præſumptores, quos idem Epiſcopus nutrivit, videlicet Conſules una fere cum omnibus fere civibus, armata manu, deliberato animo, ſicut boves & aſini, non cognoſcentes poſſeſſo-

tes poſſeſſo-

tes poſſeſſorem ſuum & præſepe: & portis civitatis undique clauſis, tanquam furioſi, cum gladiis & fuſtibus, tumultu horribili & inhumaniter, deteſtanda ſævitia, ſic ſitientes mortem clericorum & laicorum ab Epiſcopo miſſorum, ut quod experientia docuit, per aſſaſſinos eos interficerent: Magiſtrum Henricum Decretorum Doctorem, Magiſtrum Albertum de Gotha in Jure Canonico peritum, duoſque alios Scholares, alioſque clericos & laicos captivarunt & captivos detinuerunt. Nec ſolum vivos, ſed jam mortuos ſpoliarunt, & multis vulneribus martyrizaverunt, & ſic ſævierunt factis & verbis, quod idem Dominus Epiſcopus per murum civitatis, cum alias fugere mortem non poſſet, cecidit & ſic evaſit: & ſic peccatum addiderunt ſuper peccatum. Væ igitur genti peccatrici! populo gravi, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt dominum ſuum & honorem: quoniam meretrix facta eſt civitas fidelis, plena judicii. Juſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ argentum verſum eſt in ſcoriam: virtus in vitium: fama in infamiam: bene politum ſpeculum in menſtruoſum. Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa, homo, à facie nobilium virorum. Sunt ergo rei criminis læſæ majeſtatis, perpetuò diffidati & banniti ſunt: ſic confuſi, ut ſuæ malitiæ non inveniant ſucceſſores. Sic autem rigor ultionis inſurgat, ut contra vitæ ſubſidium mortis ſolatium invocent. Quis enim locus tutus erit? & quis reorum ſecuritate gaudebit? ſi matrix Eccleſia, & in Chriſto pater tantis & talibus periculis exponuntur? Quos filios, quos filiorum relatores tanta contumelia non tanget, & confuſio tam aſpera non movet: Sic igitur matre litium & materia jurgiorum diſcordia intus & extra regnante, ſeminatore ipſius diſcordiæ, ut creditur, ad capiendas animas hoc procurante, & ultra biennium Dominus in ſe ſperantes more ſolito non dereliquit; ſed Eccleſiam beati protomartyris ſui Stephani in periculis fluctuantem oculis miſericordiæ antiquæ reſpexit, & corda diſcordantium, prius Pharaonis cordibus duriora, in mollia & flexibilia commutavit. Ita quod hi, qui prius diſperſi fuerunt & diſcordes, in unum per concordiam congregavit. Nam conſpiratores conſpirationis literas ſuis Capitulorum & civitatis Halberſtadenſis ſigillis firmatas, à qua conſpiratione, ut rerum magiſtra experientia docuit, prodiit omne malum, in locum, qui dicitur Wardehoch, extra civitatem, ante valvam S. Johannis, deportarunt, ipſaſque ad rumpendum voluntarie tradiderunt, in præſentia ipſius Pontificis, ſibique adhærentium aliorum etiam clericorum, militum, famulorum, & civium fere millium, ad hoc ſpecialiter congregatorum. Qua conſpiratione maledicta tradita & corrupta, tantus jubilus & exultatio à clero & populo fuit quod exprimi vix poſſet lingua humana. Nam oves perditæ ſunt inventæ, & filii prodigi, ſubſtantiam fidei ſuæ diſſipantes, ad patrem & paſtorem ſunt recepti. Quid plura? non longe poſt idem Pontifex, cum civitatem ſuam Halberſtad, de qua, ut dictum eſt, per murum cum pudore fugatus eſt, intrare proponeret, vocatis ad ſe duobus fratribus ſuis, Magno & Erneſto, & duobus patruis ſuis, Johanne & Wilhelmo, Ducibus de Brunſwick, aliiſque Prælatis, Canonicis, clericis, nobilibus, miniſterialibus, militibus, famulis & populo innumerabili ad prædictam iter arripuit civitatem. Totus clerus cum fratribus, qui contra ipſum conſpiraverant, una cum aliis ipſi Pontifici adhærentibus, cum proceſſione ſolemni, vexillis præparatis, & campanis glorioſe pulſatis, civibus & univerſis ſibi obviam occurrebant, & eidem tanquam domino ſuo honorem & reverentiam debitam cum muneribus exhibuerunt. Et Conſules civitatis una cum civibus in cœmiterio S. Martini congregati, ſibi juramentum fidelitatis de novo præſtiterunt, ſub hac forma, ad Orientem ſe vertentes, dextra manu cum digitis elevatis: Dat we uſeme Heren/ Biſchoppe Albrecht van Halverſtad/ de hier tho jegenwerdig iſ/ alſo truwe/ und alſo hold ſin willen/ als Borgere to rechte ſchullen ohreme Heren/ unde ſcholten ohme behulpen weſen/ unde ſine Stad tho Halverſtad ohme holden/ tho allen ſinen Nutten unde Noden/ dat us God alſo helpe/ unde ſine Hilligen. Idem etiam Pontifex quaſi infra duos menſes immediate ſequentes, caſtrum & opidum Oſcherſleve pro tribus millibus & ſexcentis marcis Stendalienſis argenti obligatum redemit & Eccleſiæ recuperavit. Iſtis autem omnibus ſic laudabiliter peractis, Eccleſia Halberſtadenſis intus & extra ad tempus aliquod requievit. Et quia difficile eſt conſueta relinquere, juxta illud:

Quod nova teſta capit, jugiter inde ſapit:

Prædicti

Prædicti Comites Albertus & Bernhardus de Rhegenſtein, & Borchardus cum filiis ſuis de Mansfeld, à primævo ætatis ſuæ tempore, cujus contrarium in memoria non exiſtit, Halberſtadenſi Eccleſiæ ſemper infeſti, & bonorum, quæ tenuerunt & tenent Eccleſia, nimium ingrati, more conſueto mox matrem ſuam ſanctam Eccleſiam Halberſtadenſem iterato crudelius invadere cœperunt, ſagittiſque ardentibus & ignitis jaculis, tanquam noctu viri populatores, Eccleſiæ civitates, munitioneſque alias, quantum in eis fuit, graviſſime devaſtantes, moleſtiiſque variis & fere innumerabilibus moleſtando, viduas & advenas quamplurimos occiderunt: pupillas & orphanos non paucos fecerunt: clericos & religioſos captos in duris vinculis detinuerunt. Sic igitur perſecuti ſunt inopes & mendicos, ut de habitationibus ſuis ejecti, filii quamplures, prius abundantes, una cum parentibus cogerentur panem oſtiatim mendicare. Tali autem væ flebili non ceſſante, aliud væ priori flebilius ſupervenit. Domino enim Giſekoni de Holſatia, quondam proviſo per Dominum Joannem XXII. Papam de Eccleſia Halberſtadenſi, ut dictum eſt, de medio ſublato, qui ipſam Eccleſiam quaſi pro derelicto habebat (nam Dominum Albertum, Epiſcopum prædictum ipſam Eccleſiam poſſidentem per viginti annos, & amplius, poſt talem proviſionem, inquietare penitus non curavit, licet poſt vitam ipſius Domini Giſekonis ultra biennium, Domino Papa Clemente VI. non ignorante, ipſam Eccleſiam Halberſtadenſem pacifice tenuit & quiete) tandem ſeminatores zizaniæ Diaboli privigno Borchardo, de Mansveld comite, ab antiquo Eccleſiæ Halberſtadenſis æmulatore, procurante Dominus Clemens Papa VI. Alberto de Mansveld, ejusdem Borchardi filio, de Eccleſia Halberſtadenſi, ad preces Domini Caroli, regis Boëmiæ, in regnum Romanorum electi, providit. Quantus autem tum dolor cordis, & mentis anxietas de hac proviſione venit clero & populo, vix poteſt, immo non poteſt literis ſufficienter explicari. Quia non ſolum rerum, ſed etiam animarum periculum formidantes, quod veriſimile, ſicut experientia poſtea docuit, exinde potuit evenire. Sed Dominus pius & miſericors Eccleſiam Halberſtadenſem, ſic procelloſis fluctibus fluctuantem, gratioſe reſpexit, æmuloſque ſuis flagellis iracundiæ ſuæ monuit & correxit, ut ſic matrem ſuam ſanctam Eccleſiam Halberſtadenſem, à qua nequiter apoſtataverant, cujus etiam tunicam inconſutilem ſcindere nitebantur, recognoſcerent, & ad cor humiliter redirent. Comes enim Borchardus de Mansveld prædictus Dei judicio cæcitate perpetua eſt percuſſus: Boſſo ſuus primogenitus, tanquam plumbum, in aquis vehementibus eſt ſubmerſus: alius cervice fracta exſpiravit: alius lepra infectus vitam finivit: alius in quodam conflictu interfectus: alius in remotis partibus qua morte mortuus ignoratur. Sic igitur idem Comes Borchardus de Mansveld in ſe & in ſuis filiis divinæ ultionis vindictam virga ferrea, ut ſpe ſalvus fieret, graviter eſt afflictus. Bernhardus vero de Rhegenſtein cum multis militibus & famulis captus & quaſi per quatuor annos in vinculis detentus eſt. Eo autem in vinculis detento, Albertus frater ſuus de Rhegenſtein, Eccleſiæ ſævus, dolis & fraudibus ſemper inimicus & æmulus, publice & occulte in campo Tanſtede à perſonis humilibus & paucis, nutu divino ſuis famulis territis & in fugam converſis, ipſo tum comite ſolo relicto, eſt illico interfectus: cui ſucceſſerunt duo ejus filii, Olricus ſubdiaconus & Bernhardus laicus, qui percepta morte patris in Eccleſiam Halberſtadenſem & contra Dominum Albertum Halberſtadenſem Epiſcopum, tanquam leæna vel urſus raptis catulis ſævientes, verbis & factis contumelioſis, & opprobrioſis mendaciis, & fictis multis & variis famam ejus, quantum in ſe fuit, lacerantes, ſcribentes & narrantes, eundem Dominum Albertum fore reum & conſcium mortis patris ſui: quanquam idem Dominus Albertus coram Principibus, comitibus, nobilibus, militibus, & famulis & civibus purgare ſe canonicè paratum exhibuit: nec per eum ſtetit, quo minus venit hujusmodi purgatio ad effectum. Quod ultra idem Comes Borchardus de Mansveld malo malum cumulavit, & in profundum malorum deſcendit. Nam fidem verbaliter, manualiter, literaliter Domino Alberto Epiſcopo prædicto pro pace ſervanda præſtitam, temere violavit. Caſtrum quoque Gerſtorp pro ejusdem pacis obſervatione obligatum, per ſuum juramentum temerarium, immo falſum perjurium ſolvit. Finxit enim & pejeravit, eo quod filius ſuus eodem nomine, quo dictus Dominus Albertus Pontifex nominatus eſt, nominatur. Forma vero juramenti fuit hæc, tactis cor-

poraliter

poraliter ſacroſanctis Sanctorum reliquiis, quod ego omnia & ſingula fidetenus Domino Alberto de Brunſwick Epiſcopo, quem capitulum, clerus & populus pro Epiſcopo Halberſtadenſi teneret, & haberet, promiſſa fideliter & ſine fraude integraliter obſervavi: Sic me Deus adjuvet & ſui ſancti. Cujus tamen contrarium nobiles & ignobiles clamaverunt. Cum autem idem Borchardus de Mansveld cum ſuis ſequacibus & fautoribus in flagellis Domini eſt minus emendatus, neſciens, ſeu, ut verius dicitur, nolens greſſus ſuos dirigere in ſemitis juſtitiæ, nec ad cor reverti, & agere fructus pœnitentiæ dignos: & cum aliud non reſtaret, conſequens neceſſarium fuit, ut idem Pontifex ſuam & ſuæ Eccleſiæ injuriam, ipſiusque Comitis & ſuorum ſequacium malitiam ulterius nullatenus ſuſtineret, volens potius pro populo ſuo viriliter bella gerere ſtudio pacis, quam mala gentis ſuæ videre: ut pravi coërcerentur, & boni in pace quieſcerent, & cederent. Memoratus igitur Pontifex, fortis in adverſis, cum ſuis & Eccleſiæ militibus, famulis & civibus caſtrum Lowenberg expugnavit, & non longe poſt in monte Zevekenberg novum caſtrum erexit: procedenteque tempore caſtrum Crottorp, quod fere inexpugnabile videbatur, copioſa multitudine equitum & peditum undique circumvallavit & potenter expugnavit, gratias Deo agendo & meritis beati Stephani protomartyris glorioſi, anno Domini MCCCXLIX. Nec eſt ſilentio tranſeundum, quod idem Pontifex Dominus Albertus viginti vicibus & ultra, ut creditur, ſolemnes expeditiones habuit tempore ſui regiminis innumerabili & copioſa multitudine equitum & peditum, in armorum neceſſariis expeditorum publice expanſis tentoriis, vexillis erectis, variis & diverſis inſtrumentis bellicis præparatis, caſtra inimicorum ſuorum circumvallavit, terraſque ipſorum incendiis, deprædationibus potenter devaſtando. Primam autem expeditionem habuit ante caſtrum Guntekenberg: ſecundam ante Emerſleve: tertiam ante Guterſleve: quartam ante Wevelinge: quintam ante Heimborg: ſextam ante Dernborg: ſeptimam in Valckenſtein: octavam ante Dal: nonam ante Lowenberg: decimam ante Gerſtorp: undecimam ante Nunnenborg, juxta Quedelingenborg: duodecimam in ædificatione novi caſtri Zevekenborg: tredecimam in ædificatione Heſnem: quartamdecimam in Warmſtorp: quintamdecimam ante Groningen: ſedecimam ante Genſevorde: decimam ſeptimam ante Quervorde: decimam octavam in terra Comitis de Mansveld: decimam nonam iterum ante Derneborg: viceſimam ante Crottorp caſtrum.

Explicit Narratio.

HENRICVS MEIBOMIVS Junior

Lectori S.

Anonymi hujus *Narrationem de Alberto Epiſcopo Halberſtadenſi XIX.* ſtatim ſubjungere *Chronico Magdeburgenſi* volui, quoniam in eo pag. 337. etiam Epiſcopi illius mentio fit, paucis quidem verbis, ſed quæ egregiè nonnulla ex-

ponant. Nunquam ante hac lucem vidit, & eſt deſcripta ex Codice membranaceo, continente Chronicon Halberſtadenſe. *Guillielmus Budæus*, rerum Saxonicarum peritiſſimus vir, & antiquorum monumentorum indagator ſolertiſſimus, non tantum *Chronicon* illud *Magdeburgenſe*, modo à me editum, (ceu patet ex iis, quæ in *vita Alberti Epiſcopi* pag. 38. & 39. ex eo allegat, quæque in mea editione pag. 338. comparent) ſed etiam hanc Narrationem habuit, & ſub nomine *Annalium Patriorum* allegat, jamque olim iis *Johannem Winnigſtedium* Monachum Auguſtinianum cœnobii S. Johannis ante urbem Halberſtadium & dein Paſtorem Quedlinburgenſem ad D. Blaſii, in contexendo Epiſcoporum Halberſtadenſium catalogo, quamvis minus dextrè, uſum notat. Auctor ignoratur: qui tamen ſine dubio monachus aut clericus Halberſtadii fuit, & quidem coævus, quique res, quas ſcire potuit & ſcivit, bona fide poſteris tradere voluit. Ita enim in fine ejus verba habent, uti quidem ex ſuo exemplari, in fine pleniore, ea adduxit *Budæus*: *Hæc facta & conſcripta ſunt tempore, quo præſedit Dominus Albertus Halberſtadenſis Epiſcopus ſæpe dictus ab annis Domini MCCCCXXIV. usque ad annum MCCCXCIX. Futura vero notabilia contingentia deinceps qui ſupervixerit conſcribat, ſi cujus placuerit voluntati.* Plurimum autem, huic narrationi tribuit *Budæus in vita Alberti* hujus, cujus partem primam magna hiſtoriæ peritia conſcriptam anno hujus ſeculi *24.* Germanico ſermone publicavit, exque iis *Cyriaci Spangenbergii*, aliorumque errores graves manifeſtavit. Quo autem majus pretium illi ſtatuitur à *Budæo*, qui paſſim particulas quasdam ex ea adducit, eò magis harum rerum curioſis gratum fore arbitratus ſum, ſi totam & integram ederem. Cum autem *Budæi* libellus memoratus quaſi perpetuus quidam commentarius ſit in hanc Narrationem, & notationem temporis, ab auctore non obſervatam, accurate ſuppleat, illum Lectori commendo, nec notas adjicio, ne illius optimi viri cedere vineta videar. Unum tamen præterire non poſſum, *Auctor Narrationis*, ubi Epiſcopi Alberti ſolemnem in urbem reditum deſcribit, addit, *eum vocaſſe ad ſe duos fratres ſuos Magnum & Erneſtum*

Erneſtum , & *duos patruos ſuos Johanem* & *Wilhelmum* , *Duces de Brunſwick* , quorum prius rectè ſe habet , cum *Magnus* & *Erneſtus* , non ſecus ac *Albertus* Epiſcopus , filii *Alberti Pinguis* fuerint. De *Johanne* tamen , & *Wilhelmo* , qui patrui vocantur , merentur legi verba *Budæi* pag. 164. *Johannes vocatur patruus* , *cum tamen non niſi ex fratre Magno nepos ipſius fuerit* , *Magni Torquati frater* , *poſtea Major Præpoſitus Halberſtadii. Wilhelmus patruus ibidem dicitur pro more iſtius ſeculi* , *cum ſaltem ipſius patruelis fuerit* , *Ottonis Strenui Ducis Luneburgenſis filius.* Quæ poſteriora de *Wilhelmo* recte notat , cum *Wilhelmus* , patruus ejus , *Abertus Pinguis* frater a. 1292. obierit , hic introitus vero in annum circiter 1339. incidat , quo non alius *Wilhelmus* inter Brunſvicenſes Duces fuit. De *Johanne* tamen dubites , quis ille fuerit , qui Albertum in urbem introeuntem comitatus. Si Genealogicos ſcriptores conſulas , tantum non omnes , tunc *Johannem* , *à Budæo* memoratum , ignorant, & tantum *Ludovicum* , *Ottonem* qui in Italia obierit , & *Albertum* Archi-Epiſcopum Bremenſem *Magni Torquati* fratres faciunt. Solus *Henningeſius* in ſuis tabulis Genealogicis addit *Johannem* , Archi-Epiſcopum Magdeburgicum : ſed fatetur , eum in catalogo eorum non reperiri , uti etiam à nemine memorâri obſervavi. Quoniam tamen *Budæus* , tabularum antiquarum , in Archivis præprimis Halberſtadenſibus , diligentiſſimus indagator , addit , eum deinde Præpoſitum Majorem Halberſtadii fuiſſe , credibile eſt , eum *Johannem* aliquem , ex Brunſvicenſium Ducum familia , inter Præpoſitos majores inveniſſe : qui , ſi non fuit *Magni Torquati* frater , potuit eſſe *Henrici Mirabilis* filius , etiam *Johannes* dictus , alias Præpoſitus Eimbeccenſis & forte ille ipſe hunc reditum in urbem Alberti illuſtriorem reddidit , cum eodem tempore vixerit patruelis Epiſcopi. Tu, Lector; ſequentem Tabulam Genealogiacam, in quâ nomina eorum, de quibus agitur, aliis litteris expreſſa inſpice, judica , & Vale.

Otto
primus Dux Br. & Lyn.

Johannes				Albertus Magnus
Otto Strenuus	Henricus Mirabilis		Albertus Pinguis	
Wilhelmus	*Johannes.* Præpoſ.Eim-beccenſis	*Erneſtus*,	*Albertus* Epiſc.Hal-berſtad.	*Magnus* Pius
Ludovicus	Otto	*Johannes* Henningeſii & Budæi.	Magnus Torquatꝰ	Albertus

ALBER-

ALBERTI CRUMME-
DYCKII,
Epiſcopi Lubecenſis,
CHRONICA
Epiſcoporum Lubecenſium:
Et
CONTINUATIO CHRONICÆ,
ANONYMI.

Digitized by Google

ANONYMI
In Chronicam Alberti Epiſcopi Lubecenſis
PRÆFATIO.

AMabilem nobilis ſcientiæ theſaurum, cujus reſpectu lapides pretioſi vileſcunt, cujus comparatione aurum contritum exiguæ arenæ, ac argentum luto ſimilatur, quanquam omnes per inſtitutum naturæ deſiderant, præſertim tamen altis animis plura ſciendi cupido radicitus innata eſt: animaque omnis quanto nobilior, tanto plus ſuper omnem rem pretioſam ditari cupit noticia rerum memoria dignarum. Quæ quidem noticia, cum veriſſime lateat in Chronicis aliisque antiquarum hiſtoriarum codicibus, in quibus majores noſtri illam pro poſteris ſepelierunt, ipſæ revera Chronicæ, hiſtoriarumqve ſcripturæ dici poſſunt precioſiſſimæ illæ aurifodinæ, ad quos Sapiens filium ſuum mittit, ut inde theſauros effodiat, Proverb. cap. 2. Et vero ad effodiendum & hauriendum ex eis ſepultos inibi divitiarum plurimarum theſauros, pro humana ditanda neceſſitudine quomodolibet oportunos. Eſt enim hiſtoriarum lectio modernorum morum ex veterum geſtis moderatrix, quæ frequenter virtutis & pacis divitias gignere conſuevit, quam & aliarum facultatum copia multiplex ſubſequi ſolet. Patefactis quippe priſcorum virtuoſis & recolendæ memoriæ actibus, Moderni certe ruditate nativa depoſita, cultis ingeniis, vitiorum ſurculis prius coëffoſſis radicitus, ad apices anhelant virtutum, attendentes qvod

ſola

ſola poſt funera virtus nomen inextinctum habet, & quod ipſa ſola & viventi & mortuo firma eſt & ſtabilis poſſeſſio. Intellectis quoque ex Chronicarum lectione calamitatibus, quæ ex bellorum fomite veteribus accidere, fiunt plerumque patriæ & Principes pacis cupidi, gladios transferentes in vomerum cultros: & juxta fortunam priſcorum quisque cogitat infelicem pauperiem, quæ ſuis temporibus accidere poſſit, divitiis, quas virtus & pax pariunt, prævenire; ſtudentque nanciſſi, quæ has ſubſequi ſolent, facultatum opes felices. Hujuscemodi itaque pretioſiſſimi theſauri in Chronicis aliisque hiſtoriis, ut præmittitur, latentis fodinæ puteum reverendus in Chriſto pater & Dominus, Dominus Albertus militari ſtirpe Crummedyck in Holzacia ortus, ſanctæque Lubicenſis Eccleſiæ Pontifex XXIII. pro haurire volentibus inobſtructum ac patentem ſervare deſiderans, animi nobilitate provocatus, diligenter recollegit diverſas veterum Chronicarum ſcripturas ab olim in camera Epiſcopali disjectas atque diſperſas, addiditque & hic in unum pro ſe ac ſucceſſoribus redegit volumen ordine infra ſcripto ſub anno MCCCCLXXVI. Domini Jheſu Chriſti, Dei & hominis, noſtri ſalvatoris; qui tantum Pontificem pro Operis ſaga hujusmodi in ætheriis manſionibus ditare dignetur theſauro, quem, ut ait, nec tinea nec ærugo demolitur, Amen.

CHRO-

CHRONICA EPISCOPORVM LUBECENSIUM.

EXpedit nonnunquam, immò ſæpius, & profuit antiquorum actus utiles & laudabilia ac memoranda geſta utiliter conſcribere, ut poſteri eorum, ea legentes, ad vivaciora gerenda ſtudia, illorum exemplis permoti efficacius excitentur, & ea quæ illi diris nonnunquam fatigiis ac laboribus acquiſierunt, nè damnosè pereant, virtuosè defendant, tueantur & conſervent: cum teſtante Poëta:

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

Et etiam ut Deum eò fidelius exorent pro ſalute ipſorum, quorum ingeniis, ſudoribus & diligentia bona, quibus vivere habeant & ſtatum ſuum gloriosè tenere, feliciter conſervata & nonnunquam reperiant augmentata ac notabiliter meliorata. Hinc eſt quod præſens hiſtoria, ſive parva Chronica, de actibus & geſtis Pontificum Aldenburgenſium & Lubecenſium, pro digna præteritorum memoria, prout ex Chronicis variis, & regiſtro menſæ Epiſcopalis Lubecenſis, limpidius haberi potuit, ſub compendio quodam brevi, fideliter eſt conſcripta, & usque ad tempus venerabilis Patris, Domini Arnoldi, præfatæ Eccleſiæ Epiſcopi, exactè continuata. In laudem & gloriam Dei & Patronorum Eccleſiæ ejusdem, antiquorum memoriam & utilitatem & profectum præſentium ac futurorum.

Eo tempore quo magnus *Otto*, primus hujus nominis Imperator imperii gubernacula potenter ac magnifice feliciterq; rexit: poſtquam civitatem Magdeburgenſem condidit, quam Slavis per eum ſubjectis metropolim ſtatuit, ei quinque Eccleſias ſuffraganeas ſubjiciens: animadvertens civitatem *Aldenborch* in terra Wagirorum ſitam (in terminis Slaviæ illius plagæ, quæ modo Holtzatia vocatur, quæ & Slavica lingua *Starigarde*, id eſt, antiqua civitas nuncupabatur, & quoniam fortiſſimis incolebatur viris, in qua & Regulos quoque reſediſſe, qui latè dominio potiti fuerunt, ſcripturæ antiquæ memoria) pro Epiſcopali ſede aptam, inſtituit ibidem Eccleſiam Cathedralem: ſubjiciens ei omnem provinciam Obotritorum, à terminis Holtzatorum usque ad flumen Peenam & urbem Demmyn ac civitatem Sleswig, ubi nondum erat Epiſcopus: Conſtruens ibidem in *Aldenborg* Eccleſiam in commemorationem S. Johannis Baptiſtæ, dans ei Pontificem primum *Markonem*.

Poſt hunc ſucceſſit *Egwardus*, Epiſcopus ſecundus Aldenborgenſis, qui à S. Adaldago, qui primus poſt converſionem regni ad fidem, ordinavit Epiſcopos in Dacia, eſt ordinatus. Sub quo Egwardo Slavorum provinciæ Eccleſiis, ſacerdotibus & monachis repletæ ſunt: qui & plurimos Slavos ad fidem Chriſti convertit.

Poſt hunc tertius ſucceſſit *Wago*, vir totus religioſus, hic ſumma proſperitate inter Slavos degens, dedit ſororem ſuam forma elegantem & facie pulcherrimam Regulo Obotritorum Billug poſt preces irrefragabiles; cui & magnam dedit partem decimarum Eccleſiæ, ſed poſtea dolosè bona Eccleſiæ invaſit, ſorore dicti Epiſcopi turpiter repudiata.

Poſt quem quartus ſucceſſit Epiſcopus *Ezico*, vir venerabilis valdè & devotus. Hujus tempore Slavia à fide receſſit, & in Eccleſia Aldenburgenſi LX. presbyteri ceterarum pecudum more obtruncati, taliter martyrio conſummati ſunt, ut cute capi-

tis in modum crucis inciſa, ferro cerebrum ſingulis aperiretur. Deinde ligatis poſt tergum manibus per ſingulas civitates Slavorum tracti ſunt, usque dum cum magno cruciatu lamentabiliter deficerent. Tanti denique in Slavia habebantur martyres tunc temporis, ut vix libro comprehendi poſſent.

Poſt hunc quintus ſucceſſit *Volgwardus*, vir magnæ perfectionis. Hic perſecutionis tempore, à Slavis ab Eccleſia ſua pulſus, abiit in Norwegiam, ubi multum populum Domino lucratus eſt, & tandem cum gaudio reverſus eſt in ſedem ſuam.

Poſt hunc ſextus, *Reimbertus*.

Septimus, *Benno*, homo prudens & magnæ induſtriæ. Hic reordinavit reditus Eccleſiæ Aldenburgenſi pro ſubſidio ſuſtentationis fratrum annuatim per Ottonem primum aſſignatos. Illis quoque temporibus, qui nunc Canonici dicuntur, pro tunc fratres in omnibus Eccleſiis cathedralibus Saxonum & Slavorum nuncupabantur, ſecundum Helmoldum. Sed cum iſte Benno propter tyrannidem Principis Chriſtianorum ſecularis, populum Slavorum ad fidem noviter reverſum nimium penſionibus vectigalium gravantis, reperit Slavos nec Dei memores, nec ad ſacerdotes benivolos: videns ſe circa populum caſſo labore fatigari, cum non inveniret ubi requieſceret pes ejus, pervenit ad Hildenſemenſem præſulem Berwardum, aperiens ei anguſtias ſuas, ac quærens in tribulatione conſolationem, ab eo humaniter recollectus, cum dedicaret eo tempore Eccleſiam monaſterii S. Michaëlis in Hildenſem, quod Berwardus Epiſcopus noviter fundaverat, à populo Benno Epiſcopus compreſſus & attritus, poſt paucos dies vita functus eſt: in aquilonari ejusdem Eccleſiæ parte honeſtam recipiens ſepulturam.

Poſt hunc octavus ſucceſſit *Meignerus*.

Nonus *Abelinus*.

Decimus *Ezo*. Tempore hujus Ezonis anno Domini M. LI. Eccleſia Aldenburgenſis diviſa eſt in tres Epiſcopatus, per magnum Albertum, Hamburgenſem Archiepiſcopum fungentem Archiepiſcopi & etiam legationis Apoſtolicæ miniſterio. Statuit ille de peregrinis Epiſcopis *Johannem* in Meklenborg, *Ariſtonem* in Ratzeborg, & in Eccleſia Aldenborgenſi jam erat *Ezo*. Sub iſto etiam Ezone Slavi facta conſpiratione iterum relapſi à fide, presbyteros & Chriſtianos lapidabant & mactabant anno Domini M. LXVI. Hoc tempore *Johannes* Epiſcopus Mekelenborgenſis, homo ſenex, truncatus manibus & pedibus in platea projectus eſt, & caput ejus Slavi Deo ſuo Radegaſt immolaverunt.

Poſt mortem hujus Ezonis ſedes Aldenborgenſis vacavit annis LXXXIV.

Anno Domini M. C. LIII. videns Hartwicus Archiepiſcopus Hamborgenſis, quod pax firmabatur in Slavia, incepit reædificare ſedes Epiſcopales, reſtaurans Eccleſiam Aldenborgenſem, venerabilem ſacerdotem *Vicelinum* de Mindenſi parochia oriundum in villa Querenhamele (qui veniens de Francia per Archiepiſcopum Magdeburgenſem presbyter ordinatus, in Lubeke tempore Henrici reguli verbum Dei ſeminavit, cui Archiepiſcopus Hamburgenſis commiſit Eccleſiam Falderenſem, & ad ejus prædicationem plures ad fidem converſi ſunt) Aldenborgenſi ſedi conſecravit Epiſcopum undecimum, cum jam eſſet provectæ ætatis & manſiſſet in terris Holtzatorum annis triginta. Miſſusque eſt in terram famis & egeſtatis, ubi erat ſedes Sathanæ & habitatio omnis ſpiritus immundi. Factaque ſunt hæc Duce Henrico Leone & Comite Adolpho inconſultis. Unde accidit ut amicitia quæ erat inter Epiſcopum & Comitem, qui eum antea ut patrem venerabatur, deinceps rumperetur. Nam tulit omnes decimas pontifici de jure debitas. Et accipiens poſtea Epiſcopatum per virgam de manu Ducis Henrici Leonis, faciens quod neceſſitas imperavit, ſtatim recepit à Duce villam Buzu, cum ſuis attinentiis, cum promiſſione de majoribus, conſentiente Comite Adolpho Holtzatiæ, qui etiam decimas reſtituit eidem. Vicelinus autem incepit incolere villam Buzu & habitavit primo ſub fago, quousque conſtrueret caſas in quibus poſſet conſiſtere, habuitque initia debilia, cum Comes, qui aliis optimus fuit, Epiſcopo ſoli fuerit mediocriter bonus. Hic Vicelinus ſæpius præſagiebat cultum domus Dei in brevi ſublimem futurum. Remiſit quoque eo tempore Comes Holtzatiæ Duci trecentos manſos, de beneficio ſuo, qui oblati ſunt per manus Ducis Vicelino Epiſcopo in dotem Eccleſiæ Aldenborgenſis, cum certis largis privilegiis

legiis, ſuper iisdem manſis per Ducem conceſſis. Tandem Vicelinus in Faldera paralyſi tactus eſt: manus, pes & totum denique latus dextrum exaruerunt & tandem plenus virtutibus obiit in Chriſto, ſepultus eſt in Falderenſi Eccleſia & fecit miracula poſt mortem. Sedit in Epiſcopatu annos V. hebdomadas IX.

Poſt tranſitum Vicelini, anno Domini M. C. LVIII. ad inſtigationem Duciſſæ, Henrico Leone Duce in remotis agente, ſacerdos quidam, *Geroldus* nomine, de Suevia natus, Capellanus Ducis, ſcientia divinarum ſcripturarum adeo imbutus, ut neminem in Saxonia videretur habere parem, in Epiſcopum Aldenburgenſem duodecimum à Clero eſt electus: Archiepiſcopo Bremenſi eum confirmare recuſante, per Henrici Ducis promotionem, cum quo ad Italiam tempore coronationis Friderici primi iter arripuit, per Papam Adrianum confirmatus & gratanter conſecratus. Hic poſtquam in ſanctuario Aldenburgenſi parvo, unum tantum altare habente, per Vicelinum ædificato, expleſſet myſteria ſacra, Lubick tranſiens in foro publico Dei verbum prædicavit & gentem ibidem convertit. Cumque ad dicti Geroldi inſtigationem Dux Henricus Leo Adolphum Comitem conveniſſet, ac cum eo de trecentis manſis, Eccleſiæ Aldenburgenſi in dotem aſſignatis, rationem habuiſſet, deſignavit Comes Epiſcopo in poſſeſſionem *Utbin*, Gamal, cum appendiciis eorum. Inſuper prædio Buzu villas Desveld & Wobeſe in complementum adjecit. Sed habita inquiſitione prædia hæc cum omnibus aſſignatis vix centum manſos continebant. Quamobrem menſurare fecit Comes terram funiculo brevi, paludesque & nemora menſus eſt, maximum agrorum numerum conſtituens. Sed Duce terram menſurari deberejuxta patriæ morem, nec nemora nec paludes menſurandas, decernente, non poterant trecenti manſi reperiri. Hic Geroldus Archiepiſcopum Bremenſem adiens, cum plurima ſibi obſequia benivolè impendiſſet, pro reſtitutione Faldarenſis monaſterii, quod ſuus anteceſſor Vicelinus fundaſſe & poſſediſſe dinoſcitur, exactiſſimè inſtabat. Sed Archiepiſcopus in ſuæ Eccleſiæ partem pronior, callidis ſponſionibus Epiſcopum Geroldum vacuum abire permiſit. Geroldus verò ædificavit civitatem & forum Uthin, domum ſibi ibidem & manſionem ſtatuens.

Circa idem tempus *Geroldus* Epiſcopus, anno Epiſcopatus ſui quarto videns urbem Lubicenſem notabiliter in divitiis creſcere & Aldenburgenſem civitatem, propter paganorum continuum incurſum, peccatis forſan exigentibus, miro modo depauperari & decreſcere, ſuis obtinuit precibus à Duce Henrico Leone, ut ſedes cathedralis in Lubeke transferretur, eo quod eſſet locus populoſior & munitior & omnì prorſus aptitudine commodior. Deſignavit quoque Dux locum pro oratorio conſtruendo & conſtituit illic præbendas duodecim pro clericis & tertiam decimam præpoſito aſſignavit: ac areas pro curiis deputavit, aſſignans etiam redtus & decimas & certas villas in ſtipendia fratrum ibidem Deo ſervientium. Epiſcopus verò Geroldus conceſſit eisdem fratribus *Eccleſiam forenſem beatæ virginis* cum omnibus ſuis emolumentis & cum omnibus oblationibus totius civitatis in ſtipendii perpetui augmentum. Anno Domini M. C. LXII. præfatus Dominus Geroldus Aldenburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus duodecimus, Eccleſiæ verò Lubicenſis primus, ſacramentis ſalutaribus communitus, illuceſcente die carnis ſarcinam depoſuit, ſepultusque eſt in medio Baſilicæ Lubicenſis quam ipſe fundaverat, & hodie ad novum Chorum translatus ſub parvo quieſcens lapide blavio, ſtatim infra cancellas. Sedit annis quatuor.

Conradus Geroldi primi Epiſcopi Lubicenſis germanus, Abbas in Riddageshuſen ſucceſſit fratri in ſedem Epiſcopatus, quem eis dedit in Præſulem Dux Henricus Leo, licet Hartwico Bremenſi Archiepiſcopo & omnibus pene Lubicenſibus eſſet contrarium. Sed voluntas Ducis prævaluit, cui eo tempore refragari formiduloſum erat. Conſecratus quoq; eſt per manus Hartwici Archiepiſcopi Bremenſis in urbe Stadenſi. Hic literatura, facundia, largitate & affabilitate pollebat. Clero tamen ſuo ſeveritate quadam abuſus eſt in principio extraneos diligens ſed ſuos faſtidiens. Sed poſtea in alterum virum mutatus eſt. Multis enim adverſitatibus à Duce Henrico, Epiſcopatum ab eo per virgam recipere renuens, paſſis, clero ſuo compati didicit. Iſte Conradus *Eccleſiam B. Petri* in Lubick cum offertorio & omnibus emolumentis Canonicis perpetuè conceſſit. Hic exiſtens in via peregrinationis ad terram ſanctam

cum Duce Henrico in civitatem Surs quæ aliàs Tyrus dicitur, ſpiritum Deo reddidit. Sedit annis ſex.

Henricus abbas ad S. Ægidium in Brunſwig, ordinis S. Benedicti à Capitulo eligitur in Epiſcopum. Ab Epiſcopis verò Havelbergenſi, Ratzeburgenſi & Suerinenſi in præſentia Ducis conſecratur, anno M. C. LXVIII. Hic vir magnæ ſcientiæ & ſanctitatis ac facundiſſimus, de Brabantia oriundus, primo erat Rector Scholarum in Brunſwig, poſtea abbas, demum in Lubicke in Epiſcopum eſt electus. Hic cum Duce Henrico, una cum anteceſſore ſuo Conrado in peregrinatione ad terram ſanctam conſtitutus, in menſa Regis Græcorum, quæſtione de proceſſione Spiritus Sancti in medium propoſita, cum Græcis diſputans, evidentiſſimis eis oſtendit rationibus, Spiritum Sanctum à patre & filio procedere: etiam Doctorum Græcorum Anaſtaſii & S. Cyrilli & aliorum auctoritatibus illud firmans, ac cunctis eorum reſpondens rationibus in præſentia Regis Græcorum & Ducis Henrici Leonis. Et magnificatus eſt in conſpectu Regis, Principum & Pontificum laudantium doctrinam ejus. Hujus tempore Dux Henricus ædificare cepit *Eccleſiam Lubicenſem*, quæ modo eſt, in honorem *SS. Johannis Baptiſtæ & Nicolai*, & cum dicto Epiſcopo primum lapidem poſuit. Iſte Henricus Epiſcopus fundavit *monaſterium S. Johannis Evangeliſtæ* & poſuit in eo monachos ordinis S. Benedicti, qui hodie tranſlati ſunt ad *Ciſner*, certas decimationes & villas in dotem eis conferens. Per medium hujus Henrici Epiſcopi Imp. Fridericus I. cum concluſiſſet civitatem Lubicenſem obſidione fortiſſima, ab impugnatione ceſſavit, donec cives conſulentes Ducem, ejus conſenſu Cæſari homagium præſtiterunt. Huic crebris vexato febribus Imp. Fridericus I. proprium ſuum miſit Phyſicum ad civitatem, ut remediis oportunis ei ſubveniret. Sed in ea infirmitate mortuus tumulatus eſt in choro monaſterii S. Johannis per eum fundati. Sedit annis quindecim.

Conradus ſecundus, vir literatus & facundus in multis Eccleſiis beneficiatus, ſede Eccleſiæ Lubicenſis vacante ad petitionem Capituli per Imp. Fridericum I. cujus fuit Cancellarius, datus eſt in Epiſcopum & ſibi per eum de Eccleſia proviſum, anno Domini M. C. LXXXIII. Iſte Conradus, licet per Archiepiſcopum Bremenſem confirmatus, nunquam tamen fuit in Epiſcopum conſecratus. Hic dum ad regendum accederet & Adolphum Comitem ſuper Advocatia Uthinenſi & aliis multis ſibi adverſari cerneret, ſuis diſpoſitis rebus cum argento & ſupellectili & equis optimis, quos hinc inde extorſerat, abiit ad Sigfridum Archiepiſcopum Bremenſem, cui curam, quam ab eo receperat, reſignavit, & clero Lubicenſi ſe minimè reverſurum reſcripſit.

Theodoricus Præpoſitus in Zegeberge, vir juſtus, pius & manſuetus, in Epiſcopum Lubicenſem; Hartwico Archiepiſcopo Bremenſi ſe electioni immiſcente, & Capitulum Lubicenſe uſque in Hamburg citante, pari voto & conſenſu Archiepiſcopi & Capituli, Eccleſia paſtore ſuo orbata, in Epiſcopum aſſumtus eſt anno Domini M. C. LXXXVIII. Qui cum abſens eſſet, intimata ſibi electione omnibus modis contradixit & conſentire renuit. Ad exhortationem tamen Archiepiſcopi & Comitis Adolphi, non ſine lacrymis conſenſum præbuit, victus tandem recipiens inveſtituram de manu Friderici Imp. de Italia redeuntis. Iſte, cum Dominus de Mekelenborch, deficientibus Slavis in inſula Pole, Teutonicos colonos colligeret, ac illos Teutonicos, ne decimam debitam Epiſcopo ſolverent, pertinaciter defenſaret, conſiderans ſutum non eſſe cum eo, qui haberet ſociam multitudinem, contendere, cedendo potius in parte, ut reliquam partem in pace obtineret, de conſilio Epiſcopi Suerinenſis & Capituli ſui, decimarum medietatem dicto Principi in feudum conceſſit, ut de altera medietate juſtam decimam expeditè ipſum habere efficeret. Sedit annis XXIII.

Bertoldus per Capitulum Lubicenſe in ſedem Eccleſiæ eſt electus anno M. CC. XI. Iſte Bertoldus ob certas commoditates reſignavit Burgenſibus Lubicenſibus habitationem, quam habebat Epiſcopus in Alde Lubeke, cum conſenſu Capituli ſui. Iſte inſtituit Camerarium perpetuum pro Canonicis ſuis, & ſibi reditibus perpetuis de cenſibus menſæ Epiſcopalis providit. Ædificavit etiam primum molendinum in curia Uthin. Sedit annis XXIV.

Johan-

Johannes, de Lubeke dictus, Eccleſiæ Lubicenſis Decanus, electus eſt in Epiſcopum anno Domini M. CC. XXXV. Qui mox poſt ſuam confirmationem dedicavit Eccleſiam monaſterii in Reinevelde, propè Lubeke ad duo miliaria ſituati. Iſte aſſignavit reditus perpetuos pro pane & vino in cæna Domini. Sedit annis XXII.

Albertus Archiepiſcopus Livonienſis, ſive Rigenſis, in Lubeke reſidens datus eſt in tutorem ſive miniſtrum Eccleſiæ Lubicenſis anno Domini M. CC. XLVII. qui ſedit per ſex integros annos, quibus vacavit Eccleſia Lubicenſis poſt mortem Domini Johannis de Lubeke. Anno ejus ſecundo orta eſt diſcordia gravis inter eum & Johannem & Gerardum Comites Holtzatiæ, ſuper decimis in terra Aldenburg. Nam Comites affirmabant ſe magnam decimarum in feudum tenere ab Eccleſia & ſimiliter vaſallis ſuis decimas certas in feudum contulerunt. Sed tandem poſt vanos tractatus, compoſitione interveniente, publicè fatebantur, ſe per totam terram Aldenburg nullas ab Eccleſia in feudo decimas tenere vel aliis concedere potuiſſe, exceptis duabus villis, ſcilicet utraque Brode, in quibus medietatem percipere conſueverunt. Inſuper ſolenniter concordarunt, ut de ſingulis manſis, cultis & incultis, & qui redigi ad culturam poſſint, à palude quæ Dolge dicitur, ipſa palude incluſa, uſque ad mare, decimæ quatuor modiorum puræ ſiliginis majoris menſuræ exſolvantur. Et dederunt Comites Eccleſiæ duos manſos in villa Suſſowe, cum omni jure & libertate: in quibus fecit Epiſcopus granarium magnum erigi, & ad illam villam omnes homines in curia Aldenborg ſuas decimas ſingulis annis expenſis propriis deducere debere Comites diſtrictè præcipiebant. Iſte emit medietatem molendini in Swartow, pro centum marcis, alia medietas jam fuit Eccleſiæ. Sed totum hodie eſt civitatis per viam emptionis. Dedit etiam centum marcas Henrico Godowen militi, pro liberatione certarum villarum, in quibus de facto jus ſibi eſſe dixit idem Dominus Henricus.

Frater Johannes de Deyſt, de ordine Minorum, de Brabantia oriundus tranſlatus eſt ad petitionem magni Principis, Dn. Wilhelmi, Regis Romanorum, cujus fuit Capellanus & Conſiliarius, per Papam Innocentium IV. à Sambienſi Eccleſia ad Eccleſiam Lubicenſem anno Domini M. CC. LIV. Iſte magnus erat Theologus & prædicator crucis generalis ſolennis & prudens Dominus. Hic reperit reditus menſæ Epiſcopalis & bona valdè diſſipata per Comites Holtzatiæ Gerhardum & Johannem fratres: & propter penuriam, quod non haberet, unde viveret, ceſſit ad integrum annum & ultra. Et reverſus conſecravit plures Eccleſias in Diœceſi & extra, ut mediantibus procurationibus ſuſtentari poſſet. Tandem conſiderans gentem pravam induratam & aſperam redemit vexationes bonorum Eccleſiæ octingentis marcis à Comitibus & militaribus, ut pacem cum eis haberet. Ita quoque relaxavit Comitibus ducentas marcas, & villam Flemingsdorpe reſignavit, & villam Lancken commutavit, ut liberaret colonos Eccleſiæ univerſos à Grevenſchat: & advocatiam in Uthin emit à Volrado de Lapide, & manſionem principalem advocati pro ſexcentis marcis. Iſte novam dignitatem, ſc. Cantoriam, in Eccleſia Lubicenſi inſtauravit, ſtatuens ut cunctis feſtivitatibus cum baculo argenteo, cum ſocio ſimiliter habente baculum ejuſdem formæ incedat, aſſignando ei certos reditus. Item libertavit oppidum Uthin cum jure Lubicenſi. Multa etiam privilegia utilia pro Eccleſia impetravit. Tandem rediens ad Regem Romanorum, obiit circa partes Rheni in Eſſendia & ſepultus in Nuiſia. Sedit annis VI.

Johannes de Tralowe, exiſtens Scholaſticus Eccleſiæ Lubicenſis, electus eſt concorditer à Capitulo in Epiſcopum, confirmatus in Stadio per Archiepiſcopum Bremenſem, anno Domini M. CC. LX. Uno quoque die ordinatus eſt in presbyterum in armario ſuperiori Eccleſiæ Lubicenſis, & ſequenti die conſecratus eſt in Epiſcopum apud fratres minores: quia Comites Holtzatiæ faciebant ei impedimentum, cum excommunicati eſſent. Iſte potenter ædificavit magnam domum lapideam in Uthin cum maximis ſumptibus & expenſis; occaſione cujus contraxit magna debita per ſucceſſorem ſuum poſtea ſucceſſivè ſoluta. Iſte emit ab Ottone de Plone judicia villarum Malente & certarum aliarum pro CC. & XXV. marcis. Sedit annis XVI.

Borchardus de Sercken, Cantor Lubicenſis, homo octuagenarius electus eſt in Epiſcopum per arbitrium anno Domini M. CC. LXXVI. Et licet plures non putabant

bant eum ad quinque vel ſex annos poſſe ſupervenire, ſedit tamen XLI. annis & prudenter rexit. Iſte primo anno ſui pontificatus, propter debita per anteceſſorem ſuum contracta, receſſit in Franciam & multam pecuniam ſucceſſivè pro anteceſſore ſuo ſolvit. Emit etiam villam Eggerdiſtorpe pro CCCXXX. marcis, & tertiam partem judicii colli in duodecim villis menſæ Epiſcopalis. Et tempore ſui regiminis Canonici Eccleſiæ Lubicenſis bis fuerunt expulſi, primò anno ejus quarto, ſecundò anno ejus viceſimo tertio. Et in ſecunda vice perſonaliter ivit ad curiam & ut murum ſe oppoſuit, ac quatuor annis continuis ibi conſtanter ſtetit, diſputando ac Eccleſiæ ſuæ jura defendendo, habens contra ſe, nedum Conſules Lubicenſes, ſed & prædicatorum & minorum ordines, multam ibi valdè pecuniam expendens in anguſtiis multis. Iſte novam dignitatem in Eccleſia ſua inſtituit, ſc. Cellerariam, de qua Canonicis penes præbendales ſingulis quartis feriis & ſabbatis per Cellerarium miniſtrantur pro qua aſſignavit ſingulis annis LX. meſas ſiliginis de decimis menſæ Epiſcopalis. Unde adhuc hodiè ſucceſſores ſui omni anno ſolvunt LX. marcas Lubicenſes. Iſte etiam ædificavit Capellam annexam domui magnæ lapideæ in Uthin, quæ tamen hodie diruta eſt, & major Capella & ſolennior per Epiſcopum Everhardum in locum ejus conſtructa. Iſte fundavit unam Vicariam in Eccleſia Lubicenſi ad altare S. Abundi, quæ tamen hodie ad aliud altare translata eſt. Hujus etiam auctoritate Eccleſia parochialis in Uthin in Eccleſiam Collegiatam eſt erecta, licet per alios ſit dotata. Iſte etiam ordinavit carceres tenendos per Decanum Lubicenſem, certos reditus aſſignando. Sedit annis XLI.

Henricus de Bockbolte. Iſte per Medicinæ artem multis quæſitis pecuniis electus fuit in Decanum, poſtea in Præpoſitum. Demum Anno Domini MCCCXVII. concorditer electus fuit in Epiſcopum Lubicenſem, oriundus de Lubeke majoribus civitatis, fuitque confirmatus à Capitulo Bremenſi, & de ejusdem Capituli mandato conſecratus, Archiepiſcopo Johanne in remotis agente, & tàm in confirmationis quam conſecrationis aſſecutione LX. marcas Lubicenſes expendit. Eodem verò anno in die Galli primam ſuam miſſam Epiſcopalem cantavit: In qua quidem ſolennitate ad MM. marcarum exburſavit. Iſte citatus fuit in ſecundo ſui regiminis anno ad Curiam Romanam perſonaliter per Archiepiſcopum Bremenſem ex eo, quia non ſua auctoritate & mandato, ſed ſui Capituli fuit confirmatus & conſecratus. Cum quo ibidem per ſeptennium litigavit, donec omnia per eundem Dominum Henricum attentata in officio Pontificali in ſpiritualibus & temporalibus per ſummum Pontificem eſſent approbata & ratificata. In qua lite ultra ſeptem millia florenorum expendit. Dictoq; Domino Henrico in curia exiſtente, Dominus Gerhardus Comes Holtzaciæ inſtinctu Diaboli, manu hoſtili curiam & opidum Uthin & alia bona Epiſcopalia tyrannicè invaſit, colonos captivando & exactionando, reditus & proventus Eccleſiæ aſportando &c. Pro quo exceſſu certis impetratis à ſede Apoſtolica judicibus, per cenſuram Eccleſiaſticam idem Comes compulſus, transtulit in Epiſcopum & ſuos ſucceſſores jure perpetuo centum marcarum reditus in certis bonis, jus patronatus Eccleſiæ in Lutkenborg & Plone & duarum præbendarum alternis vicibus, una in Eccleſia Lubicenſi & altera in Eccleſia Hamburgenſi, pro emendâ & ſatisfactione. Et cum hoc proſternebat ſe cum XL. militaribus ad pedes ejus, veniam poſtulans de commiſſis. Et terram ſuam ab eo recepit in feudum & homagium ei præſtitit, ſicut progenitores ſui facere conſueverunt. Et in hac lite expendit ad M. CC. marcas Lubicenſes. Et reverſus de curia remiſit idem pontifex pro ſervitiis cameræ Domini Papæ M. CCC. florenos. Invento quoque quodam Wilhelmo Craacht, pro Decano ſe gerente, propter certa ſua crimina & defectus, eum per privationis ſententiam à Decanatu & præbenda amovit & aliis perſonis de eisdem providit. Iſte redemit LXXX. marcarum reditus pro M. marcis puri argenti à Domino Wolff de Kuten milite & XX. menſas ſiliginis pro CVI. marcis à quadam civiſſa. Et villam Putekendorpe redemit pro LX. marcis. Iſte reperiens opus Chori Eccleſiæ majoris ante LX. annos inceptum, penè absque ſpe conſummationis, dictum opus complevit & cum ambone, ſedibus, feneſtris & aliis neceſſariis aptavit. In quo opere ultra bis mille & CCCC. marcas Lubicenſes expendit. Et etiam in curia Epiſcopali in Lubike domum magnam ædificavit de novo & in Eccleſia Lubicenſi unam præbendam incorporatam & duas diſtinctas

& ſex Vicarias dotavit & fundavit. Iſte etiam dedit pro menſa Epiſcopali villas Biſſowe pro M. marcis, Seretze pro DCCCL. & XXIII. ſol. comparatas, exceptis XCIV. marcarum reditibus ad duas præbendas diſtinctas præfatas & pro Decano in villa Stove aſſignatis. Item villam Grote Parin / pro M.CCC. XXV. marcis cum proprietate emit. Item legavit in teſtamento ſucceſſori ſuo M. marcas. Sepultusque eſt in medio Chori novi per eum conſtructi, ſub imagine Epiſcopali elevata, de aurichalco fuſa. Sedit annis XXIII.

Johannes Muel Scholaſticus eccleſiæ Lubicenſis electus eſt à Capitulo concorditer Anno Domini MCCCXLI. conſecratus ab Epiſcopis Bremenſi, Sverinenſi & Ratzeburgenſi & eodem die conſecrationis dedicavit Chorum novum per anteceſſorem ſuum conſtructum in honorem patronorum Eccleſiæ. Iſte primò curiam in Uthin munivit foſſa aquam circumferendo, de conſenſu Comitum Holtzatiæ. Iſte emit villam Dodowe cum ſilva & ſuis attinentiis pro M. CC. marcis. Ædificavit quoque in Eccleſia Lubicenſi majori capellam prope armarium: in qua una cum Epiſcopo Borchardo ſub lapide magno cum aurichalco tecto ſepultus eſt. Sedit annis IX.

Bertramus Cremon, electus eſt concorditer à Capitulo in Epiſcopum Anno Domini MCCCLI. Huic Domino Bertramo anno ejus primo quidam Stein ** gravem movit quæſtionem ſuper opido Oythin, fingens illud per parentes ſuos Eccleſiæ fuiſſe inpignoratum & tandem cauſſa poſita ad manus Henrici Comitis Holtzatiæ, idem Henricus opidum illud cum juribus ſuis eidem Epiſcopo adjudicavit, præſentibus & conſulentibus Alberto & Johanne Ducibus Magnopolenſibus in opido Roſtock, & pluribus aliis nobilibus & militaribus. Iſte dedit Sacriſtæ, pro uſu tamen ſucceſſorum ſuorum pretioſam infulam Epiſcopalem ad M. marcarum valorem taxatam, ea conditione, ut extra civitatem & Diœceſin Lubicenſem ſine licentia Capituli non deducatur nec impignoretur, nec alienetur. Dedit etiam eidem Sacriſtæ plura vaſa argentea, ſucceſſoribus ſuis uſufructum aſſignando. Iſte emit curiam Hoberſtorpe & villam Horneſtorpe pro DCCCC. marcis. Item emit villam Ratkowe & curiam Roberſtorpe, cum ſtagno & molendino, & curiam dictam Nigehoff in parochia Ratkowe pro M.CC. marcis Lubicenſibus pro pecunia recepta ex venditione villæ Prodenſtorpe ad menſam Epiſcopalem tunc ſpectante. Item emit curiam Rodeſant & molendinum Cremetze ipſi curiæ adjacens pro CC. marcis. Item villam Tochow pro CXL. marcis. Item emit villam Offendorpe: item villam Tymmendorpe pro CCC. marcis. Iſte vendidit villam Holm pro CCC. marcis. Item vendidit reditus XV. marcarum Lubicenſium Senatui in Lutkenborg pro CLXX. marcis. Gravavit etiam ſucceſſores ſuos in perpetuum MXL. marcis Lubicenſibus de bonis & villis per eum emptis pro certis memoriis & conſolationibus canonicis ſingulis annis ſolvendis. Sedit XXVII. annis.

Frater Nicolaus de Miſna, ordinis prædicatorum Prior & Lector in conventu Lipſenſi, Merſeburgenſis Diœceſis, datus eſt in Paſtorem Eccleſiæ Lubicenſi per ſummum Pontificem Anno Domini M. CCC. LXXIIX. cum concorditer electus eſſet Dominus Johannes Klenedenſt Decanus dictæ Eccleſiæ per Capitulum. Qui cum pro confirmatione iter arripuiſſet ad curiam in urbe Pragenſi, relatione certa didicit Eccleſiæ jam eſſe de dicto Nicolao proviſum. Iſte in hac ſede non diu manſit, ſed ex eo, quod non reperit civitatem Lubicenſem de temporali Dominio Epiſcopi, graviter dedignatus receſſit. Translatus verò fuit ſtatim poſtea ad eccleſiam Miſnenſem.

Conradus de Ghyſenheim, Secretarius Domini Caroli IV. Imperatoris ſurrogatus fuit in locum fratris Nicolai per Papam ad dicti Domini Caroli Imperatoris preces & inſtantiam. Sedit annis VIII.

Johannes Clenedenſt de Lubeke oriundus. Iſte pluribus annis Decanus erat Eccleſiæ Lubicenſis & bis electus fuit in Epiſcopum. Tandem Anno Domini M.CCC. LXXXVIII.

Everhardus de Attendorn, in Decretis Licentiatus, Eccleſiæ Lubicenſis Decanus, electus fuit concorditer à Capitulo in Epiſcopum, & per Papam confirmatus Anno Domini MCCCLXXXIIX. Iſte ædificavit Capellam magnam cum ſuperiori Camera, domui magnæ annexa, in Uthin ſub magnis expenſis. Similiter ædificavit Capellam

Capellam quandam parvam in Lubeke modo dirutam. Ejus frater erat Proconſul potens, & Soror Abbatiſſa, & ipſe Epiſcopus in eadem civitate ſub eodem tempore. Sedit annis XI.

Johannes de Dulmen, Scholaſticus Lubicenſis, Decretorum Doctor atque ſacri palatii Apoſtolici cauſſarum auditor, datus eſt in Epiſcopum per Papam Bonifacium IX. Anno Domini M. CCC. XCIX. Vir erat miræ probitatis & pacis. Iſte emit unam poſſeſſionem ſive curiam cum ſuis attinentiis in villa Gamal pro C. marcis, & tres alias curias in eadem villa prò LX. marcis & ſic plenè liberavit villam à militaribus qui multum dominabantur in ea. Sedit annis XXI.

Johannes Schele, Eccleſiæ Bremenſis Decanus ac Theſaurarius Eccleſiæ Mindenſis, Zarbatenſis & Lubicenſis eccleſiarum Canonicus, Licentiatus in Decretis, oriundus de Hannover, electus eſt concorditer in Epiſcopum Lubicenſem, Anno Domini M. CCCC. XIX. & per Dominum Martinum V. confirmatus. Hic perſonaliter pro confirmatione ivit ad curiam cum tribus Canonicis de Capitulo Lubicenſi, cujus occaſione expendit M. D. marcas Lubicenſes. In deſcenſu quoque de curia Bononiæ fuit in Doctorem Decretorum promotus & per Papam in Referendarium aſſumptus. Iſte ſtatim poſtquam reverſus fuit de curia, ubi erat conſecratus, coram Domino Baldewino, Abbate monaſterii S. Michaëlis in Luneborg, poſtea Archiepiſcopo Bremenſi, judice ad hoc ſpecialiter delegato in cauſſam traxit executores teſtamenti immediati ſui anteceſſoris, allegans in ſuam petitionem, menſam Epiſcopalem in omnibus ejus bonis, ædificiis & poſſeſſionibus, per negligentem dicti prædeceſſoris ſui adminiſtrationem & ſuorum officialium in tribus millibus & CCCC. florenis damnificatam, petens omnia ejus bona per eum relicta, pro reſtaurandis & reparandis deperditis & neglectis, cum ad tantam ſummam ſe non extenderent, ſibi adjudicari. Quæ quidem relicta omnia in libris, clenodiis, pecuniis ac rebus aliis eodem Domino Johanni Epiſcopo per judicem præfatum adjudicata & per executores teſtamenti realiter tradita. Cum his pecuniis ædificavit in Uthin domum ad braxandum, quia antiqua totaliter incinerata fuit: ac ſtabulum pro duodecim equis de lignis, lateribus interpoſitis: ſimiliter & molendinum Sane, pro caſtro utiliſſimum. Iſte ſuis expenſis incorporari fecit per ſedem Apoſtolicam pro menſa Epiſcopali certa beneficia, de quibus habentur media Sartago, ſex chori & duo plauſtra in ſalina Lunæborgenſi & certa alia bona. Hic quia vir erat in agibilibus multum practicus ac in arduis Dominorum & principum tractatibus expertiſſimus per Dominum Imperatorem Sigismundum in Secretarium fuit aſſumptus atque per eum in ſacra Synodo Baſilienſi in Ambaſiatorem & Procuratorem deputatus ubi pro ipſo Imperatore, & ſacro Imperio per ſex continuos annos utiliter perſeveravit. Ubi Eccleſiam ſuam variis ac periculoſis tribulationibus atque perturbationibus occaſione horrendæ mortis venerabilis atque celebris viri dapſilis & in eleemoſynis effuſi, orphanorum & miſerabilium perſonarum piiſſimi patris, Domini Bertholdi * Dimeſis, Eccleſiæ Lubicenſis Præpoſiti, & ejusdem Præſulis in ſpiritualibus & temporalibus Vicarii, in caſtro Swan, Sverinenſis diœceſios propter eccleſiaſticæ libertatis defenſionem carcerali anguſtia vita functi, ad tempus aliquod per Duces Magnopolenſes, ac eorum quosdam tyrannicos ſatellites pluri conatu eccleſiaſticæ libertatis impudicos inſidiatores multipliciter afflictam, qui omnes reditus per totam terram Magnopolenſem injurioſe occupabant, maximis laboribus una cum ſucceſſore ſuo, Domino Nicolao Sachowen, tunc Decano ibidem ſecum laborante, ad priſtinam tranquillitatem, quietem ac pacis dulcedinem, pacis auctore concedente, glorioſe reduxit. Ita quod dicti Principes ſacri Concilii ac Imperialis majeſtatis proceſſibus diverſis ad dicti Antiſtitis & Decani ſolicitationes extractis compulſi, multorum principum & civitatum tractatibus intervenientibus, duo millia & quingentas marcas Lubicenſes ultra reſtitutionem de bonis Eccleſiæ perceptorum in emendam mortis & injuriarum realiter ſolverunt & exburſaverunt. De qua ſumma cum mille marcis duo beneficia in ſalutem animæ dicti Præpoſiti fundata ſunt, ac in memoriam tanti ſceleris perennem. Iſte primo emit bona in Rikenbeke, Crummezee &c. per medium conſulatus Lubicenſis, ſimulate tamen, & abs que pecuniæ ſolutione reali, quæ tamen poſtea redempta, & per ſucceſſorem ſuum realiter ſoluta fuerunt. In quibus bonis equiream pro equabus & poledris tenendis una

dis una cum Conſulatu Lubicenſi ad æquale lucrum & damnum primo inſtituit, valde Epiſcopis utilem, emendo pro ea XXIV. equas bonas pro primo. Sed tranſcurſis aliquot annis ſucceſſor ſuus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis emit pleno jure & in ſolidum, Conſulatui pro ſua parte LXXVI. marcas realiter ſolvendo. Iſte à Majeſtate Imperiali diverſa impetravit pro Eccleſia ſua utilia privilegia. Miſſusque tandem per inclytam nationem Germanicam in negociis univerſalis eccleſiæ de Baſilea ad Sereniſſimum Romanorum Regem novellum Albertum ad Ungariam contra Turcos, ibidem certamen expectantem in reditu ſuo ambaſciata completa, in ipſa Ungaria patria feraciſſima laboribus & æſtu nimium extenuatus, febribus interiit, ac vehiculo ductum corpus ejus ad Viennam Auſtriæ, ibidem in monaſterio Scotorum traditum eſt ſepulturæ. Sedit annis XIX.

Nicolaus Sachow, de Lubeke oriundus, eccleſiæ Lubicenſis primo Scholaſticus, deinde Decanus, in Decretis Baccalaureus, in Practica Juris expertus, ac elevati ingenii, homo multum induſtrioſus, Anno Domini MCCCCXXXIX. in menſe Octobri per Capitulum in Epiſcopum per viam ſcrutinii concorditer eſt electus, & per Dominum Baldewinum Archi-præſulem Bremenſem confirmatus tempore Concilii Baſileenſis, ſub expenſis L. florenorum Rhenenſium vel circa. Eodem quoque anno per eodem Archiepiſcopum & Hermannum Sverinenſem & Paridanum Ratzeburgenſem Antiſtites in ſua eccleſia Lubicenſi ſolenniter eſt conſecratus, fecitque expenſas tam in die conſecrationis, quam ſequenti die primæ miſſæ pro honore Eccleſiæ ſuæ ſolennes, ultra M. marcas Lubicenſes expendens in iiſdem. Iſte primo ſuo anno inſtituit eleemoſynam ſolennem perpetuam pro pauperibus de propriis ſuis bonis ante Epiſcopatum acquiſitis, de qua in porticu eccleſiæ Lubicenſis erogantur ſingulis diebus XIII. perſonis, cuilibet una libra butyri electi, & trium denariorum panes, pro qua ſingulis annis aſſignavit CCL. marcarum reditus, pro quatuor millibus marcis & ultra comparatos. Aſſignavit ex monaſteriis in Segeberge & Cismar ad veſtimenta fratrum cuilibet monaſteriorum XXX. marcarum reditus perpetuos pro mille marcis ante Epiſcopatum per ipſum cum propria pecunia emptos. Introducendo in eisdem monaſteriis viros reformatos & obſervantiam Regulæ eorum debitam, cum antea diſſolutiſſime viv ebant. Reformavit etiam leproſorium in Swartow prope Lubike pene in ædificiis & aliis deſtructum XIII. marcarum reditus pro ducentis marcis comparatos, ad potum eis aſſignando. Quæ ædificiorum reformatio conſtabat ultra CLX. marcas. Similiter reformavit leproſorium ante opidum Oldenburg in ædificiis & aliis ſub CL. marcarum expenſis, à multis annis penitus dirutum. Aſſignavit ſimiliter & dedit Carthuſienſibus DCC. marcas ad comparandum reditus perpetuos pro fratrum veſtimentis. Iſte Dominus Nicolaus Epiſcopus redemit ſucceſſive à diverſis XXX. marcarum reditus, in quibus menſa Epiſcopalis adunatis ad diverſas vicarias tenentur, pro quibus ultra ML. marcas Lubicenſes expendit. Iſte ædificavit ſecundam domum magnam lapideam in curia Epiſcopali in Lubike, cum ſalis pulchris & cameris, Capella teſtudinata: & in caſtro Uthin portalem turrim cum teſtudine, qua itur ad caſtrum, quæ ſimiliter ad duo millia marcarum conſtiterunt & ultra. Ædificavit etiam domum lapideam longam pro ſtabulo & pro cameris familiæ in Lubike in curia Epicopali, in qua ultra MC. marcas expendit. Etiam fecit in curia Lubicenſi Epiſcopali cameratam ſuper valvam qua itur de platea molendinorum: & in Uthin murum caſtri in anteriori parte ubi intratur: & ædificavit de lignis lapidibus intextis domum portalem, qua intratur ab opido ad allodium caſtri. Iſte emit pro menſa Epiſcopali villam Clentzow pro MC. marcis, & bona in Rikenbeke & Krummezee &c. cum aquis & aliis attinentiis ſuis, ſimulate ſine conſenſu hæredum & ſine reali ſolutione pecuniæ per prædeceſſorem ſuum empta, pro DCCCC. marcis Lubicenſibus realiter ſolutis per eum. Etiam emit à Carthuſienſibus in Arnsboke agros, aquas, ſilvas & alia bona in Zwanow pro M. marcis Lubicenſibus. Item legavit in teſtamento ſuo pro menſa Epiſcopali CXVI. marcarum reditus per eum in advocatia Stenborg à Domino Adolfo Duce Sleswicenſi pro MDCCCCXXXIV. marcis, V. ſolidis, & IV. nummis, ſub redemtione tamen, emptos, ad relevandam menſam Epiſcopalem in CXVI. marcis, annuatim Capitulo de curia majori per Epiſcopum ſolvere conſuetis. Dedit etiam duobus Capellanis Epiſcopi in caſtro Uthin alternatim per ſeptimanas celebrantibus

tibus pro quolibet VI. marcarum reditus pro CC. marcis per eum cum Conſulatu Luneborgenſi emptis. Debent quoque Capellani omni anno in die anniverſarii ſui ad peragendam memoriam ſuam in dicta Capella cum miſſa pro defunctis eſſe obligati. Iſte etiam donavit pro menſa Epiſcopali Clenodia argentea in pondere XLIX. marcarum puri argenti habentia, ut perpetuè maneant apud eundem. Similiter dedit libros pulchros & utenſilia in bono valore pro ſucceſſoribus ſuis. Anno vero ejus nono fuit idem Præſul concorditer per Capitulum Rigenſe in eorum Archiepiſcopum poſtulatus: Sed præſentato ſibi poſtulationis decreto per dictæ Eccleſiæ Cellerarium, & duos militares de diœceſi Rigenſi deliberavit apud ſuam manere ſponſam, eccleſiam Lubicenſem, primo ſibi deſponſatam. Et bene! Nam pauco tempore ſupervixit, ſtatim poſt anni revolutionem in febribus occumbens. Sedit annis X.

Arnoldus Weſtfal, de civitate Lubicenſi oriundus, Decretorum Doctor & in Legibus Licenciatus, à juventute in univerſitatibus diverſis legendo & laborando converſatus, Decanus Eccleſiæ Lubecenſis, vacante Eccleſia per Capitulum per viam Scrutinii in Epiſcopum eſt concorditer electus Anno MCCCCXLIX. & per Dominum Nicolaum Papam V. miſſis per eum honorabilibus duobus viris de Canonicis Capituli Eccleſiæ ſuæ pro confirmatione ad curiam ſub expenſis MDCCC. marcarum Lubicenſium & ultra, ipſo die beati Antonii confirmatus. Eſtque per Dominum Nicolaum Swerinenſis & Joannem Ratzeburgenſis eccleſiarum Pontifices, Domino Gerardo Archipræſule Bremenſi ſe excuſante, ac ſuum Vicarium in Pontificalibus in locum ſuum mittente, eodem anno, ipſo die Pentecoſtes in ſua eccleſia Lubicenſi ſolenniter conſecratus: habuitque in aula Epiſcopali ſolenne & pulcrum convivium, prælatos eccleſiæ & diœceſis, totumque Capitulum, Magiſtratumque & honoratos cives Lubicenſes, & pleroſque alios, vicarios, beneficiatos ac amicos & fautores, etiam exteros invitando, tum pauperes ſimul & egenos reficiens. Sancte vitam inſtituit, & prudenter Eccleſiæ præfuit & conſuluit. Arcem Uthinenſem, quam prædeceſſores ſui aliquantulum ornarent, meliuſcule reformavit. Domum novam ſplendidam à fundamentis mirifice & ſumptuoſe conſtrui ac fieri fecit, non ſine gravi impenſa. Sacriſtiam apud eccleſiam Lubicenſem novam ſuo ſumptu ædificari curavit. Bonæ & laudabilis vitæ fuit & converſationis. Principi Adolfo Duci Sleswicenſi ac Comiti Holtzaciæ admodum carus extitit, ut ipſe ejus conſilio & prudentia rem publicam gubernarit, ejus opera in diverſis legationibus quam libenter uſus, tantaque humanitate & ſinceritate eum proſecutus, ut patrem eum appellare conſueverit. Et licet idem Princeps paulo poſt obiit mortem Anno Domini MCCCCLIX. ipſo die Barbaræ virginis, qui virtuoſus & nobilis Princeps, relator pacis ac ſtatus eccleſiaſtici defenſor & protector extiterat, nullo ex ejus corpore hærede relicto aut ſuperſtite, unde patria orphana mirum in modum turbata eſt, per diverſos Principes jure impetita fuerit, nihilominus Comites de Schowenborg proximiores hæredes recepta magna pecuniarum ſumma totum Comitatum Holtzaciæ ac Stormariæ Chriſtierno Regi Daciæ Sveciæ & Norwegiæ reliquerunt. Interea Rex Chriſtiernus manſuetus liberalis ac munificus Rex, poſſeſſionem patriæ de conſenſu omnium ſubditorum abſque aliqua moleſtia & adverſitate nanciſcebatur, & eundem Dominum Epiſcopum Arnoldum in precio & autoritate manutenuit & obſervavit, ac ejus conſilio liberaliter fretus fuit. Præterea Dominus Arnoldus victus precibus burgenſium Lubicenſium ad Pruſſiam iter ſuſcepit, ac diram illam provinciam, procellis & maris ſcopulorum periculis ſe ſubmittendo, ſubintravit, dum controverſia nimis moleſta erat intra Ordinem Teutonicorum beatæ Virginis, quem proceres Germanicæ nationis unice tuentur, & civitates Prutenicæ patriæ. Sed dum è navigio exiret, diverſa incommoda maritima inſolitaque perpeſſus, graves infirmitates contraxerat. Itaque, ut plerique arbitrantur, ex hoc velorum & ventorum conflictu mortem eum conſecutum. Hic certa prædia & villas per ſe emptas eccleſiæ & menſæ Epiſcopali liberaliter dedit & aſſignavit. Multos tam in Jure civili quam Canonico bene ligatos libros ad arcem Uthinenſem conſignavit. Semel in die uno prandio contentus erat honeſtam familiam aluit: cuncta regiſtra bonorum Eccleſiæ ipſe ſagaciter perſpexit; religioſos viros in precio habuit: eleemoſynas pauperibus erogavit: tandem ordinatis ſingulis rebus ſuis, conditoque teſtamento, multa argentea jocalia & clenodia ei in diverſis legationibus & domi in Epi-

ſcopatu

ſcopatu data & donata pro ſucceſſoribus perpetuo manenda largitus eſt, ac paullo poſt obiit mortem in Domino, honorifice apud eccleſiam ſuam adhibitis pompis funeralibus & impenſis ſepultus, magna probitatis & vitæ honeſtæ fama relicta. Sedit annis XVI.

Explicit.

CONTINVATIO CHRONICÆ EPISCOPORVM LUBECENSIVM,

ANONYMI.

ALbertus Crummedick, ex militari genere terræ Holtzaciæ oriundus, à natura munificus & alta cupiens liberaliſque, Canonicus Lubicenſis, per plures annos in Romana Curia converſatus, ac officio inibi Notariatus in Rota functus, in Paſtorem & Epiſcopum per Præpoſitum, Decanum & Capitulum Lubicenſe concorditer electus, in Conſiſtorio ſacro per Dominum Paullum II. ut moris eſt, confirmatus, & in eccleſia ſua Lubicenſe per Dominos Epiſcopos & Antiſtites Sverinenſem & Ratzeburgenſem, & Domini Archiepiſcopi Bremenſis Suffraganeum ſolenniter & publice conſecratus fuit, magnificum & quidem regale convivium pluribus diebus proceribus patriæ Capitulo & Prælatis, toti clero ac Magiſtratui & honoratis civibus invitatis non ſine magna impenſa & pompa celebravit atque habuit. Eccleſiæ utiliter prodeſſe & vitam inſtituere honeſtam ſibi propoſuit. Principi patriæ, Regi Daciæ, Chriſtierno (ut ferme cuncta publica & privata negocia ejus ingenio & dexteritate adimpleta fuerunt) percarus extitit, ac nimium fortaſſis obſequioſus legationem ſubivit atque perfecit, cum clariſſima Chriſtina, illuſtris Domini Erneſti Ducis Saxoniæ ac Marchionis Miſnenſis Electoris Romani Imperii filia illuſtri Principi Joanni, filio Regis Chriſtierni in matrimonium copulata fuit. Singulas patriæ conventiones gravi ſuo ſumptu auctoriſavit, regiamque Curiam, etiam in aſperrimis viarum diſcriminibus, tam ad Daciam, quam ad reliquas regiones, perſæpe in diſpendium & eccleſiæ & ſuæ perſonæ, ſecutus fuit. Ea quæ ad magnificentiam, ſtatum & decorem regalis dignitatis ſpectabant & conveniebant ſuo ſumptu ſolus diſponebat. Differentias ſeu controverſias, etiam privatas omni conatu ſopiri & determinari cupivit. Ita etiam beneficus erat, ut neminem ad ſe venientem irremuneratum dimitteret. Domi pleroſque majorum familiarum patriæ liberos & magnam familiam domeſticam exaluit ac educavit, atque ſingulis dona diſtribuit, maluitque donare, quam accipere. Curavit ſua impenſa, ut parochialis eccleſia in Oldenborg, quæ de Jure patronatus Principum terræ Holtzaciæ erat, menſæ Epiſcopali perpetuo de conſenſu Principum uniretur incorporareturque auctoritate Apoſtolica, datis aliis beneficiis, pariter præbenda & Vicaria in Eccleſia Uthinenſi, loco illius. Similiter Eccleſia Lutkenbergenſis, licet per plures annos ante per Principes patriæ in recompenſam data fuerit, precio opera & ſumptu Alberti perpetuo unita exſtitit. Monaſterium in Reinevelde, Ordinis Ciſtercienſium, Lubicenſis diœceſis, à Domino Sixto Papa IV. incorporari obtinuit & uniri menſæ Epiſcopali. Verum Rex obteſtans eam rem, mirum in modum ſuccenſuit, & ut huic unioni cederet, coëgit, cum magna Eccleſiæ jactura. Interea indies exoſior Regi redditus fuit; etiam eo, quod emonere ſatagebat expoſita & debita contracta nomine ſui. Non enim parvum æs alienum in Regis curis contraxerat. Arcem Uthinenſem ſua impenſa muro pulcro cinxit atque muniri fecit: domum parvam prope ſtabulum novam lapideam, inceptam per Arnoldum, perfici & compleri juſſit. Turres duas novas è fundamentis,

& quidem dignè, elevari & ſua impenſa fieri juſſit & curavit: quarum una præeminentior eſt, altera vero per medium diſtracta. Curiam, ſeu domum Aquæfrigidæ nominatam, prope Swartow, & Renſevelde mirum in modum magno ingenio & pompa ab intra ornavit, & quidem apte refecit, cum commoditatibus plerisque non ſine gravi impenſa. Ejus tempeſtate accidit id quod de everſione patriæ & excidio vel bello inteſtino, inter Chriſtiernum Regem & ejus fratrem Gerardum Comitem de Oldenburg, ad patriam amice accerſitum, geſto referendum reſtat, quod ſatis periculoſum patriæ erat, ac rem publicam graviter lædebat: ex eo præcipuè, quod Gerardus Comes cum benevolentia à patria Holtzatica intuitu Regis receptus erat, ut decuit, & veneratus. Jam Rege exiſtente in regnis Daciæ, aliquos militares, plebejos autem fere omnes, ſuo ingenio factioſos reddidit, præcipue Friſios, in Ducatu Sleswicenſi exiſtentes, partim vi partim metu ſuo imperio ſubjecit, & rebelles eos Regi & hoſtes patriæ fecit: cum is Gerardus etiam, fidé fraterna violatá, arma adverſus patriam & Regem uſurpare niſus, caſtra metatus fuit in arce Suavenſtede, ad menſam Epiſcopalem Sleſwicenſem ſpectantem, & eam vi pugnarum attentavit, & ibi Ducatus ingreſſum ſperavit. Sed armis & potentia Nicolai Epiſcopi Sleſwicenſis, qui Regi multum favebat, propulſus fuit, & fortalitium prope villagium Huſem conſtituere & ædificare vallo mire munito præſumpſit, & niſi bello ipſe & complices ſui profligati fuiſſent, totam patriam occupaſſet. Rex interea magna ſtipante caterva ex regnis rediens, atrocius Gerardum Comitem fratrem & æmulatorem proſecutus eſt, auxiliares copias magis indies ex vicinis locis recenſuit, majores patriæ Holtzaciæ & militares in præſidium locavit, Hamburgenſis communitas, quæ Regi adhæſit, navali prælio ad diſtrictum Huſenſium Friſiorum plerosque hoſtes ſuperavit, villagium Huſem ferro & igne vaſtari prohibuit. Paullo poſt Gerardus fuga ſalutem quæſivit, extunc patria quietior reddita fuit, non ſine magno labore & fatiga Alberti Epiſcopi. Interea Rex Chriſtiernus in regno Daciæ mortem obit anno Domini MCCCCLXXXI. die XXIIX. menſis Maii, cui in Regem ejus præclarus filius Johannes ſuffectus, ſive electus extitit: qui quidem Alberti opera & obſequio libenter uſus fuit. Interim fluctuante Holtzatica patria quem in Principem terræ vellent, cum Domino filii ſuperſtites eſſent, Joannes Rex & Fredericus ejus frater minor natu, ac in pupillari ætate conſtitutus, poſt multos tractatus tandem in Principes terræ Holtzaciæ ambo delecti & recepti fuerunt. Sed Fridericus ſub tutela Regis aliquandiu vitam egit. Interim calamitas Alberti & paupertas indies profecto magis ac magis invaleſcebat, creditores quorum magnus numerus erat eum magis cruciabant & debitum ab eo petebant. Caſtrum Segeberge, quod jure Advocatiæ exercebat, ex quo plerique ditabantur, eum ad majores impenſas & damna deduxerat: quare nec fructus caſtri Segebergenſis, nec arcis Uthinenſis, ob ſtipatam familiam, qua gravatus erat, eum alere nequibant. Cepit extunc auctoritas tepeſcere, & numulariorum argentariorum dira cupido eum ad ſolationem coërcere & urgere. Unusquisque enim creditorum creditum cum interuſurio expoſcebat. Præterea bona ſalinaria in opido Luneburgenſi exiſtentia, ad menſam Epiſcopalem ſpectantia & pertinentia certis civibus & incolis ibidem pro quatuor millibus florenorum Rhenenſium hypothecavit & vendidit, cum pacto tamen de retrovendendo, interveniente conſenſu Capituli ſui, quam ſummam partim creditores, partim amici conſanguinei & domeſtici ſublevarunt, in modico Eccleſiam relevantes. Nec ceſſavit creditorum moleſtia, immo vehementius eum cruciantes, majorem pecuniam ab eo exigebant. Convenit interea Regem Joannem, & ut nomine patris ſui ei ſatisfaceret, exoravit. Sed quanto plus præſtolabatur, tanto minus conſecutus fuit: oſtendit literas, quas habuit ſigillatas à patre, ſed parum, immo nihil profecit. Summam etiam magnam, quam ex telonio novo in Oldeslo juxta tenorem literarum recipere conſueverat, mox ſolvere Rex ei interdixit: reliqua ſilentio compenſata fuerunt. Statuit præterea Albertus familiam ſuam minuere, ſtatum prorſus alterare, aliudque regimen ſuſcipere velle; ſed vetuit probitas liberalitasque innata. Quid poſtremo facturus eſſet omnino ignorabat, externa conſilia & nodum in ſcirpo quærebat, animus in dubio poſitus huc & illuc paulo momento fluctuabat. Caſtrum Uthinenſe, cum creditores nimium eum ſtringebant, cum omnibus bonis & proventibus hypothecare & alienare propo-

propoſuit, etiam reclamante Capitulo dare velle ad manus potentes allegavit. Et poſtquam Capitulum animum ejus firmum vidit, & tantam anxietatem & neceſſitatem, ſimul ne caſtrum alienaretur, conſenſum præſtitit, ut arx prædicta, & ſingula bona Eccleſiæ certis civibus Lubicenſibus, una cum Benedicto Pogewyſch in Queningen commorante, & exſolvente quatuor millia & ducenta marcarum Lubicenſium, ſub cenſu annuo, & aliis civibus Lubicenſibus aliam ſummam exſolventibus, ut tota ſumma quindecim millium marcarum plena eſſet, quæ faciunt decem millia florenorum Rhenenſium in auro, venderetur & alienaretur, cum pacto de retrovendendo, ut quilibet creditorum ejus anno pro quolibet centenario marcarum reciperet ex bonis Eccleſiæ ſex marcas Lubicenſis monetæ prædictæ: arx autem Uthinenſis ex Capitulo Lubicenſi uni Canonico in cuſtodia daretur, qui gubernaret bona Eccleſiæ, & creditoribus ſatisfaceret, reliquum quod supereſſet Alberto Epiſcopo aſſignaret, & de ſingulis bonis rationem redderet. Quibus ſic peractis & ſolutis pecuniis, quindecim millium marcarum creditoribus ſuis, prout patet ex tenore literarum deſuper ſigillatarum, arcem Uthinenſem Albertus anxius & ſubtriſtis animo dimiſit, & ad arcem Segebergenſem, quam adhuc regio nomine poſſederat, ſeſe contulit; ubi ante firmum domicilium habuerat. Nec hæc calamitas (miſeria enim ſola eſſe nequit) ceſſavit, immo major afflictio ſuccrevit. Etſi enim adhuc, puta tres vel quatuor annos, caſtrum Segebergenſe regio nomine habuerat, gubernaveratque, ut victum honeſtum habere poſſet, tamen creditores, qui indies magis ob neceſſitatem vitæ mutuum dabant, eum laceſſentes nonnulla jocalia ſeu clenodia argenti vel auri ad menſam Epiſcopalem ſpectantia, & à ſe ac prædeceſſoribus ſuis collecta pro mille marcis Lubecenſibus Præpoſito Lubicenſi hypothecavit atque diſtraxit: clerum diœceſis, ad ſubſidia præſtanda compulit, atque ea ſublevavit, ſed parum aut nihil pro utilitate Eccleſiæ ſolutum fuit, immo cotidianus cibus & victus ſingula devoravit. Interim Rex ab arce Segebergenſi eum ſemovit, & ubi dejectus foret, curtem ſive Curiam frigidam, prius digne reformatam meliuſculum aptavit, & ibi, cum alibi prorſus domicilium non haberet, reſedit, & ad diverſa loca & diverticula ſe contulit. Nec ob probitatem innatam ſtipatæ catervæ licentiam dare auſus fuit, immo diverſo ingenio vixit. Curiam ſive curtem in Sedorpe, quam emerat & digne ædificaverat, ſumptuoſam & ornatam nimis, vendere ob æs alienum coactus fuit. Regem, ut creditum patris ſui exſolveret, ſæpiſſime interpellavit. Sed ſurda aure ſingula compenſata fuerunt. Aderant etiam, ut ſolitum eſt, qui auribus Regis inculcabant nullum ei debitum eſſe, immo plus recepiſſe ex diverſis actionibus & collectis vel ſubſidiis terræ Principi datis & per eum receptis, nec dum ſolutis, quam ejus debitum eſſet. Et id tum maxime ejus animum anguſtabat & moleſtabat. Interea mitram pontificalem, cum gemmis ornatam, & baculum paſtoralem argenteum, & annulos quibus utebatur in mortis articulo ſorori ſuæ pro ſepultura alienandos aſſignavit. Poſtremo ubi hæc miſeria eum nimium circumdedit, ex mœrore & melancholia in monaſterio Segebergenſe in infirmitatem recidit, & undique ſe gravatum & derelictum ſenſit. Ubi autem dolorem auctum reperit, medicum accerſivit, & mortem præ oculis videns, vocatis præterea ex Canonicis Eccleſiæ ſuæ aliquibus ad Curiam frigidam, ubi quievit, mortem ſibi imminere aperuit: Eccleſiæ igitur conſilio eſſent rogavit, de futuro paſtore digne providerent, quantum poſſent, & de rebus ſuis diſponerent, exoravit. Paullo poſt, dum vita mortem operiretur, aſtabant amici Clerici & Laici & familiares domeſtici, plerique militares, & creditores, qui bona adhuc exiſtentia ad ſe ſpectare, & dividere ac rapere velle præſumebant. Mors tandem vitæ finem ſecuta eſt, non ſine magno dolore & anguſtia plurimorum. Obiit autem mortem anno Domini MCCCCLXXXIX. die XXVII. menſis Octobris, quæ fuit vigilia Simonis & Judæ Apoſtolorum. Interea funere ibidem biduo relicto, conſcripta fuere ſingula, vaſa argentea, veſtes, ſupellex, quibus cotidie utebatur, & apud arbitros communes, Decanum & alios Canonicos per creditores data & conſignata. Interim funus ad aulam Epiſcopalem ducitur, & tertia die ſepelitur in Eccleſia cathedrali: impenſas vero funeris ex certis jocalibus per Canonicos & alios amicos emptos, ſui domeſtici lachrymoſe & lugubri cura peregerunt. Vixit autem annos LXX. & ultra. Sedit XX. & ultra.

Thomas Grote, Lubicenſis natus, & Canonicus Lubicenſis, homo ſingularis ſimplex & quietus, ætate & ſtatura mediocris, poſt longam altercationem & gravem deliberationem (etſi menſa Epiſcopalis lacerata & exinanita erat, tamen pleriq; ad eam ambientes extiterunt) per Decanum & Capitulum concordi animo, nemine prorſus diſcrepante, unanimiter in Epiſcopum electus, & ſedente Innocentio pontifice maximo Papa IIX. per ſedem Apoſtolicam confirmatus extitit, & propter inopiam Eccleſiæ ex ſingulari in Romana curia ſui procuratoris, Theoderici Arndes, Legum Doctoris, Hildeshemenſis & Brunſuicenſis Eccleſiarum Decani, & Canonici Lubicenſis induſtria & labore, omnia beneficia Eccleſiaſtica antea obtenta & poſſeſſa ad tempus vitæ ſuæ per Dominum Innocentium Papam ei conſervata fuere. Multi deniq; hanc electionem demirantes, & canonici prælati & Laici, licet palam errantes, eundem Thomam ditiſſimum reputarunt, ſperantes, etſi fruſtra, eum Eccleſiam à debitis relevaturam. Verum ubi literas confirmationis à ſede Apoſtolica receperat Decanum & Capitulum, ut ei omnium bonorum & arcis Uthinenſis hypothecatæ poſſeſſionem darent, interpellari fecit. Interim per Capitulum ei certi articuli oblati, quos tanquam iniquos refutavit & acceptare noluit. Subito novitas & differentia orta ſunt inter eos haut leviter. Nam Thomas prius bonorum & arcis poſſeſſionem expopoſcit, & creditores ad Capitulum (eo quod ipſi impreſtando conſenſum in culpa eſſent) remittere voluit. Capitulum vero nec arcem, immo nec quicquam auxilii, niſi contracta debita ad ſe ſuſciperet, & ſolvere promitteret, ei dare velle reſpondit. Et licet graves viri inter eos diverſos tractatus pacis habebant, nequaquam tamen hæc controverſia ſopiri potuit, ſed in dies magis exacerbatum & turbatum nimis negocium fuit. Aderant, ut ſolitum eſt, qui ſibilanti hydræ ore rem magis intricabant, & quantum poterant inculcabant inficiebantque, etiam taliter, ut vel Thomas Wilhelmo Decano & Capitulo, vel Decanus & Capitulum Thomæ fidem prorſus dabant nullam, ſed alternis odiis, ſimultatibus, conviciis & jurgiis certabant. Nonnulli vicini Prælati diſcidium & exterminium Eccleſiæ & perſonarum concordare ſatagentes, vel audientia ab una vel fides ab altera partium ipſis non dabatur. Munus conſecrationis interim Thomas ſuſcipere diſtulit, & tempus à jure ſtatutum à ſede Apoſtolica prorogari obtinuit. Extera quærebantur remedia & ſuffragia, ſed vana ſpes omnes deluſit. Biennio ferme tumultuaria hæc perplexitas duravit: in Romana curia diverſæ ſupplicationes & impetitiones fiebant: commiſſiones Apoſtolicæ in Urbe etiam variæ, ut magis indignatio quam utilitas ſuccreſceret, obtentæ fuere. Decanus & Capitulum alium pontificem, qui Eccleſiæ & perſonis prodeſſet, expoſcentes, Thomam per indirectas vias electioni & confirmationi ut reſignaret, interpellarunt. Sed Thomas cum obſtinatos animo Decanum & Capitulum ſentiret, alium eo utiliorem & duriorem cui Eccleſiam concederet & reſignaret, perquiſivit. Interim animis fluctuantibus bona Eccleſiæ quaſſatum ibant & peſſundabantur haut mediocriter. Capitulum arcem Uthinenſem cum omnibus bonis per ſuos deputatos Canonicos regebat: jurisdictionem Decanus exercebat, ſpreto omnino Thoma & ea in illo accerſito, omnem auctoritatem ad ſe recipiebant, etiam in pontificalibus providere haut omittebant. Thomas laceſſitus nimium, ſeſe domi continebat, permanebat in domo ſua, fores claudebat, nec pulſanti, niſi cognito aperire mandabat, & Eccleſiæ & ſibi conſulere in animo gerebat. Aulam Epiſcopalem, cujus poſſeſſionem tenebat, in tectis reformaverat; ſuperiorem ſalam domus ampliorem & ornatiorem reddiderat; pulchræ depictis aſſeribus veſtiri trabes fecerat; novas feneſtras cum poſtilenis imponi curaverat. Poſtremo ubi adverſa cuncta cum indignatione ſenſit, invito Capitulo, & ignorante prorſus, cum præfato Theoderico Arndes, Decano Hildenſemenſe & Brunſuicenſe, in Romana curia tunc temporis agente, per certos utriusque amicos clanculum & ſecrete de Eccleſia Lubicenſi tractavit, & convenit, eamque ſponte ei obtulit & ut ſuſciperet rogari fecit, ac ſibi per aliam viam honeſte provideret, & quod molem tantæ dignitatis & culminis ferre non poſſet, dici juſſit. Miſit etiam ei illico ſingulare mandatum, ſive inſtrumentum ad reſignandum libere & ſimpliciter Eccleſiam Lubicenſem ad manus Papæ. Verum hanc ſtupendam rem poſtquam præfatus Theodoricus acceperat, mirum in modum turbatus fuit, & nequiit ſatis ac ſatis demirari hanc oblationem: quam prima facie reſpuit & nusquam vel cogitavit vel aſpiravit

ravit ad apicem ſive culmen dignitatis Epiſcopalis, & nihil, niſi interveniente conſenſu ſeu voluntate Capituli Lubicenſis (cujus Eccleſiæ Canonicus & membrum eſſet) in hac re reſpondere velle ajebat. Miſit præterea proprium nuntium ad Capitulum, ut capeſſeret animum illorum in hac difficili re, ut hujus rei ſeriem & modum plane intelligere valeret. Quo redeunte nuntio, cum inclinatum animum Capituli in perſonam ſuam noſceret bonum, pedetentim hanc reſignationem ſpontaneè oblatam, dum ultro inſtigaretur, & precibus ſtimularetur à pleriſque bonis amicis, cepit Romæ agitare. Rebus ſic pendentibus nomine Capituli Lubicenſis venit Romam Wilhelmus Weſtphal Decanus, ignorans hujus rei commiſſionem, multa de ingratitudine Thomæ referens, & calamitatem Eccleſiæ paulatim detegendo. Arbitrabatur etiam rem in procinctu expeditionis non fuiſſe. Verum procedentibus mutuis colloquiis & relationibus in Conſiſtorio ſecreto, ut moris eſt, reſignatio per procuratorem Thomæ illico facta eſt ad manus Reverendiſſimi Domini Franciſci Cardinalis Senenſis, qui ſummo amore præfatum Theodericum proſequebatur, & ad ejus relationem præfatus Dominus Innocentius Papa IIX. qui etiam multum diligebat dictum Theodericum, reſignationem admiſit, ac de Eccleſia ei providit, ac ultro etiam ex ſingulari gratia liberaliter ei omnia ſua beneficia Eccleſiaſtica (nam digna beneficia in diverſis Germaniæ Eccleſiis & diœceſibus poſſidebat) & penſiones & gratias ad vitam ipſius reſervavit. Decanus dictam celerem proviſionem ſatis demiratus, aliquantulum turbatus, nihilominus Theodericum ut Epiſcopum ſalutavit, & cum eo Romæ per plures dies amice refectus fuit. Tandem in patriam cum nepote dicti Theoderici Epiſcopi rediit, ipſo Theoderico adhuc per aliquot menſes ibi manente. Thomas vero ſuo deſiderio ſatisfacto plurimum lætabatur, & beneficiis ſuis contentus ſua ſolita contemplatione vacans, domi ut prius ſe continuit, & ſolitariam vitam continuavit, atque in animo ſuo contentus fuit. Obiit vero anno MDI. die XXVII. menſis Auguſti, & ſepultus eſt in monaſterio Marienwolde prope Mollen, Ratzeburgenſis diœceſis.

Theodoricus Arndes, Hamburgenſis, ex parentibus conſularibus honeſtis natus, ab ineunte ætate bonis artibus & literis deditus, poſtquam in præbenda ſua Brunſuicenſi ob rogatum ſuorum patruorum, qui inibi prælati reſidebant, per aliquot annos commoratus eſſet, Italiam petiit & in ſtudio Peruſino per plures annos ſtudens, gradum Doctoratus in Jure Civili conſecutus fuit. Romam deinde ſe tranſtulit, & ibi apprimè profecit & cauſidicus extitit. Canonicus Lubicenſis & Decanus Hildenſemenſium ac Brunſuicenſium Eccleſiarum, curialis antiquus, vacante Eccleſia per liberam reſignationem Thomæ Groten, Epiſcopi electi & confirmati, ut jam paullo ante relatum eſt, per ſanctæ memoriæ Dominum Innocentium Papam IIX. de prædicta Eccleſia Lubicenſi prævisus extitit, ac omnia & ſingula beneficia Eccleſiaſtica & penſiones, tam in partibus Rheni quam in aliis locis Germaniæ habuit, ad tempus vitæ ſuæ ei reſervata fuere. Munus autem conſecrationis ei una cum Domino Johanne Ergaſt, electo Eccleſiæ Oſelienſis, tunc etiam confirmato Romæ in hoſpitali Teutonicorum à reverendis Dominis Sambienſi, Pientino & Feretrienſi Epiſcopis, tunc Romæ reſidentibus, impenſum fuit anno Domini MCCCCXCII. die Dominica Lætare in quadrageſima, quæ fuit prima dies menſis Aprilis. Hi duo ſimul communibus impenſis conſecrati fuerunt; ſolenne convivium invitatis dignioribus Prælatis & Oratoribus Principum ibidem exiſtentibus & curialibus conterraneis diverſis in domo præfati Theoderici habebatur. Et manſit adhuc ipſe Theodericus Romæ ferme tribus menſibus ob diverſa per eum agenda negocia. Tandem compoſitis ſarcinulis ſuis poſt longam expectationem Lubick venit. Capitulum vero duos Canonicos illi obviam ad Luneborg miſit, & in Mollen Decanus & pleriqne Canonici ibidem eum nomine Eccleſiæ & Capituli ſuſceperunt, expenſas ibi factas exolverunt. Occurrentibus etiam ei duobus Proconſulibus Lubicenſibus ſimul cum introducentibus, ubi paululum ob interdictum, quod in civitate tunc obſervabatur, quievit, & tertia die cum toto clero & religioſis & aliis presbyteris pnblice in pontificalibus ad Eccleſiam inthroniſatus & admiſſus fuit: habitis circuitu & ſolenni miſſa. Deinde apud Capitulum conſtitutus ſolita juramenta præſtitit & domi ſe contulit. Verum ubi paulatim ſcrutaretur de ſtatu & conditione Eccleſiæ, reperit cuncta bona ad menſam Epiſco-

Epiſcopalem ſpectantia pignori data. Nec arcem Uthinenſem tam cito conſequi potuit. Compertum enim habuit arcem cum omnibus bonis venditam cum pacto de retrovendendo pro quindecim millibus marcarum Lubicenſium, & bona ſalinaria pro quinque millibus marcarum Lubicenſium, ac vaſa argentea pro mille marcis diſtracta, præter alia debita. Permanſit itaq; per plures menſes in aula Epiſcopali ſub diris expenſis, etſi etiam in itinere debitis gravatus fuerit, & expoſuerit tam pro annata Eccleſiæ & minutis ſervitiis quam pro diverſis retentis beneficiis, ac debitis conſuetis, ac literis Apoſtolicis deſuper expeditis, & impenſis itineris ferme tria millia marcarum Lubicenſium, ultra per tredecim ſeptimanas & ad aliquot dies in Lubick moram fecit ſub magna & dira impenſa. Tractatus diverſos cum venerabili Capitulo ſuo, cum ipſi nomine creditorum caſtrum tenebant, habuit, & circa DC. marcas ibidem conſumpſit. Tandem poſt multos tractatus ſubmiſit ſe dictus Theodericus creditoribus prædictis, & omnia debita cum conſenſu Capituli ſolvere promiſit cum certis pactis & conventionibus coram Notario & teſtibus & literis deſuper ſigillatis, confectis. Et ut res magis amicitia componeretur, in ſubſidium debitorum, Domini de Capitulo nomine Eccleſiæ de Capitulari dederunt liberaliter præfato Theodorico Epiſcopo M. marcas Lubicenſes, & ultro tria millia marcarum Lubicenſium mutuo crediderunt in relevamen debitorum: quæ tria millia ſolvere ſucceſſor teneretur. Hæc autem quatuor millia Decanus & Capitulum certis creditoribus de conſenſu dicti Theoderici exſolverunt. Habuit etiam dictus Theodericus à Domino Doctore Theologiæ Bernardo Weſſel, Canonico Lubicenſi, qui caſtro Uthinenſi & rebus illius male & negligenter præfuit & adminiſtravit, de quibus rationem facere nequivit, prima vice duo millia marcarum Lubicenſium. Etiam dictus Theodericus de conſenſu Capituli ſui ad valorem M. marcarum argentea jocalia & clenodia ad menſam Epiſcopalem ſpectantia vendere cogebatur, & de ſuis propriis bonis, ſibi à DEO collectis, ultra expoſita priora & ſoluta M. marcas Lubicenſes exburſavit. Et hæc octo millia marcarum monetæ Lubicenſis ſimul creditoribus, ut arcem dimitterent, vel Capitulum dicto Theoderico Epiſcopo daret & aſſignaret in defalcationem majoris ſummæ ſoluta fuere. Reliqua millia ſub annuo cenſu dictus Theodericus de conſenſu creditorum ad ſe recepit, ac novas literas cum conſenſu Capituli ſigillari fecit. Et ſic die S. Eliſabeth, quæ fuit XXIX. Novembris anni ſupradicti, per certos Canonicos, puta tres, poſſeſſio caſtri & traditio ei aſſignata fuit. Cum autem opidum intraret, clerus Uthinenſis magno tripudio cum cantu & devotione ſuſcepit. Paulo poſt proſpiciens undique ad ſupellectilem arcis & ad reliqua neceſſaria, omnia loca vacua invenit, & prorſus lacerata & diſtracta reperit, tam in cameris quam in coquina & omnia de novo emit ſumptibus ſuis. Ceterum victualia & equos diſponere, neceſſitatis pro uſu caſtri fuit. Et cum etiam caſtrum in tectis neglectum fuit, pro tegulis & lapidibus pecunias expoſuit. Omnia molendina diruta, piſcinæ evacuatæ, & ultro neglectæ extiterunt: & ſi diutius ſic caſtrum ſtetiſſet, prorſus collapſum fuiſſet, bona & fructus ſimul interiiſſent. Interea aliud regimen in arce inſtituit. Clerus etiam ſine regula in diœceſi vixit, ſynodus nulla certis annis obſervata fuit. Verum hanc molem ſeu ſarcinam humeris dicti Theoderici Epiſcopi impoſitam, etſi moleſtam apprime quis cenſuerat, nihilominus favente Deo cuncta ad meliorem ſtatum reduxit: pecuarium & domum cum armentis ordinavit, horrea domeſtica cura impleri curavit. Præterea veſtigiis prædeceſſorum inhærendo in die S. Blaſii in Eccleſia Lubicenſi ſuam primam Epiſcopalem miſſam cantavit ſolenniter, habito convivio ſolenni, in aula Epiſcopali, & invitatis tam Capitulo & vicariis totius civitatis, & honoratioribus civibus, quam magiſtratu, & aliis prælatis vicinis. Dominus Joannes Epiſcopus Raceburgenſis, qui ſingularis amicus erat, etiam conſanguinei Hamburgenſes, ſoror, nepotes & neptes aliique amici aderant. Rex interea Johannes, & Fredericus Dux, patres & principes patriæ, eum in Conſiliarium aſciverunt. Acceſſitus ad diætam Wilsnacenſem cum Rege equitavit, non ſine gravi ejus impenſa. Ac paulo poſt Fredericus Princeps, nomine proprio ac etiam Regis, Principatum Holtzaciæ ab eodem Theodorico Epiſcopo ſolenniter & publice in Kilone in feudum recepit, præſtito juramento, & aliis debitis ſolennitatibus, in præſentia ſereniſſimæ Reginæ, Dominæ Dorotheæ, matris eorum Principum, & multorum nobilium, &

aliorum

aliorum ſpiritualium & ſecularium hominum. Dux Fredericus alio anno in Daciam eum ad Calligenborg vocavit, ac petiit, ubi mare Balthicum intravit, & non ſine periculo domum rediit. Interim tegularum domum, funditus dirutam, de novo ſuis impenſis ac cooperante lutifiguli magiſtro, pro utilitate opidi Uthinenſis reædificavit: quoniam opidum ante introitum Theoderici Epiſcopi pro majori parte caſu igne exuſtum erat, ut nulla miſeria ſola eſſet. Interim organum novum & bellum & ſubtile in Capella Uthinenſi emit & locari fecit, pro augmento divini cultus. Cameram in qua dormire conſveverat in arce Uthin magnam diſtinxit, & novam librariam ſegregavit cum pulcris ædificiis, ac camino novo, novas fores aptavit, cancellos cum fictilibus ſuopte ingenio veſtiri, & novam ſalam in ea aptando ante cameras fecit; cum menſis quadratis novis, ubi plures expenſas in reficiendo ſubivit. Opaca loca arcis lucidiora & clariora fieri ordinavit, pleraque alia in meliorem ſtatum reduxit, ac divinum cultum auxit, patinam cum calice novo pulcro dedit perpetuè ad Capellam domus Lubecenſis, cum ibi unus ſolum per eum reperiebatur. Bannerium ſive vexillum ſericum ornate fieri ſuis ſumptibus ordinavit. Æſtuarium in arce Uthin novum cum cancellis & feneſtris conſtrui curavit magnifice & ſumptuoſe. Magnam impenſam fecit eundo & redeundo cum Rege Daciæ & Regina ad Wilsnack. In curia Lubicenſi novam domum ligneam prope coquinam, pro diverſis imponendis, etiam frumentis & lignis ex fundo ædificari ſuis ſumptibus fecit, expoſitis CCC. marcis. Horreum magnum novum cum tegulis in Uthin ædificavit, expoſitis ferme DCCC. marcis. Sequenti anno redemit ex bonis ſalinaribus in Luneburg, per Dominum Albertum prædeceſſorem ſuum de conſenſu Capituli ſui, alienatis & venditis pro ſex millibus marcarum, ſummam DCCCC. marcarum, & ſic menſa Epiſcopalis relevata eſt annuo in XLV. marcis. Paulo poſt in arce Uthin novam fontanam cum canalibus ſubterraneis in magnum commodum arcis poni curavit, ut aqua in quatuor locis recens habeatur, exburſavitque CC. marcas & ultra. Diruit etiam lapideam porticum arcis & novam porticum ex fundo cum nova Sala & feneſtris digne aptavit, & impenſas fecit D. marcarum. Depoſt revoluto anno vendidit ob cauſſam ſatis moleſtam Hans Rantzow en in Lancke commorante circa Gikow, Lubicenſis diœceſis, certam villam Dargherde prope Lutkenborg, olim ad parochialem Eccleſiam in Lutkenborg pertinentem, quæ menſæ Epiſcopali Lubicenſi incorporata eſt, pro M. marcis Lubicenſibus, licet carius vendi potuiſſet. Cum quibus M. marcis redemit reditus annuos à Proconſulibus Lubicenſibus, proviſoribus Hoſpitalis ſancti Spiritus Lubicenſis LX. marcarum, & ſic iterum menſa Epiſcopalis relevata eſt omni anno LX. marcis, quas ſolvere cogebatur. Graves etiam ſumptus fecit eundo & redeundo cum octo equis ad divam virginem Mariam in eremo apud Helvetios. Anno vero MDII. aſſociavit regio nomine cum XXX. equis & curru filiam Regis Daciæ, quæ fuit maritata Marchioni Brandenburgenſi, Electori, Imperii ſacri Romani Principi, ad Stendaliam & ſubivit ingentes impenſas. Eodem anno conduxit magiſtros, ut purgarent & ſordes omnes ex foſſatis caſtri Uthinenſis eruerent, & ex fundo aquam mundam provocavit, & foſſatum altius extollens expoſuit ultra C. marcas. Et eodem tempore fecit fieri novum ſtabulum in ſuburbio cum tegulis, deſtruendo aliud in arce propter periculum ignis, pro quo expoſuit ultra CC. marcas. Etiam emit à mercatore pro utilitate eccleſiæ Lubecenſis ſex patinas ſive ſcutellas argenteas, ex quibus veſci poſſet, cum dignis hoſpitibus. Obtinuit etiam à Rege Daciæ perpetuitatem villæ Roleveſtorp & molendini in Pauſtorp. In arce Uthinenſi antiquam Salam reformavit, & caminum novum poſuit, & longe dignius ad murum diſtinxit cum ante æſtuario, ubi expoſuit etiam ultra CCL. marcas, cum novis feneſtris. Interea honoratiores cives una cum magiſtratu novum cœnobium Sanctimonialium in honorem S. Annæ fundare & inſtaurare decreverunt in civitate Lubicenſi, & primum lapidem cum debitis ſolenniis & ceremoniis per præfatum Dominum Epiſcopum poni & conſecrari obtinuerunt, quod in die Martis ultimo Auguſti factum & impletum fuit. Interveniento tempore, Anno MDIII. in ſeptima ſancta quadrageſimæ Dominus reverendiſſimus Cardinalis, Presbyter Eccleſiæ S. Mariæ Novæ, Guercejus dictus, Apoſtolicæ ſedis per Germaniam & Daciam Legatus de latere, civitatem Lubicenſem intravit, & honorifice à dicto Domino Epiſcopo ac Conſulatu & civibus fuit ſuſceptus, &

poſt Paſchalia cum debita divini numinis invocatione differentiam magnam inter Regem Daciæ & ejus fratrem Ducem Fredericum Ducem Holtzaciæ ex una, & civitatem Lubicenſem ac alias civitates de Hanſa nimis execrabilem concordavit. Paulo vero poſt idem Dominus reverendiſſimus Cardinalis miſit Oratorem ſuum, præfatum Dominum Theodoricum Epiſcopum ad diætam Maguntiam pro concordanda differentia, quæ erat inter Palatinum Rheni electorem Imperii & Landgravium Haſſiæ, qui manſit ibi multis diebus, non ſine diſpendio ſuo. Anno MDIV. ſub octava trium Regum in Kylone redemit debita menſæ Epiſcopalis ſuæ, per Dominum Albertum prædeceſſorem ſuum contracta, valore quatuor millium & ducentarum marcarum Lubicenſium, pro quibus ſolvere conſueverat omni anno CCL. marcas; & ſic iterum relevavit menſam Epiſcopalem & benefecit eidem. Anno autem MDV. Lubicæ æſtuarium commune verſus Domum ampliavit, ita ut quatuor quadratæ menſæ ſive tabulæ collocarentur, & novis feneſtris ornavit. Superiorem quoque ſuam Cameram adinſtar diſtinctam, ampliavit tricliniis. Similiter in caſtro, cum aulam inferiorem ante Capellam cum æſtuario ruptis muris ampliaſſet, & aſcenſum lapideum extra murum collocari & caminum ab angulo in medium muri transponi curaſſet. Anno ſexto tabulatis eandem ornavit, & cum laqueariis depictis reddidit pulchriorem. Eo anno propter differentiam Ducis Frederici, & Johannis Daciæ regis, fratrum, conventu magno Principum habito in Kylone, aderat Theodoricus Epiſcopus, qui paulatim illic, & modico poſt in Plone cepit alterari, à pulmone laborans. Et dum pro honore Dei & matris ejus, feſto Aſcenſionis divinum ſolenniter cantaſſet & celebraſſet in Eccleſia Collegiata Uthinenſi officium, ſenſit ſe mirum in modum deficere. Voluit tamen die ſequenti pueros criſmare, quæ Dominica erat. Ne autem viſu deficeret, quo ſæpe laboravit, pillulas ante lecti ingreſſum recepit, quæ dum ad horam ſecundam poſt medium noctis peterent exitum, ſurrexit & camerario adjutus, in ſedem ad hoc aptatam & propinquam locatus eſt. Ubi præter ſolitum cum manſiſſet, à Camerario acceſſus, inventus eſt animam exſufflaſſe & Deo reddidiſſe: & quod dudum optaverat, ne longo cruciatu lecto decumberet, eſt conſecutus. Providerat jam ſibi de teſtamento recenter condito. Soror ejus unica, quæ ei aderat, intellecta ejus morte, citiſſime advolavit, ſperans eundem non penitus extinctum, ſe refocillaturum. Sed omnis ſpes & opera perdita. Illa citiſſime filio ſuo Henrico Bockholt, Præpoſito Lubicenſi hoc intimaverat, qui ubi acceſſit, cupiens ſcire tam inopinatæ mortis cauſſam, eum exenterari fecit, comperitque pulmones accreviſſe coſtis, & huic & ex pillulis interceptum halitum. Cadaver ejus Lubick ductum Clerus cum proceſſione ad portam Holtzaticam progrediens cum ſolitis cerimoniis in curiam ſuam collocavit, & ſolennes ſequenti die celebravit exequias. Sedit annis XIV. menſibus IV. & diebus XVI. Vixit annis LXIII. defecit ſequenti nocte poſt Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum. Sepultus in Choro.

Wilhelmus Weſtvahl, Lubicenſis, Decretorum Licentiatus, Decanus & Canonicus, Archidiaconus Roſtockienſis & Zuerinenſis Canonicus, vacante Eccleſia à Capitulo per viam ſcrutinii in Epiſcopum eſt electus die penultima Auguſti, Anno MDV. Hic à Julio Papa II. obtenta confirmatione, prorogationem de conſecrando ob ſui corporis alterationem bis obtinuit. Tandem ægre in Collegiata Uthinenſi, à Johanne Epiſcopo Ratzeburgenſi, duobus aſſiſtentibus Suffraganeis die octava Aſſumptionis, quæ erat Dominica, eſt conſecratus. Debili laboravit crure, ita ut vix primitias ſine magno labore ipſa die divi Blaſii in ſua Eccleſia ſolenniter perficeret.

Explicit.

HEN-

HENRICVS MEIBOMIVS
Júnior
LECTORI S.

DE Auctore hujus Chronici nullibi plenius aliquid reperias, quàm apud Continuatorem hujus Chronicæ, quem ſimul edo. Verba tamen *Alberti Krantzii* de eo, uti habentur *Metropol.* l. XII. c. 4. ſubjungam: *Lubicenſi Eccleſiæ tum poſt Arnoldum præficitur Pontifex D. Albertus, cognomento Krummedyck, ex genere miniſterialium Holſatiæ, Canonicus Lubicenſis, in Romana curia diverſatus. Cum prædeceſſore ſuo in Pruſſia cauſam magni belli contrectavit. Præfuit Eccleſiæ per annos viginti tres. Operoſus quidem Pontifex à Capitulo dilectus, ibiq; conſecratus. Qui Regi Daniæ nimis ad obſequia volens, ſuæ proinde Eccleſiæ gravis & oneroſus, nimium ſumptuoſus & ſplendidus. Legationes regias obibat, ſuis & Eccleſiæ impenſis, quod ipſum queſtus eſt: ſed nihil eo res facta eſt melior. Potuit aliquando quieviſſe ſed rebus aſſuetus magnis gerendis, ſeipſum quandoque videbatur ingerere. Cognationem ſuam locupletare voluit, ſed unde poſſet, non erat. Argentum formatum, quod duo ejus prædeceſſores donavere magno pondere ad decorem & inſtructionem pontificalis menſæ, cum cæteris avolavit. Non eſt, quod glorietur Eccleſia, ejus temporibus aucta Eccleſiæ prædia, ditatam menſam Epiſcopalem, extructas ædes, vel in Curia Lubicenſi, vel in arce Utinenſi. Bene haberet, ſi, quæ habuit ante etiam poſt illum teneret. Viginti millia marcarum æris alieni relicta ſunt in Eccleſia, quum moreretur. Creditum eſt, eum mærorem auxiſſe morbum, & fata eis properaſſe. Pii cordis videbatur Pontifex, cunctis benevolus, nulli negans audientiam, ad omnia verbo promptus, ut nemo duritiem ejus quereretur. Conſtantia aliquandò deſiderata eſt. Memoriam ſui reliquit apud multos creditores, qui quererentur & optarent, unde ſuum reciperet. Exornavit tamen magno ſumptu Crucem Dominicam in Eccleſia Lubicenſi quæ hodie inſignis viſitur in medio Eccleſiæ, ubi etiam tumulatus quieſcit.* Imprimis vero laudendus quoque eſt, quod Anteceſſorum ſuorum, Epiſcoporum Lubecenſium brevem hiſtoriam & Chronicis & Epiſcopalis Lubecenſis menſæ regiſtro concinnatam poſteris relinquere voluerit; quam ad ſua usque tempora, ſuperioris ſcilicet ſeculi initium continuavit, Anonymus quidem, ſed non contemnendus ſcriptor. Videntur vero duo in paucorum manibus hactenus fuiſſe, nunquam certe publicam lucem aſpexerunt. Allegat *Krummendyckium* aliquoties Vir CL. *Henricus Bangertus* in notis ſuis ad *Helmoldum* p. 214. & p. 330. uſus illo ipſo MSto, à nobis mutuò accepto, quod nunc publico. Bene meriturum me arbitratus de Patria meo Imperiali Lubeca, dum de Epiſcopis eorum ago, deque ipſis Epiſcopis Lubecenſibus, ex quorum numero ul-

(Fff) 2 timi,

timi, ex Sereniſſima Ducali Holſatica familia oriundi, JOHANNES & CHRISTIANUS ALBERTUS, glorioſiſſimi Principes, Parenti meo mihique ſingularis clementiæ ſigna plus vice ſimplici exhibuerunt. Poſſem vero nunc ex *Helmoldo* & *Arnoldo Lubecenſi*, cujus ipſis ſæpe verbis utitur *Krummendyckius*, & *Alberto Crantzio* hoc Chronicon alicubi illuſtrati; ſed id mei inſtituti non eſſe ſæpius profeſſus ſum. Poterit autem Lector reliquos Epiſcopos ſuperioris ſeculi ex *Chytræi* hiſtoria Saxoniæ petere, & eorum, qui hoc ſeculo Eccleſiam illam rexerunt, & ea addere, quæ habet diligens *Danckwertus in Topographia Holſatiæ* part. III. c. 8. Unum tantum & alterum monebo.

Crummendyckius primum Epiſcopum Aldenburgenſem facit *Marconem*, & conſentientem ſibi habet, imo ſecutus eſt *Helmoldum*, qui lib. 1. Chron. Slav. c. 12. ita de hoc Epiſcopo ſcribit: *Huic urbi* (Aldenburg) *præcellentiſſimus Cæſar Pontificem dederat venerabilem virum Marconem, ſubdens ei omnem Obotritorum provinciam, usq; ad Penem fl. & urbem Dimine: præterea civitatem opinatiſſimam Sleswick, quæ alio nomine Heidebo dicitur, ejusdem curæ deligavit.* Et hunc deinde *populos Obotritorum ſeu Wagirorum ſacro baptiſmatis fonte laviſſe* addit. Non parum proinde miror, ab *Adamo Bremenſe* hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 8. Edvvardum vocari primum Epiſcopum Aldenburgenſem, qui quidem primus fuit Epiſcopus, ex quo Slavicus ille Aldenburgicus Epiſcopatus Archiepiſcopatui Hamburgenſi ab Ottone ſubjectus: primus etiam, quem Archiepiſcopus Hamburgenſis Adeldagus ordinavit Epiſcopum, aliàs jure primus nominatur *Marco*, ceu etiam docet *Alb. Crantzius Metrop.* l. 3. c. 29.

Egwardum ſcribit *Adamus Bremenſis hiſt. Eccl.* l. 2. c. 8. *Latinè dici Evagrium*, quàm rectè, ipſe viderit. In aliis exemplaribus legitur *Euwargus*, ab *Helmoldo* l. 1. c. 12. *Edwardus* vocatur: ab Adaldago Hammenburgenſi Epiſcopo eſſe ordinatum, conſentiunt omnes.

In *Wagonis* hiſtoria ſecutus eſt *Helmoldum*, & quidem in narratione de ejus ſorore Obotritorum regulo Billingio data, quam tamen ille multo pleniorem habet lib. 1. c. 13.

Eziconis tempore Slaviam à fide receſſiſſe, nec *Adamus*, nec *Helmoldus* habent, ſed potius illius tempore Slavos perſtitiſſe in fide, & eccleſias ubiq; & monaſteria erecta. Poſt Eziconem vero contigerunt ea quæ de LX. presbyteris trucidatis refert *Krummersdyckius*, ſine dubio ex *Adamo*, cujus ipſa verba ex lib. 2. c. 30. magnam partem retinet.

Quæ de *Bennone* habet, omnia penè ex *Helmoldi lib.* 1. c. 18. verbis ejus retentis, *Helmoldo* etiam citato.

Quæ ſub *Ezone* contigit Aldenburgenſis Epiſcopatus diviſio per Adelbertum Archiepiſcopum Hammaburgenſem, memoratur ab *Helmoldo lib.* 1. c. 22. Quæ de *Vicelino* habet, etiam ex *Helmoldo* deſcripſit, qui tamen multo plura habet.

Et hæc quidem ſufficiant. Vale, Lector, & fave.

ANNA-

ANNALES GERNRODENSIUM

M. ANDREÆ HOPPENRODII.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

IN vera Eccleſia Dei, omnibus ætatibus, ea cura fuit ſacerdotibus demandata, ut una cum doctrina Legis & Evangelii ſimul auditoribus ſuis annorum ſeriem, ac Hiſtoriam Eccleſiæ omnium temporum in certos faſtos digeſtam, proponerent. Ut homines agnoſcerent ingens Dei beneficium eſſe, quod conſervet Eccleſias & det ſalutares gubernatores, ipſum celebrantes & invocantes: quod pericula avertit diſſipationum, bellorum, morborum & contagionum. De his beneficiis, ut piæ mentes gratias agant Deo, ac precentur, ut deinceps etiam cum hæc pericula, tum alia depellat impedimenta, quæ nocere huic Eccleſiæ & adferre publica detrimenta poſſent: commendare poſteritati propoſui, initia hujus Eccleſiæ Gernrodenſis, conſervatæ immenſa Dei bonitate, inter gentium confuſiones ac imperiorum ruinas, jam per annos ſexcentos. Deinde inſigniores mutationes in gubernatione digniſſimæ; ut omnibus in conſpectu ſint, quomodo aliæ poſt alias in locum & ſtationem, mirabili modo ſic Deo hanc Abbatiam gubernante, ſint collocatæ atque legitimo & juſto modo ordinatæ. Etſi vero minus ſalutares Gubernatores Abbatia interdum habuerit, ac multæ ac magnæ incidant difficultates, in omnem quantumvis placidam & tranquillam gubernationem, nam hominum naturæ ſunt infirmæ: tamen Dei beneficio, multæ Reverendiſſimæ, Illuſtriſſ. Principes, ac multæ generoſæ Dominæ, ſumma cum dignitate ac laude, magnum decus & ornamentum nullis intermoriturum ſeculis, huic Abbatiæ attulerunt. Inter ſalutares & felices Abbatiæ gubernatores, quam glorioſa fuit gubernatio Illuſtriſſimarum Principum ac Dominarum ortarum ex Illuſtri ſtemmate Ducum Saxoniæ ac Principum Anhaltinorum, quorum

rum præcipua fuit celebritas in Germania jam annis 500. Ex tantis Principibus aliquot non tantum alumnæ & membra Abbatiæ fuere, ſed Magiſtratus mores ac moleſtias perferre non recuſaverunt. Illarum igitur memoria repetitur & celebratur, uti par eſt & fieri decet, gratiſſima atque honorificentiſſima mentione. Ac ut conſervaretur memoria antiquiſſimorum monumentorum, in hac Eccleſia, gravi, pio & bono conſilio inchoata & ordinata eſt Bibliotheca, in qua colligitur theſaurus optimorum ſcriptorum. Eccleſia enim debet domicilium eſſe librorum, in quibus vocem ſuam Deus patefecit, & ſeriem temporum à mundo condito promulgavit. Hos ut depoſitum ſacroſanctum, in hoc domicilio ſuo cuſtodiri vult & propagari. Quod autem vita & gubernatio ſingularum Abbatiſſarum, hoc libro eo ordine non eſt annotata, quo decet deſcribere hiſtorias clarorum virorum, in quibus ornandis, ſolet mentio fieri Natalium, Educationum Rerum geſtarum & exitus vitæ, ratio eſt, quod plurima cognitione à Prædeceſſoribus meis non ſunt annotata, tantum breves Titulos in veteribus membranis ſignatos eſſe reperi, ex quibus utcunque narrationem contexui. Reliqua enim quæ non dubiis hiſtoriarum monumentis hodie conſtant, prorſus intercidere nolui; præſertim quæ de bellicoſiſſimo Duce Saxonum Gerone in monumentis antiquis ſuperfuere, in hunc librum digeſſi, amore patriæ motus. Ac ſpero hoc meum ſtudium candido lectori probatum iri. Oro autem æternum patrem Domini Jheſu Chriſti, ut hanc Eccleſiam, divinam in laudem à prædicto Duce & Marchione dicatam, non ſinat turbari, aut barbaricis vaſtationibus diſſipari: Sed deinceps clementer, pro ſua admiranda bonitate tueatur & regat, ut in eâ maneant & vigeant, vox Evangelii, honeſta ſtudia pietatis, leges, judicia & omnes nervi diſciplinæ, nosque omnes faciat σκεύη ἐλέους, ut unum ſimus in ipſo, Amen. Die 14. Cal. Julii Anno 1564. quo die ante annos ſexcentos vitam in terris clauſit ſuam, Illuſtriſſ. ea ætate, Dux Saxoniæ Gero, hujus Abbatiæ autor & fundator.

M. Andreas Hoppenrodius.

Gratitudo

GRatitudo eſt bene meritorum Principum memoriam conſervare, qui Eccleſiam Chriſti propagarunt, ac barbaros ad Evangelii doctrinam amplectendam adduxerunt.

Quare recitabo hiſtoriam laudatiſſimi Marchionis Geronis, qui ante annos ſexcentos, hanc Eccleſiam Gernrodenſem ad gloriam Dei æterni, & veritatis propagationem & ſalutem publicam & privatam omnium tam ſuorum quam externorum, conſtituit, ac ordinavit.

Natus fuit è celeberrima proſapia ſtirpis Comitum Stadenſium, quorum ea ætate, præcipua fuit celebritas in Saxonia. Ad ſtudium militare eum fuiſſe inſtitutum & aſſuefactum, oſtendunt inſignes ejus Victoriæ, quæ celebratæ fuerunt temporibus duorum ſummorum Imperatorum Henrici primi & Ottonis primi. Nam Henricus Auceps, cum Brandeburgum aſperrima hyeme expugnaſſet, profligatis Henetis & Sorabis Anno Chriſti noningenteſimo viceſimo ſeptimo: limitum præſides deſignavit, quos Marchiones nominamus, ut Marcas ab hoſtium incurſionibus cuſtodirent. Marchiam igitur Brandenburgenſem commendavit Duci Sigefrido, fratri conjugis Mechtildis: Marchiam autem Luſatiæ Duci Geroni. Hi duo Duces, primi Marchiones in Germaniâ, novam dignitatem ab Imperatore Henrico acceptam, ſumma cum laude ac utilitate Saxoniæ defenderunt: præſidio firmo, hoſtiles populationes Sclavorum ad Albim & Salam cohibuerunt, & armis propulſarunt.

Deceſſerunt autem ex hac mortali vita eodem tempore, Imperator Henricus & Sigefridus Marchio Brandenburgenſis. In Imperio igitur cum Anno Chriſti noningenteſimo, triceſimo ſeptimo, Henrico Aucupi ſucceſſit filius Otto, qui propter rerum geſtarum amplitudinem, poſtea dictus eſt magnus: Marchiam Brandeburgenſem poſt obitum Marchionis Sigefridi, quia non reliquit hæredem, Tanguardus frater Ottonis ex patre, non vero matre, hæreditario jure petivit. Sed Gero Marchio Luſatiæ, ob virtutem, ſapientiam & felicitatem in rebus bellicis Henrico Aucupi præſtitam, admirationem peperit, & conciliavit favorem Imperatoris Ottonis Magni tantum, ut Marchiam Brandeburgenſem, invito fratre Tanguardo, illi deſtinaverit ac Regali donatione conceſſerit. Tanguardus indigne ferens Marchionem Geronem ſibi præferri, qui fuerit, Jure ſucceſſionis, mortuo Marchioni proximus, bellum movit contra fratrem Ottonem, ac in belli ſocietatem concitavit, Eberhardum Franconiæ Ducem & Giſelbertum Lotharingiæ Ducem, ſed ſtatim pœnas dedit rebellionis. Nam in oppugnatione Heresburgi in templo, juxta altare (ut ſcribunt Urſpergenſis & Crantzius) à copiis Ottonis eſt perfoſſus.

Gero Marchio Luſatiæ, Deo ſic fortunante conſilia & conatus ordinariæ & legitimæ poteſtatis, habitus eſt ab Ottone Magno, primus inter omnes ſuos Duces; & opera ejus atque conſiliis ad magnas res in gubernatione, plurimum uſus eſt. Obtinuit igitur Marchiam Brandeburgenſem & hanc conjunxit cum Marchia Luſatiæ eo tempore, per decennium ab ipſo, antea glorioſè adminiſtratæ. Anno noningenteſimo quadrageſimo primo, Otto Imperator, ex ſacro fonte baptiſmatis, Marchioni Geroni ſuſcepit filium, quem in memoriam Sigefridi Marchionis, nominavit Sifridum. Memorabilis eſt liberalitas & munificentia Ottonis, in ſacro Baptiſmate recens nato Marchioni Sigefrido exhibita, quam ipſius oſtendit decretum in Eccleſia Gernrodenſi, Dei beneficio, in hodiernum diem conſervatum: cujus decreti tenor talis eſt:

Decretum Ottonis Magni, roboratum Marchioni, Anno Chriſti 941.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina opitulante gratia REX, Comperiat omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum induſtria, quod nos flagitationibus dilectiſſimi Marchionis noſtri Geronis ceterorumque Comitum, noſtri ejuſ-

dem Geronis filio, noſtro autem ſpirituali filiolo, videlicet Sifrido, quem ſacri baptiſmatis fonte levavimus, in Comitatu prælibati patris ejus, in pago, Svevon nuncupato, obtemperantes: conceſſimus in proprium totum ſcilicet, quod Marchio Gero, in villis Oſter-Egeln & Weſter-Egeln dictis, noſtri tenuit beneficii. Hoc ſolum excepto, quod de prædio ſancti Wigberti ad Abbatiam Herisveldenſem pertinet, præſtitum ei habuimus has villas, cum omni proprietate quam intra illam Marcham hactenus habuimus. Eidem ſupradicto Sifrido jure perenni in proprium hoc Regali præcepto tribuimus, cum novo caſtello in Oſteregeln conſtructo & omnibus appenditiis ſuis. illuc legaliter aſpicientibus, mancipiis, agris, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarum decurſibus, molendinis, piſcationibus, viis & inviis, terris, cultis & incultis. Præterea Sylvam in ſaltu Kakel dictam, illi dedimus, quam Bardo prius in beneficium tenuit, juxta villam Cocſtede. Inſuper & duodecim mancipia, quorum nomina ſubter notata ſunt. Paulus, Wendo, Bone, Achter, Chriſtan, Wermburg, Henricus, Rodger, Henno, Hille, Ache, Ditmer. Juſſimusque hoc decretum conſcribi, per quod Regia poteſtate ſanximus, ut memoratus Sifridus de his omnibus noſtro dono ſibi in proprium collatis, liberrimam habeat poteſtatem habendi, vendendi, donandi, commutandi ſeu quicquid exinde ſibi placuerit, faciendi. Manu noſtra ſubtus ſignatum, & annuli noſtri impreſſione roboratum. Datum 8. Idus Junii. Anno incarnationis Domini 941. indictione 13.

Otto Imperator cum ſuis præfeciſſet exercitibus Geronem, Marchionem Brandeburgenſem & Luſatienſem: Vagrii, Hevelli, Obotriti, Uchri & Zuſiki conſilia communicarunt de interficiendo Gerone, inſignem ob virtutem, ſapientiam & felicitatem, quæ formidabilis fuit cunctis barbaris. Itaque convenerunt triginta barbarorum Duces, ut conjunctis viribus, magno numero militum ſtipati, impetum in eum facerent atque trucidarent. Sed Marchio Gero poſtquam terribilem illorum adventum cognoviſſet: intrepido animo ac magna celeritate cum copiis ſuis, nocte irruit in eos, & triginta barbarorum Duces oppreſſit, ac una nocte omnes extinxit. De illa magna ſtrage Principum barbarorum, reperti ſunt Uvitebergæ in celeberrima Bibliotheca, Illuſtriſſimi Principis, Ducis Saxoniæ, Electoris Friderici, hi Rithmi Germanici:

Zu Lauſſnitz erſter Fürſt was ich
Driſſig Wendiſcher Hern todtet ich
Stifftet Gernrode von eigener Habe
Do ſelbſt man ſicht noch heit mein Grab.

Witichindus Monachus, qui deſcripſit res geſtas Ottonis primi, tertio libro geſtorum Saxonicorum his verbis laudat Geronem: Erant quippe in Gerone multæ artes bonæ, bellandi peritia, in rebus civilibus bona conſilia, ſatis eloquentiæ, multum ſcientiæ, & qui prudentiam ſuam opere magis oſtenderet quam ore: in acquirendo ſtrenuitas, in dando largitas, &, quod optimum erat, ad cultum divinum bonum ſtudium. Quæ poteſt major laus de Principe, induſtria militari & bellica laude clariſſimo, dici aut cogitari? Hæ virtutes in Marchione Gerone enituerunt in bellis, ab Ottone Imperatore geſtis contra Vandalos, Francos, Lotharios, Danos & Sclavos: Ottonem ter in Italiam ſecutus eſt, ac maximæ Ottonis Magni res geſtæ ſunt Geronis auxilio & virtute.

Debellatis tot barbaricis Principibus circa annum Domini noningenteſimum, quadrageſimum quartum, à Gerone Marchione conſcripti milites, cum crebra expeditione fuiſſent attenuati, nec præmiis & ſtipendiis adjuti & ornati, eo quod paſſim tributa eſſent denegata, & publicæ penſiones diſturbatæ: exarſerunt in Ducem, & diripere atque prædari ejus provincias tentarunt. Otto dum in Alſatia bello contra Henricum fratrem eſſet diſtentus, ſeditione intellecta, Geronem ſibi dilectiſſimum noluit deſerere. Magnis igitur confectis itineribus, ſeditionem volens reprimere, milites odia in ipſum Imperatorem converterunt. Sed Otto fideliſſimorum bellatorum manu ſtipatus, graviter in autores animadvertit, & reliquos qui in præliis Marchionis Geronis ſtrenuè pugnaſſent, regalibus donis ornavit ac ditavit. Expertus eſt in hoc conflictu ſuorum militum Marchio Gero, verum eſſe, quod de ſuis civibus ſeditioſis Thucydides inquit: πᾶσα ἰδέα κακοῦ ἐστιν ἐν στάσει. Omnis ſpecies mali eſt in ſeditione.

Ita

Ita quanquam fuit in magnis difficultatibus, divinâ tamen protectione eſt ſervatus, & incolumis evaſit. In civilibus autem bellis Germaniæ, denuo crevit potentia barbararum Gentium. Nam Obotriti Haicam Ducem Ottonis, cum ingenti exercitu deleverunt. Tali ſucceſſu ferociores facti, inhiarunt limitibus Marchionis Geronis, jam pridem temporibus Henrici primi amiſſis. Igitur Imperator Otto cum animadvertiſſet, non ſufficere Geronem contra omnes illas nationes barbaricas, conjunxit ſuum exercitum cum copiis Marchionis Geronis, qui Obotritos adeo profligarunt, ut non potuerint in poſterum vires colligere, tantum etiam terrorem cœteris barbaris incuſſerunt, ut ad Chriſtianam fidem ſeſe converterint & impetrata pace, arma depoſuerint. Ludolphus filius Ottonis Magni, in præmium virtutis & laudis bellicæ, Anno Chriſti noningenteſimo quinquageſimo ſecundo, omnem regionem Sermunt, quam liberalitate parentis acceperat, Marchioni Geroni conceſſit & donavit, ut tali Regali munere, glorioſiſſimum ducem ornaret, atque ſibi perpetua amicitia devinciret.

Teſtantur illud hæ literæ Ottonis:

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto, Dei favente clementia Rex. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris præſentibus & futuris, quod nos omnem regionem Sermunt nuncupatam, filio noſtro Ludolpho in proprietatem donavimus. Filius vero noſter, Conradi Ducis, noſtrique Marchionis Geronis interventu, tres Marcas ejusdem prædictæ regionis, cum omnibus appenditiis & adjacentiis ſuis, jure perenni ſupra nominato Marchioni, in proprietatem donavit. Poſteaque prædicti noſtri nos obtemperantes petitioni, probationique, juſſimus inde hoc præſens præceptum conſcribi per quod volumus firmiterque jubemus, ut prænotatus Marchio noſter Gero, de his omnibus, noſtro dono ſibi in proprium conceſſis, à modo & deinceps omni tempore liberrimam teneat poteſtatem habendi, donandi, vendendi, ſed quicquid placuerit ſibi ea inde faciendi. Hæc noſtra conceſſio ut obtineat vigorem, manu noſtra ſubtus eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Datum 5. Calen. Auguſti, Anno Dominicæ incarnationis 952. indictione octava. Regnante pro Ottone Rege anno 15. Actum Walahuſen in Dei nomine feliciter, Amen.

Anno ſequenti Imperator Otto, Victor ex Ithalia cum rediiſſet, conſpirarunt contra eum, filius, gener, Arnolphus Schirenſis comes, & Epiſcopus Moguntinus, propterea quod duxiſſet in uxorem Adelheidin viduam Lotharii regis Ithaliæ. Igitur Imperator cum Gerone Marchione, qui in fide ſua antiqua permanſerat, obſedit rebelles Moguntiæ. Sed poſt quadraginta dies, obſeſſi, clam Imperatore, nocte aufugerunt cum expeditis copiis Ratisbonam, & urbem nihil hoſtiliter metuentem, occuparunt ac præſidio impoſito firmarunt. Imperator illos inſecutus, Ratisbonæ occidentalem partem cum inſtructo exercitu ipſe obſedit, orientalem vero Marchio Gero. Cum per multos dies fortiter utrinque pugnatum eſſet, fames oppidanos urgere cœpit. Egreſſi ergo ad pugnam, intus inſtructa acie, pedites equiteſque impetum fecerunt in caſtra Geronis, tot victoriis quot præliis clarum, pugnatum eſt eo die à tertia usque ad nonam horam noctis, in quo conflictu Arnolphus telis perfoſſus & armis exutus occubuit. Vide Crantzium lib. 4. cap. 5. Urſpergenſis dicit, Ludolphum tentaſſe Geronem, tot victoriis, quot pugnis clarum. Tam continentibus bellis Marchio Gero implicitus, Uchri rati potentiam ejus & vires Saxoniæ exhauſtas eſſe, irruperunt populabundi intra limites Geronis. Contra hos copias ſuas duxit Marchio Gero, ac prælio commiſſo, ſumma gloria & virtute eos devicit, Anno Chriſti, noningenteſimo, quinquageſimo quarto. In eo prælio fuit ei præſidio, Dux Conradus gener Imperatoris, cum valido equitatu ab Imperatore in auxilium miſſus. Prædam ingentem de hoſtibus duxiſſe, & hac Victoria lætitiam magnam Saxoniæ exortam fuiſſe, Witichindus ſcribit. Parta de Uchris Victoria, Marchio Gero ſecutus eſt Imperatorem Ottonem in bellum Ungaricum, quod incidit initio Auguſti, Anno Chriſti, noningenteſimo, quinquageſimo quinto & trium dierum continenti prælio duravit. In quo prælio Dux Conradus gener Imperatoris, & multi præſtantes viri ceciderunt. Interea Sclavi vario eventu, cum Duce Hermanno, in defenſionem Saxoniæ relicto, trans Albim pugnarunt. In depopulando autem immanem

 ſævitiam

ſævitiam Cocareſcemis exercuerunt. Urbem enim, contra fidem datam civibus, funditus everterunt, ac nullum ex propugnatoribus ſuperſtitem reliquerunt. Ideo Imperator Otto debellatis Ungaris, hoc ſcelus ulturus, per illorum improbiſſimorum hominum regiones eſt reverſus, ferro & igne omnia vaſtans, usque ad Raxam fluvium tranſitu propter paludes difficillimum. Ubi ab hoſtibus fuit circumfuſus & prohibitus ab opere & itinere. Fuit à tergo arborum robore & armatorum manu vallatus: ex adverſo fluvius, fluvioque contigua palus. Dum Imperator in his anguſtiis per plures dies eſſet, ac exercitus morbo & fame periclitari cœpiſſet, miſſus eſt Marchio Gero, ad Stoinefgerum principem barbarorum, colloquendi gratia: Si ſe Imperatori dederit, amicum non hoſtem fore. Igitur Gero ſuper paludem & flumen principem barbarorum ſalutavit. Cui Sclavus æqualia reſpondit. Ad quem Marchio: ſatis tibi eſſet, ſi bellum gerens contra unum noſtrorum de ſervis Domini mei, & non contra Dominum meum Regem. Quis tibi exercitus? quæ arma, ut talia præſumas? ſi aliqua vobis virtus, ſi artes, ſi audacia adſit, date nobis locum ad vos tranſeundi, ſive vobis huc veniendi: ut æquato loco fortitudo pugnatoris appareat. Sclavus barbarico more frendens, & multa convicia evomens, irriſit Imperatorem videns eum multis & magnis moleſtiis & incommodis aggravatum. Sed Marchio Gero ad hæc commotus, ut fuit animi ardentiſſimi. In Heroicis enim Viris Nemeſis dominatur: Craſtinus, inquit, dies declarabit, tu & populus tuus fortes viribus ſitis, an non: Nam cras vobiſcum congredientes, procul dubio nos videbitis! Reverſus in caſtra, retulit Marchio Gero quæ audierat. Imperator itaque nocte conſurgens, juſſit ſagittis & aliis machinis bellicis hoſtem ad pugnam provocare, & quaſi vi flumen ac paludem velle tranſcendere. Sclavi autem nihil aliud, niſi terrorem excitari, heſterna comminatione ſimilem, rati: iter totis viribus defenderunt. At Gero cum paucis miliare ferme unum à caſtris diſcedens, hoſte ignorante, tres pontes celeriter conſtruxit, ac miſſo nuncio ad Imperatorem, totum exercitum revocavit. Ottonis legiones cum perveniſſent ad pontes, obviare illis barbaris contenderunt. Sed pedites barbarorum longiorem viam currentes, & inopinatum certamen ineuntes, fatigatione diſſoluti, militibus Imperatoris ceſſerunt, atque fuga præſidium quæſiverunt. Stoineſgero colle eminentiori cum equitibus eventum belli exſpectante, ſocios inire fugam cernens, fugit & ipſe, abdiditque ſe cum duobus ſatellitibus in ſylvam quandam, in qua repertus, à militibus eſt occiſus. Poſtea Marchio Gero eduxit in prælia, filium ſuum Sifridum ſedecim annorum adoleſcentem, ut paternæ virtutis & ſpectator & imitator eſſet. Statim autem Heroica natura in eo ſeſe exeruit, in rebus geſtis contra Wichmannum patruum Imperatoris, quem tribus magnis præliis Gero ſuperavit, Anno Chriſti, noningenteſimo, quinquageſimo ſeptimo. Is ob hanc cauſam exarſit in Ottonem, quod in imperio ad ſummos honores eveheret tantum bene meritos duces, & conſilia cum illis communicaret, ſe excluſo, qui cognatione ei proximus, & jure ſucceſſionis hereditatibus ampliſſimis ornatus. Totis igitur viribus bellum movit contra Marchionem Geronem, eo tempore virtute bellica & victoriis celebratiſſimum, ut illo expugnato, omnem laudem victoriarum in ſe transferret ac immortale nomen ſibi compararet. Sed Wichmannus, etſi fuerit potens, fortis, & belli non ignarus: infeliciter commiſſis duobus præliis cum Marchione Gerone, tertia vice victus, dedit ſe in fidem Geronis & filii ſui Sifridi, obſecrans, ut intercederent pro eo apud Imperatorem patruum ſuum, & culpam deprecarentur. Interpoſita ergo fide pro ſupplici, apud Ottonem vix pater & filius obtinuerunt, ut ei concederetur cum Imperiali gratia, in patria degere & conjugis patrimonio frui. Non coactus ſacramentum terribile Geroni videri dedit: ſe contra Imperatorem atque Imperium Ottonis nunquam aliquid perverſe conſilio aut re facturum. Dimiſſus verò fidem datam infregit, & ad rebellionem ſollicitavit Haroldum Danorum Regem, qui non cito ob perfidiam, volens ſibi ſociare Wichmannum, etiamſi bellum adornaſſet contra Ottonem, dolum ejus patefecit. Marchio igitur Gero non immemor juramenti, cum Wichmannum accuſari & reum eſſe cognoviſſet, expulit illum patria, in quam eum reſtituerat ac ad Barbaros relegavit. Ab illis libenter ſuſceptus, cum denuo arma contra Imperatorem ſumpſiſſet, ſpiritum in magnis anguſtiis & miſeriis exhalavit. Ita Deus divinitus perfidiam

Wichman-

Wichmanni ultus eſt. Nam univerſaliter omnes perjuros horrendæ pœnæ obruunt, ut dicitur in Tibulli verſibus, qui ex Homero ... ſumti ſunt:

Ab miſer, & ſi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Duo magna prælia deinde Miſca, Rex Zucicavicorum, cum Marchione Gerone commiſit, circa Annum Chriſti, noningenteſimum, quinquageſimum nonum: perſuaſus, ſe attriturum potentiam & vires Victoris tot Sclavorum populorum, ſi propulſaverit duabus vicibus impetum & vim Marchionis. Omnem enim ejus fortitudinem & ſapientiam, in celeritate & felicitate ſitam eſſe. Diviſit igitur populum ſuæ poteſtatis & ſtipendiarios milites in duas partes: Primam pugnam fratri ſuo, viro ſtrenuo commiſit, Alteram ipſe Rex duxit, ut in priori pugna copiis Geronis defatigatis & enervatis, eo facilius hoſtem compeſcere poſſet. Sed cohortes Marchionis Geronis, cum in prima acie fratrem Regis trucidaſſent, & ejus exercitum profligaſſent: elariori animo, victores alteram pugnam aggreſſi, Regem Miſca ceperunt, ac exercitum ejus funditus deleverunt. Præterquam quod prædam magnam, victor exercitus invenit, Gero à debellato Rege, magnam vim pecuniæ extorſit. Poſtremum bellum geſſit Marchio Gero, contra barbaricos Sclavorum populos, qui dicti ſunt Zuſici, hos etſi jugo Imperii ſubdidit, & fidem Chriſtianam accipere coëgit: tamen hæc Victoria parta eſt, non ſine ſuo cum diſcrimine ac periculo vitæ. Nam in eo prælio Sifridus filius Geronis, & multi in Saxonia præclari viri, nobilitate generis & virtute præſtantes, fortiter pro patria pugnando occubuerunt. Gero victor etiam graviter vulneratus in brachio fuit: tamen nunc quoque divinitus eſt ſervatus, Deo fortiſſimum propugnatorem orbis Chriſtiani protegente & liberante, juxta promiſſionem in Sacris Bibliis ſæpe repetitam: Bonos principes Deo curæ eſſe, & ex multis periculis & miſeriis, non ope humana vel conſilio, ſed à ſolo Deo liberari. Marchio Gero poſt caſum filii Sifridi, ſeſe convertit ad cultum divinum atque curam Marchiarum depoſuit. Marchiam Luſatiæ quadraginta duobus annis fortiter defenſam, propter affinitatem deſignavit Duci Chriſtiano, qui è Sorore Geronis filium Ditmarum reliquit: Brandeburgenſem vero Marchiam triginta duobus annis ſumma cum gloria gubernatam, obtinuit Brunnico, cujus ſepulchrum Brandeburgi extat in monte Harlungorum. Ante interitum Sifridi, ſenex pater amiſit ætate immatura filium Geronem, ac dilectam conjugem Magdalenam, filiam Alberti Urſi, quam non dubium eſt, fuiſſe ex antiquiſſima & celeberrima familia principum Aſcaniæ, quæ tunc Vicinam oram Albi & jugis Herciniæ poſſedit, atque fortiter annis defendit. Superſtitem habuit Marchio Gero, unicam filiam Hathwigam, à tenera ætate ad agnitionem veri Dei, ad invocationem, modeſtiam & caſtitatem poſt obitum matris Magdalenæ, educatam à Mechtilde filia Imperatoris Henrici primi, quæ fuit prima Abbatiſſa in Quedlingburg. Paulo enim ante mortem Henrici Aucupis fundata fuit ab ipſo Imperatore Abbatia Quedlingburgenſis.

Trigeſimo ergo anno poſt fundationem Abbatiæ Quedlingburgenſis, inchoavit Marchio Gero fundationem Abbatiæ Gerodenſis. Locus dictus fuit ante fundationem Rode. Huic appellationi fundator nomen ſuum, in memoriam fundationis præpoſuit, ut Abbatia à nomine ſuo nomen retineret, Gerorode. Conſtruxit ædem ſacram, Anno Chriſti, noningenteſimo ſexageſimo, in qua docerentur ſcripta Prophetica & Apoſtolica, ac decantarentur à cœtu fidelium Pſalmi, ut legentem vel audientem poëma Davidis, tanta rerum, verborum & ſententiarum gravitate & elegantia ornatum, moveret ad doctrinam Chriſtianam, & cultum divinum. Attribuit etiam Abbatiæ pagos, prædia, ſylvas, agros, piſcationes & certos reditus, quibus pauperes familiæ, virgines & miniſtri Eccleſiæ alerentur. Imperator Otto Magnus, memor dicti Eſaiæ, Reges erunt nutritores tui, fundationem Marchionis Geronis, publico Imperii decreto approbavit, ac Regaliis, privilegiis, & donationibus ornavit & confirmavit. Deinde extructis ædificiis Gero profectus eſt Romam, reverentia autoritatis Pontificiæ, & ſacram ſuam conſtitutionem, de more & conſuetudine illius ætatis, Romanæ Eccleſiæ exhibuit, tempore Johannis duodecimi, à quo Papales bullas, peractis precationibus, in Baſilica Petri & Pauli pro ſalute animæ ac filiorum habitis, petiit, & datis muneribus impetravit.

FUNDATIO GERORODENSIS DESCRIPTA à MARCHIONE GERONE.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Temporibus Domini Johannis ſummi Pontificis duodecimi Papæ. Regnantibus Dominis ſereniſſimis ac piiſſimis Imperatoribus, Ottone ejusque æquivoco filio, Anno Imperii ejus ſecundo & regni filii tertio. Ego Gero, divina diſpenſante gratia Marchio, poſt acerbam mortem filiorum meorum, Sifridi & Geronis, ſtruxi Monaſterium puellarum, in quo Abbatiſſa Hathwich præeſſe dinoſcitur, in honorem beatæ Mariæ, Genetricis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & beati Petri Principis Apoſtolorum, cui Dominus poteſtatem contulit ligandi atque ſolvendi, in cœlo & in terra, ut ipſi maneant placata in perpetuum pro redemtione animæ meæ & filiorum meorum, qui de hac terrena luce juvenili flore migraverunt. Ob hoc paulo poſt accepta licentia Imperatoris, limina Apoſtolorum Petri & Pauli adii, & idem Monaſterium cum omnibus pertinentiis & annuis reditibus, Deo in perpetuum ſubdidi. Accepi autem Pontificialis privilegii paginas, poſtea Imperatorum meorum ſeria mandata. Nunc etiam per hujus privilegii mei textum præcipio, ut nullus cohæredum meorum poteſtatem habeat, vel dominandi, ſeu de rebus, Deo dicatis alienandi, aut donandi. Sed volo atque conſtituo, ut omnia integra & illibata permaneant. Quapropter humo proſtratus, deprecor Vos, duo luminaria magna, Petrum Paulumque: Ut poſt funera carnis, animæ meæ Paradiſi januas aperiatis & in futuro examine protectores ac defenſores mei, ante Deum maneatis, ut, poſt judicium, liceat vobis cum cœleſtibus manſionibus perfrui, & ſine fine gaudere, annuente Domino noſtro Jheſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto, vivit & gloriatur Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen

Hæ literæ germanicis & latinis verbis, manu Marchionis Geronis ſcriptæ hactenus Dei beneficio, in Eccleſia, ab ipſo conſtituta & inchoata, in memoriam fundationis ſunt reſervatæ. Indicant initio non obſcurè fundationem, quam peractam fuiſſe teſtantur, temporibus Johannis duodecimi, qui à Pontificatu ob turpitudinem vitæ & perfidiam, Anno Chriſti noningenteſimo, ſexageſimo ſecundo, ab Ottone fuit remotus, Imperii autem Ottonis ſecundo, & regni filii ejus tertio additur, quia priori anno ante hanc expeditionem Italiæ Geronis, Otto ab eodem Johanne Pontifice Romæ Imperator fuit ſalutatus, cum antea Regnum tenuiſſet viginti quatuor annis. Filius vero Imperatoris, tertio anno antequam Marchio Gero, Abbatiæ confirmandæ gratia, iter Romam verſus ſuſcepit, à Patre Ottone Magno in conventu Ratiſponenſi fuit Rex declaratus. Ex his conſtat Eccleſiam Gernrodenſem auctoritate Pontificia & Imperatoria, confirmatam eſſe, Anno Chriſti noningenteſimo, ſexageſimo primo.

Invocatio in fine addita, confidit meritis ſanctorum, quibus nihil conſequi poſſumus. Nam ſola fiducia in Chriſtum qui pro peccatis generis humani ſatisfecit, accepti ſumus Deo. Ac propter illius meritum & obedientiam, hæreditatem vitæ æternæ conſequimur. Sicut Filius Dei docet, cum ait: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret &c.

Romæ Marchio Gero obtulit Johanni Pontifici, triginta libras argenti, quæ conſtituunt quadringentos octoginta Joachimicos ſeu Taleros.

FUNDATIO GERORODENSIS DESCRIPTA A FUNDATORE SAXONICIS LITERIS.

In deme Nahmen der heiligen Dreyvaldichheit deß Vaders und des Sohnes und des heiligen Geyſtes / Amen. Eck Marchgreve Gero von der Gnade Goddes do witlick allen Chriſten Liden / de nu ſint oder noch werden gebohren in tokommende Tyden / dat nicht lange na deme Dode meiner Kinder Sifride und Geronis den Münſter tot Gernrode gebuet hebbe / und dorch der Sake willen toch ick an den Stul to Rome / und dat ſulve Münſter der Juncfrowen to Gernrode mit alle deme / dat dar toebehöret opperde und derſelver Breve van dem Paveſt mit rechten Bullen beſelt um Beſtedinge des Gudes dat tho na is beſchreven und genömet / dat Gut von minen Keſeren vor Eigendum geven /

und

und mit eren Breven wol beveſtet is; alſo wie ok dat ſelve Gutt dat meck toeigent / und gefriet is mit guden Willen to der Ere Goddes ewigliken.

Hie benöme ich dat Gud dat eck geve.

De Stede dar dat Goddes Huß to Gernrode up gebuwet is und den Dorp mit alle deme dat dar to betzen:

De Marckerken mit allen Cappellen.
Dat Goddes Huß to Vroſe mit dem Dörpe und mit twe Parren / de darinnen liggen.
Groten Alßleven und lütteken Alßleve mit der Cappellen und mit twen Parren.
Wolder mit der Cappellen / der Ebdiſchen und mit der Parren.
Geſeen mit der Parren.
Drobet mit der Parren.
Eggelingrod mit der Parren.
Bohem / Wolbeke / Guezendorp / Balberge / Bennnendörp / Allenborch.
Hove Landes to Hackeborn / Hinrigſtorp / Alkendorp / Weſter-Egeln / Oſter-Egeln mit dem Huſe / dat darin gebuet is und mit alle deme dat dar to gehöret an Acker / Wiſchen / Weide / Holt und Water / Mölen und Viſterien / Wege und Vorwege / Wecken / Aker und Nawecken / vort mer ſo is ein Wolt de is geheten Hakel de dar lit by dem Dorpe to Cocſtede den Bardo von uns vor tho Lene hedde und ter to twolff Denſtlüde / der Namen hir na beſchreven ſtan / &c.
Hove Landes to Grönningen / Bleckendörp / Alkendorp bie Hadnierſchleven / tho Ammendorp / Herckſtede / Weſterhuſen / Arensdorp / Wellendorp / Melendorp / Cumelitz / Niendorp / Strotznitz / Aßmersleven / Zerchewitz / Droſege / Cocſtede / Padelitz / Hießleve / Wedderſtede / Winnigen / Schadeleven / Hadmersleven / to Alden-Gatersleven / Windorp / Wedderſtorp / Dettorp / Daldorp / Reinſtede / Wippere / Alvesleve / Rodelevesborg / Sulten / Kermorsleve / Menſte / Schoʒleve / Burgewitz / Luntze / Lette tho Thederzingrod / Wandelmeresborch / Mandorp / Cephen / to Abbered.

Eck Marckgrave Gero mit guden Willen und mit gantzer Begeringe de ick to Goddesdienſte hebbe / geve alle dit vorbeſchreven Gut mit alle deme dat darto behört / dieſem vorbenömtem Goddes-Huſe / dar min leve Dochter Hedewich de erſte Ebdiſche inne is und allen dren Süſtern / de dar nu gegenwerdig ſind und alle den de noch na ehn tokomende ſind ewigliken in tokomenden Tiden alſo dat ſie das mit gemake bruken ſullen und daraf leven ſullen und Godde truwliken dienen ſullen ewigliken one allerley Hinderniſſe. To einer Betüchniſſe diſſer vorbeſchrevenen Dinge hebbe eck diſſen gegenwertigen Breff beſegelt / geven mit minen angehengenden Inſegele / na Goddißbort negen hundert Jar / in deme vier und ſeſtigeſten Jare.

FUNDATIO GERORODENSIS ABBATIÆ IN MONUMENTIS VETERIBUS ITA ANNOTATA EST.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Ego Marchio Gero, divina favente Clementia omnibus Chriſti fidelibus, tam præſentibus quam futuris notum eſſe volo. Quod non longo tempore, poſtquam filii mei Sifridus & Gero, viam univerſæ carnis eſſent ingreſſi, conſtructoque exinde Monaſterio puellarum in Gerorode, ſanctam ſedem Apoſtolicam adii, ipſumque Monaſterium cum omnibus ſuis pertinentiis ubicunque poſitis, ſedi Apoſtolicæ obtuli, ac ditioni ipſius humiliter ſubdidi, Literisque ac veris bullis Papalibus pro confirmatione dictæ Eccleſiæ ac omnium bonorum nominatim ſubſcriptorum. ibidem impetratis & obtentis. Imperatorum vero meorum jure perenni Regalibus præceptis, mihi ad rogatum meum liberaliter & literaliter attributis. Ipſa quidem bona omnia in honorem genetricis Dei, ſemper Virginis Mariæ, & beati Ciriaci Martyris, ob remedium animæ meæ, & animarum filiorum meorum, liberaliter donavi, & dono tribui & tribuo Monaſterio ſupradicto. Volens atque conſtituens; ut omnia mihi appropriata ac liberè donata, integra: cum omni proprietatis jure, perpetuis temporibus, ad ipſum Monaſterium Gerenrod, illibata permaneant, quæ duxi

propriis

proprijs nominibus explicanda. Locum ipſum præfatum, in quo Monaſterium eſt ſitum cum omnibus pertinentiis ſuis.

Forenſem Eccleſiam cum Capellis & villa.
Monaſterium in Froſa cum ipſa villa & duabus parochiis poſitis ibidem.
Alsleve majorem & minorem cum Capella, & duabus Parrochiis,
Waldalen cum Capella Abbatiſſæ & Parrochia.
Badeburne cum duabus Eccleſiis.
Heceborn cum Parrochia.
Nachterſtede cum Eccleſia.
Jeſer cum Eccleſia.
Strentz cum Eccleſia.
Drobel cum Eccleſia.
Bernecingrod cum Eccleſia.
Ecchenlingrod cum Eccleſia.
Bebem.
Wellebecke.
Gnezendorp.
Balberge.
Bennendorp.
Ammendorp.
Hinrichsdorp.
Harsdorp.
Bleckendorp.
Weſter-Egeln.

Oſter-Egeln cum novo caſtello inibi conſtructo, cum omnibus appendiciis ſuis illuc legaliter aſpicientibus, mancipiis, agris, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarum decurſibus, molendinis, piſcationibus, viis & inviis, curtibus, locis & ædificiis, terris cultis & incultis, quæſitis & inquirendis.

Præterea ſylvam Hakul, juxta Cocſtede, quam Bardo prius à nobis in beneficium tenuit. Inſuper duodecim mancipia, quorum nomina ſubter notata ſunt: Aliquot manſos in Groning; Malkendorp prope Bodam, Hakeborn, Ercſtede, Uveſterhuſen, Alkendorpe prope Salam, Reinsdorp cum Eccleſia, Uvallendorp, Molendorp, Cumelitz, Niendorp, Asmersleve, Zockewitz, Stronitz, Droſege, Cocſtede, Padelitz, Sinsleve, Wedderſtede, Winnige, Witzrod, Hadmersleve, in antiquo Gadersleve, Welbsleve, Weddersdorp, Duldorp, Reinſtede, Wippere, Almensleve, Rodolevesborch, in Sulten, Rechmersleve, Menſtede, Scoleve, Burgewitz, Lere, Tederzingrod, Wendelmeresborg, Mandorp, Cephen, Abenrod, Croppenſtede, Hondorp, & omnem regionem Sermunt.

Ego Marchio Gero, ad divini cultus incrementum, pium in animo gerens affectum Eccleſiæ ſeu monaſterio ſupradicto Gerenrod, cui Hatwigis filia mea, mihi tenere dilecta, Abbatiſſa prima præeſſe dinoſcitur, omnia bona ſuperius expreſſa cum ſuis appendiciis perpetuo cupio commanere. Ad cujus Abbatiſſæ & Sororum ejus, tam præſentium quam futurarum, ſeu tam Succedentium, quam in perpetuum ſubſtituendarum, ſuſtentationem, victum ſeu uſum, omnia integra conſervare. Ita ut nullus hominum, memoratas puellas ſeu virgines, in aliquo audeat ſeu debeat moleſtare, inquietare, ſeu perturbare. Sed earum commodis, uſibus & nutibus, ſicut eis conceſſa ſunt, exiſtant omnimodo profutura. In quorum robur omnium præmiſſorum & evidentius teſtimonium præſens ſcriptum ſigilli mei appenſione, Eccleſiæ ſæpe dictæ, tradidi communitum.

Hæ literæ teſtantur munificentiam Marchionis Geronis: quantas opes Gernrodenſi Abbatiæ, in prima conſtitutione conceſſerit, & quanto pietatis ſtudio, hanc donationem imperialibus & Pontificiis literis, ornaverit ac confirmaverit: adeo ut nemo omnium ordinum hominum niſi in iram & perpetuam indignationem incurrere non vereatur, poſſit hanc ſacram fundationem infringere turbare aut labefactare.

Affiximus valvis templi hos verſus anno à nato ex Maria virgine 1560.

Condidit hoc templum Dux magnus, Marchio Gero,
Princeps Stadenſis, Luſatiæque decus.

Henrici

Henrici Primi fortiſſima prælia geſſit,
Magnique Ottonis gloria magna fuit.
Pugnavit quoties, toties hic victor abivit,
Turpiter, & nullo tempore, terga dedit.
Ter denis Ducibus trucidatis nocte ſub una,
Slavorum populis, triſtia damna tulit.
Virginibus miſeris certum conſtruxit Aſylum,
Ut laudes Chriſti, virgo pudica canat.
Ergo gnate Dei, nos inter collige Cœtum,
Æterno qui te, cum genitore, colat.
Hinc procul Harpias nobis depellito fœdas,
Ne cupidè ſacras depopulentur opes.
Annos ſexcentos protexit nos tua dextra.
Perdere nos poſt hac, non ſinat illa malis.
Harcinias etiam jam reſpice mitis in oras,
Graſſantes pœnas, mitiga Chriſte precor.

Vixit ad annum à nato Chriſto Salvatore 965. diem 14. Cal. Julii. Qua die vitam in terris ſuam clauſit illuſtriſſimus Marchio Gero, Dux Saxoniæ & Comes Stadenſis, confectus ætate, curis & laboribus bellicis, cum gubernaſſet Marchiam Luſatiæ quadraginta duos annos, Brandeburgenſem vero Marchiam triginta duos annos, Imperium Romanum fœliciſſime gubernante Ottone Magno, qui conſtituit ea tempeſtate, conſortem imperii, filium ſuum, Ottonem ſecundum, ut propter Ithalicas expeditiones, per abſentiam patris invictiſſimi Saxoniam regeret & armis defenderet. Animam commendavit Patri, Filio & Spiritui ſancto, cujus veri Dei conſpectu & conſvetudine fruitur cum Eccleſia Cœleſti juxta dictum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Exuvias certiſſima & firmiſſima ſpe futuræ reſurrectionis, condidit filia Hathwigis, prima Abbatiſſa Gernrodenſis, in Sandapilam ex plumbo confectam, quam in templum ad arcem, ante altare depoſuit, ſolvens patri & fundatori munificentiſſimo, benigniſſimo & cariſſimo gratitudinis & pietatis officium poſtremum. Non autem Sandapila plumbea terra eſt humata, ſed corpus in Sandapila conditum, ſuper pavimentum templi, Saxo polito tectum & quam honorificentiſſime ſepultum eſt. Mortui Marchionis effigies, ut antea in toga viventis, Saxo quod exuvias tegit, in armis depicta & inſculpta fuit, cum imaginibus Apoſtolorum ac tali inſcriptione: *Anno Domini 965. die 14. Cal. Julii obiit illuſtriſſimus Dux & Marchio Gero, hujus Eccleſiæ fundator, cujus anima requieſcat in pace, Amen.* Artifex in clypeo depinxit Leonem, ſed pro Symbolo uſus eſt tauro rubicundo, habente per medium album circulum, quod fuit olim inſigne veterum Saxonum.

De morte hujus Marchionis cum increbuiſſet, Imperatorem Ottonem Magnum illo tempore in Ithalia belligerantem dolorem talem oſtendiſſe Witikindus ſcribit, ut propter obitum hujus præſtantiſſimi Ducis Saxonum, reliqvum vitæ tempus in anguſtia degerit. Gerone, ſine ſuperſtite prole maſcula, mortuo, hæreditatem ejus in Saxonia attribuit Otto Hermanno Bilichio, quem creavit ducem Saxoniæ. A quo defluxerunt Duces Saxoniæ usque ad Henricum Quartum, qui magnum ultimum Ducem, ſqualore carceris necavit. Hujus fundatoris anniverſariam celebrationem, Abbatia in Gernrod, habere conſuevit die 18. Martii: ut ad gratam memoriam hoc etiam modo præſtandam mortuo, pietatem atque reverentiam ſuam erga beneficos & ſalutares Eccleſiæ & Reipubl. Principes, tam vivos, quam mortuos, declararet.

Epigramma in memoriam fundatoris hujus Eccleſiæ ſcriptum.

Sub hoc Saxo, continentur exuviæ Marchionis Geronis hujus Eccleſiæ fundatoris, qui fuit natus è veterum Saxonum proſapia, ſui temporis illuſtriſſima, Patre Gerone Comite Stadenſe & Hartzfeldenſe, Anno 890. Ab Henrico Aucupe, cum primo conſtituiſſet in Germània Marcas, creatus Marchio Luſatiæ Anno 927. Poſtea mortuo Marchione Sigefrido, Otto ob admirationem virtutis & ſapientiæ, addidit ei Marchiam Bran-

Brandeburg. Anno 938. Uxorem duxit Magdalenam filiam Comitis Alberti Anhaltini, ex hac ſuſcepit duos filios & unicam filiam. Filiorum Gero immatura ætate mortuus eſt. Sigefridus pro patria fortiter dimicans, viceſimo ætatis anno in acie à Slavis & Sorabis occiſus eſt, Anno 959. Filia Hethwigis complexa ſacrum ordinem, prima Abbatiſſa ordinata fuit in Gernrode Anno 961. Vixit fundator usque ad annum Chriſti 965. quo confectus ætate, curis ac laboribus bellicis exſpiravit cum vera & ardenti invocatione Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti. 14. Cal. Julii. Anno Imperii Ottonis Magni 8. Regni ejus 29.

Hadvvigis Filia Marchionis Geronis.

Cum Dei beneficio, Abbatiam Gernrodenſem Marchio Gero extruxiſſet, & annuis reditibus liberaliſſime ornaſſet, delegit duodecim virgines ex illuſtribus ac generoſis familiis ortas, pietate, caſtitate & aliis virtutibus ornatas: Ut inciperent perpetuis laudibus in Eccleſia à præfato Marchione conſtituta, Deum celebrare & invocare. Ex illis creavit Abbatiſſam, Præpoſitam ac Decanam, quas voluit convocato Collegio præeſſe, & bona dicata Deo & in uſus divinos recte adminiſtrare, & tanquam Eleemoſynas omni tempore poſteris bene collocare: Nec in alium uſum prophanum, hanc ſacram conſtitutionem ordinare aut transferre. Hoc ut fieret, omnes in collegio ſibi juramento obligavit, & annuas penſiones authoritate pontificia & imperatoria communivit ac ſtabilivit, ne quisquam ex poſteris licentiam aut immunitatem uſurpare poſſit illas infringere aut quoquo modo mutare. Ordinavit etiam annuos reditus Sacerdotibus, qui Sacra & Ritus divinitus ordinatos adminiſtrarent & in publicis congreſſibus piorum, ſicut à prima uſque antiquitate in Eccleſia fuit uſitatum, Sacris concionibus & cantilenis, populo divinas promiſſiones, conſolationes pſalmodias & gratiarum actiones proponerent & commendarent. Sicut monet Apoſtolus Paulus Epheſios: *in pſalmis & Hymnis cantantes & pſallentes Domino.* Non ut more Monachorum aut Monialium, Latinas Lectiones & cantiones ſine intellectu legerent aut deblaterarent, ſicut proch dolor! fit in multis locis, qui idololatricos cultus & pontificios errores ſtabiliunt & ſumno conatu defendunt. Conceſſerat Otto Magnus antequam imperium Romanum, filio Ottoni ſecundo, propter ſuſceptam expeditionem Ithalicam commendaverat, libertatem & potentiam Abbatiæ Gernrodenſi tantam, ut ſolius imperatoris Romani jurisdictionem agnoſcat, & villas ac fundos ſuos à ſolius imperatoris beneficio accipiat: Nec expectare cogatur inveſtituras Romanorum pontificum, ſicut poſtea temporibus Henrici Quarti accidit: Cum Germania arderet inteſtinis bellis & labefactata imperatorum Majeſtate, jus conferendi Epiſcopatus & Abbatias pontifices ad ſe transferrent, ac regna & Epiſcopatus quibus vellent, traderent & adimerent. Hanc libertatem Otto Secundus, tali Decreto promulgat ac primam Abbatiſſam Hathwigam confirmat Anno 961.

Decretum Ottonis Secundi.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Ottho Dei gratia Rex. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris. Qualiter nos, annuente genitore & æquivoco noſtro ſereniſſimo imperatore Auguſto, per conſultum omnium fidelium noſtrorum cujusdam fidelis noſtri Geronis ſcilicet Marchionis, Monaſterium puellarum, ubi Abbatiſſa Hathwig præeſſe videtur, in loco proprietatis ſuæ, qui Rode dicitur, in honore ſanctæ Mariæ Virginis, beatique Petri conſtructum, ſub noſtri mundiburdii ſuſcepimus tuitionem. Ita videlicet, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum, aliquam ipſius ſibi vindicet poteſtatem. Totam vero hæreditatem, quam Gero & ſuus filius Sigefridus adhuc vivens uterque illorum, cum conſenſu alterius, ad præfatum monaſterium tradiderunt Regali condonatione, conceſſimus. Ipſius hæreditatis nomina ſunt hæc.

Gerenrode
Padeborne
Froſe
Nachterſted
Alsleve major & minor

Egeln.

Egeln

Nienburg cum omnibus appendiciis.

Electionem vero inter ſe eligendi Abbatiſſam, ex noſtra Regia autoritate in perpetuum habeant. Nullus vero Epiſcoporum, Ducum vel Comitum, nullaque major & minor perſona inquietudinem illis facere præſumat. Advocatum autem pro utilitate Monaſterii, quem voluerint, habeant. Ut vero verius credatur, & firmius obſervetur, manu propria ſubter firmantes annuli noſtri impreſſione roborari juſſimus. Actum Anno incarnationis Dominicæ nongentesimo ſexageſimo primo Domini vero piiſſimi Regis Ottonis II. indictione tertia. Actum Wallabuſen feliciter Amen.

Hoc decreto confirmata eſt prima Abbatiſſa ab Ottone primo & ſecundo fundatore adhuc vivente, qui (ut ſonant literæ) eo tempore fuit cum Otthone ſecundo, in Wallhuſen ad Harciniam, quod eſt oppidum diſtans quatuor miliaria Germanica ab Abbatia Gernrodenſi ubi Marchio Gero petivit & impetravit conſtitutæ à ſe abbatiæ, Romani imperii patrocinium ac immunitatem: Deinde jus eligendi inter ſe ſucceſſores idoneos: Tertiò advocatum ſeu tutorem pro arbitrio Collegii conſtituendum, qui vice imperii tutelam ſuſcipiat & Abbatiam contra manifeſtam vim & injuriam defendat. Hethwigis igitur nata Marchionis Geronis & delecta Abbatiſſa prima accepta licentia imperatorum, poſt obitum illuſtriſſimi & piiſſimi patris: quem Anno 965. expiraſſe diximus, deſignavit Advocatum abbatiæ, Echardum Marchionem Saxoniæ, pronepotem Ottonis Magni: quem filii Hermanni ducis Saxoniæ Anno 1002. defuncto Ottone tertio, interfecerunt, propterea quod Electioni, agnati ſui Henrici Sancti adverſaretur. Is in memoriam fundatoris, bene de tota Saxonia meriti, fidelem operam & defenſionem abbatiæ præſtans interceſſione ſua coram imperatore Otthone tertio, alio teſtimonio primam abbatiſſam ornavit & confirmavit.

Decretum Ottonis III.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Ottho ſuperna favente clementia Romanorum imperator. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris, præſentibus atque futuris, Qualiter nos ob petitionem Eggibardi Comitis, noſtrique dilecti fidelis filii Goteſcalci, maxime vero ob Dei amorem omnipotentis, Monaſterio ſancti Dei Martyris Cyriaci in loco Gernrode dicto & univerſis ſanctimonialibus inibi Deo ſervientibus, liberam donavimus licentiam & poteſtatem imperterritam, ut quandoque abbatiſſa Hathwig, quæ in ejuſdem Conventus cœnobii congregatione præeſſe cernitur, & gubernatrix habetur, vel aliæ ſibi & in ejus locum ſuccedentes Abbatiſſæ, hujus ſeculi homines exuerint, ipſius Monaſterii ſancti moniales alteram abbatiſſam eligant idoneam, ad illum honorem laudabiliter probatam ac divino cultui fideliter mancipatam. Abbatiſſam vero eligere licentiam, jus & fas obtineant, qualem uſque in hodiernum diem præcipua noſtra Monaſteria obtinent, videlicet Quedelinburg, Minecii & Ganderesbem. Et ut hæc noſtra imperatoriæ Majeſtatis pagina omnium Regum, imperatorum, ſive omnium hominum objectione remota, nunc & in futuro ſtabilis & incommutabilis permaneat, hanc ſubter manu propria corroborantes, cum hujus plumbi bulla, figurari & inſigniri præcipimus. Data 2. Cal. Auguſti Anno Dominicæ incarnationis 999. indictione 12. Anno Regni tertii Ottonis 16. Actum in Monaſterio S. Benedicti.

Magnum pondus apud omnes hoc Decretum Ottonis tertii habere debet, quia eo tempore promulgatum eſt, quo omnia ſapienter & graviſſimo conſilio, in imperio conſtituit & ordinavit. Sicut oſtendit inſtitutio ſenatus ſeptem Electorum quam biennio ante finem vitæ ſuæ peractam eſſe, ſcriptores vetuſtiores tradunt. Monaſterium Benedicti, Crantzius in Saxonia lib. 5. cap. 25. ſcribit, hodie ſervare nomen parum detorto vocabulo Balingſtede quod Otto Urſus, Comes Aſcaniæ conſecravit. Qui cum conjuge Heliche ſive Heilicke, filia Magni, ducis Saxoniæ inhabitavit antiquam arcem Aneholt. Echardus ſive Eggihardus Marchio Saxoniæ, primus abbatiæ advocatus, geſſit in clypeo duos erectos leones. Cujus inſigne exſculptum eſt in ſaxo, quo tecta eſt Marchionis Geronis Sandapila. Cum contra recentem conſtitutionem de eligendo imperatore ab Ottone tertio ſancitam affectaſſet Regnum, repudiato Henrico ſancto, filii Hermanni ducis Saxoniæ eum anno milleſimo ſecundo trucidarunt.

Et cum è conjuge ſorore Eſici urſi, comitis Aſcaniæ, conditoris arcis in Berneburg & Anhalt, maſculam ſobolem non ſuſcepiſſet, provinciam ejus, conceſſione & beneficio Cæſaris, occupavit Bruno Marchio Saxoniæ, maritus Giſelæ, quæ defuncto hoc Brunone, tertias nuptias celebravit cum imperatore Conrado Saliquuo. Sed capitulum in Gernrode, in locum defuncti Advocati Marchionis Echardi, delegit Eſicum urſum Aſcanienſem, principem Anhaltinum, nepotem avunculi Hathwigis abbatiſſæ. Paulò ante mortem Echardus Marchio teſtamento locupletavit abbatiam Gernrodenſem, ordinans Eccleſiæ in jugis Herciniæ Gunterslebo, Weſthuſen, Morore, Richbertingerod, Windhuſen Ecgihardtingerod, Doubenrod, & Haſſelfelt. Hanc conſtitutionem poſt quadraginta quatuor annos, Henricus tertius innovavit & corroboravit Helichæ abbatiſſæ. Valde autem conſentaneum eſt, quia Henrico Secundo, quem Sanctum Scriptores nominant, ſeſe oppoſuerit Echardus Marchio Saxoniæ, à quo abbatia per triginta ſeptem annos, poſt fundatorem Marchionem Geronem, patrocinium & defenſionem habuit: eo tempore fuiſſe abbatiam in magno diſcrimine, nec præſcripta legata Echardi; poſt mortem ejus ilico rata fuiſſe. Sicut apparet in Decreto Henrici tertii, quod anno milleſimo quadrageſimo ſexto, Eccleſiæ Gernrodenſi conceſſum eſt. Eodem tempore Abbatiſſa in Ganderſem Sophia Soror Ottonis tertii, non fuit ſine periculo, dum contempto Epiſcopo Hildesheimenſi, à quo educatus & inſtitutus fuit Henricus Sanctus, præfecit pro Advocato ſuo, Archiepiſcopum Moguntinum. Ideo imperator perceptorum beneficiorum memor, Hildeshemenſem defendit, & abbatiam anno milleſimo ſeptimo, priſtinum Advocatum agnoſcere coëgit. Hethwigis verò abbatiam, à patre Marchione laudatiſſimo fundatam, ſubinde illuſtriorem reddidit: ac ſecundum inſtitutionem Veterum collegiorum, quæ tunc doctrinarum Scholæ fuerunt, Virgines ad pietatem educavit atque informavit: in cujus gubernatione conſiderandum eſt, quod Deo initio dedit & adhuc dat, aliquas pias & ſalutares Principes, quarum gubernatio & regimen abbatiæ eſt felix & ſalutaris. Deceſſit ex hac vita prima abbatiſſa Hethwigis, circa annum milleſimum viceſimum. Nata eſt in comitatu Stadenſi illuſtriſſimis parentibus Anno 940. Patre Marchione Gerone, hujus abbatiæ fundatore, Matre verò Magdalena filia Alberti urſi comitis Aſcaniæ, venit in abbatiam à patre fundatam Anno 960. Cum præfuiſſet circiter ſexaginta annos, condita eſt prope patrem. Hujus anniverſariam memoriam abbatia celebravit 4. Julii.

Alheidis Marchioniſſa.

Secunda abbatiſſa in Gernrode, nata fuit Patre Marchione Luſatiæ Ditmaro nepote è ſorore Marchionis Geronis. Educata & inſtituta fuit à conſanguinea Hathwige prima abbatiſſa. Apparet autem ante impetratam à Conrado imperatore, confirmationem, aliquot annos eam præfuiſſe, & propterea non prius extorſiſſe licentiam imperatoriam, quia tunc in recenti memoria fuit, quod Marchio Echardus abbatiæ primus advocatus & abbatiſſæ agnatus, oppoſuerit ſe Henrico Secundo, prædeceſſori ac patri Conradi. Sed Anno 1029. imperator in Wallhuſen acquievit precibus Reginæ Giſelæ, quæ fuit affinitate conjuncta Adelheidi, propter Brunonem, cum quo Giſela primas nuptias celebraverat. Ac tali Edicto Abbatiſſam confirmavit.

Decretum Conradi.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Conradus divina favente clementia Romanorum imperator Auguſtus. Omnium Dei noſtrorumque fidelium, tam præſentium quam futurorum piæ devotioni notum eſſe volumus. Qualiter venerabilis abbatiſſa, ſerenitatis noſtræ clementiam, obnixe poſtulavit, ut abbatiæ Gernrod dictæ, cui ipſa Deodonante præſidet, & ſanctimonialibus inibi Deo, ſanctoque Cyriaco Martyri ſervientibus, talem libertatem ac jus concederemus, qualem ab anteceſſoribus noſtris Regibus vel Imperatoribus hactenus habuerunt. Cujus rationabili petitioni pium præbentes aſſenſum, ob interventum dilectiſſimæ conjugis noſtræ Giſelæ imperatricis Auguſtæ, & amantiſſimæ noſtræ prolis Henrici Regis, ejusdem loci ſanctimonialibus licentiam concedimus inter ſe eligendi abbatiſſam, quotieſcunque mortali neceſſitat eg uſus & opus exegerit, omnesque res & loca ad eandem abbatiam pertinentia, quæ vel nunc poſſidet vel deinceps

in jus

in jus ipſius loci divina pietas augeri voluerit, hoc noſtro imperiali præcepto illuc ſtabilientes, confirmamus. Ea ratione, ut nemo de his aliquid minorare, aut abalienare, vel milites inde beneficiare, aut in quamlibet partem declinare præſumat, niſi ad uſum ejusdem congregationis. Ad hæc & imperiali poteſtate firmiter præcipimus ut nullus publicus judex, vel quislibet ex judiciaria poteſtate in loca præfati Monaſterii, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat ad cauſas faciendas, vel freda aut tributa ſeu conjectos aliquos exigendos, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ conſtringendos, ſive ullas occaſiones illicitas requirendas, vel telonium ſeu parafredas ab ipſis hominibus exigendas, aut ipſos homines ſervos vel liberos ad malleum convocandi, aut ullam poteſtatem exercendi, niſi advocatus, quem abbatiſſa ejusdem loci, communi conſenſu ſororum ſuarum, ad hoc opus elegerit. Sed hoc ipſum monaſterium, cum omnibus ſuis pertinentiis, ſicut aliæ Regales abbatiæ, ſub libertatis & immunitatis tuitione permaneat. Ut hoc verius credatur, diligentiusque per futura annorum curricula, obſervetur, hanc chartam manu propria corroborantes, ſigilli noſtri impreſſione muniri juſſimus. Datum & actum Walahuſen. 10. Cal. Septemb. Anno incarnationis Domini 1029.

Gubernavit abbatiam Gernrodenſem per annos Viginti. Tandem implorata numinis divini miſericordia, ſuum Spiritum Deo commendavit Anno 1043. Die 3. Novemb. imperante feliciter Henrico tertio, protegente abbatiam Eſico urſo, comite Aſcaniæ & Ballenſtet.

Helicha ſeu Heilike.

Nata eſt hæc abbatiſſa Gernrodenſis Tertia, illuſtriſſimis parentibus, Patre Adalberto ſive Alberto urſo, Anhaltino, Comite Aſcanienſi, Hujus Eccleſiæ Advocato. Matre vero Hilda, progenita è proſapia Welphorum. Goslariam profectus eſt Albertus urſus ad imperatorem Henricum Tertium, à quo talem inveſtituram accepit Anno 1044.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Henricus divina favente gratia Romanorum imperator. Omnium Dei noſtrique fidelium tam futurorum quam præſentium piæ devotioni, notum eſſe volumus. Qualiter Helicha venerabilis abbatiſſa noſtræ ſerenitatis excellentiam, obnixè poſtulavit, ut abbatiæ Gernrode dictæ, cui ipſa Deo donante præſidet, & ſanctimonialibus inibi Deo, ſanctoque Ciriaco Martiri, ſervientibus talem libertatem ac jus concederemus, qualem ab anteceſſoribus noſtris Regibus vel imperatoribus hactenus habuerunt. Cujus rationabili petitioni, pium præbentes aſſenſum, ob interventum dilectiſſimæ conjugis noſtræ Agnetis Reginæ, præfati loci ſanctimonialibus, licentiam concedimus, inter ſe eligendi abbatiſſam, quotiescunque mortali neceſſitate uſus & opus exegerit, omnesque res & loca, ad eandem abbatiam pertinentia, quæ vel nunc poſſident vel quæ deinceps in jus ipſius loci divina pietatis augeri voluerit, Regali noſtra autoritate confirmamus. Ea ratione, ut nullus de his aliquid innovare aut abalienare, vel milites ſuos beneficiare, aut in quamlibet partem declinare præſumat niſi ad uſum ejusdem congregationis. Ad hæc etiam Regali poteſtate firmiter præcipimus, ut nullus publicus judex, vel quilibet ex judiciaria poteſtate, in loco præfati Monaſterii, noſtris & futuris temporibus, ingredi audeat ad cauſas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ conſtringendos, ſive ullas occaſiones illicitas requirendas, vel teloniorum parafredas ab ipſis hominibus exigendos, aut ullam poteſtatem exercendi, niſi Advocatus, quem abbatiſſa ejusdem loci, communi conſenſu ſororum, ad hoc opus elegerit. Sed hoc ipſum Monaſterium, cum omnibus ſuis pertinentiis ſicut Quedelingburg & Ganderſem & aliæ Regales abbatiæ, ſub libertatis & immunitatis tuitione, concludatur. Ut hoc verius credatur, diligentiusque per futura annorum curricula obſervetur, hanc chartam inde conſcriptam, manu propria corroborantes, Sigilli noſtri juſſimus impreſſione muniri, Data 8. Cal. Martii. Anno Dominicæ incarnationis 1044. indictione 12. Anno autem Domini Henrici Tertii ordinationis ejus 16. Regni vero quinto. Actum Goslari in Dei nomine feliciter, Amen.

Biennio poſtquam Henricus tertius hoc Decretum publicavit, interceſſione hujus abbatiſſæ, imperator renovavit Echardi Marchionis Saxoniæ & primi abbatiæ Advocati, teſtamentum, quod anno ante Henrici Decretum quadrageſimo quarto, nominatum Marchionem, abbatiæ Gernrodenſi locaſſe diximus. Cujus teſtamenti tenor ita ſonat,

 Dona-

Donatio Henrici tertii.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Omnium Chriſti noſtrique fidelium tam futurorum quam præſentium induſtriæ pateat. Qualiter nos ad Eccleſiam ſancti Ciriaci in Gernrode, cui præſenti tempore Helicha venerabilis præeſt Abbatiſſa, talia prædia qualia felicis memoriæ Egibardus Marchio in his locis:

Gunterslebe,
Weſterhuſen,
Morore,
Richbertingerod,
Windhuſen,
Egibartingerod,
Doubenrod,

Haſelfeld, obtinuit, & ipſe eidem Eccleſiæ donare decrevit: Pro remedio animæ patris noſtri Conradi imperatoris, noſtræque matris Giſelæ imperatricis, nec non pro abſolutione animæ noſtræ, & conjugis noſtræ Agnetis Reginæ & prænominati Marchionis Egibardi, omniumque pro quorum memoria ipſe hæc offerenda conſtituit, in proprium tradimus, cum omnibus ſuis appenditiis, hoc eſt mancipiis utriusque ſexus, areis, terris, cultis & incultis, pratis, paſcuis, agris, campis, aquis, aquarum decurſibus, molis, piſcationibus, ſylvis, venationibus, vineis, vinetis, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, cum omni utilitate quæ inde poterit provenire, ea videlicet ratione, ut eadem proprietas à nobis illuc conceſſa, ſub prædictæ Eccleſiæ deinceps jure conſiſtat. Et prænominata abbatiſſa ejusque futuræ ſubſequentes ad uſum præfatæ Eccleſiæ & ſanctimonialium Deo & ſancto Ciriaco inibi ſervientium, idem proprium ſub ſua poteſtate perpetualiter teneant atque poſſideant. Et ut Regalis noſtræ traditionis autoritas, ſtabilis & inconvulſa, omni die permaneat, hanc chartam inde conſcriptam, manu propria corroborantes, ſigilli noſtri impreſſione, juſſimus inſigniri. Data II. Cal. Martii Anno Domini 1046. Henrici tertii ordinationis 17. Actum Walhuſen in Dei nomine feliciter, Amen.

Evocata eſt ex hac vita Helicha abbatiſſa Anno milleſimo ſexageſimo tertio cum præfuiſſet annis 19. Imperante Romanum Regnum Henrico Quarto protegente Gernrodenſem abbatiam, Otton Comite Aſcaniæ, filio Eſici.

Hethvvigis abbatiſſa

Gubernatio hujus abbatiſſæ Hethwigis filiæ Henrici Stadenſis Comitis, incidit in inſignem mutationem omnium Eccleſiarum imperii Romani. Hoc enim tempore inteſtino bello concitato in Germania, conſpiratione Saxonum contra Henricum Quartum: cæperunt Pontifices Romani apertè inveſtituras Eccleſiaſticas, imperatorum poteſtate prorſus abrogata, flagitare, & jus conſtituendi Epiſcopos & Monarchas ad ſe transferre, ut Majeſtate imperatorum labefactata religiones & res imperii, ſuis emolumentis ac dignitate moderarentur & Epiſcopatus & abbatias quibus vellent traderent & adimerent. Quam ob rem Gernrodenſis abbatiæ collationem, ut aliarum in tota Germania ætate imperatoris Henrici Quarti à Gregorio ſeptimo excommunicati & proſcripti, uſurpare Romani Pontifices cœperunt, & defenderunt usque ad Carolum Quartum, qui exemplo Henrici tertii ac prædeceſſorum imperatorum, conſtituit abbatiſſam Adelheidam Anhaltinam, repetens verba Decreti Henrici Tertii.

Ante civile & parricidiale bellum in Saxonia à Pontificibus excitatum, imperator anno ætatis ſuæ decimo quinto, Regali munificentia abbatiam, temporibus hujus Hathwigis, ornavit. Traditionis tenor talis eſt.

Henrici IIII. Donatio.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Omnibus Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris quam præſentibus, notum eſſe volumus. Qualiter nos ob remedium animæ noſtræ, & animæ patris noſtri, piæ memoriæ,

Henrici

Henrici Imperatoris Auguſti, & ob interventum dilectiſſimæ genetricis noſtræ Agnetis imperatricis Auguſtæ, & dilecti Magiſtri noſtri Annonis Colonienſis Archiepiſcopi, nec non ob fidele ac devotum Servitium Hathwigæ abbatiſſæ, Eccleſiæ, in bonore S. Ciriaci martyris Gerenrodi conſtructæ: tale prædium quale nobis poſt obitum Brigittæ in bæreditatem venit in pago Suabe, in villa Katere & Piculingen in comitatu autem Adalberti comitis ſitum, cum omnibus appenditiis, boc eſt utriusque ſexus mancipiis, areis, ædificiis, agris, pratis, paſcuis, ſylvis, terris cultis & incultis, aquis, aquarum decurſibus, molis, piſcationibus, omnibus exitibus & reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, in proprium dedimus atque tradimus, & in æternum poßidendum conceßimus. Ea videlicet ratione, ut prædicti loci abbatiſſa, liberam inde poteſtatem babeat tenendi, commutandi, vendendi, vel quicquid inde ad uſum Eccleſiæ voluerit faciendi. Et ut bæc noſtræ Regalis traditio ſtabilis & inconvulſa omni permaneat tempore, banc chartam conſcribi manuque propria corroborantes, ſigilli noſtri impreßione, jußimus inſigniri. Data 6. idus julii. Anno Dominicæ incarnationis 1064. Anno ordinationis Henrici Quarti 9. Actum Alsleven In Dei nomine feliciter. Amen.

Concidit flos Principum & nobilitatis Saxoniæ, in bellis Henrici quarti. Anno enim 1019. novem juſtis præliis conflixit cum Saxonibus.

Hathvvigis Comitiſſa.

Nativitatem & bonitatem hujus Abbatiſſæ oſtendunt literæ Calixti Papæ promulgatæ Anno 1118. Quæ ſignificant eam progenitam eſſe Patre Comite * * * Matre vero Bertha. Eugenius tertius in beati Petri & Apoſtolicæ ſedis patrocinium Hathwigam ſuſcepit, & more imperatorum, privilegio illam ornavit ac communivit. Data eſt hæc confirmatio Anno 1102. ſecundo Nonis Martii indictione decima quarta, anno Pontificatus ſui 1. Mentionem fecit Pontifex in hac confirmatione oblationis Hathwigis, talibus verbis: *Præterea quæ tu filia Hathwiga Abbatiſſa, præfato loco, devotionis intuitu contuliſti eidem Monaſterio, in perpetuum autoritate ſedis Apoſtolicæ confirmamus, videlicet in villa Sebuſen octo manſos. In Hedesleven duos manſos, duas curias & duo prata. In Upbuſen quatuor manſos & dimidium. In Stordiwege ſeptem manſos. In Reulize tres manſos.* Calixtus Papa, Anno 1118. tali verborum tenore, ea bona quæ Hethwigis Teſtamento locavit Abbatiæ Gernrodenſi, repetiit.

Notum ſit omnibus fidelibus quod Hathvvigis Eccleſiæ in Gernrode Abbatiſſa, divina Clementia inſpirata, octo manſos bæreditatis ſuæ, in villa Sebüſen, Domino Deo creatori & S. Cyriaco Martyri ſuo, pro commutatione æternæ bæreditatis obtulit & donavit. Igitur *quali providentia, bæc oblatio ſit facta & ſtabilita inſcripti Teſtamenti innoteſcit Charta: Ut nulla generis ejus ventura poſteritas, bujus oblationis cauſſam poſſit infringere, infringendo caſſare, more legalis juſtitiæ, ſcilicet aſſenſu bæredum*, videlicet matris ejus Berthæ *& fratris ejus Comitis Geronis, in bac cauſa mutuum conſentibus, prædictæ bæreditatis bona in manum cujusdam militis Henrici de Suterbuſen liberè ſtatuerunt & dederunt. Ipſe autem Henricus ſicut ratio bumanæ legis poſtulat, ſuper altare Domini Dei & S. Cyriaci martyris eadem bona obtulit & donavit. Aſtantibus ſororibus & pluribus diverſi ordinis bominibus per iſandrulam bæc dona ſunt firmata & ſtabilita. His ita peractis communicato conſilio placuit duos manſos dari iſandrulæ & unum manſum Hartmanno, quatenus ipſi & legitimi bæredes eorum, ſimili lege & juſtitia ſicut cœteri miniſteriales Eccleſiaſtici. bona ea recipiant, poſſideant, & diſtribuant. Placuit etiam ſano conſilio ad altare Sanctorum Andreæ Apoſtoli & Nicolai confeſſoris in ſua capella manſum unum offerre, ut divina celebratio tanto frequentius illic poſſit baberi. Præterea notum vobis facimus tam præſentibus quam futuris, quia eadem noſtra Abbatiſſa Hathvvigis magis ac magis à Domino remunerari deſiderans, ſi qua poſſet Deo Inſpirante prudentia, ad augere Eccleſiæ bona, æſtuanti deſiderio à Wilbelmo de Querenbeche manſos duos, prata duo, curtes duas, quatuordecim talentorum precio, Marchione Alberto præſente, ſuisque viris aſtantibus, Marqnardo de Ordum: Adelberto de Arnſtede & fratre ſuo Adalberoni, aliisque multis ſecum comitantibus in villa Hedesleve comparavit. Eaque bona, in publico ſuo conſilio, legali juſtitia ſtabilita & firmata ad altare Domini Dei, martyrisque Cyriaci in Gernrode manſum unum octo ſolidos perſolventem aſtantibus ſororibus noſtræque Eccleſiæ miniſterialibus:*

Erneſto

Erneſto
Waltero
Wiricbio
Arnolpbo
Ellone, aliisque quampluribus per manum ipſius Marchionis obtulit. Alterumque manſum decem ſolidos perſolventem, aſtantibus ſororibus, in Froſe ad altare ſimili modo donavit.

Hac oblatione facta, conſultum eſt de reditibus quinque manſorum duo talenta denariorum perſolventium, in vigilia nativitatis Domini, ſororibus in Gernrode Deo ſervientibus talentum unum diſtribuere. In anniverſario autem die ſui obitus duodecim ſolidos ad refectionem fratrum & ſororum expendere. Quatuor ſolidos ad eleemoſynas pauperum & illuminationem altarium eo die erogare, aliosque quatuor ſolidos reſtantes ad luminandum altare in Orientali capella conſecratum exhibere.

Cum ſæpe memoria per longa temporum curricula intercidat, rogo, ut tenaci memoria teneatis, quod ego fui illa Hathvvigis in cujus electione hæ perſonæ fuere:

Cuno prænestinus Epiſcopus & Romanæ ſedis legatus
Leotgarius Vinarienſis Epiſcopus
Adelgot Magdeburgenſis Epiſcopus
Conradus Saltzburgenſis Epiſcopus
Rinnardus Halberſtadenſis Epiſcopus
Theodoricus Cicenſis Epiſcopus
Henricus Miſnenſis Epiſcopus

Ad hanc electionem literis Calixti Papæ fui firmata Anno 1118. indictione 12. tertio Cal. Aprilis. Ego Hathvvigis Gerenrodenſis Eccleſiæ Abbatiſſa, hæreditatis meæ bona inſcripta & determinata pro ſalute animæ meæ Domino Deo & S. Cyriaco martyri ſuo obtuli, & ſicut divinæ & humanæ leges jubent & docent, ſtabilivi. Tandem hoc teſtamentum ſigillo nominis mei ſignavi.

Rodolphus Halberſtadenſis Epiſcus inauguravit capellam S. Joannis in Gernrode. In memoriam hujus ſolennitatis has literas annotavi: *Anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto. Rogatu Abbatiſſæ Gernrodenſis conſecrata eſt hæc Capella à Rodolpho venerabili Halberſtadenſi Epiſcopo Primo ſuæ ordinationis anno 8. Idus Octob. in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis, & ſanctæ Dei genitricis, & ſanctiſſimæ Crucis ſanctorum Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, Andreæ Apoſtoli, Mariæ Magdalenæ & aliorum plurimorum ſanctorum, ipſa namque Abbatiſſa corde tacta capellam hanc & cœtera ædificia apposita in receptionem & ſuſtentationem Chriſti pauperum fieri juſſit. Eaque bona quæ audieris, ut quantum ipſa facultas expoſcit, eorum inopia ſublevetur & conſoletur. obtulit & donavit. Obtulit in Gernrode manſos tres dimidium:*

In Bickelingen dimidium manſum ſex ſolidos perſolventem:
In Redere dimidium manſum 4. ſolidos perſolventem:
In Ratmersleve manſum unum 12. ſolidos perſolventem:
In Wegeleve manſum unum 8. ſolidos perſolventem:
In Tremdorp manſum unum 8. ſolidos:
In Averoldeswende quatuor manſos 24. ſolidos:
In Donnerode quatuor manſos 24. ſolidos perſolventem:

Hortum, vineam & præbendam in Clauſtro obtulit. Obtulit & noſtræ congregationis conventus manſum unum in Hedersleve ſex ſolidos perſolventem, particulamque ſylvæ, quæ Eicberg vocatur. Placuit & ex his præsbytero divinum officium celebrandi, ſi extraneus fuerit, talentum unum cum præbenda adſcribi. Si autem noſtræ Eccleſiæ frater fuerit, ſolum talentum expendi, præbenda vero cum reliquo in uſus pauperum excedat. His ita peractis communicato conſilio placuit, ut propter infirmorum nudorum parvitatem, Cruces in Dominicis diebus hic portentur, à præsbytero huic capellæ ſervienti, eorum curæ & ſepulturæ agantur. Sunt autem ea, quæ prænotavimus, aſtantibus Fratribus & Sororibus diverſique ordinis hominibus, Beati Petri Domini Apoſtolici, ipſiusque ſupradicti Epiſcopi banno firmata & ſtabilita. Et ne quis in poſterum infringat ſive irrita faciat Sigillo ſuo notata. Si quis vero infregerit ſive irrita fecerit, perpetuo Anathemate ſubjacebit.

Wigh-

Wighmannus Epiſcopus Cicenſis, natus ex fratre hujus Abbatiſſæ, de hæreditariis bonis donationem tali Decreto Eccleſiæ Gernrodenſi, confirmavit:

Notum ſit omnibus fidelibus, tam præſentibus quam futuris. Qualiter ego Wigmannus, Dei gratia Cicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cum dilecta amita mea Hathwiga Gerenrodenſis Eccleſiæ Abbatiſſa in hoc conſenſi, quod ipſa ex materna ſua hæreditate voluntario conſenſu cæterorum cohæredum noſtrorum, quindecim manſos Domino Deo & martyri ſuo Cyriaco in Gerenrode, pro commutatione æternæ hæreditatis, obtulit & donavit. Quali autem providentia hæc oblatio ſit facta, ſubſequens oſtendit litera Nam poſt obitum dilectiſſimæ aviæ meæ Berthæ, cum ipſa Abbatiſſa Hathwiga & Sorore ejus Eva, ac filio ejusdem Sororis ſuæ Theodorico Hallo conveni. Ibique in præſentia avvunculi mei, Marchionis ſcilicet Conradi, & Marchionis Adalberti ac filiorum ſuorum, Ottonis & Theodorici & cœterorum noſtræ terræ nobilium: Ludovvici de Wippere, Burchardi de Valcbenſtein, Eſici de Burnſtede, Burchardi in Magdeburg præfecti, Friderici de Horenburg. Ipſa amita mea Abbatiſſa viginti quinque manſos, me conſentiente hæreditavit ea ratione, ut ex his bonis quindecim manſos, abſque hæredum contradictione, dandi vel offerendi liberum haberet arbitrium. Quos quindecim manſos, Eccleſiæ beati Cyriaci in Gerenrode per manum ejusdem Eccleſiæ advocati Marchionis videlicet Adalberti contulit. Hæc autem oblata bona in his villis ſunt ſita:

Uphuſen, Storchewege & Ceulize.

Ut autem hæc oblatio amitæ meæ firmior & ſtabilior ſit has literas in teſtimonium liberæ donationis ſigilli mei impreſſione ſignavi. Anno Dominicæ incarnationis milleſimo, centeſimo, quinquageſimo ſecundo. Indictione decima quarta. Die 16. Martii Actum in Gernrode.

De fine vitæ hujus Hathwigis, & ſi nihil annotatum reperio: tamen cum redditibus Abbatiam ſuam, plurimum exornaverit. Et benè qui vixit, non malè obire poteſt, non dubium eſt exuvias propter memoriam meritorum, in Gerenrode honorificè reconditas eſſe, & ibidem expectare lætam mortuorum reſurrectionem. Hic deſideratur Abbatiſſa, quæ confirmata fuit à Petro Leone qui ſe oppoſuit Gregorio 8. Anno Chriſti 1187.

Alheidis de Bürne Gerenrodenſis Eccleſiæ Abbatiſſa.

Adelheidis ex generoſa familia Burnenſi nata, ad pietatem & cultum divinum educata & aſſuefacta fuit. Itaque cum multis virtutibus eſſet prædita, tandem anno circiter milleſimum, ducenteſimum ſextum, Abbatiſſa electa, atque ab Innocentio Tertio, ad exemplar Johannis & Leonis, prædeceſſorum ſuorum, Romanorum Pontificum, confirmata eſt. In illo autem Decreto, Pontifex ſibi ſuperbè arrogavit, jus conferendi hanc Abbatiam, & alias in Germania, abrogata prorſus imperatoris Friderici poteſtate. Ac duravit collatio hujus Abbatiæ, apud Pontifices, usque ad tempora Caroli Quarti. Innocentius hos pagos & fundos Abbatiæ Gerenrodenſi conceſſit ac communivit:

Locum ipſum, in quo monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, forenſem Eccleſiam cum Capellis.

Monaſterium in Vroſe cum ipſa villa, & duabus parochiis poſitis in eadem;
Alslevé majorem & minorem cum Capella & duabus parochiis:
Egelem cum Capella Abbatiſſæ & tribus aliis Eccleſiis.
Waledalen cum Capella Abbatiſſæ & Parochia;
Padebornen cum duabus Eccleſiis.
Hetebornen cum parochia.
Polge cum Eccleſia.
Nachterſtede cum Eccleſia.
Jeſere cum Eccleſia.
Strentze cum Eccleſia.
Drogebulen cum Eccleſia.
Bernecingerot.
Aibelbelingerot cum Eccleſia.

Behem, Wellebeke, Genecendorp, Baleberge, Ammendorp, Analaborch.

Data eſt confirmatio Viterbii 5. Idus Auguſti. Anno Dominicæ incarnationis 1206. indictione 8. Anno decimo Pontificatus Innocentii Tertii.

Cum optimè Abbatiæ præfuiſſet, Anno Domini milleſimo, centeſimo, viceſimo primo mortua atque in medio Eccleſiæ, magno piorum luctu, ſepulta eſt, imperante Friderico ſecundo, protegente abbatiam Bernhardo Anhaltino, Electore & Duce Saxoniæ.

In memoriam anniverſariam huic Abbatiſſæ præſtandam, deſignata eſt dies 3. Novembr.

Sophia Duciſſa Saxoniæ.

Sophia filia fuit Electoris atque ducis Saxoniæ Bernhardi Anhaltini, ex Matre progenita Sophia, filia Ludovici Landgravii Haſſiæ & Thuringiæ, educata atque inſtituta ad pietatem & vitæ Sanctimoniam in Abbatia Gerenrodenſi, quam Bernhàrdus extincto patre Marchione Alberto, per quinquaginta annos, tutorio ſeu advocati nomine, feliciter, defendit & protexit. Electa fuit omnium Sororum conſenſu, octava Abbatiſſa Anno 1221. Eam dignitatem magna gloria adminiſtravit & cunctis finitimis grata extitit. Bernhardo mortuo & ſepulto in Ballenſtet Anno 1222. Abbatiſſa Sophia agris & ſylvis Eccleſiam Gerenrodenſem auxit. Quod oſtendunt hæ literæ Henrici Anhaltini, qui à reliquis duobus fratribus Alberto & Henrico procreatis è Brigitta filia Regis Daniæ, paterna hæreditate diviſus fuit contentus Aſcanienſi Comitatu:

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Comes Aſcaniæ. Cum in conſpectu Principum & magnatum ea tractantur negotia, quæ de conſilio prudentum virorum utilia, & in omni parte videntur accommoda. Ne ſuper his ſuccedens poſteritas hominum aliquem oblivionis ſcrupulum inveniat, patrocinia literarum, autentica debent firmiter adhiberi. Noſtrarum ergo ſuffragio literarum, univerſis ac ſingulis præſentibus & futuris apertè declaramus, quia dilecta Soror noſtra Abbatiſſa in Gerenrode, Sophia nomine, conſilium & voluntatem totius Eccleſiæ ſecuta, cum theſauro & ornatu ipſius loci, ne furto vel aliquo caſu veniente damnoſo perderetur, ab Arnoldo de Redere miniſteriali noſtro, ſuis hæredibus benignè aſſentientibus, ſimulque faventibus, ſedecim manſos ſuæ proprietatis, & per triginta jugera in eadem villa Redere poſitos comparavit. Sed duodecim manſi de ſupradictis, ſinguli ſingulas habent areas. Quatuor autem manſi pertinentes ad unam aream, ſpacium & locum habent quatuor arearum capientem. Præterea ſuper ſunt duodecim areæ ſex Solidos perſolventes, & unum pomarium cum tribus ſylvis, quas diſtinctè & diviſim habuit meliores. Nos ergo commodum & honorem Eccleſiæ diligentes, & noſtræ ſorori fraternum affectum impendere cupientes, illis bonis omni jure renunciamus. Ea ſolum judicia nobis conſervantes, quæ debent propter homicidia exhiberi. Hujus vero emptionis noſtræ confirmationis teſtes ſunt:

Albertus præfectus.
Conradus frater ſuus.
Conradus Mekersberve.
Comes Hojerus.
Comes Otto de Valckenſtein.
Albertus & Walterus fratres de Arenſtein.
Henricus & ſuus filius de Sneitlingen.
Conradus albus de Cocſtede.
Theodoricus de Sedorp.
Fridericus præco.
Johannes de Gatersleve.
Dominus Abbas de Ballenſtede.
Wasmodus Capellanus de Ballenſtede.
Salomon Capellanus Abbatiſſæ.

Ac ne quis in præſenti & in futuro huic ſcripto præſumat obviare ipſam paginam per imaginem noſtri ſigilli, duximus patenter & potenter roborandam.

Actum eſt Aſcaniæ in noſtro placito provinciali, Anno Dominicæ incarnationis 1223. indictione octava. Anno imperii Friderici 3. 6. Idus Junii.

Immuni.

Immunitates, privilegia atque regalia attribuit Sophiæ Abbatiſſæ Pontifex Romanus Gregorius Nonus, repetens exemplar Johannis, Leonis & Innocentii Tertii, prædeceſſorum ſuorum. In ea Confirmatione addita eſt acceſſio, qua ſuam abbatiam Sophia exornavit liberaliter; *Manſi decem & ſeptem in Redere, Area duodecim cum pomario, & Nemora tria.*

Data eſt Bulla, Anaginæ 2. Idus Junii. Indictione decima quinta Anno incarnationis Dominicæ 1227. Pontificatus Gregorii 9. anno primo.

Memoria anniverſalis Sophiæ eſt celebrata 15. Julii. Sed annum mortis non annotatum reperio.

Abbatiſſa IX. Mechtildis.

Familia ex qua nata fuit intercidit. Mechtildin electam Abbatiſſam confirmavit Clemens 4. Anno Pontificatus ſui 4. die 10. Cal. Maji. Incepit autem Pontificatus Clementis 4. Anno Chriſti 1264. inde colligi poteſt, quod Anno 1268. abbatiam adminiſtraverit. Inter Abbatiſſam & Anhaltinos magna concertatio mota eſt anno milleſimo ducenteſimo octageſimo octavo, propter fundos & annuos proventus Abbatiæ, itaque Mechtildis interpellavit Moguntinum, qui injungit Halberſtadenſi Epiſcopo defenſionem, tali edicto promulgato:

Venerabili in Chriſto fratri Domino Halberſtadenſi Epiſcopo, Nos Dei gratia ſanctæ Moguntinenſis ſedis Archiepiſcopus, ſacri imperii per Germaniam Archicancellarius, ſalutem & ſinceram à Domino caritatem. Conquaſtæ ſunt nobis dilectæ in Chriſto abbatiſſa & capitulum ſecularis Eccleſiæ in Gerenrode, quod advocati dictæ Eccleſiæ, tam immodicis exactionibus & ſervitiis aggravent homines & colonos ipſius, ut non poßint ſolvere debitos ſibi cenſus. Propter quod fraternitati veſtræ Archipolitica authoritate mandamus contra, ſi eſt ita, ſtatum Moguntinum conſulere contra violentiam advocatorum, edita executione, cum diſcretione debita, in eos animadvertimus, ad exſtirpandam illam deteſtabilem violentiam & corruptelam. Cum nonnulli advocati Eccleſiarum prætextu defenſionis, in advocatos ea conditione aſſumpti, ut ſtipendiis certis, & ſervitiis ſpontaneo deputatis, Eccleſiarum jura, poſſeßiones & homines defendere deberent, facti ſunt ex defenſoribus offenſores, ex eo quod tam immoderatis exactionibus & ſervitiis aggravent homines, ut non poßint propriis dominis exolvere debitos cenſus ſuos, aliasque illicitas dividentes advocatias in partes inferioribus ſuis, in grave Eccleſiarum diſpendium, eas infeudare præſumunt. Quia vero puerilem meretur amictum qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, ſtatuimus, quod ſponte aßignatis ipſis ſibi ſtipendiis & ſervitiis, ſint contenti, prout coram imperio eſt obtentum, ſententia Principum approbante, Eccleſiarum jura, poſſeßiones & homines defendant & protegant, ut tenentur, nihil aliud poteſtatis & juris ſibi in eorum redditibus juribus, poſſeßionibus & hominibus uſurpantes. Reintegrent advocatias, quas in partes dilaceraſſe & ſuis inferioribus infeudaſſe noſcitur. Feudatarii eas occupatas dimittant. Quod ſi non fecerint infra menſem, moniti per ordinarios vel per alios ſuos ſuperiores, ipſe advocatus & ſuus feudatarius, ad id faciendum per excommunicationis & interdicti ſententias compellantur. Præterea rogamus & mandamus, contra ſtatuta eadem, contra ſpoliatores & invaſores Eccleſiarum in veſtra Diœceſi publicetis, & obſervari diſcretiones faciatis, quandocunque & quotiescunque à prædicta abbatiſſa fueritis requiſiti. Alioquin ſuper hoc de remedio oportuno cogitare compellemur. Data Erfordiæ 6. Calen. Januarii Anno Domini 1289.

Abbatiſſa X. Irmengardis.

Nativitas & tempus gubernationis hujus abbatiſſæ deſideratur. Tantum in veteri membrana reperio Irmengardin poſt electionem, capitulum in Gerenrode convocaſſe, cumulandæ pecuniæ cauſa qua inveſtituram ſeu collationem abbatiæ Romæ extorquere poſſit, quæ eo tempore à Romaniſtis non parvo ære ſunt vendita. Tenor talis eſt:

In nomine Domini Amen. Irmengardis Dei gratia abbatiſſa in Gerenrode omnibus Chriſti fidelibus tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Cum pro inveſtitura regalium obtinenda nec non electionis in nos factæ, confirmatione finaliter con-

ſumendæ, tantorum premeremur onere debitorum, ut de reditibus bonorum noſtrorum, fidejuſſores noſtros, de manibus creditorum, & ab uſuris Iudæorum ſtatutis terminis eximere non poſſemus: Noſtrum adeuntes conventum, petimus ab eodem, ut ad liberationem, tam gravium debitorum, infeudandi aliqua pro pecunia Eccleſiæ noſtræ bona, ſuam nobis præbeat licentiam & aſſenſum. Qui diſcretione provida conſiderans, miniſterialibus noſtris aſſumptis videlicet, Friderico dapifero Rodolpho pincerna Alberto & Heidenrico de Cokſtede, Bertramo de Egelem, ipſos conſuluit ſuper eo, Communicato hinc inde conſilio, noſtris poſtulationibus voluntaria annuentes aſſenſu, octo manſos alodii de Padeburno pro pecunia concedi feudaliter admiſerunt unde notum eſſe volumus univerſis, quod nos Henrico civi de Quedlingburg dicto Zabel, nec non Vxori eidem Gertrudi & pueris ſuis Bernardo, Henrico, Theodorico, Gertrudi & Margretæ tres manſos de prædictis alodii bonis in Padeborne cum advocatia & omni alia utilitate, tam infra villam quam extra, ei conceſſimus feudali, Vvarandiam conceſſionis hujusmodi plenam & integram præſtantes. Ne igitur contra memoratum Henricum & heredes ipſius in poſterum poſſit dubietas ex-ſuboriri, præſentes literas, ſigillis noſtris munitas, eis ad cautelam dedimus. Hujus rei teſtes ſunt:

Gerbardus cuſtos Salomon & Herbordus Eccleſiæ noſtræ Canonici, Fridericus dapifer, Rodolphus pincerna. Burchardus de Gerſtorp, Iordamus frater ejus, Bertrammus de Egelen, Albertus & Heidenricus de Coeſtede.

Abbatiſſa XI. Gertrudis Baroniſſa.

Gerthrudis nata eſt in Bohemia ex familia Baronum de Bovent. Circa annum Chriſti milleſimum trecenteſimum abbatiſſa Eccleſiæ Gernrodenſis conſtituta præfuit usque ad annum Domini 1324. Quo anno non ſine omnium luctu obdormivit pridiè Chiliani. Ejus ſepulchrum adhuc venerabile in medio templo oſtenditur, cum hac lapidis inſcriptione: *Anno Domini 1324. in vigilia Beati Kiliani, obiit Gerthrudis de Bovente Abbatiſſa in Gerenrode, cujus anima requieſcat in pace, Amen.*

Abbatiſſa XII. Brigitta de Oſde.

Deſiderantur ſequentes abbatiſſæ annotatæ in liberis memoriarum his brevibus titulis:

Brigitta de Oſde abbatiſſa
Hildeborch —abbatiſſa.
Domina de Wunsdorp abbatiſſa
Gerthrudis de Heſnim abbatiſſa
Gerthrudis de Everſtein abbatiſſa

Abbatiſſæ de Vunsdorp, Heſnim & Everſtein natæ fuerunt in ducatu Brunſvicenſi. Nam Wilhelmus dux Brunſvicenſis anno 1480. ducatui adjecit, quatuor comitatus: Eberſtein, Vunsdorff, Hallermund & Welpe.

Abbatiſſa XIII. Adelheidis Anhaltina.

Adelheidis nata eſt ex illuſtriſſima familia Principum Anhaltinorum, quæ jam inde à Bernthobaldo, tempore Clodovei, regis Francorum, primi Chriſtiani, anno circiter 540. deducta, Marchiones, duces & electores Saxoniæ, atque Brandenburgenſes produxit, ac ſemper per Germaniam, Italiam, Galliam & Angliam in illuſtri loco habita fuit. Patrem habuit Henricum Principem Anhaltinum, Comitem Aſcaniæ, ac Dominum in Berneburg & Zerbſt. Matrem vero Sophiam Lantgraviam Turingiæ. Ab iis parentibus Adelheidis prognata, omni genere virtutum educata eſt. Cum Pater Henricus abbatiæ advocatus anno 1343. obiiſſet & honorificè in Ballenſtede ferreo feretro terræ mandatus fuiſſet, de conſilio fratrum Bernhardi 2. Sigiſmundi & Arnolphi in abbatiam pervenit & circa annum 1350. ob vitæ ſanctitatem abbatiſſa electa eſt. Illa juxta Ottonum conſtitutionem de regalibus & Privilegiis inveſtiri voluit à Cæſarea Majeſtate: non à Pontificibus, qui fraude & tyrannide per trecentos

centos annos collationem abbatiæ defenderant. Itaque Carolus 4. anno 1357. ad exemplar Henrici 3. Eccleſiæ Gernrodenſis privilegia innovavit & communivit.

Decretum Caroli IV.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Carolus Quartus divina favente clementia Romanorum imperator ſemper Auguſtus & Bœmiæ Rex ad perpetuam rei memoriam. Etſi imperialis Majeſtatis circumſpecta benignitas, Vurverſos ſuos fideles, quos ſacrum ambit imperium, ex innata pietatis clementia, pio favore proſequitur: ad illorum tamen honores & commoda procuranda, ſpeciali quadam prærogativa favoris, non immeritò tenetur intendere, qui ſub habitu regulari, nituntur altiſſimo in ſimplicitate mentis & corporis jugiter famulari. Quapropter religioſarum & honorabilium Adelheidis abbatiſſæ, & collegii ſanctimonialium Eccleſiæ Gernrodenſi devotarum, noſtrarum dilectarum, Serenitati noſtræ nuper oblata ſupplicatio continebat, ut de ſolita noſtræ benignitatis clementia, quoddam privilegium Divi Henrici Regis, prædeceſſoris noſtri, & omnia in ipſo contenta, approbare, innovare, ratificare & confirmare dignaremur. Nos igitur prædictarum abbatiſſæ & ſanctimonialium Eccleſiæ Gerurodenſi devotarum noſtrarum dilectarum, votivis & rationabilibus ſupplicationibus, benignius inclinati, præſertim cum juſta petentibus, non ſit denegandus aſſenſus, animo deliberato, non per errorem aut improvidè, ſed maturo Principum & Baronum noſtrorum accedente conſilio prædictum privilegium & omnia in ipſo contenta approbamus, innovamus & ratificamus ac confirmamus noſtris & ſacri imperii ac aliorum quorumlibet juribus, ſemper ſalvis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Majeſtatis infringere, vel ei quovis auſu temerariè contraire. Si quis autem contrarium attentare præſumpſerit, indignationem noſtram & pœnam triginta marcarum puri auri, quas ab eo, qui contravenire præſumpſerit, irremiſſibiliter exigi volumus. Et eorum medietatem fiſci noſtræ cameræ; reſiduam vero partem injuriam paſſorum uſibus, applicari.

Teſtes hujus rei ſunt venerabilis: Otto Magdeburgenſis Archiepiſcopus: Theodoricus Mindenſis Epiſcopus; & illuſtres: Rodolphus dux Saxoniæ, ſacri imperii Archimareſcallus. Bolco Falckenbergenſis, Conradus Oleſvicenſis, Duces ſpectabiles: Henricus de Svvartzburg, Albertus de Mansfelt, Burchardus & Iohannes Ketz, & Albertus de Anhalt Comites & alii plures noſtri principes, nobiles & fideles. Sub noſtræ imperialis Majeſtatis ſigillo teſtimonio roboratum. Datum in Alba Aqua. Anno Domini 1357. Indict. 10. 16. Cal. Dec. Regnorum noſtrorum anno 12. Imperii vero tertio.

Gubernatio Adelheidis fuit tranquilla & ſalutaris. Tandem cum per annos 22. præfuiſſet, placidè obdormivit, & magnum ſui deſiderium apud omnes reliquit. Sepulta eſt honorificè juxta fundatoris monumentum, cum hac ſepulchri inſcriptione: *Anno Domini 1374. obiit Adelheidis abbatiſſa in Gerenrode, filia illuſtriſſimi Henrici Principis in Anhalt.* Albertus 2. filius Sifridi Anhaltini, ea tempeſtate, advocati munus in abbatia adminiſtravit. Fuit Albertus gener Rodolphi Electoris & ducis Saxoniæ ex conſenſu Papæ, qui illicitas nuptias approbavit 1345. anno.

Abbatiſſa XIIII. Adelheidis de Walde.

Adelheidis nata fuit in nobiliſſima familia Waldenſium, pervenit ad Gerodenſem abbatiam cum ſorore ſua Hethwiga de Walde. In locum Anhaltinæ defunctæ, communi capituli ſuffragio, abbatiſſa delecta, Anno milleſimo, trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, ut ſuæ Eccleſiæ jura tueretur, acerrimas contentiones habuit, cum quatuor Archiepiſcopis Magdeburgenſibus, qui ordine ſucceſſerunt: Theodorico Stendalienſi, Petro Bohemo, Ludovico Thuringo, atque Friderico Epiſcopo Merſebur-

ſeburgenſi Ea concertatio cum potentiori ſuſcepta, duravit per totum decennium. Primo Theodoricus, ſub initium gubernationis Adelheidis abbatiſſæ, non formidans potentiam illuſtriſſimi Principis Alberti, advocati abbatiæ, ſuis finibus addere tentavit, finitimos fundos, agros & ſylvas in Alsleve Majori & minori, omni jure ad abbatiam in Gerenrode pertinentes. Deinde Theodoricum vita defunctum in Archiepiſcopatu, Petrus Bohemus per novem annos ſecutus: à prædeceſſore ſuo occupata dimittere noluit. Igitur Adelheidis de illata injuria, contra Archiepiſcopum, Romæ gravem querimoniam inſtituit. Circa annum Chriſti 1380. in Romana curia decretum & pronunciatum fuit, ut Petrus Archiepiſcopus Magdeburgenſis reſtitueret & reintegraret abbatiſſæ ac capitulo ſecularis Eccleſiæ in Gerenrode occupatos agros, areas, prata & ſylvas. Porro pro fructibus & redditibus ex dictis villis ac bonis perceptis, & pro expenſis in peracta cauſa factis, ſatisfacere, & certas aureorum ſummas in compenſationem pendere teneretur. Magdeburgenſis autem præſul Petrus, cum pronunciatam ſententiam Apoſtolicæ ſedis contempſiſſet, Ludovico Archiepiſcopo Moguntinenſi executio demandata fuit, ut in Magdeburgenſem animadvertat & Gernrodenſem Eccleſiam in poſſeſſionem ablatorum fundorum reſtituat. Sed Moguntinus executionem à Pontifice impoſitam non expedivit, propterea actio diutius in Palatio Romano ventilata eſt. Urbanus 6. Anno quarto pontificatus ſui Epiſcopis Hildeshemenſi & Merſeburgenſi & Abbati Brunſvicenſi impoſuit, ut declaratam Romæ ſententiam exequantur contra Magdeburgenſem, & ſi dictis ſententiis non paruerit aut earum executionem impedire præſumpſerit, procedant prout juſtum fuerit, juxta præſcriptas literas, invocata ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis ad compenſandam & reprimendam contumaciam atque inobedientiam erga cenſuram Eccleſiaſticam. Datum Romæ apud S. Petrum 2. Cal. Novemb. Anno incarnationis Chriſti 1382. Tandem Albertus Epiſcopus Halberſtadenſis illud diuturnum diſſidium compoſuit, quod capitulum in Gernrode habuit cum Archiepiſcopis Magdeburgenſibus, in ea tranſactione Albertus Archiepiſcopus, Ulricus Roſefelt Decanus, & totum capitulum, conveniunt cum Adelheida abbatiſſa, Berthradi Præpoſitiſſa, & toto capitulo in Gerenrode de juriſdictionibus, immunitatibus ac fundis ſuis. In compenſationem etiam expenſarum dinumeravit abbatiſſæ centum marcas argenti. Acta hæc ſunt in Gebechenſtein. Anno 1389. Dominica Quaſimodogeniti.

De Parochiali Eccleſia & capella in Waldel.

Univerſis Chriſti fidelibus noſtris præſentes literas inſpecturis Albertus Dei gratia Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus in Chriſto Iheſu gaudium & ſalutem. Inter alias noſtræ ſolicitudinis curas, illam præcipuè noſtris deſideriis præferimus & amplectimur, quomodo divinus cultus augeatur, & populus Dei, nobis commiſſus, noſtris temporibus inceſſanter atque jugiter circa ſalutem animarum & virtutum bonis, floreat atque creſcat. Nuper ſiquidem ad noſtram pervenit audientiam, quod in capella S. Martini, ſita in VValdel, propter defectum & inopiam proventuum ſeu reddituum, raro Dominica officia celebrentur. Quapropter nonnulli de ſuis bonis, moti devotione propter Dominum, tantum appoſuerunt, ut cultus divinus augeri & ſacerdos ex iisdem bonis competenter poſſit ſubſtitui. Supplicatio ergo extitit nobis, ut eandem capellam ſancti Martini ſubjectam & filiam, à ſubjectione Eccleſiæ parochiali in VValdel abdicare, autoritate ordinaria curaremus. Nos ergo ſuper hoc deliberatione diligenti habita ad requiſitionem & juſtitiam venerabilis Dominæ Alheidis abbatiſſæ ſecularis Eccleſiæ in Gerenrod patroni, & de conſenſu diſcreti Viri D. Theodorici Eccleſiæ prædictæ parocho ob reverentiam Dei & augmentum cultus divini, nec non ob ſalutem animarum fidelium, ſtatuimus & authoritate ordinaria ordinamus, quod dicta capella S. Martini ex nunc & perpetuis temporibus à parochiali Eccleſia VValdel, abſoluta ſit penitus & libera. In quorum omnium evidentius teſtimonium & perpetuæ ſtabilitatis firmamen-

firmanentum, nos Albertus Epiſcopus, præſentes literas noſtro, una cum Dominæ abbatiſſæ & D. Theodorici ſigillis, fecimus roborari. Et nos Dei gratia abbatiſſa ſecularis Eccleſiæ in Gerenrode & Theodoricus plebanus Eccleſiæ VValdel, ſigilla noſtra, quibus utimur, appoſuimus in ſignum & teſtimonium noſtræ voluntatis & conſenſus præmiſſorum.. Anno Domini 1390.

Etſi Alheidis pro bonis Eccleſiaſticis ſtrennè pugnaverit, & in theſaurum Eccleſiæ dederit tapetas & multas tunicas ſacerdotales: tamen dominium quod capitulum habuit in Egeln & ſuper ſylvam Hackul amiſit. Cum præfuiſſet per annos 25. terreſtre domicilium reliquit, & in templo cum hac lapidis inſcriptione ſepulta eſt. ***Anno Domini 1399. Vigilia Marci, obiit veneranda Alheidis Domina de Walde hujus Eccleſiæ abbatiſſa.***

Abbatiſſa XV. Bertradis de Snaudit.

In locum defunctæ Adelheidis ſuffecta fuit Bertradis de Snaudit anno Chriſti 1399. Claruit eo tempore presbyter Fruwinus de Borch, qui Beneficium Beatæ virginis, tali verborum tenore ordinavit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Nos Bertradis Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia abbatiſſa, Agnes præpoſita, Jutta Decana, Eliſabeth ebechantis, totumque capitulum Eccleſiæ ſecularis in Gernrode, ad perpetuam rei deducimus memoriam, Quia omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti ſupremi judicis, prout geſſimus, ſive bonum ſive malum, recepturi. Ideo operari debemus & in benedictionibus ſeminare opera bona in terris, ut vitam benedictionibus metere valeamus æternam in cœlis. Hæc & ſimilia ſapienter intendens Deo devotus presbyter Dominus Fruwinus de Borch, Rector capellæ ſancti Johannis in Gerenrode, Canonicus Eccleſiæ ſancti Sebaſtiani in Magdeberg, Bacalaureus in decretis, cæleſti deſiderio ſalutaribusque devotionis affectibus accenſus cupiens terrena pro cœleſtibus, felici commutare commercio, ac in vitam operari tranſitoria, de quibus valeat coram ſupremi judicis tribunali in manſione perpetuo gloriori. Quinquaginta marcarum valores Halberſtaden. Warandiæ & pagamenti in bono nobis auro ac puro argento integrè præſentavit, ad divinum & pium opus perficiendum, inſtaurandumque de novo in Eccleſia noſtra, ad quam eſt ſinceris affectibus concitatis inclinatus. Quatuor miſſas perpetuo in ſeptimana, cum eiudem quinquaginta marcis, noſtrum ſuper hoc auxilium, conſilium, favorem & conſenſum honorabilium humiliter petiit, & inſtanter requiſivit. Nos quidem ſicut de tam ſancto & laudabili deſiderio, piè in Domino gaudemus, ita ad ipſum ſalubriter perficiendum, noſtræ adhibemus beneplacitum voluntatis & conſenſus noſtræque cooperationis, quantum poſſumus auxilium fideliter impendimus unde ut hoc ad effectum valeamus perducere ſalubriorem, emimus cum eiſdem quinquaginta marcis à ſtrenuo Jordano de Alsleven vaſallo Eccleſiæ noſtræ, & noſtro, quatuor manſos, & medium manſum agrorum arabilium & fertilium in campo villæ Groninge jacentium, & unam curiam in eadem villa ſitam, prope Eccleſiam parochialem ſancti Mortini, ad prædictos manſos pertinentem, cum ædificiis curiæ ejuſdem. Eosdem manſos & curiam ab eodem Jordano pro ipſis quinquaginta marcis D. Fruwini, ſic ritè emptis, ac integraliter perſolutis ad Jardani voluntatem, quorum ſcilicet agrorum & curiæ proprietas ad noſtram Eccleſiam & nos pertinuit, & pertinet; acceptoque ab ipſo Jordano ſpontanea reſignatione agrorum prænominatorum & curiæ nec non omnis juris, quod in ipſis habuit, in noſtris manibus facta, prout ab Eccleſia noſtra, & nobis jure hæreditario tenuit & poſſedit. Noſque ad divinam Majeſtatis gloriam, glorioſiſſimæ propter Virginis Mariæ Dei genetricis, totius cœleſtis curiæ laudem & honorem, provida deliberatione, unanimo conſenſu ac bona voluntate, perhibitos ſæpe dictos agros & curiam appropriamus, donamus, incorporamus & dedicamus Altari in ſiniſtro latere noſtræ Eccleſiæ ſub lapidea teſtitudine ſitorum, in ejuſdem Virginis Mariæ glorioſiſſimæ nomine conſecrato & titulo inſignato & dedicato, ac ipſos cum omni jure & proprietate prout melius & efficatius fieri potuerunt & valere debuerunt, appropriamus, donamus & incorporamus. Renunciamus omnibus juribus & utilitatibus, quas & quæ Eccleſia noſtra & nos hactenus habuimus in prædictis manſis, Transferentes eosdem manſos & curiam ad memoratas quatuor miſſas perpetuas anni ſeptimanæ ſuper ipſum altare celebrandas, Media marca Warandiæ Halberſtaden. & pagamenti excepta & nobis aſſervata, quam capitulum noſtrum in dictis manſis & curia debet annuatim percipere, prout uſque nunc habuit & percepit. Ponimusque prænominatum D. Fruwinum in pacificam poſſeſſionem manſorum prædictorum & curiæ cum univerſis juribus, utilitatibus & pertinentiis præſentibus & futuris, quibus ipſe dum vixerit liberè uti poteſt & debet, ac pacifice poſſidere permittimus; ad hoc

pro

pro nobis & ſucceſſoribus noſtris. Volumus & prædictorum manſorum & curiæ poſſeſſionem, ſub immunitate libertatis noſtræ Eccleſiæ, tueri fideliter & defendere. Et nos Bertradis abbatiſſa & ſuccedentes nobis abbatiſſa volumus & debemus atque debere idoneum eſt, poſt tempora vitæ Fruwinii quatuor miſſas, ſingulis ſeptimanis in dicto altari celebrandas, fidelibus committere, & expedire ipſam commiſſionem, & aſſumere alium poſt alium quoties opportunum fuerit, ſed ipſe presbyter qui dictis miſſis praeeſſe dinoſcitur & praeeſt, pro tempore obligatus ſit Virginibus & Dominis intereſſentibus Vigiliis, & miſſa, commendationibus, & anniverſario D. Fruwini marcam diſtribuere debet, ſecundum Eccleſiæ noſtræ conſuetudinem, hactenus obſervatam. Datum & actum Anno Domini 1407. in die S. Thomæ Apoſtoli, noſtro & noſtri capituli ſigilla in fidem & evidens teſtimonium omnium præmiſſorum.

Patet ex illa conſtitutione miſſarum idolatricarum, quibus, ea ætate, omnia ſacella referta fuerunt, abbatiam Gernrodenſem talibus gubernatoribus conſtitutam fuiſſe, anno milleſimo quadringenteſimo:

Bertradis de Snaudit Abbatiſſa.
Agneta de Sidaw Præpoſita.
Brigitta de Sorbeck Decana.
Eliſabeth de Kitlitz Decantis.

Spectacula autem miſſarum privatarum, ad quæ non accedit communio & uſus ſacramenti, prorſus ſunt inania, ac contraria inſtitutioni Chriſti. Eſt enim impium inſtituere cultum ſine mandato Dei. Ut inquit Chriſtus: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Eſt etiam impium, cultus externos jejuniorum, Eleemoſynarum & Miſſarum, ob eum finem præſtare & conſtituere, ut ex illis quæratur juſtitia & vita æterna. Et quia juſtus ſua fide vivit. Ideo hoc ſacerdotis opus, non prodeſt aliis, non utentibus cœna Dominica, ſed quisque ſine his ſpectaculis, ſe Deo commendare poteſt. Gubernatio Bertradis Abbatiſſæ inquieta fuit, propter rebellium contumaciam, qui annuos redditus pendere denegarunt: Sicut adparet ex Sententiis Eccleſiaſticorum, quæ adſcribam, ut forma judiciorum, eo tempore habita, ſit in conſpectu omnibus.

Wernerus Dei gratia Epiſcopus Halberſtadenſis, judex & conſervator venerabilium Dominarum, Abbatiſſæ & Capituli Eccleſiæ Secularis in Gerenrode, à ſede Apoſtolica ad Halberſtadenſem diœceſin, ſpecialiter deputato, in Domino Salutem. Ex gravi conqueſtione venerabilium Dominarum prædictarum, ad nos pervenit, quod nonnulli homines, auſu temerario & per nefas, cenſus, reditus & penſiones, dictis Dominabus ſubtrahant, & in debitis ſolvere contradicunt, ac quidam impedimenta & moleſtias eisdem Dominabus faciunt & fieri procurant, quo minus poſſint cenſibus pacificè congaudere. Qua cauſa authoritate Apoſtolica, de cujus tenore hæſitatibus, fidem faciemus requirenti. Vobis omnibus & ſingulis ſupradictis mandamus, ut publicè coram plebe moneatis & requiratis præfatos ſuperius nominatos, quos & nos requirimus & monemus Ut ſæpe dictis Dominabus, cenſus & redditus ipſis ſubtractos & debitos ſolvant & adhuc ſatisfaciant integrè, nec non à moleſtationibus & impedimentis hactenus præſtitis deſiſtant infra quindenam à notificatione præſenti illis facta aut ultima die ejusdem quindenæ, dum tamen judica fuerit. Alioquin proximum judica die ſequetur quod ipſis præſignamus & aſſignamus per ſe vel procuratorem ſuum legitimum, coram nobis Halberſtadiæ in judicio compareant. Alioquin Dominos ſuperius nominatos Apoſtolica authoritate in Dei nomine excommunicamus & his ſcriptis excommunicatos, ſingulis Dominicis diebus, etiam in Eccleſiis coram plebe publicamus literam noſtro ſigillo ſignatam. Datum Halberſtadiæ noſtro ſub ſigillo. Anno Domini 1412.

Abbatiæ collationem Bertradis petivit & accepit à Sigismundo imperatore anno milleſimo, quadringenteſimo decimo ſeptimo. In ea collatione repetita eſt inveſtitura prædeceſſorum imperatorum Caroli 4. & Henrici 3. in modum illorum imperatorum Regalia, jura ac immunitates Abbatiſſæ renovavit & publico edicto confirmavit. Datum eſt Conſtantiæ Anno 1417. die 6. Junii. Regnorum ſuorum Ungariæ 31. Romanorum vero 7.

Eodem anno Bernhardus Præpoſitus Cannonicorum regularium Monaſterii ſancti Johannis, prope muros Halberſtadenſes, conſervator jurium, rerum, bonorum, libertatum & privilegiorum (ita enim voluit videri) venerabilium Dominarum

rum & perſonarum Eccleſiæ S. Cyriaci in Gerenrode honorabili Viro D. Henrico de Gerſtorp Decano Eccleſiæ S.Sebaſtiani in Magdeburg à ſede Apoſtolica (ut eorum verbis utar) ſpecialiter deputato ad dijudicationem & conſervationem diœceſis Magdeburgenſis & Halberſtadenſis: impoſuit executionem requiſitorum in Quedlingburg, Reder, Opperode in Bermeburg & Umerſtede, quorũ nomina ſunt: Conradus Bancken, Jacob Sacke, Hans Beton, Conradus Iderman, Bernde Oſten, nec non Henkel Winigen. Qui annuos redditus, . retardata & cenſum lignorum ; Abbatiæ ſolvere recuſaverant. Monuit igitur Decanum, ut intra dies octo, eos perſolvere cogat. Alioquin ipſos excommunicatos eſſe in ſuis ſcriptis denunciavit. Datum Halberſtadi Anno Domini 1417. die undecim millium virginum. Anno 1422. feria 3. poſt Invocavit Theodoricus de Marnholt Decanus Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis in Halberſtad, conſervator bonorum, libertatum & privilegiorum capituli ſecularis Eccleſiæ in Gernrode, Decano Eccleſiæ ſancti Sebaſtiani in Magdeburg, judici & conſervatori una cum ſuis Collegis à ſede Apoſtolica ſpecialiter deputatis, detulit famoſos famulos: Joachim Gruben, Nicolaum Wibolde, Joachimum Arch & Johannem Can. illos ſic citavit, ut nono die poſt excommunicationem compareant, & reſpondeant accuſationibus Abbatiſſæ & collegio Eccleſiæ in Gernrode. Biennio poſt illam actionem idem Marnholt, Decanus Halberſtadenſis, publicavit rebelles Abbatiſſæ, monens Decanum Eccleſiæ S. Sebaſtiani loco conſervatoris & judicis, ne executionem in excommunicatos negligat. Actum eſt Halberſtadiæ die Matthiæ Apoſtoli Anno 1424. Brigitta de Sorbeck Decana diem obiit Anno 1421. Menſe Junio 29. die condita eſt in ambitu templi, juxta ſepulchrum Teswid Decanæ, & Alheidis de Dulſtade, quæ in ambulachro cathedralis Eccleſiæ ſunt ſepultæ. Bertradis cum per viginti ſex annos magna laude præfuiſſet, mortalem ſuam vitam reliquit, atque in templo arcis juxta Adelheidam de Walde, magno omnium luctu ſepulta fuit, hac lapidis inſcriptione: *Anno Domini 1425. Vigilia ſancti Viti, obiit veneranda Bertradis Domina de Snaudit hujus Eccleſiæ Abbatiſſa.*

Abbatiſſa XVI. Agneta Schenckin.

Nata fuit Agneta, ex nobili familia Schencorum in Turingia, Patre Ottone Schenken de Landsberg, Domini in Sidaw & Tetze. In juventute inſtituta & aſſuefacta in Abbatia, ad religionem ac vitæ ſanctimoniam. Itaque cum Bertradis Abbatiæ admiſtrationem Anno 1399. ſuſcepiſſet, Agneta conſenſu totius Capituli, Præpoſita deſignata fuit. Illam functionem cum per viginti ſex annos feliciter adminiſtraſſet, in locum defunctæ Bertradis, ad Abbatiæ gubernationem Anno 1425. ſuffecta fuit. Collationem Abbatiæ Agneta petivit & impetravit à Sigiſmundo imperatore, qui jura, privilegia & regalia Eccleſiæ S. Cyriaci in Gerenrode, delectæ abbatiſſæ conceſſit ac renovavit. Datum eſt decretum Anno 1427. in Campo bey Brigiſch Weiſſenburg / 19. Septemb. Regni ſui Ungariæ 41. Romani vero 17. Incidit lamentabilis ſtatus ſub initium gubernationis Agnetæ. Bona Eccleſiæ largitionibus & conceſſionibus, contra fidem & jusjurandum datum Capitulo, primum ſunt diminuta & abalienata, poſtea cultus divinus factus eſt remiſſior. Tandem ſecuta eſt exitialis ſeditio membrorum inter ſeſe, qua Abbatia ita eſt turbata, vaſtata & deſerta, ut nunquam potuerit priſtinas vires recuperare. Sicut fieri ſolet in ſeditione, in qua nihil non mali eſt. Nam verum eſſe illud Thucydideum omnes reſpublicæ experiuntur: *πᾶσα ἰδέα κακῶν ἐν τῇ στάσει. Omnis ſpecies mali eſt in ſeditione.* Abbatiſſa & præpoſita Margareta de Torgow, mutuis odiis ardentes, in villas ſuas, deſerta prorſus Abbatia, dum conceſſerunt, occaſionem præbuerunt finitimis, diripiendi & alienandi Eccleſiæ fundos & jurisdictiones. Eugenius Papa, poſtquam cognovit miſerandum Eccleſiæ Gernrodenſis regimen, ut adhiberet huic malo medicinam, Abbati Monaſterii ſancti Ægidii, Halberſtadenſis diœceſis, mandavit & impoſuit reintegrare ac revocare bona illicitè ablata, decimas, cenſus, fructus, reditus, agros, terras, prata, nemora, piſcinas, jura, jurisdictiones & alia boná ad Eccleſiam in Gernrode pertinentia, Contradictores autem per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcere. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno incarnationis Dominicæ 1431. Die 3. Non. Novemb. Pontificatus ſui, Anno primo. Sed Abbas mandatum Eugenii non executus eſt, fortaſſis quia ei formidabilis fuit potentia eorum, qui Eccleſiæ bona diripuerant. Ideo vaſtitas major ſeqvuta eſt. Anno Chriſti

1434. Abbatiſſa & Collegium in Gernrode, gravem querimoniam Synodo Baſilienſi exhibuerunt, de miſerabili ſtatu Abbatiæ, nempe, quod quidam Duces, Principes, nobiles & ſeculares poteſtates, tallias, gabellas & alias exactiones illicitas hactenus extorſerint, inſuper bona Abbatiæ invaſerint, occupaverint, & ſuis uſibus applicaverint. De oportuno ergo remedio Synodum interpellarunt. Baſilienſis Synodus prolixè ad rogata, reſpondit. Audiviſſe ſe querelam de miſerrimo ſtatu Eccleſiæ in Gernrode, ideo Abbati Monaſterii ſancti Ægidii & Decanis Magdeburgenſibus & Halberſtadenſibus, plenam & liberam conceſſiſſe facultatem, inquirendi, citandi & procedendi contra transgeſſores & violatores, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, & excellentiæ fuerint. Ac prout juſtum ſit, tam diu excommunicatos ac Anathematizatos publicè renunciari, donec ab invaſione & occupatione bonorum Eccleſiaſticorum ſeſe cohibuerint, & reſtituerint Abbatiſſæ & Capitulo ejus occupata, detenta & applicata, vel per ſe vel per alios: invocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, ad compeſcendos conatus nefariorum & perverſorum hominum, qui perſonas ac loca Eccleſiaſtica propter bona temporalia offenderent. Datum Baſileæ 3. Idus Januarii Anno à nativitate Domini 1434. Quinto anno poſt reſtaurationem Abbatiæ, ſupremum diem clauſit Margareta de Torgaw præpoſita, quæ curavit plumbeo tecto templum refici. Memoriam anniverſariam Margaretæ Capitulum in Gernrode 14. Febr. celebravit. In libris memoriarum ſequentes præpoſitæ annotatæ ſunt: Hildegart Præpoſita obiit 4. Febr. Eliſabet de Plettenberg 6. Octobr. Franckinna Præpoſita 13. Novembr. Agneta de Side, fato defuncta; etſi delata fuerit, more prædeceſſorum abbatiſſarum, in Eccleſiam Cathedralem tamen quia malè Abbatiam diſpenſaverit, ſeparatim à reliquis ſepulcris ante ambulachrum condita quieſcit, expectans Domini buccinam reſuſcitantem mortuos. Ante finem vitæ judicium Dei metuens, delicta ſua agnovit, & Chriſtiano more peccatorum veniam exoravit. Deceſſit vero ſub initium imperii Friderici III. cum tutelam Abbatiæ ab Imperio Romano ſuſcepiſſet illuſtriſſimus Princeps Bernhardus V. Anhaltinus, qui uxorem habuit Hathwigam, Duciſſam in Sagen.

Abbatiſſa XVII. Mechtildis.

Gubernatio rerumpublicarum in manu Dei eſt, ſicut docet Syracides. Ille enim nonnunquam dat bonos Magiſtratus, ut Joſeph, David, Salomonem, Joſaphat, Conſtantinum Magnum, Carolum Magnum; horum Curſus fœlix & generi humano ſalutaris eſt. Econtra, cum perſonæ non ſunt à Deo excitatæ, nec juvantur à Deo, ſed ſunt vaſa iræ & organa Diaboli, ac ſcelerum omnium, tetris confuſionibus & diſſipationibus ordo politicus turbatur. Itaque ut affecta Abbatia aliquantulum reſpiraret, ac vires recolligeret Mechtildis Anhaltina legitimis Suffragiis Abbatiſſa electa eſt, circa annum Chriſti millesimum quadringenteſimum quadrageſimum ſextum. Filia fuit illuſtriſſimi Principis Sigismundi II. Anhaltini, & Brigittæ Comitiſſæ in Querfurt. Ab iis parentibus cum eſſet, Servestæ, quæ hodie Zerbſt dicitur, in omnis generis virtutibus educata eſt. Mechtildis in gubernatione confirmata, Anno 1451. Bernhardo & aliis Anhaltinis Principibus, ut feudum contulit Comitatum in Plotzke & decimam in agro Froſenſi. Ex prima enim Conſtitutione imperatores Romani Abbatiam Gernrodenſem ita munierunt, ut Anhaltinos hujus Abbatiæ Vaſallos eſſe, ac ea fide, quæ Domino feudi debetur, obligatos eſſe voluerint. Hoc tempore in Eccleſia Gernrodenſi primò generoſa familia Baronum Kitliciorum innotuit. Nam Eliſabetha de Kitlitz primum Decana, deinde ob pietatem Anno 1461. Præpoſita deſignata fuit. Dorothea vero de Kitlitz beneficentia antecelluit, conſtituens Capitulo agros, de quibus adhuc hodie membris collegii ſemellæ diſtribuuntur. Habuit autem Abbatiſſa Mechtildis præfectum Sileſium, ex nobili familia Dowericia, qui ob vitæ turpitudinem infamia notatus eſt. Cum præfuiſſet annis ſedecim, immatura morte extincta eſt, Anno 1463. imperante Friderico III. Tutorio nomine Abbatiam defendente Bernhardo Anhaltino.

Abbatiſſa XVIII. Margareta de Merwitz.

Margareta Merwicia ſucceſſit ſublatæ Mechtildæ, quam Capitulum in Gernrode unanimi ſententia, Anno 1463. Abbatiſſam renunciavit. Confirmationem accepit

à Paulo

à Paulo 3. qui Regalia & privilegia à Superioribus Imperatoribus ac Pontificibus conceſſa, literis publicè propoſitis, confirmavit & renovavit. Data eſt bulla, Romæ apud ſanctum Petrum, ſicut ſonat, Anno incarnationis Dominicæ 1464. die 4. Cal. Martii: Pontificatus ſui anno primo. Ejus Abbatiſſæ gubernatio, fuit tranquilla & ſalutaris Eccleſiæ. Eliſabeta de Kitlitz fuit præpoſita, Margareta de Teucheritz Decana. Bernhardus Anhaltinus tutelam Abbatiæ, & terreſtre domicilium hoc deſeruit Anno 1468. poſt eum tutelam ſuſcepit illuſtriſſimus Princeps Georgius Anhaltinus. Antequam Margareta Abbatiſſa contulerit ut feuda, Anhaltinis illa, quæ nomine & titulo ab Abbatia in Gernrode tenent, cum Principe Georgio Anhaltino convenit Anno 1468. quo anno diſſidium de juriſdictionibus & terminis in finitimis pagis ac agris ſublatum & compoſitum eſt. Hethwigis etiam relicta vidua Bernhardi Anhaltini, ob petitionem Principum, uſum fructum ad vitam, conceſſione abbatiſſæ impetravit. Altero anno poſt illam pacificationem, exitu beato, Magareta Vitam clauſit, cum invocatione Dei vera in certa firmaque ſpe vitæ & lætitiæ æternæ.

Abbatiſſa XIX. Scholaſtica Anhaltina.

Nata fuit Scholaſtica ex illuſtriſſimo & noſtri ſeculi nobiliſſimo ac antiquiſſimo Anhaltinæ proſapiæ, ſtemmate. Patrem habuit Georgium Principem, Abbatiæ tutorem, qui ex quatuor Uxoribus, novem filios & octo filias ſuſcepit. E tanto parente progenita cum eſſet, magnam apud omnes authoritatem conſecuta eſt. A teneris annis ad vitæ innocentiam etiam morum caſtitatem conjunxit. Quam ob rem cum vacaret abbatia præſule Anno 1469. Scholaſtica, virgo decem & octo annorum, communibus Capituli Gernrodenſis ſuffragiis, magna ſolennitate, in abbatiam introducta eſt, cum cognatis virginibus Anhaltinis Magdalena, Maria & Dorothea, filiabus Alberti IV. Quarum poſtea Magdalena in Quedlinburg Abbatiſſa declarata fuit, Maria virgo manſit in Gernrode usque ad diem mortis. Dorothea vero nupta eſt Comiti Ottingenſi. Præfectum ordinavit initio gubernationis Sebaſtianum de Heide, Virum nobilem & ſtrenuum. Ejus frater Fridericus ſedem habuit in Opperode. Eliſabetha de Kitlitz præpoſita cum pietatis fuiſſet ſtudioſa & ſedula in legendo ac audiendo verbo Dei, & beneficiis erga pauperes, evocata eſt ex hac miſerrima vita in æternam Eccleſiam, Anno 1473. Die Jacobi. Ei ſucceſſit Margareta de Teucheritz. Dorothea de Kitlitz ex hac fragili vita, cœleſtem in patriam emigravit, Anno 1483. ſepulta eſt honorificè in ambulachro templi Divi Cyriaci. Scholaſtica, quoniam religioni eſſet deditiſſima & vitæ continentiſſimæ, zelo quodam ducta, Anno 1484. Hathwigam relictam Bernhardi Anhaltini in Berneburg, ortam è clariſſima familia Ducum in Sagen, propter fundos ab Abbatia ab alienatos, excommunicavit. Qua de cauſa magna certamina, inter Abbatiſſam ac relictam viduam exorta fuere ad initium Martii. Sed cum hoc ipſo tempore, in autumno, ſæva peſtis per totam Saxoniam graſſata eſſet, Hathwiga poſt feſtum Michaelis, eodem anno ab Erneſto Archiepiſcopo Magdeburgenſi Duce Saxoniæ, abſolutionem petivit & impetravit. Fridericus Impetator ob ſubmiſſam petitionem Scholaſticæ & Capituli Gernrodenſis regalia, juriſdictiones ac immunitates à ſuperioribus imperatoribus, Carolo Quarto & Sigismundo conceſſas, literis ſuo ſigillo ſignatis & propria manu ſubſcriptis, innovavit, ratificavit ac confirmavit. Nomine autem Scholaſticæ, fidelitatem debitam imperatori promiſit frater Abbatiſſæ Woldemarus Princeps, cui ab imperio, defuncto patre Georgio, tutela hujus Abbatiæ commendata fuit. Data eſt confirmatio Antwerpiæ, 19. Auguſti Anno Domini 1488. Imperii Friderici III. Anno 37. Poſtquam regaliis ac immunitatibus Scholaſtica ab imperio ornata fuit, primam intentionem habuit, magna Solennitate annum Jubilæum celebrare. Moguntinum igitur ſolicitavit, ut impetrata bulla plumbea, per commiſſarium, tam pium deſiderium perficere ne gravetur. Is præpoſitum Conradum Thus ordinavit, qui accepta bulla ab Innocentio VIII. annum Jubilæum in Eccleſia Gernrodenſi Anno 1489. celebravit. De cujus ſolennitate hæc annotata eſſe reperio.

Notum ſit univerſis quod Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo octuageſimo nono, ipſo die beatæ Mariæ Magdalenæ honorabiles Domini, Johannes Pilbæ Deicanus & Henricus Klocke plebanus Eccefiæ ſancti Pauli Halberſtadenſis, à venerabil-

viro Domino Conrado Thus, Præpoſito Eccleſiæ beati Mauritii Moguntiæ, in negocio infraſcripto Commiſſario deputato, ſubdeputati ad pium deſiderium ac preces nobilis & gratioſæ Dominæ Scholaſticæ, natæ Principiſſæ de Anhalt hujus Eccleſiæ Gernrodenſis Abbatiſſæ, venerabiliumque & honorabilium Dominarum ac Dominorum, Margaretæ de Teucheritz Præpoſitæ, nec non Barbaræ de Kitlitz Decanæ, aliorumque perſonarum & Canonicorum ejusdem Eccleſiæ, in ſalutem, ut ſperatur, multarum animarum annum Jubilæum cum vera bulla plumbea in eandem Eccleſiam Gernrodenſem gratioſè præſentarunt. Unde Domina Abbatiſſa tantam gratiam cum toto ſuo Capitulo ad id congregato, una cum omnibus inhabitatoribus, ſive incolis in oppido Gernrode ſibi ſubjectis & proceſſionaliter conſtitutis: ab Eccleſia forenſi ſive parochiali, cum decentibus laudibus & canticis, prout decuit usque ad Monaſterium, cum reverentia ſuſcepit, proceſſione autem in medio Monaſterii exiſtente cecinit; Te Deum laudamus, deinde ô Crux glorioſa, in organis ante crucem erectam & vexilla Papalia deſuper pendentia, ſolenniſatum eſt. Quo perfecto, per D. Henricum Klocken ad laudem Dei, ſermo habitus eſt. Deinde vero ſingulis diebus poſt veſperas ad pulſum magnæ campanæ: ô Crux, Ante crucem à Dominabus & Canonicis decantatum fuit. Durante negocio à prædicta die beatæ Magdalenæ usque in diem beati Laurentii, incluſive, affuit dictus Dominus Decanus, portitor bullæ ſupradictæ in proceſſione, & plebanus portitor baculorum ſive ordinator primariorum. Item D. Henricus Flor Canonicus ibidem concommiſſivus & diſtributor literarum confeſſionalium. Item D. Tilemannus Grutteman etiam Canonicus ibidem & concommiſſarius, cuſtos capſæ ſive ciſtæ ibi poſitæ ante crucem.

Adſuerunt ibi Primarii conſtituti.

D. Henningus Muntmeſter prior de porta cœli pro dominabus, D. Paulus Craveſt in Monaſterio, D. Wigandus in Eccleſia forenſi plebani, D. Henricus Schoveſtro ibidem Canonicus pro communi populo. Nec non Domini, Matthias Witkop de Hatzkerode, Johannes Nagel de Ballenſtede, Henricus Wevel de Rieder, Simon Luchtenhagen de Hoim paſtores & plebani. Quia ad tam pium opus, populus de Hartone & circumquaque confluxit, plures enim homicidæ & peccatores, ſceleribus ſuis inveterati, pœnitentiam publicam egerunt, atque ſua peccata per Jubilæum, ad diſcretionem confeſſorum, depoſuerunt.

Viſitatio locorum Anno Jubileo in Gernrode habita.

1. Loco baſilicæ beati Petri urbis Romæ viſitabatur Monaſterium Gernrodenſe.
2. Loco Eccleſiæ ſanctæ Crucis urbis Romæ Sepulchrum Domini ſitum apud Capellam S. Ægidii.
3. Loco Eccleſiæ ſancti Pauli de urbe, Capella in ambitu im Creutzgang.
4. Loco Eccleſiæ beati Laurentii, Capella ſancti Metroni inter turres.
5. Loco Eccleſiæ ſancti Sebaſtiani, Capella ſancti Mauritii.
6. Loco Eccleſiæ ſancti Johannis Lateranenſis Capella Divi Johannis apud hoſpitale.
7. Loco Eccleſiæ beatæ Mariæ, majoris urbis, Romæ, Eccleſia parochialis & forenſis S. Stephani. Sunt autem numero ſeptem.

Pro inventione horum locorum ad deſignandum Jubilæum, affixa fuerunt arma ipſius Domini. Prope etiam unamquamque januam Eccleſiarum & Capellarum prædictarum, forma vexilli rubei depicta fuit. Quod vexillum ſupradicti Commiſſarii, ad petitionem Dominarum & Dominorum in perpetuam rei memoriam anni Jubilæi dederunt & reliquerunt. Repertum fuit in trunco, de oblationibus ante Crucem ad pium opus hujus Jubilæi factis, centum & ſeptem floreni in auro & pecuniis. Sunt ad populum ibidem diſtributa, ducenta & ſexaginta confeſſionalia, quæ effecerunt ſexaginta quinque florenos, communi taxa compenſando. Quatuor videlicet pro uno floreno Rhenenſi computando. Ad quid valuerint confeſſionalia, vide in modum promerendi indulgentias, prout in charta Innocentii VIII. impreſſa Anno 1488. Die 4. Decembr. Moguntiæ ſignatum eſt. Crux depoſita fuit die Laurentii,

poſt

poſt veſperas omnibus perſonis Eccleſiæ & incolis Gernrodenſibus præſentibus, ac benedictonem Papalem, poſt ſermonem per D. Henricum Klocken plebanum & Commiſſarium habitum acceptantibus, & cum gratiarum actione omnipotenti Deo: Te Deum laudamus, finaliter decantantibus. Dequo ſanctæ & individuæ Trinitati, Patri & Filio & Spiritu Sancto, ſit ſempiterna laus & gloria, Amen.

Temporibus præexpreſſis:

Scholaſtica Anhaltina Abbatiſſa,
Margareta de Teucheritz Præpoſita,
Barbara de Kitlitz Decana,
Urſula de Kitlitz,
Maria de Anhalt Principiſſa,
Barbara & Anna de Weſenborch,
Anna de Kitlitz,
Canoniſſæ vel Canonicæ.

Canonici Eccleſiæ Gernrodenſis.

Paulus Craneſt,
Henricus Flor,
Tilemannus Grutteman Quedlingburgenſis,
Tilemannus Coci,
Bartoldus Woltman,
Henricus Schoveſtro,
Wigandus Langen,
Michael Purz,
Burchardus de Friborch.

Regnantibus Friderico imperatore & Maximiliano ejus filio, rege Romanorum, Erneſto Duce Saxoniæ, adminiſtratore Eccleſiarum Magdeburgenſium & Halberſtad. Et Georgio Principe de Anhalt, tunc in caſtro Hoym præſidente. Prædictus commiſſarius proprio motu dictæ abbatiſſæ & ſuo Monaſterio, pro uſu fabricæ ſeu alterius clenodii ad laudem Dei præparandam, quinque florenos Rhenenſes de pecuniis ſupra collectis, gratuito donavit & numeravit. Reliquam pecuniam ſecum abduxit.

Nihilominus quando Crux fuit depoſita, indulgentia, plena authoritate & vigore à certis confeſſoribus ad hoc ſpecialiter deputatis, usque ad feſtum beatæ & glorioſæ Virginis Mariæ nativitatis, duravit, & ſpeciali commiſſione & gratia dicti commiſſarii, ad inſtantiam Reverendæ & glorioſæ Dominæ Scholaſticæ abbatiſſæ hujus Eccleſiæ. Et viſitatæ ſunt Eccleſiæ, ut prius ad hoc deputatæ. Acta ſunt hæc vigeſimo octavo anno, antequam Lutherus indulgentiarum vanitatem confutavit, ac multos tetros errores & mendacia pontificum Romanorum taxavit. Erneſtus Archiepiſcopus Magdeburgenſis & adminiſtrator Halberſtadenſis Dux Saxoniæ, hoc tempore ingentem aggerem in Gatersleben excitari curavit, immiſſo in illum Selca flumine, quo omnia prata, irrigua & amæna loca in Nachterſtede ac Froſe ſuffocavit. Hac inundatione ſtagnum ſeſe effudit à Gatersleben usque Aſcaniam per duo miliaria, occupans paſcua, vias & aquarum ductus in pagis Gernrodenſibus. Quapropter acerrimæ concertationes inter Capitulum Halberſtadenſe & Gernrodenſe propter jus piſcandi, quod uterque ſibi vendicavit, exortæ fuere. Duravit illud exitiale diſſidium per viginti quatuor annos, in quibus abbatia ita exhauſta eſt, ut non potuerit longo tempore vires recolligere. In hoc certamine de ſtagno Froſenſi fidelem operam abbatiæ præſtiterunt, fratres Scholaſticæ: Princeps Woldemarus, Rodolphus & Magnus, qui in multis conventibus, ab utraque parte, Magdeburgi, Halberſtadiæ ac Halæ in ſalinis Saxonum conſtitutis, adfuerunt. Scholaſtica abbatiſſa, Margareta de Teucheritz præpoſita, & Barbara de Kitlitz Decana, ad continuandam ſuſceptam actionem contra Halberſtadenſem Epiſcopum, propter ſtagnum in Froſe & Nachterſtede, magnum pondus auri anno 1492. mutuo acceperunt. Eodem anno abbatiſſæ lis fuit cum nobilibus de Hoim abbatiæ vaſallis, propter occupatas ſylvas,

 agros

agros & decimas. Actio illa per principem Woldemarum Anhaltinum, Halberſtadiæ tranſacta eſt. Cœnobium Waldel in Berneburg, ſubjectum abbatiæ Gernrodenſi, intercedens pro excommunicato homine, impetravit à Scholaſtica abbatiſſa abſolutionem anno 1498. Vigilia Viri. Signata fuit ſupplicatio ſigillo capituli in Waldel. Wilhelmus à Peswitz nobilitate generis virtute & conſilio præſtans præfecto Sebaſtiano de Heide ſucceſſit, ac per multos annos abbatiæ ſingulare fuit ornamentum. Margareta de Teucheritz Baroniſſa ad Dominum commigravit anno 1499. die 14. Aprilis, cum dignitatem præpoſitæ per viginti ſex annos, non ſine laude adminiſtraſſet. Paulo ante finem vitæ ſolenni modo teſtamentarios conſtituit. Barbaram de Kitlitz Decanam. Urſulam de Kitlitz Baroniſſam. Tilemannum Grutteman Canonicum. Burchardum ſcribam. Sepulta eſt in ambulachro propè limen Capellæ S. Nicolai, Sepulchro notato hac inſcriptione: *Anno Domini 1499. 14. Aprilis obiit veneranda Margareta de Teucheritz Præpoſitiſſa bujus Eccleſiæ.* Succeſſit in locum defunctæ, Urſula de Kitlitz pridiè Maii eodem anno, communibus ſuffragiis electa. Tandem Scholaſtica abbatiſſa exhauſta curis ac laboribus gubernationis ex hac vita evocata, ſpiritum exhalavit placidiſſimo flatu in invocatione Dei, & agnitione ac fiducia meritorum Filii mediatoris, anno Chriſti milleſimo, quingenteſimo quarto, die Ægidii. Anno ætatis octuageſimo tertio. Cum præfuiſſet annis triginta quinque magna cum laude ſanctitatis & virtutis. Sepulta fuit ritu Chriſtiano ante chorum, lapide notato hac inſcriptione: *Anno Domini 1504. pridiè Cal. Auguſti obiit in Domino illuſtris & veneranda Domina Scholaſtica, abbatiſſa bujus Eccleſiæ, Principiſſa in Anbalt, bujus Eccleſiæ Zeloſa defenſatrix, plena piis opibus. Requieſcat in pace anima.*

Poſt obitum Scholaſticæ, quinquageſimo anno, Henricus Baſſe, Epigrammaticum tale, parieti infigit:

S ors miſeranda nimis mors noſtris borrida colli S
C lade cruenta furis, nam cunctis ſubtrabis illa C
H occe tuo telo, Vacb! marcet vinea Sozeec H
O nimium rabida, quæ nec ſcis parcere Chriſt O
L urida ſic raptos Chriſti cogis ante tribuna L
A cb mucrone tuo cecidit Scbolaſtica Clar A
S plendida quæ nituit illuſtri ſtemmate carni S
T ramite virtutum, ſed & atria cœlica ſumpſi T
I pſa nimis bumilis, pia, prudens, aſſecla Chriſt I
C œlica deſiderans ſua ſingula deſtinat illu C
A ſt ſic ſollicita fert Eccleſiæ — ſua — jur A
S COrpio LAScivos TImoris CArpſerat actuS.

Votivum in ipſius requiem.

Sanguinis ergo tui merito pie Chriſte redemptor,
Hac tua dilecta cœlis illuſtrior eſto,
Cœlica quo tempe fœlix ingreſſa triumpbet.

Epitaphium ejusdem felicis recordationis.

Anno milleno, quingenteno quoque quarto,
Auguſti fine, migrat Scbolaſtica clara,
Ex Anbalt orta majorum ſanguine fulgens,
Quam tu Chriſte ſatis amplexibus ſtringite ſponſe,
Hac rectrice pia præſens Eccleſia gaudet,
Aſt tecum fœlix, jugiter bæc inclyta regnet.

Sepulchrum Scholaſticæ anno poſt obitum ejus ſexageſimo, Eliſabetha abbatiſſa, prognata ex eadem illuſtri proſapia Anhaltina, tabula eleganter depicta ornat.

Abbatiſſa XX. Eliſabeth de Wida.

Cum vacaret abbatia in Gernrode, Scholaſtica defuncta, anno 1504. in Septembri menſe, ſumma rerum oblata fuit Margaretæ de Werberg. Verum ipſa id honoris faſti-

ris faſtigium, ob imbecillitatem virium ac contentionem abbatiæ relictam à Scholaſtica, contra Epiſcopum Halberſtadenſem, ſtagni cauſa, recuſavit. Itaque cum in collegio carente præſule, alia perſona ſatis idonea ad gubernationem non adeſſet, Capitulum maximam dignitatem in abbatia, detulit Eliſabethæ de Wida, Canoniſſæ ſecularis Eccleſiæ S. Servatii in Quedlingburg. Illa Eliſabetha communibus omnium ſuffragiis vocata & electa, magna ſolennitate in abbatiam, Octobri menſe introducta eſt, cum multa ſupellectile, magnis opibus & κειμηλίοις, comitata ſorore ſua, Brigitta de Wida, & duobus pediſſequis, Catharina de Breitenbach & Margareta de Bunaw. Inveſtituram abbatiſſæ delectæ conferendam, Julius Papa præpoſito Halberſtadenſi permiſit hac forma & modo.

Julius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio præpoſito Eccleſiæ Halberſtadenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut accepimus, abbatiſſatus ſecularium & collegiatarum Eccleſiarum, ſancti Ciriaci Martiris in Gernrode & Froſa invicem unitarum, quem quondam Scholaſtica ex illuſtri principum in Anhalt progenie orta, ipſarum Eccleſiarum abbatiſſa obtinebat, per obitum vero ejusdem Scholaſticæ vacet ad præſens. Nos dilectam in Chriſto filiam Eliſabeth de Wida, canoniſſam ſecularis & collegiatæ Eccleſiæ Sancti Servatii Epiſcopi in Quedlingburg, aſſerentem quod dilectæ in Chriſto filiæ, capitulum dictarum Eccleſiarum, abbatiſſam per viam compromiſſi elegerint. Poſtquam dilecta in Chriſto filia Margareta de Werberg electioni aſſenſum ſuum præbere recuſaverit, Ipſaque Eliſabeth electioni de ſe factæ conſenſit, apud nos de vitæ munditia, honeſtate morum, aliisque probitatis & virtutum meritis commendata. Harum virtutum intuitu gratioſo favore proſequi volentes diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ſi per diligentem informationem eandem Eliſabeth ad regimen dicti abbatiſſatus, idoneam eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, abbatiſſatum prædictum, cujus proventus & reditus, quatuor marcarum argenti, ſecundum communem exiſtimationem (ut dicta Eliſabeth aſſerit) non excedunt, cum omnibus juribus, privilegiis & pertinentiis ſuis dictæ Eliſabethæ, authoritate noſtra conferas & aſſignes. Recepto prius ab ea noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine, fidelitatis debitæ ſolito juramento, juxta formam, quam ſub bulla noſtra mittimus introcluſam. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, milleſimo, quingenteſimo, quarto. 13. Cal. Decemb. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

In ea eminentia Eliſabeth de Wida conſtituta, Abbatiam auro & argento evacuatam, ob diuturnam contentionem de ſtagno in Froſe, magna pietate & prudentia adminiſtravit. Initio gubernationis, ut afflictæ abbatiæ opem ferret, proprios theſauros contulit ad perficiendam actionem contra Erneſtum Archiepiſcopum Magdeburgenſem & adminiſtratorem Halberſtadenſem, Ducem Saxoniæ, per tot annos, in curia Romana non ſine magno diſpendio abbatiæ agitatam. Sed præter expectationem cauſæ cognitio, usque in annum gubernationis ejus ſextum, ventilata eſt. Interim etſi Romæ in hac cauſa aliquot ſententiæ, contra Archiepiſcopum pronunciatæ fuerint, ac compenſatio damni ei impoſita fuerit: tamen impedita fuit declaratæ ſententiæ executio, & verum eſſe didicit abbatiſſa, quod monet Syracides capite octavo, non litigandum eſſe cum potentioribus, ſed utilius eſſe habere patientiam & dimidium retinere potius, quam totum incerto litis eventu perſequi. Quo magis autem Eccleſia Gernrodenſis patrocinium & defenſionem à Romano pontifice expectare potuit, Julius novo dicto & decreto abbatiſſam munivit anno 1509. in eo decreto Julius innovavit & confirmavit omnes fundos, immunitates, & Regalia, ab Innocentio tertio, & aliis Romanis pontificibus conceſſa, necnon libertates ſecularium exactionum ab imperatoribus, Regibus, principibus & aliis, approbatas & auctas. Repetivit etiam nomina harum villarum, quæ ſeqvuntur: Froſe, Nachterſtede, Alsleve major, Alsleve minor, Egelen, Waledalen, Padeborn, Heteborn, Polge, Jeſere, Strentze, Drobulen, Bernecingerod, Etelbelingerod, Behem, Wellebeke, Gnecendorp, Balberge, Bennendorp, Analaborg. Omitto enumerationem quadraginta ſeptem villarum, in quibus abbatia in Gernrode annuos proventus olim habuit, ſicut ſonat bulla Julii, quæ data eſt Viterbi, anno 1509. Nonis Martii pontificatus ſui anno 7. Certamen de ſtagno in Froſe & Nachterſtede, quod per viginti quatuor annos duravit, anno demum 1510. Menſe Decembri ſublatum eſt. Cum à Julio pontifice deſignatus fu-

iſſet

iſſet commiſſarius, Doctor Levinus à Felthen præpoſitus Hildeſemenſis. Is propter cognitionem cauſæ, partes certantes Halam vocavit. Eò ablegatus fuit ab Erneſto Archiepiſcopo Duce Saxoniæ Euſtachius Burggravius Liſniæ, Dominus in Benig, Decanus Magdeburgenſis, cum Henrico de Brandenſtein præfecto capituli Halberſtadenſis. Nomine abbatiſſæ adfuit cum plenis mandatis, Otto Spigel Doctor & Johannes à Minnigerode præfectus Gernrodenſis. Tranſacta fuit cauſa his condicionibus: ut in compenſationem impenſarum Archiepiſcopus numeret abbatiſſæ, tria millia aureorum Rhenanorum, & quotanis certam menſuram piſcium. Eam pecuniam poſtea collocavit Eliſabetha in decimam agri Froſenſis, conceſſione principis Wolfgangi Anhaltini, cui tunc ante biennium à patre Woldemaro, commendata fuerat abbatiæ tutela. Quia verò paſcua & aquarum ductus, ante inundationem ſtagni ad Monaſterium in Froſe ſpectarunt, Eliſabeta Guttemans Decana Froſenſis, quæ Cœnobium illud cum duabus canoniſſis eo tempore tenuit: aureorum ſummam, de ſtagno abbatiſſæ numeratam, ſibi vendicavit, & jure eam defendere præſumpſit. Sed poſtquam agnovit dominium ſuper Froſe ad Eccleſiam Gernrodenſem pertinere, ac expenſa peractæ cauſæ, per multos annos ab abbatia expoſita eſſe, perſequi litem deſiit. Paulo etiam poſt relicto cœnobio in Froſe, cum Magdalena à Brunſwig ad abbatiam in Gernrode ſeſe contulit, ac omnes poſſeſſiones & redditus annuos. Monaſterii in Froſe abbatiſſæ commiſit. Septuageſimum jam ætatis ſuæ annum agens, vidit in Gernrode, Doctrinæ religionisque Chriſtianæ inſtaurationem. Tandem ſuperata imbecillitate naturæ, Decana Froſenſis cum invocatione Dei vera & certa ſpe reſurrectionis in Gernrode expiravit, ac honorificè in ambulachro templi ſepulta eſt. Ante diſſipationem cœnobii in Froſe, notati fuerunt in pariete templi hi verſus antiqui:

Omnibus hoc certum miſeris conſtruxit Aſilum
Nomen Adart animus cujus ſub ſorte beatus
Jam quo anguſta domus vigeat regnetque per ævum
Imperium terris, nomen conſignet in aſtris.

Urſula de Kitlitz Baroniſſa, & cognata Urſulæ Præpoſitæ, immatura morte ex hac mortali vita deceſſit die Jovis poſt Judica Anno Chriſti 1510. Sepulta eſt in ambitu. Eliſabetha de Wida abbatiſſa & Capitulum in Gernrode gravem querimoniam in Romana Curia, Anno 1514. menſe Februario exhibuerunt, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi aliique Eccleſiarum Prælati & Clerici, nec non Duces, Marchiones, Comites, nobiles, milites & laici occupaverint & occupari fecerint caſtra, villas & alia loca, terras, poſſeſſiones, jura, juriſdictiones: nec non fructus, reditus, bona mobilia & immobilia ad Eccleſiam Gernrodenſem legitimè ſpectantia: multiplicesque injurias & moleſtias perſonis Eccleſiaſticis intulerunt. Igitur cum valde fuerit difficile, ſingulis querelis propter intervallum itineris ad Apoſtolicam ſedem recurſum habere, proviſionem paternam petiverunt. Leo X. ſub quo Lutherus Evangelii doctrinam ſpargere cœpit, percepta hac querimonia Archiepiſcopis, Epiſcopis Abbatibus & eorum officialibus impoſuiſſe reſcripſit, ut militanti Eccleſiæ Gernrodenſi præſidium præbeant, & non permittant, eam propter bona ſua indebitè moleſtari, vel perſonis Eccleſiaſticis gravamina aut injurias irrogari, compeſcendo per cenſuram Eccleſiaſticam occupatores, moleſtatores & injuriatores, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, ad cohercendos nefarios, cujuscunque dignitatis ordinis vel conditionis extiterint. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1514. 4. Cal. Martii Pontificatus vero ſui anno ſecundo. Barbara de Kitliz Decana florente ætate, cum laude pietatis, modeſtiæ, diligentiæ, & induſtriæ, vitam in terris clauſit, Anno Chriſti 1517. die Jovis poſt Urbani. Succeſſit ei Anna de Kitlitz. Eo tempore Chriſtus ſuam veritatem, depulſis Antichriſti tenebris, per Lutherum illuſtravit, & cum propter abolitionem Papiſticarum abominationum, magni motus in imperio eſſent, Eliſabetha de Wida ſui muniendi cauſa, præfectum Johannem à Minnigerode, ablegavit Wormaciam, quo imperator Carolus Quintus, omnes imperii ordines, deliberandi gratia de ſcriptis Lutheri evocaverat: Petiit is in Comitiis, Abbatiſſæ nomine, confirmationem. Itaque Carolus ob petitionem Abbatiſſæ omnia privilegia & regalia à præceſſoribus ſuis, imperatoribus vel Regibus

Abbatiæ

Abbatiæ in Gernrode conceſſa, inſtauravit & ſtabilivit. Actum Wormaciæ die decima quinta menſis Februarii, Anno incarnationis Dominicæ 1521. Imperii ſui anno ſecundo. Eliſabetha de Wida abbatiſſa, virtutibus omnibus Heroicæ naturæ convenientibus excelluit: tum prima in hac regione Anno 1521. veram Evangelii doctrinam, inter varias difficultates, minas, & inſidias hoſtium complexa eſt & conſtanter retinuit: ac ad eam propagandam, Reverendum virum Stephanum Molitorem accerſivit, & aliquot annos benignè fovit. Qui omnium primo, voce Evangelii, taxare & abolere cœpit errores & idola Pontificia: ſemina veræ Evangelii doctrinæ ſparſit: Eccleſiam Dei voce ſalutaris doctrinæ & fidei conſtantia ac zelo, & omnium virtutum exemplis gubernavit: adoleſcentum ſtudia informavit, ac inter alios diſcipulos Andream Reuthen, qui evaſit poſtea in Cancellarium, inſtituit: Denique autor & ſuaſor fuit Abbatiſſæ, ut Scholam & Noſocomium ædificaverit, atque annuis redditibus exornaverit. Membra reliqua in Capitulo Gernrodenſi, papiſticam doctrinam probare, ſtabilireque ſunt conati: & non admittere religionis inveteratæ Ceremoniarumque Eccleſiaſticarum repurgationem, ideo Abbatiſſa collegio convocato, omnes præclara oratione eſt affata: Agnoſcere ſe immenſam Dei bonitatem & miſericordiam, quod in hac ſenecta mundi, lucem Evangelii claram, & Antichriſti abominationibus mundatam, mundo denuo exhibuerit & oſtenderit. Toto igitur pectore agere ſe gratias Deo pro patefactione & religionis Chriſtianæ illuſtratione, ac ſeverè omnes monere, ne hoc præſens Dei beneficium contemnant, ſed depulſis Antichriſti tenebris, lucem Evangelii agnoſcant, & impios cultus & abuſus Papiſticos, quibus per multos annos Eccleſia penè fuerit oppreſſa, fugiant & deteſtentur, atque veram doctrinam colant. Ea oratione Eliſabetha de Wida non ſolum abbatiæ proceres, verum etiam omnes finitimos Epiſcopos, Comites & Nobiles offendit: qui maximo conatu huic edicto reſtiterunt, abbatiſſam dehortantes, ut propter pericula Lutheranis à Pontificibus imminentia, ab incepto deſiſtat, nec mutationem religionis & rituum proponat, in quibus eorum parentes & majores ſint nati, educati, atque etiam mortui. Fuit autem tanta in ea principe animi magnitudo, non ſolum ut pericula contemneret, vivens ſine præſidiis, ſed etiam ut dixerit, ſe rationem rerum geſtarum Deo reddituram eſſe, & gloriam Chriſti omnibus humanis rebus anteferre. Cum incideret in annum Domini 1525. ſeditio ruſticorum, aliqui ex ſubditis confluxerunt, & ſeditioſo clamore tentarunt aulam occupare, ac bona abbatiſſæ diripere. Illis tumultuantibus, Eliſabetha Princeps pro magnitudine animi & ſingulari providentia, intrepido animo cum Gyneceo obvians, impetum eorum ſuſtinuit: inobedientiam redarguit: perverſos conatus cohibuit, & tumultuantes repreſſit & ad officium redegit. Sedata ruſticorum ſeditione Henricus de Wida, frater Abbatiſſæ, ob perpetratam contumaciam adveniens voluit injuriam Sorori illatam vindicare ac in authores rebellionis durius armata manu animadvertere, ibi benignitas & Clementia Principis optimæ erga ſubditos enituit, Eliſabetha enim commiſeratione mota pro ſubditis interceſſit & omnem culpam eis ignovit & donavit. His annis Abbatia longis concertationibus labefactata, cura & diligentia Eliſabethæ de Wida, vires reparavit. Urſula de Kitlitz Præpoſita cum ſuam provinciam magna fide & diligentia per triginta annos adminiſtraſſet, in Domino placidè, obdormivit die veneris poſt Paſcha, Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono. In memoriam æternam annuos proventus ſemellarum auxit, & moriens magnum ſui deſiderium reliquit. Sepulchrum in ambulachro templi, lapide tectum eſt. Succeſſit ei Anna de Kitlitz Decana. Eodem anno rebus humanis exempti ſunt: D. Kenſel paſtor, D. Petrus Armboſter, & frater ſuus Antonius Armboſter, ſcriba Præpoſitæ, qui in ſui memoriam Decanæ altum ædificium exſtruxit. Caſparus Scharffe, conjuge Anna Janes amiſſa, cum propter conjugium legitimum, Sacerdotibus prohibitum à pontificibus, præbenda privatus ac è Capitulo ejectus biennio antefuiſſet, hoc Anno 1529. Menſe Octobri ſecundas nuptias cum Apolonia, relicta vidua Andreæ Popperodens, Chriſtiano ritu celebravit. Qui cum me quoque paterno amore complexus fuerit, & literarum ſtudia liberaliter adjuverit atque provexerit, ad officium meum pertinere judicavi, ut non ipſemodo memoriam illius beneficii in meo pectore perpetuò conſervarem verum etiam publicum debitæ gratitudinis teſtimonium, hoc in loco infererem. Docuit eo tempore Evangelium,

Reverendus vir Stephanus Mylius. Conjugium omnibus hominibus, Laicis & Sacerdotibus, conceſſum & liberum eſſe: Sicut diſertè Paulus inquit, prohibitionem conjugii & ciborum doctrinam diabolicam eſſe, 1. Timoth. 4. Itaque ut & vita & exemplo ſuo alios inſtitueret, Uxorem Agnetam duxit, ex qua ſuſcepit tres filios, totidemque filias. Illius exemplum ſunt ſeqvuti: Wolfgangus Goltſmid, & Nicolaus Moller, præbendarii Capituli. Anna de Kitlitz Præpoſita tres cognatas è familia Baronum Kitliciorum in Sileſia natas: Barbaram, Dorotheam & Agnetam: forma ſpecioſiſſimas, & non ſine magna cura & diligentia educatas, in gynecæo ſuo ſimul habuit. E quibus Dorothea & Agneta infamia notatæ fuere, Anno 1531. eò quod à duobus adoleſcentibus ſcribis perſvaſæ, pudicitiam & decus virginale non obſervantes, clam ſeſe, deſerta Abbatia & functione, contra voluntatem præpoſitæ & totius Capituli, cum adoleſcentibus ſubduxerint, & poſtea in locis peregrinis, illis erronibus, non ſine dedecore, matrimonio legitimo utraque copulatæ fuerint. Diſceſſura ex vita mortali Eliſabetha de Wida, hæc præcipua mandata ſuis dedit, ut & ſtudium veræ pietatis & religionis, ad quam ab ipſa inſtituti eſſent, ardenti pectore colerent ac omnibus humanis rebus anteferrent. Tandem cum per viginti octo annos cum magna laude pietatis præfuiſſet, Anno Chriſti 1532. undecima Aprilis, anno ætatis 52. deceſſit, edita inſigni confeſſione fidei, quam usque ad extremum halitum, aſſidua repetitione piarum ſententiarum, & ardenti invocatione Dei confirmavit. In latere templi 13. Aprilis ſepulta fuit, magno cum luctu omnium ſubditorum.

Epitaphium Eliſabethæ de Wida collegii Gernrodenſis Abbatiſſæ à Nathanaele Mylio conſcriptum:

Felix in ſummo cui ſpes eſt fixa parente,
Rebus in humanis, nil prius eſſe poteſt.
Auxiliis adjuta Dei, nam talia teſtor,
Ut regat incolumes & juvet ipſe ſuos,
Ut miſer amiſſo jactatus navita remo,
Extendit dubiis vela ferenda Nothis,
E *n ſic cura mihi fuit, ut data publica cœpit,*
L *ubrica me variis ſors agitare modis,*
I *pſa etenim vitæ duras experta procellas,*
S *uſtinui forti vix ſubeunda viro,*
A *t mihi tu ſuperſim juſtiſſime Chriſte dediſti,*
B *arbaricas hominum non timuiſſe minas,*
E *xorta eſt iterum divini ubi gloria verbi,*
T *urpis & Auſonii larva remota lupi,*
Grandes hinc Stigius Dæmon mihi ſtruxerat aſtus.
Æternæ quod eram docta ſalutis iter.
Paſſaque ob hæc inimicitias iraſque potentum
Omnia deſpexi, vindice tuta Deo.
Reſpexit noſtri vota & ſuſpiria cordis,
Neſcit enim ipſe ſuos deſtituiſſe Deus
Unde meis primum Romana fraude relicta
Autor eram Chriſti dogmata vera ſequi.
Nec mihi vana levis quæſita eſt gloria mundi,
Vita ſed eſt ſummo tota dicata Deo
Et placido tandem clauſa eſt mihi fine ſenecta,
Impoſitus mea nunc hic tegit oſſa lapis
DVLCIs In ætereas ConCeßIt ſpIrItVs arCes
AſtrI ſeraqVe VIDet rVra beata pLagæ.

Numerum annorum in hoc ultimo diſticho reperies. Hujus Abbatiſſæ ſepulturam poſt aliquot annos, Anna de Kitlitz tabula artificioſè depicta exornavit. In ea inſcripti ſunt, hi Germanici Rithmi.

Stehe ſtill und ließ du lieber Chriſt /
Gegen dieſer Taffel begraben iſt /
Fraw Eliſabeth vom Edlen Blut /
Von Weyda ihr Geſchlecht man nennen thut.
Der GOtt ein mänlich Hertz hat geben
Vernunfft und guten Verſtandt daneben
Daß ſie ihre Geſchäfft und Regiment /
Woll führet aus biß an ihr End
GOttes Wort hat ſie in dieſen Stifft
Erſt klar erkandt / und Papſtes Gifft
Rein außgefeget / darumb ſie ward
Vom Teuffel und Welt bedrenget hart /
Dazu die böſen Bauren aufſtunden /
Hats alles mit groſſen Muth überwunden
Iſt in einem ruhigen Alter geſtorben
Und hat durch Chriſtum Gnade erworben.

Abbatiſſa XXI. Anna Burggravia.

Nata fuit ex illuſtriſſima familia Plaviorum. Patre Henrico Burggravio Misniæ, & Comite in Hartenſtein &c. Matre vero illuſtriſſima Principe, Barbara Anhaltina, Sorore Principis Wolfgangi Anhaltini Abbatiæ Gernrodenſis tutoris. Ad pietatem & virtutes Heroicæ naturæ convenientes à teneris adſveſacta in Gynecæo Vinarienſi Johannis Friderici Electoris & Ducis Saxoniæ, quod eo tempore præ omnibus in Germania maximè fuit conſpicuum. In electione Annæ Plaviæ, Capitulum fuit conſtitutum his perſonis:

Anna Plavia Abbatiſſa delecta,
Anna de Kitlitz Præpoſita,
Brigitta de Wida Soror Abbatiſſæ defunctæ,
Barbara de Kitlitz Decana,
Catharina de Gleichen,
Magdalena de Gleichen.

Stephanus Mylius Superintendens,
Matthias Paciens Paſtor S. Stephani,
Henricus Holtzgreve Senior,
Wolfgangus Goltſmid Quedlinburgenſis,
Nicolaus Mollerus Quedlinburgenſis.

Solennitatem hujus electionis & cæremonias in Eccleſia uſitatas, inſpexit illuſtriſſimus Princeps Wolfgangus Anhaltinus, quem Imperator Abbatiæ tutorem dedit. Anna Plavia communi conſenſu Capituli Gernrodenſis Abbatiſſa creata: de collocatione & inveſtitura Abbatiæ, ab imperio Romano impetranda, ablegavit Theodoricum Wrampen, præfectum Gernrodenſem Ratisbonam, ubi Imperator Carolus Quintus eodem tempore Comitia habuit. Is expoſitis ſuis mandatis, electæ Abbatiſſæ nomine, fidelitatem Imperio debitam. Friderico Palatino, Vice Imperatori promiſit, ac confirmationem impetravit. Data eſt autem Ratisbonæ à Carolo Quinto 18. Junii Anno Dominicæ Incarnationis 1532. Gubernatio ejus tranquilla fuit quia adjunctos habuit Anhaltinos Principes omnes: quorum conſilio abbatiam magna cum laude virtutis rexit. Brigittæ de Wida orbitas ex amiſſione cariſſimæ Sororis Eliſabethæ in gentem dolorem attulit, quem ut leniret ad ſuos reverti deſideravit, adornans iter in Leuchtenburg, ut viſeret Sororem, nuptam Comiti Swartzburgenſi. Interim dum ſeſe ad iter inſtruxit, κειμήλια, & precioſiſſima quæque, quæ Eliſabetha adhuc vivens in proprietatem Eccleſiæ Gernrodenſis dedit, clam cœteris collegit, & ſecum abduxit, relinquens in Abbatia ciſtas & arculas, ad quas ſe brevi reverſuram prætendit. Sed intra paucos dies, apud Sororem in Leuchtenburg degens, ex hac vita migravit, & terreſtre domicilium reliquit. Itaque Anna Plavia morte ejus cognita theſaurum Eccleſiæ depromere volens, evacuatis ciſtis apertis, ſibi illuſam,

ac abbatiam ſpoliatam eſſe deprehendit. Theodoricus Wrampe præfectus turpiter functionem ſuam deſeruit, Anno 1533. nocte aufugiens, dum bonum adoleſcentem è familia Gödecorum propter leve aliquod delictum, incautius, ſive ſuperbius Cuſpide transfodit, injuſta cœde & violentia uſus; cum ſub noctem, eum in vincula conjicere conaretur. In cujus locum paulò poſt ſuffectus eſt, Nicolaus de Dale, nobilitate generis, ſapientia & virtute præſtans. Eo anno ædificium Scholæ exſtructum & annuis reditibus ordinatum fuit. In quo Hypſæus Vir Clariſſimus & Latinæ ac Græcæ linguæ peritiſſimus, primus ludi-moderator extitit. Deſtinata eſt illi domus & præbenda defuncti D. Petri Armborſters, poſtea de præbenda Henrici Holtzgrefen Cantor ſeu Coadjutor Scholæ Rectori acceſſit: Miſſæ etiam prophanatio abolita ac omnia Sacella extra templum conſtructa, deſerta ſunt: Virginum cœtus publicas canciones ſacras canere, pſalmodias in laudem Dei celebrare, ac lectiones latinas ad hoc uſque tempus ſine intellectu in templo legere conſuevit: Sed ordinato ludo literario, in publicis congreſſibus, Scholaſtici canere incœperunt, & Chorus puellarum pſallere publicè deſiit. Ea tamen conſtitutione, ut omnia membra Capituli, quæ beneficia Eccleſiaſtica expectarent & acciperent, virgines ac ſacerdotes, matutinis & veſpertinis precibus intereſſent, ac vera fide, & ardenti invocatione, Deum celebrarent. De judicio quoque graviſſimo Abbatiſſæ & totius Capituli, Eccleſia parochialis S. Stephani, in Cathedralem S. Cyriaci, tranſlata eſt: Ut veræ Eccleſiæ Chriſti domicilium & ſedem quietam præberet, in qua convenirent populi ſimul & Reges, ut ſerviant Domino, & laudem ejus annuncient. Paſtori S. Stephani D. Matthiæ præbenda è Capitulo acceſſit, cum qua Capitularibus adjunctus alternatim cum Reverendo Viro D. Stephano Molitori, Evangelium docuit & Sacramenta ſecundum veram Chriſti inſtitutionem adminiſtravit. His etiam annis, Anna Plavia, Xenodochium ac Bibliothecam per D. Stephanum inſtruere cœpit. Eleemoſynas ſpendarum haſtenus ſine diſcrimine, pauperibus & divitibus diſtributarum, egenis ſeptem perſonis in Noſocomium receptis, ordinavit, ac ædificium illud libertate donavit. Ad Bibliothecam vero annuos proventus Eccleſiaſticos diſpoſuit. Ædificia præterea multa & magna utilia atque neceſſaria, in Gernrode & Froſe magna prudentia incœpit, Anno 1534. atque mira celeritate & felicitate abſolvit, ita ut in hodiernum diem peregrinis & incolis admirationi ſint. Semper circum ſe viros doctos habere conſuevit, quos ad ſecretiſſima conſilia adhibuit. Unde ut juſtitia & æquitas in ſua ditione Gernrodenſi retineretur, Melchiorem Cruger Jureconſultum Witeberga vocatum, Anno 1537. Cancellarium conſtituit. Is cum res maximas, abbatiſſæ nomine hinc inde apud Imperii Principes, ſumma fide, diligentia & dexteritate expediret, omnibus innotuit, & juriſperitia magnam ſibi nominis exiſtimationem comparavit. Barbara de Kitlitz florente ætate cum laude pietatis, caſtitatis & modeſtiæ ex hac vita deceſſit Anno 1540. die 27. Februarii. Hujus funus Anna de Kitlitz Præpoſita in magna frequentia hominum uſitatis Ceremoniis funebribus & Chriſtiano ritu in ambulachrum templi deduci curavit, ubi honorifice ſepulta eſt. Ejus ſepulchrum Johannes Sweinfurdenſis, Vir egregiè literatus, cui ob erudiendum & informandum generoſum baronem, Marcum de Kitlitz, Præpoſita victum liberaliter præbuit, Epitaphio exornavit tali:

Non te pœniteat, cum tot monumenta frequentes,
Huc, ſi pervenias, detinuiſſe pedem.
Hic ego quæ capio vita perfuncta quietem,
Caſta pietati dedita virgo fui.
Non me quod ſtirpis veteris ſim jacto propago,
Jacto pudicitiam, nobile ſtemma meum.
Et quod divini colui myſteria verbi,
Spemque meam Chriſtum ſum venerata fide.
Ergo mors fuerat quæ me fixura ſagittis
Occubuit victrix, ipſa trophæa tuli.
Tu tamen ad Chriſtum ſupplex effunde querelas,
Ut prece placatus, ſit mihi, ſitque tibi.

His annis florentiſſimus ſtatus abbatiæ Gernrodenſis fuit. Eccleſiaſticæ & politicæ dignitates, idoneis perſonis optime fuerunt diſtributæ: Abbatiſſa & præpoſita

mutuis

mutuis beneficiis & officiis invicem certarunt: Anna Plavia honeſtè educari, & in omni diſciplinarum genere ſimul informari, magna diligentia curavit, uterinos fratres, Joachimum & Weniſch, Dominos in Maſcha & Colbrot &c. Erneſtum in Regenſtein Comitem, ac Erneſtum atque Hectorem in Gleichen Comites: Anna de Kitlitz præpoſita in regenda Oeconomia non minorem laudem obtinuit, pœdagogum privatum apprimè doctum, ſuis conſanguineis Marco de Kitlitz Baroni, ejusque ſororibus Barbaræ & Annæ addidit, ac liberaliter ſuis ſumptibus fovit. Unde abbatia laude pietatis & honeſtatis ab omnibus paſſim celebrata atque conſpicua facta eſt. Magdalena de Gleichen, filia Hectoris, comitis in Remda & Blanckenhagen, anno ætatis decimo octavo, nupſit fratri abbatiſſæ, ex matre, ſed non eodem patre nato, Joachimo Domino in Maſcha. Nuptiæ Cellæ celebratæ ſunt in Quinquageſima Domini anno 1542. ſponſus autem cum propter infirmam valetudinem, à ſacro nuptiali celebrato, per quatuor menſes graviter decubuiſſet, non ſine ſuſpicione veneni, Dominica poſt Jacobi eodem anno, rebus humanis exemptus, Gernrodi ſepultus eſt in templo Divi Cyriaci. Relicta Magdalena interceſſione principis Wolfgangi Anhaltini, avunculi Domini Joachimi, immatura morte defuncti, in numerum Collegii Gernrodenſis recepta: marito ſupervixit viginti quinque annis, hebdomadis quinque, obſervans præceptum Pauli, 1. Timoth. 5. Quæ vidua eſt ac deſolata, ſperet in Deo & perſeveret in obſecrationibus ac precationibus noctu dieque. Melchior Cruger cum res ſibi commiſſas magna dexteritate expediret, ab Anna Plavia in Academiam Witebergenſem, doctrinæ cœleſtis & veteris ac veræ Philoſophiæ atque legum Metropolin, remiſſus eſt, ut titulis & honoribus ornatus, præfecturam eo majori exiſtimatione & autoritate, ſubire ac adminiſtrare poſſet. Is igitur utriusque juris Licentiatus creatus, anno 1543. præfecto in Gernrode, Nicolao de Dale ſucceſſit, ducens virginem nobilem, quam ei abbatiſſa è Gynecæo collocavit Magdalenam Lempin. Ejus in locum Cancellarius deſignatus eſt Andreas Reuthe, quem abbatiſſa à teneris annis in aula benignè & liberaliter aluit ac fovit, ſuppeditans ei omnes ſumtus, per integrum biennium in Academia neceſſarios. Cum hoc modo Anna Plavia abbatiam ædificiis & bonis legibus ornaſſet, literas promoviſſet, ac erga pauperes & omnes capitulares magnam beneficentiam exercuiſſet, Eccleſias ſuas reformavit, juxta Saxonicam formulam, quam ex Lutheri doctrina cognovit, & publice anno 1545. confeſſa eſt. Fuit autem viſitatio Eccleſiarum, eo tempore admodum periculoſa, dum Cæſar & imperii principes, pontificis inſtinctu, plurimum Evangelicis ob mutatam religionem iraſcerentur, ſubinde etiam in imperii comitiis, nova decreta contra proteſtantes fierent.

Viſitatores ordinati fuerunt:

Stephanus Mylius Superintendens,
Simon Gruningius paſtor.

His adhibiti fuerunt:

L. Melchior Cruger præfectus,
Andreas Reuthe Cancellarius.

In bello Germanico cum Joannes Fridericus Saxo victus in Cæſaris manus veniſſet, anno 1547. ſexto die Maii ipſa abbatiſſa avunculo Wolfgango Anhaltino profligato, nec ullum habenti profugium, ob fidelitatem Saxoni præſtitam, Hiſpanorum formidine concuſſis omnium & occupatis animis, receptum dedit, atque ob ſpem vitæ æternæ, in Evangelii confeſſione conſtanter perſeveravit. Omnia decora pietatis, ingenii & virtutis muliebris univerſæ, in hac principe fuerunt tanta, quanta hic ſexus capere poteſt, cum & natura eſſet optima & accederet ſanctiſſima educatio parentum. Suo etiam exemplo collegium ad virtutes pellexit, donec tandem anno 1548. morbo cancri correpta, atque longa conſumpta tabe, quæ nullis emendari medicationibus potuit. In vigilia Dominicæ Judica, ſpiritum exhalavit placidiſſimo flatu, in agnitione & fiducia meritorum Filii Mediatoris. Hujus exuvias ritu Chriſtiano ſepeliri curavit princeps Wolfgangus Anhaltinus, avunculus abbatiſſæ, qui per quadrageſimam dilectæ ſuæ ſorori adfuit, ut præſentia ac conſilio ſuo, morbum

 difficilem

difficilem abbatiſſæ leniret & curaret. Sed interdum docta plus valet arte malum in ſepulchro defunctæ Annæ aperto, inventa eſt ſandapila plumbea, inter lapides politos ac ordine exſtructos depoſita, in qua ante quingentos triginta annos, condita fuiſſe mortua membra primæ abbatiſſæ Hathwigis plerique autumant, ſaxo monumentum tectum fuit, cum hac inſcriptione: Von GOttes Gnaden Anna dieſſes freyen weltlichen Stiftes Gernrode Eptiſſin / geborne von Plawen / hat ihr löblich Regimendt und Leben Chriſtlich beſchloſſen am Sontag Judica Anno 1548. Ejus tumulo hi Germanici rithmi honoris cauſa ab Anna de Kitlitz, quæ ei ſucceſſit, in tabula ſuperadditi ſunt:

Hie leid Fraw Anna Lobeſtain
Gebohrn von Edlen Geſchlecht und Stam /
Ihr Vater ein Herr von Plawen Guth
Die Mutter eines Anhaltiſchen Bluth
Am Hofe zu Weymar ſie von Jugend
War auferzogen in Zucht und Tugend
Führte gar ein Erbar Chriſtlich Leben
Und löblich Regiment daneben
Sie bawet viel / war holdſelig und klug
Demütig / milde und ließ doch gnug
Den Kirchen / Schulen und armen Leuten
Half ſie und gab zu allen Zeiten
An ihrem Ende rief ſie ſtets an
Den lebendigen Gottes Sohn /
Bey dem ihre Seele itz ruhet fein
Der behüt auch unß für ewiger Pein.

Abbatiſſa XXII. Anna de Kitlitz Baroniſſa Sileſia.

Nata fuit hæc Abbatiſſa Anna in Sileſia non procul à finibus polonicis patre Barone Kitlicio. Vocata in hanc abbatiam à cognata Urſula Kitlicia, quæ tempore Scholaſticæ Anhaltinæ, non ſine magna laude, Præpoſita fuit. Vix attigerat triennium in abbatiam veniens, mox literis inſtituta, ad eam dignitatem pervenit, ut ordine omnes prælaturas in hac Abbatia experta ſit, ingreſſa annum ætatis decimum ſextum, communibus ſuffragiis electa eſt in Decanam. In cujus honorem ſcriba, eo tempore, vir honoratus, Antonius Armborſterus, Decanæ peculiare ædificium exſtruxit ſuis impenſis, teſtamento deſignans non niſi Kitlicias virgines poſt ſe, hanc exſtructam domum inhabitare. Anno Chriſti 1528. commendatur Annæ à Kitlitz præfectura, quam feliciter adminiſtrat per viginti annos. Sub initium gubernationis hujus præpoſitæ, è Gynecæo clam per duos ſcribas abducuntur duæ virgines Kitliciæ, quæ poſtea in exilio ſeductoribus matrimonio legitimo copulantur. Quarum altera, nempe Urſula defuncto viro, in ambulatorio hujus templi, piis ceremoniis ſepelitur. Circa annum Chriſti milleſimum, quingenteſimum triceſimum ludus literarius publicus ordinatur & moderatori Scholæ ex Sacerdotiis annui reditus conſtituuntur ab Anna Plavia, & Anna Kitlicia. Primus Scholæ Rector deſignatur Petrus Eileman, pœdagogus Domini Joachimi à Maſcha atque Wenicii Sororii Principis Wolfgangi Anhaltini &c. Poſtea Witeberga vocatur ad hanc Scholam regendam, Melchior Cruger, qui ob eximiam cognitionem juris remittitur paulo poſt Witebergam, ubi titulo Licentiatus ab Academia inſignitur. Hæc Anna Kitlicia cum tempore belli Germanici eſſet ſeptuagenaria, ac propter pietatem atque prudentiam communi conſilio, deligeretur ad gubernationem Abbatiæ in locum defunctæ Annæ Plaviæ: reſpuit electionem factam, interpoſita ſua imbecillitate atque difficili ſenio: ſed tandem perſvaſa per Principem Wolfgangum Anhaltinum, tutorem collegii, poſtulationi huic locum dedit, quamvis non ſine lachrimis. Nec poſſe ſalva conſcientia fieri, detrectationem legitimæ electionis, Reverendus Vir, Sephanus Mylius, Abbatiæ Superin-

Superintendens è ſacra ſcriptura docuit. Acta hæc ſunt die Mercurii poſt Judica, Anno virginei partus 1548.

Huic electioni interfuere:

Anna de Kitlitz Præpoſita,
Catharina de Gleichen Decana,
Magdalena de Gleichen relicta de Maſcha,
Eliſabeth de Gleichen,
Mariana de Tyrſtorff,
Barbara de Kitlitz.

Stephanus Milius Eccleſiæ Superintendens,
Simon Gruningius Paſtor S. Stephani,
Wolfgangus Goltſmid Diaconus,
Nicolaus Möller Diaconus,
Melchior Cruger Licenciatus & præfectus,
Andreas Reuthe Cancellarius,
Petrus Godeſchalcus Procuraror œconomiæ.

Illuſtriſſimus Princeps Wolfgangus Anhaltinus, hanc legitimam electionem inſpexit atque approbavit, ſimul per Henricum à Wedersdorff dilectæ Abbatiſſæ patrocinium, benevolentiam & fidelitatem promiſit, atque per vitam Abbatiſſæ præſtitit. Poſt hanc electionem Melchior Cruger, nomine Capituli tria poſtulata Abbatiſſæ exhibet. Primo, ne religionem, quæ Dei beneficio ſonaret. In hac Eccleſia repurgata, mutaret. Deinde, ne ceremonias receptas aboleret: Tertio, ne privilegia & immunitates imminueret. Hæc poſtulata cum delecta Abbatiſſa approbaret die Martis poſt Palmarum, Anno 1548. magna feſtinatione mittitur Andreas Reuthe Auguſtam ad imperatorem Carolum Quintum, qui eo tempore Comitia illic agebat, ut confirmationem electæ Abbatiſſæ petat, ac fidelitatem ſacro imperio Romano debitam, deferat atque promittat. Anna à Kitlitz confirmata ab Imperio Romano, deligit Catharinam à Gleichen in Præpoſitam, Eliſabetam Sororem vero in Decanam. Invenit hæc Abbatiſſa diſceptationes aliquas cum illuſtri familia Anhaltinorum, longo tempore agitatas. De quibus Anno 1550. Abbatiſſa Præpoſita & Decana conveniunt in Bernburg, cum illuſtriſſ. principibus, Wolgango, Johanne, Joachimo & Georgio, Die Jovis poſt Reminiſcere. Melchior Cruger in Abbatia evectus ad ſummos honores, cum conjuge ſua Magdalena Lempin circa Solſticium æſtivum Anni 1551. mutat conditionem ſuam, & ab urbe Brunſvicenſi ordinatur in publicum Sindicum Civitatis, Huic ſubſtituitur vir integerrimus Henricus à Wedeſtorff decus nobilitatis Saxonicæ. Hoc anno 1551. Decembr. 18. adducuntur in abbatiam Anhaltinæ duæ Sorores, Margareta & Eliſabetha, quarum altera nubit Alberto Comiti Barbienſi, altera vero venit ad gubernationem. Inter omnes virgines collegii Gernrodenſis, eminebat eò tempore pietate, ætate atque ſapientia Anna Reuſsin, nata è matre Mansfeldica. Hæc virgo placidè in Domino expirat pridiè Georgii Anno 1552. Hujus immatura mors plærisque magnum terrorem incutiebat, quia videbant poſt abbatiſſam jam ſenio confectam, nullam aliam perſonam ad gubernationem idoneam ſupereſſe. Wolfgangus Goltſmid Quedlinburgenſis in Abbatia primo habitus pro quæſtore, poſtea ad Diaconatum ordinatus, per triginta annos in Eccleſiaſtico officio Deo inſerviens, hoc domicilium terreſtre deſerit, Anno 1555. Maji 17. Ei ſubſtituitur Paſtor in Warnſtet, Gerardus à Bruchshuſen. Eo anno viſitatio publica habetur in omnibus templis Abbatiam ſpectantibus, Epiſcopo D. Stephano Milio qui examen habuit præſente Henrico Wedelſtorffio, præfecto. Barbara & Salome à Kitlitz, à patre Wenceslaô Barone introducuntur in abbatiam Annô Chriſti 1556. Januar. 3. Elevatio corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra æde S. Ciriaci, ad hunc usque diem uſitata communi conſenſu abrogatur 7. Januarii Anno 1556. Quedlinburgenſis Abbatiſſa Anna à Stolberg iter faciens à Stolberg, dum forte in declivio montis de curru deſcendens incautius pedem lædit, per quatuor hebdomadas in hac Abbatia curatur. Accidit hic inopinatus caſus 2. Januar. Anno 1557. Henricus à Wedelſtorff præfectus magnæ autoritatis, cum fideliter

liter inſerviiſſet multis Harciniæ locis, vitam finit Halberſtadiæ, ac ſepelitur honorificè in æde S. Martini, die Fabiani Sebaſtiani Anno 1557. Eodem anno pridie Junii, ab Anna Kitlicia in locum defuncti præficitur Georgius Sefeldenſis Marchita, cum ante paucos menſes in uxorem duxiſſet Catharinam Asbachiam. Biennio ante finem vitæ, hæc Abbatiſſa non parvam pecuniæ ſummam teſtamento ordinat, qua ex annuis reditibus alantur & ſuſtenentur virgines in Abbatia, miniſtri Eccleſiæ, collegæ Scholæ, diſcipuli, atq; pauperes. Hujus Annæ Kitliciæ pietas, virtus, ætas & ſingularis induſtria in gubernatione, eximium ornamentum fuit Abbatiæ. Cum reperiſſet Rempub. nonnihil oneratam ære alieno, ex novis exſtructis ædificiis atque villis, Dei largitate ab omnibus oneribus brevi tempore liberavit abbaciam. Inſuper theſaurum non contemnendum ſucceſſoribus ſuis relinquit. Unde, ſicut Romanum imperium dicitur ſub Julio Cæſare in ſummo faſtigio fuiſſe, ac poſtea paulatim decreviſſe: Ita non immerito dici poteſt, hujus Abbatiſſæ tempore Abbatiam in maximo flore fuiſſe, ac poſtea paulatim decreviſſe. Cum attigiſſet annum ætatis octogeſimum tertium, confecta ſenio & laboribus, ex hac mortali vita diſcedit viceſimo ſexto Junii, circa horam quintam meridianam Anno 1558. Præfuit Abbatiæ decem annis. Delegerat ante obitum locum ſepulturæ in primario templo. Ubi honorificè membra defuncta conduntur die Lunæ poſt Joannis Baptiſtæ. Inter funeris ceræmonias plærique has voces ingemiſcebant: Ach! amiſimus non Abbatiſſam ſed matrem.

Abbatiſſa XXIII. Eliſabetha Comitiſſa de Gleichen.

Illuſtriſſimus Princeps Wolfgangus Anhaltinus, conſtituerat propter tutelam Abbatiæ, ſibi & anteceſſoribus ſuis à ſacro Romano Imperio, jam inde Alberto Urſo commiſſam, electioni novæ Abbatiſſæ intereſſe: ſed diſtentus adverſa valetudine commoratur in Ballenſtet, ablegando viros conſiliarios: Chriſtophorum à Croſick & Joannem Truckerotum. Hi exponunt mandata Principis 26. Julii. Venire ſe, non, ut impediant liberam electionem, nec ut ſuffragia ſua addant electioni, contra conſtitutionem veterum imperatorum: ſed ut nomine Principis ſui, favorem & benevolentiam initiandæ deferant. Cum autem animadverterent voluntates virginum eo inclinatas eſſe ad eligendam Eliſabetam de Gleichen, quam judicabant minime idoneam fore ad gubernationem. Erat enim impeditæ linguæ ac reliquis ſororibus de Gleichen conſilio atque prudentia omnino impar: conantur Annæ Kitliciæ, cognatæ defunctæ Abbatiſſæ perſuadere, ut ſententiam ſuam conjungat cum miniſtris Eccleſiæ, qui Eliſabetam Anhaltinam, virginem tum temporis novem annorum præeſſe requirebant, prætendentes, valdè periculoſum eſſe ſummam rerum in Abbatia bene conſtituta, duabus ſororibus committere. Convocant igitur legati ſeorſim Annam Kitliciam cum matre ejus, quæ fortè præſens erat, ubi ad Capitulares Truckerotus orationem habet: Initio commemorans ſui Principis Clementiam & benignam affectionem erga abbatiam: Deinde recenſet beneficia, non nuper oblata, ſed longo tempore more anteceſſorum ſuorum, collegio Gernrodenſi exhibita eſſe. Hæc poſſe demonſtrari in Froſe, ubi omnium agrorum decimas, Principis beneficio Abbatia colligeret: Suadet itaque ne inconſiderata electione Principis paternum animum offendant. Oſtendit etiam, non ſine detrimento, abbatiam antea duarum ſororum gubernationem expertam fuiſſe. Hac oratione Anna Kitlicia non movetur, ut diſcedat à propoſito in electione, ſed reſpondet, reliquas virgines omnes unanimi conſenſu delegiſſe Eliſabetam de Gleichen Decanam à quarum ſententia diſcedere non fas eſſe. Quam ob rem miniſtri Eccleſiæ accedunt ad cœtum virginum, inter quos Stephanus Milius his verbis orditur: Reſtare ſibi exiguum ſpacium vitæ in hac ſenecta ſua, inde non ſua referre, qualis Dominus eligatur, propter poſteritatem autem Reipub. intereſſe, ut Anhaltina ſufficiatur, quæ genere, potentia, opibus, atque ſplendore familiam de Gleichen longè ſuperet. Afflictæ Abbatiæ divina approbante gratia, poſſe fratres principes ſubſidium afferre, quoties auxilio opus fuerit. Absque autem tutela Anhaltinorum non poſſe Abbatiam diu in tranquillo ſtatu conſiſtere, propter contumaces & facinoroſos homines, qui ſine fine muliebre imperium concutere atque ei

vim

vim inferre non deſinant. Adhortari ſe ergo, ut illuſtriſſ. Principum Sororem in abbatiſſam eligant, quam fratres nunquam ſint deſerturi. Sin vero propter infantiam vitare velint puerile imperium, præpoſitam Catharinam deligendam eſſe, quæ dignitate, ætateatque prudentia Sororem Eliſabetam vincat. Ad hæc verba Catharina præpoſita prolixè reſpondet: Audiviſſe ſe proteſtationem eligendæ Abbatiſſæ cauſa factam. Sed ſe rem antea cum aſſeſſoribus ſuis virginib. bene perpendiſſe quid in rem ſit Reipubl. Nec in præſentia poſſe reperiri magis idoneam ad gubernacula, quam Sororem Eliſabetam à Gleichen: Recenſens ſimul ordine ſtatum & conditionem receptarum virginum: Seſe quidem non poſſe ſalva conſcientia hanc adminiſtrationem ſuſcipere. Nam cujusmodi votum fecerit, notum Deo eſſe, qui brevi illud ſit manifeſtaturus. Magdalenæ relictæ viduæ de Maſcha non convenire regimen Abbatiæ, quia vix interceſſione Principis Wolfgangi ſit in numerum Capituli recepta. Eliſabetham Anhaltinam per ætatem nondum eſſe idoneam ad gubernationem: Annam à Kitlitz malle, ut excludatur ab Abbatia, quam ut ſummæ rerum præficiatur, Barbaram & Hedewigam à Kitlitz ob teneram ætatem in infantia haberi. Qua de cauſa conſilium ſe dediſſe reliquis virginibus de eligenda Sorore Eliſabetha Decana, quæ etſi non emineat claritate ſtemmatis, potentia ac divitiis, tamen ab incunabulis ad pietatem & morum elegantiam aſſuefacta ſit: Nec Eccleſiam decere in præſidia humana confidere verum in omnipotentis Dei auxilium & opem. In hunc modum cum Capitulum variaret ſententiis, illo die impeditur electio. Anhaltini enim legati recipiunt ſe in Ballenſtet. Ut Principi Wolfgango renuciarent conditionem Abbatiæ Gernrodenſis. Eodem die habito prandio de voluntate Capituli ablegantur in Ballenſtet, præfectus Georgius Seſeldenſis, Andreas Reuthe Cancellarius atque Matthæus Dibben Capitaneus in Alsleven, ut illuſtriſſimi Principis animum coram cognoſcerent: Illi, audito Principe, referunt de ſumma voluntate, Clementia & paterna affectione erga Abbatiam, nec celſitudinem ſuam expetere, ut ei in gratiam perſona aliqua ad gubernationem conſtituatur, ſed quæ cœtui virgineo maximè idonea videatur. Electioni igitur deſignatur Julii dies 28. ad quem prædicti legati redeunt, & communib. Suffragiis ſolenni & uſitato more decernitur, ut Eliſabetha de Gleichen ſummæ rerum præficiatur, ac felicibus auſpiciis ad gubernationem ſufficiatur.

Interfuere huic deſignationi:

Catharina de Gleichen Præpoſita,
Magdelena de Gleichen vidua,
Eliſabetha Anhaltina,
Anna à Kitlitz,
Barbara à Kitlitz,
Hedwigis à Kitlitz.

Stephanus Milius Superintendens,
Simon Gruningius Paſtor,
Gerardus Bruchshuſen Diaconus,
Andreas Popperode Magter,
Georgius à Seſeld Præfectus,
Andreas Reuthe Cancellarius,
Matthæus Piper Scriba,
Chriſtophorus Croſig Præfectus in Berneburg,
Johannes Truckerod Cancellarius in Berneburg.

Anhaltini legati poſtea patrocinium & benevolentiam Principis nomine delectæ deferunt atque liberaliter pollicentur. Abbatiſſa initiata veteri ritu, in Decanam renunciat Eliſabetham Anhaltinam, & confirmationis cauſa impetrandæ, mittit Georgium Seſeld ad imperatorem Ferdinandum qui eo tempore Comitia Auguſtæ agebat, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono ultimo Julii. Eodem anno decimo nono Julii, Dominus Johannes à Kitlitz Baro, confectus annis, exſpirat inter preces & vota. Sepelitur in aditu templi primarii, cum per multos annos cognatæ liberaliter eum foviſſent, in compenſationem autem acceptorum beneficiorum teſtamento

legaverat ante mortem ſingulis virginibus in Abbatia 50. Joachimicos. Ad autumnum 28. Octobr. Georgius Sefelt præfecturam ſuam reſignat, in cujus locum ſubſtituitur, de conſilio Comitis Henrici Stolbergenſis, qui ſororem Abbatiſſæ in matrimonio habebat Adolarius Reinboth, natus in patricia familia urbis Erffordenſis, qui ſuſcipit adminiſtrationem in quinquageſima Domini, Anno 1560. Sub hoc tempus ad initium veris, Simoniis artificiis ſe inſinuat Chriſtophorus Ort, qui olim comitibus de Gleichen miniſtraverat. Is in gratiam loquitur Abbatiſſæ & Præpoſitæ, irrumpens in aliorum aulicorum vocationes, mutat & turbat omnia. Denique abalienat animum Abbatiſſæ à Clementiſſimo Principe Wolfgango, qui, per multos annos, patrocinium egregium Abbatiæ præſtiterat. Ob hanc ingratitudinem membra totius Capituli Gernrodenſis incurrunt in offenſionem pientiſſimi Principis & optimè meriti. Ob hanc cauſam Adolarius Reinboth præfectus deſerit Abbatiam conferens ſe in patriam, Anno ſexageſimo 21. Aprilis. Decimas in agro Froſenſi per plurimos annos ab Abbatia collectas & oppignoratas illuſtriſſimus Princeps Wolffgangus reddita prius pecunia ſolvit, atque in arcem Hoimenſem confert & diſponit, non ſine detrimento Abbatiæ, quæ tunc bene merito Principi ſeſe opponebat. Accidit hæc mutatio cum decimis in ſolſtitio æſtivo Anni ſexageſimi. Gerhardus à Bruchshuſen Diaconus poſtquam tertias nuptias habuiſſet cum Dorothea Ravia, conſtituitur Paſtor Eccleſiæ Chriſti in Nachterſted Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo. Huic ſubſtituitur Nathanael Milius ludimoderator, qui officium Eccleſiaſticum & Scholaſticum ſimul adminiſtrat. Nuptiæ celebrantur in Abbatia 9. Septemb. Anno ſexageſimo primo. Duo enim Comites à Gleichen, Adolphus & Gebhardus frater Abbatiſſæ, ſacro connubio copulantur duabus Sororibus Barbaræ & Hedwigi Kitliciis. Ambo vero Comites ultra annum non ſunt ſuperſtites. Adolphus relicta filia Eliſabetha vitam finit in Crakendorff: Gebhardus in patria Rembda, oppido Thuringiæ, decedit ſine liberis. Anna Kitlicia nata patre Ottone, Barone à Kitlitz & Matre Magdalena, poſtquam per viginti annos fuiſſet in numero virginum hujus collegii, & ab agnata Abbatiſſa ditata, cum ſupellectile hinc diſcedit in Sileſiam 23. Martii Anno 62. poſt duos vero menſes advenit Helena Kitlicia, virgo octodecim annorum, quæ in locum cognatæ Annæ ſufficitur. Deponit eodem anno Cal. Septembr. Illuſtriſſimus Princeps Wolfgangus, ob extremam ſenectam, tutelam Abbatiæ, per quadraginta tres annos fideliter præſtitam & per ſuos conſiliarios patrocinium Abbatiæ defert junioribus Principibus, Joachimo Erneſto & Bernhardo. Præpoſita Catharina de Gleichen, Soror Abbatiſſæ, immatura morte diem ſuum claudit, non ſine gemitu multorum, ætatis anno triceſimo ſeptimo Anno Chriſti 1562. Dominica poſt Galli ſeptima hora matutina. Cum præfuiſſet annis quatuordecim & dimidium. Exuviæ ejus reponuntur inuſitato more in templo. Hactenus enim ſolebant præpoſitæ tumulari in ambulatorio templi D. Ciriaci. Succedit in locum defunctæ Cathrinæ Anhaltina Decana 25. Novembr. Hæc initio detrectat hanc gubernationem præpoſitæ ſuſcipere, propterea quia defuncta Catharina multum æris alieni conflaverat, ad extruenda ædificia non neceſſaria. Conveniunt ergo ob ſolutionem debitorum 28. Aprilis Anno 1563. Sorores de Gleichen Eliſabetha, Magdalena & Henricus Comes Stolbergenſis nomine conjugis ſuæ, cum Anhaltinis legatis, qui orta diſſidia dirimunt & cauſas placide componunt. Elapſo vix ſexennio dum gubernacula teneret Eliſabetha de Gleichen, graviter laborare incipit Phthyſi & Hydrope. Conficitur ergo hoc morbo 19. Decembr. Hora ſecunda matutina, Anno 1564. cum paulo ante finem vitæ, omnes miniſtri Evangelii in Abbatia degentes eſſent convocati & placidam migrationem ex hac vita mortali à Deo peterent atque ardenter expectarent. Huic Abbatiſſæ fit funus ipſo die Thomæ Apoſtoli in præſentia Annæ Stolbergenſis Abbatiſſæ in Quedlingburg atque duorum Comitum à Stolberg. Concionem funebrem habet Reverendus vir Stephanus Milius, quam plerique non probabant, quia taxabat muliebre imperium, allegans ſententiam Eccleſiaſtis: *væ terræ, cujus Rex puer eſt.* Hanc pueritiam demonſtrat in Roboam fuiſſe 3. Reg. 12. Conduntur exuviæ Eliſabethæ de Gleichen juxta tumulum Sororis Catharinæ, quod duabus januis clauditur tali inſcriptione:

Eliſabetha ſub hoc Saxo tumulata quieſcit,
Stemmate de Gleichen nobile nomen habens.

Prin-

Principis hac munus geſſit generoſa puella,
Sex annis ſceptro condecorata ſuo.
Heu quibus eſt agitata malis, dum præfuit illa,
Nam multas curas continet ille labor.
Hanc Deus hac magna deduxit valle laborum,
Cum Chriſti certam ſæpe vocaret opem.
In Chriſto ſiquidem deceſſit virgo pudica,
Vivit in æternos non peritura dies.
Contigit huic charæ contingere membra Sororis
Mortua, dum locus hic ſacer utraque tegit.

Abbatiſſa XXIV. Eliſabetha Anhaltina.

Defuncta Abbatiſſa de Gleichen, Illuſtriſſ. Principes Anhaltini, Joachimus Erneſtus ac Bernhardus cognoſcunt evacuatam eſſe Abbatiam auro atque argento. Vocant igitur Seniores Capituli, in arcem Ballenſtadenſem, quibus nomine Sororis querimoniam proponunt: Inveniſſe Sororem Eliſabetham ante biennium evacuatam domum, Præpoſitæ deſignatam, quam vix reſarſerit. Nunc etiam Abbatiam eſſe ære alieno oppreſſam & valde debilitatam. Oſtendunt cauſam hujus calamitatis eſſe, quod ante Sexennium ſimul duabus ſororibus, ſummam rerum in Abbatia gerendarum, commendaverint. Ea de cauſa non velle, ut Soror, relicta, ſua prælatura, ſine conditionibus Abbatiæ afflictæ gubernationem ſuſcipiat. Septimo Januarii Anno 1565. decernitur communibus ſuffragiis, ut perſolvendorum debitorum cauſa, per quatuor annos, omnes annui reditus Præpoſitæ & Abbatiſſæ, conjungantur. Interea eligenda Præpoſita non colligat proprium Gynecæum: Cibum capiat in menſa Abbatiſſæ. Exactis vero hiſce quatuor annis, Abbatiæ omni ære alieno liberata, Dei beneficio, in priſtinum ſtatum redigatur. Has conditiones approbant omnia membra collegii Gernrodenſis. Non enim remedium aliud inveniebatur, liberandæ Abbatiæ oppreſſæ, quam per quadriennium reditus Præpoſitæ deſignatos in ſolutionem debitorum collocare. Dies electionis poſt hanc transactionem conſtituitur octavus Januarii, anni 1565. ad quam vocatur Sindicus, Melchior Cruger, qui ſimul adminiſtrabat acta Urbis Brunſvicenſis atque Diœceſeos Gernrodenſis. Conveniunt igitur ſequentes perſonæ:

Joachimus Erneſtus Anhaltinus tutor & defenſor Abbatiæ à ſacro Romano imperio confirmatus,
Eliſabetha Anhaltina Præpoſita & Principis Soror,
Helena à Kitlitz Decana,
Magdalena relicta vidua de Maſcha,
Salome à Kitlitz.

Stephanus Milius Superintendens,
Simon Gruningius Paſtor D. Stephani,
M. Andreas Popperode Diaconus,
Nathanael Milius Diaconus & ludimoderator,
Melchior Cruger Sindicus Capituli,
Andreas Reuthe Cancellarius.

Biduo poſt hanc electionem nempe 10. Januar. ordinatur ſolenni & uſitato more Helena à Kitlitz in præpoſitam, addita hac conditione, ut per conſtitutum quadriennium abſtineat ſeſe à gubernatione in Alsleben, & ab omnibus proventibus, pertinentibus ad officium Præpoſitæ, ob hanc cauſam, ut afflicta Abbatia vires interim recolligat atque debita perſolvantur. Eodem anno 1565. circa autumnum ſæva lues graſſatur hic & in vicinis locis, ideo hinc diſcedunt omnes virgines, quæque ad ſuos cognatos, per totum ſemeſtre, relicta unica virgine Amalia Zantires, quæ per multos annos magna prudentia œconomiam ſuſtinuerat. Reverſæ virgines ante ſolſtitium æſtivum Anni 1566. placide & amanter inter ſe, in magna concordia vivunt, Deo fideliter inſervientes. Magdalena de Gleichen, cum annos viduitatis per annos viginti quinque ſancte ſervaſſet, longa tabe confecta, in invocatione Filii Dei decedit die Laurentii, poſtquam

aſſidue vitam Deo commendaſſet. Expirat autem mane hora tertia in præſentia Abbatiſſæ Eliſabethæ Anhaltinæ, præpoſitæ Helenæ, atque Salome Kitliciis. Tertio die poſt huic Magdalenæ fit funus hora decima & ſepelitur prope Maritum, Joachimum, Dominum in Maſſcha &c. cui, ante viginti quinque annos, vix per ſex Menſes cohabitaverat. Sepulchrum mariti & conjugis janua tegitur, Anno Chriſti 1567. Funeri Magdalenæ de Gleichen interfuere, Abbatiſſa in Quedlinburg Anna Stolbergenſis, Henricus Stolbergenſis, frater Abbatiſſæ, Chriſtophorus Stolberg & Præpoſitus Halberſtad: Wolffgangus Erneſtus Stolbergenſis, Johannes Comes Stolbergenſis. Paulo poſt in locum defunctæ recipitur Hetwigis à Kitlitz, quæ nupſerat Comiti Gebhardo de Gleichen, uti antea diximus. Poſtridie converſionis Pauli Anno 1568. in Abbatia magnis impenſis celebrantur nuptiæ duarum pediſſequarum, Margaritæ Mumen, & Catharina Goltſmides. Primo vere gravi morbo conflictari incipit Eliſabetha Anhaltina, quam viſitant illuſtiſſ. fratres, Joachimus Erneſtus atq; Bernhardus, convocantes tres medicos, Doctorem Gervaſium, D. Stephanum & monachum Halberſtadenſem. Illi communicato conſilio Principibus ſvadent, aeris mutationem tentandam eſſe. Ergo diſcedit cum fratribus in Berneburg, ubi Dei beneficio, per Quadrageſimam Domini curatur. Redit autem Cal. Maji, Anno 1568. in comitatu habens Fratrum duos præfectos, Wolffgangum Schlegel & Caſparum Cnogchen, qui ſequenti die convocato capitulo, voluntatem Principis exponunt. Quandoquidem propter æs alienum Abbatia in extremam anguſtiam redacta ſit, nec ſolutio poſſit fieri, intra hoc breve tempus, quod ante triennium Abbatiſſæ præſcriptum ſit: habere ſeſe in mandatis à Clementiſſimo Principe Joachimo Erneſto, non quærente deſtructionem, ſed ædificationem & reſtaurationem oneratæ Abbatiæ, ut proponant virginibus Kitliciis: num velint propter difficultatem ſumptuum, per biennium, ex evacuata Abbatia capiendi cibi gratia, diſcedere in Berneburg: aut malint, ut Helena Kitlicia diutius ſeſe abſtineat à reditibus Præpoſitæ deſtinatis, perſolvendorum debitorũ gratia. Alio enim modo non poſſe Abbatiam vires recuperare, quam liberatione impenſarum atq; imminutione duarum œconomiarum. Helena legatorum conceſſione communicat conſilia cum miniſtris verbi divini, & Adamo à Kitlitz, qui forte in abſentia Abbatiſſæ advenerat viſendi gratia ſorores Salomen & Hathwigam. Per illos die Jovis poſt Miſericordias Domini reſpondet: De benigna affectione illuſtriſſimi Principis erga hanc Abbatiam, accepiſſe ſe grato animo, ac ideo viciſſim deferre celſitudini ſuæ omnem fidem ac obedientiam, patrono debitam. Non autem ſine magno dolore ſeſe & omnes capitulares audire, Abbatiam tantopere gravatam eſſe, ut non poſſit recuperare priſtinum florentem ſtatum, niſi pacta facta ante triennium reſcindantur, atque porrò omnes annui proventus Præpoſitæ deſignati, ſuſpendantur & Abbatiſſæ in debita committantur. Hactenus ſe quidem non cauſam præbuiſſe impenſarum vel profuſionibus, non enim eſſe ſe Helenam Trojanam, de qua dicatur, perdidiſſe Ilium. Sed amantem eſſe religionis, caſtitatis, concordiæ, & modeſtiæ, has virtutes usque ad finem vitæ Dei benignitate, velle ſe conſervare & colere. Has etiam ut exerceat, veniſſe ſe in Abbatiam. Quamobrem petere, ne excludatur è numero hujus honeſtiſſimi collegii, propter difficultates quæ præter omnium opinionem inciderint. Hanc unam rem ſe deſiderare, ut admittatur adminiſtrationi, ad quam legitimo modo vocata ſit. Reſpondent legati, Illuſtriſſ. Principem non quærere excluſionem ullius hominis, ut qui ſunt Virgines ac Sacerdotes in Abbatia hactenus religioſe, caſtè & modeſtè vixiſſe, in propria vocatione etiam ſingulos fideliter Deo obediviſſe, ideo cupere cultum divinum, atque Eleemoſinas à pientiſſimis Regibus, Principibus & prædeceſſoribus ſuis in gloriam Dei ordinatas, conſervare & amplificare: Virgines in loco ac dignitate manere: in laudibus divinis perſeverare, in Abbatia cibum capere aut cum quodam præfecto: aut in Berneburg cum Abbatiſſa, hac ſaltem Conditione, ut Helena cedat reditibus Præpoſitæ deſignatis, quousque Abbatia in meliorem ſtatum redigatur, & ab omni ære alieno liberetur. Exiſtimabant enim plærique Præpoſitæ proventus ſuperare omnes Abbatiſſæ annuos reditus: Sin dura hæc conditio Helenæ videatur, & malit certam pecuniæ ſummam poſtulare, æquitati convenientem pro reſignatione, licere ut exprimat argenti & auri ſummam, quam Abbatiſſa velit de propriis & hæreditariis bonis depromere in remunerationem, ne Abbatia aliquid gravius patiatur.

Nec

Nec Principem culpam conflatorum debitorum, Kitliciis virginibus adſcribere, verum has eſſe cauſas, propter quas Abbatia exhauſta & evacuata ſit: Primo rerum omnium abundantiam, quam Anna Kitlicia, in Domino defuncta, reliquerit, brevibus annis à præceſſoribus conſumptam eſſe: Deinde graves exactiones in imperio Romano fuiſſe, quæ omnes præcedentium annorum collationes ſuperaverint: Tertio nova ædificia exſtructa eſſe in Alsleben, quæ, non ſine magnis impenſis, præterito anno abſoluta ſint. Has cauſas exhauſtæ Abbatiæ bene perpendendas eſſe, & conſiderandum, aliam medicinam inveniri non poſſe in his anguſtiis, quā ut Præpoſitæ reditus in ſolutionem conferantur. Ad hæc Helena: Quoniam promittat Princeps celſitudinem ſuam non quærere abbatiæ oppreſionem ſeu membrorum collegii diſſipationem, ſed, ut numerus virginum qui modo ſit accisus, incrementum capiat atq; creſcat: æquo animo ſe velle diſcedere à reditibus annuis cum hoc videatur eſſe in rem afflictæ Reipubl. poſtulare autē ſe in remunerationem, quatuor mille Joachimicos. Nam certo ſe comperiſſe, unicum hoc prædium in Alsleben ſupra omnia impenſa, proferre plusquam mille Joachimicos. Hanc inde nuncupatam ſummam argenti, Abbatiſſam poſſe recolligere intra quadriennium. Alio modo ſe non poſſe neque velle reſignare acceptæ & deſignatæ gubernationi. Malle ſe in difficultatibus Præpoſitæ gubernationem, Deo adjuvante, adminiſtrare: quam accepta pecunia, more perfidi Judæ, Abbatiam deſerere. Refutat deinde omnes tres cauſas, quas legati allegaverant, quam ob rem Abbatia gravata fuiſſet. Nam de mortuis, inquit, nil niſi bonum. Quod ſi pecunia vendita è ſylvis, collocata fuiſſet in creditores Abbatiæ, eo tempore, cum Eliſabetha de Gleichen deceſſiſſet: jam dudum ſatisfactum fuiſſe creditoribus. Ab eo vero tempore ſupra modum mutuationem auctam fuiſſe. Deinde exactiones impoſitas ab imperio, ſubditos, non Abbatiſſam expoſuiſſe. De ſtructura ædificiorum extare formulam ante quadriennium à Capitulo conceptam & confirmatam. Anhaltini legati re cum Abbatiſſa deliberata renunciant: Quod Helena tantam ſummam auri & argenti in remunerationem poſcat, contra æquitatem fieri: ut qui certo ſciant Principem in toto Principatu, prædium tale non poſſidere, quod tantam ſummam quotannis poſſit pendere, quantam Helena expoſcat. Præterea Abbatiam in ea modo difficultate eſſe, ut in ea vix poſſint reperiri quatuor mille groſſi, nedum taleri: Etſi vero Abbatia adeo ſit exhauſta; tamen, ut omnibus collegii membris, de innata benignitate ſua conſtet, numeraturam ſe Helenæ in compenſationem damnorum duo millia aureorum. Quorum partem de ſylvarum proventibus, cum conſenſu virginum venditis non ante multos dies: partem reſiduam de hæreditariis bonis, fratrum conſenſu, exponere ac denumerare velit. Helena & Salome à Kitlitz communicato conſilio cum Adamo Kitlicio & reliquis capitularibus reſpondent: Argentum è lignis venditis ex antiqua conſtitutione, diſtribuendum eſſe inter virgines, & ob dilationem hujus diviſionis, utrasque mutuaſſe non parvam ſummam pecuniæ, in uſum quotidianum neceſſariam, quam decreverint, diviſa hac pecunia, ſuis creditoribus reſtituere. Quo circa non permittere, ut hoc argentum conferatur in præſentem remunerationem, quam de hæreditariis bonis à ſe perficiendam paulò ante promiſerit. Si vero eo animo fuerit, de propriis opibus afflictæ Abbatiæ ſuccurrere, Præpoſitam remittere de priori pronunciata ſumma, centum quinquaginta Joachimicos, ea tamen conditione; Ut poſt reſignationem non excludatur ſubito è numero celeberrimi hujus collegii. Inſuper, ut alia perſona magis idonea in locum ſuum poſt reſignationem deligatur, ne Præpoſitæ munus & gubernatio in Abbatia intercidat. Reſpondent legati: omnes ſeſe conatus eò velle intendere, ut illæſa Abbatia, de proprio, mille duo Joachimici, ſine detrimento collegii aut ſubditorum, ab Abbatiſſa, Præpoſitæ in remunerationem, annumerentur, petere autem, ut interea dum hæc referant ad Abbatiſſam, hanc pacificationem Capitulares perſvadeant Helenæ. Sin minus Helena obtemperaverit, illuſtriſſimos Principes eo animo eſſe tutelæ gratia, qua ſint Abbatiæ hæreditario jure obligati: Cæſareæ Majeſtati hæc gravamina deferre, à qua fortaſſis poſſent mandatum extorquere, ut ſine compenſatione Abbatia afflicta in integrum reſtitueretur. Monere igitur, ne Helena oblatum aurum & argentum repudiet, ſed has conditiones pacis, optimo conſilio propoſitas, æquo animo accipiat. Res defertur ab utraque parte Dominabus, poſtea à legatis acta palam repetuntur: Abbatiſſam in hoc conſenſiſſe, ut Præpoſitæ

Helenæ in remunerationem numerare velit duo mille Joachimicos. Et præterea concedere, ut Helena atque Salome fruantur pecunia de ſylvis contracta, & omnibus annuis reditibus cuique perſonæ ſolito more conſtitutis & ordinatis. Promulgatis his conditionibus, Helena refert: Quoniam videatur conſultum eſſe, Abbatiſſam, vitandorum ſumptuum cauſa, per biennium abeſſe, & interea gubernationem Præſidi cuidam commendare: decreviſſe ſe cum cognata Salome Kitlicia, iter ad ſuos in Sileſiam ſuſcipere ac per illud biennium cum familaribus in patria degere, ne ſua præſentia Abbatiæ oneri eſſe poſſit, aut propter abſentem Abbatiſſam cuique in odium incurrere. Petere igitur majorem in modum, ut cum duobus curribus honeſte in Sileſiam deferatur, ac viatico ad iter inſtruatur, ne ad propinquos obſcurè redire cogatur, veluti excluſa, ſive ob turpitudinem vitæ ab Abbatia repudiata. Denique ſe ceſſuram ab omni ſupellectile à præcedenti Præpoſita in uſum quotidianum œconomiæ relicta, acceptis tribus ſaltem lectis, omni apparatu honorificè inſtructis. Abbatiſſa, cognita profectione Sileſiarum virginum, omnia earum poſtulata approbat, ac per fratrum legatos rata eſſe pronunciat: Primo concedi Kitliciis virginibus reditum in Abbatiam, quocunque tempore ipſis libuerit. Beneficia inſuper ſingulis virginibus ordinata, & à majoribus attributa, eis poſt reditum ſalva atque illæſa expectanda eſſe. Interim per abſentiam Abbatiſſam velle providere, ut plures idoneæ virgines in numerum hujus Abbatiæ recipiantur, ac imminutæ dignitates idoneis perſonis iterum fulciantur & decenter omnia conſtituantur. Secundo intra ſpacium menſis Abbatiſſam velle Helenæ ante reſignationem pendere in remunerationem duo mille Joachimicos. Tertio concedere ſingulis virginibus trecentos Joachimicos, quos emptor lignorum intrà hoc biennium ſolvere promiſerit. Quarto honorificè Abbatiſſam velle utraſq; virgines Kitlicias dimittere, cum duobus curribus in Sileſiam, quibus adjungere velit hominem nobilem viatico mediocri inſtructum, ut pergentes in patriam habere poſſint comitatum & ſalvum conductum.

Quinto concedere etiam, ut Helena tria lectula, benè apparata, è relicta œconomia Præpoſitæ auferat, & ſecum in Sileſiam avehat. Delegiſſe enim Abbatiſſam reliquam ſupellectilem ſibi reſervare, ac poſt quindecim annos eligendæ Præpoſitæ in integrum reſtituere. Hanc pacificationem peractam inter Abbatiſſam & Helenam, promittunt legati referre ſe illuſtriſſimis Principibus, quibus interſit quam primum acta confirmare.

Poſt biduum Abbatiſſa hinc cum legatis in Berneburg diſcedit, rediens die Martis poſt Exaudi, cum duobus conſiliariis, Wolffgango Schlegell ac Johanne Truckeroto Cancellario: Illi convocatis capitularibus (ut vocant) duo proponunt: Primum, an proxima acta probent, perfecta inter Abbatiſſam & Præpoſitam? Deinde, an Conſultum eis videatur, poſtquam Abbatia exhauſta & ære alieno penè oppreſſa ſit, poſt reſignationem aliam Præpoſitam ſolenni more, eligere? Reſpondent Capitulares, in recenti memoria ſe habere electionem Helenæ ante triennium ſolenniter perfectam, quam ob pietatem, ſapientiam & virtutem, tunc idoneam atq; ſalutarem Eccleſiæ Chriſti in hoc collegio judicaverint. Optare hac de cauſa omnes, ut Helena dignetur acceptam communibus ſuffragiis dignitatem adminiſtrare. Sed cum reſignationem, pro remuneratione, ante paucos dies admiſerit, expetere ſingulos, ut ſtatim poſt reſignationē legitimo modo alia Præpoſita deligatur, qua gravamina & quærelas collegii hujus, ab antiquis diebus excipere atque ordinem in Abbatiam convenientem ſervare & implere poſſit. Legati referunt, illuſtriſſ. Principem eo benefico & liberali animo erga hanc Abbatiam affectum eſſe, ut filias ſuas Annam Mariam & Catharinam in catalogum collegii hujus conſcribi velit, hac ſpe, filias majorem obedientiam præſtituras eſſe nativo parenti, quam peregrinas & exteras virgines. Nam tutoribus Abbatiæ longo tempore hoc eveniſſe, ut virgines fuerint inobedientes, ac nimiam licentiam contra conſtitutionem majorum uſurpaſſe. Quare conſulere ſeſe, ut legitimis ſuffragiis deligant Annam Mariam Virginem decem annorum, ſic fore, ut Principem & patronum ſint obligaturi perpetuo vinculo charitatis & benevolentiæ. Poſtero die Anhaltini legati formam reſignandæ prælaturæ Helenæ de ſcripto offerunt, quam illa negat recipere, propterea, quia continebat expetiviſſe Helenam factam reſignationem. Per Cancellarium igitur Andream Reuthen reſpondet: Malle ſe in præſentia dignitatem

acceptam

acceptam retinere, quam oblatam pecuniam pro reſignatione accipere. Præter enim expectationem nuper hoc accidiſſe ſibi, ut pro reſignatione habenda remuneratio aliqua ſibi ſit oblata. Conſtare hoc Deo, quàm difficili animo habendam reſignationem permiſerit. Ad ea legati inquiunt: De reſignatione, quæ ſcripta ac decreta ſint, non poſſe, nec velle ſeſe mutare, aut infringere: Præterea reſignationem non voluntariam irritam & inanem eſſe: Liberum modo eſſe Præpoſitæ, denominatam ſummam auri atque argenti accipere pro reſignatione, aut negatione ſubſcriptionis aurum detrectare: Si nolit adſentiri, ilico ſeſe re infecta diſceſſuros. Tandem vero Helena acquieſcit ſententiæ legatorum, affirmans, voluntariè in emolumentum Reipubl. ſeſe poſtridiè reſignaturam, & duobus millibus Joachimicis, in remunerationem, ſeſe contentam eſſe. Die veneris poſt Exaudi, Anno 1568. ſolenni more in præſentia legatorum Anna Maria Anhaltina, quamvis abſens, Helenæ Kitliciæ ſubſtituitur. Catharina Anhaltina deſignatur in Decanam, cum vix attingeret annum ætatis ſextum. His rebus transactis gubernatio committitur præfecto, Wolfgango à Grunrode, qui relinquitur in Abbatia cum parvula Maria Barbienſi, quæ propter teneram ætatem ad profectionem nondum erat idonea, ſed tenerè ab Eliſabetha Anhaltina, filia ex Sorore Maria, enutriebatur. Helena & Salome Kitliciæ ductore Wolfango à Langen, in Sileſiam pergunt die Viti, Anno 1568. accedentes in Berneburg Abbatiſſam, à qua urgent & impetrant, ut juxta formulam fœderis, exacto biennio, in numerum membrorum Abbatiæ Gernrodenſis, clementer iterum recipiantur. Wolfgangus Grunrode 3. Octobr. Eccleſiæ miniſtros quatuor convocat, indicans, Principem Joachimum Erneſtum optime ad huc affectum eſſe erga Abbatiam, ſed non ad modum probare proximam pacificationem cum Helena peractam: propterea, quod ablata magna vi argenti & auri per Helenam, Abbatia ſit magis evacuata ac onerata. Quia vero è theſauris ſuis hoc argentum ſit expoſitum: petere ſibi oppignorari cum conſenſu Capituli prædium alterum, quod Abbatia, Dei largitate, poſſideat in Berneburg, aut in Alsleben. Ad ea reſpondent Capitulares per Cancellarium Andream Reuthen: Libenter & ſubmiſſe ſeſe audire illuſtriſſimum Principem afflictæ Abbatiæ bene velle. Quod tanta vis pecuniæ in remunerationem Helenæ ſit conceſſa, non adſcribendam eſſe Capitularibus, verum Abbatiſſæ atque conſiliariis Principis. Diſſuaſiſſe ſe quidem Abbatiſſæ & Præpoſitæ, ne dignitas Eccleſiaſtica, quaſi res venalis in aliam perſonam conferatur, ſive pro precio reſignetur & deponatur. Præter omnem autem opinionem hanc permutationem factam fuiſſe: mirari ſe igitur Clementiſſimum Principem pro erogata pecunia oppignorationem depoſcere, cum ipſius Celſitud. legati in recenti actione ſtipulaverint, hanc remunerationem ſine detrimento Abbatiæ fieri debere. Ac Abbatiſſam de propriis opibus velle hoc argentum Præpoſitæ in remunerationem exponere. Alio modo factam transactionem inter Abbatiſſam & Helenam ſeſe non percepiſſe. Nec decenter fieri hoc poſſe per abſentiam Dominarum atque virginum, quæ ſint membra legitima Abbatiæ, huic oppignorationi conſenſum præbere, vel propter illam pecuniam, depromptam de arbitrio Abbatiſſæ, ſine conſenſu Capituli, innovare aliquid aut abalienare. Audito hoc reſponſo præfectus affirmat, omnia ſe Principi ſuo relaturum, & perſvaſurum ei, ne pecuniam Helenæ expoſitam, ab Abbatia alioqui duriter afflictam in poſterum repoſcat. Poſt Martini eodem anno 1568. annunciatur, Abbatiſſam in Berneburg, ſacro ritu ſponſalia peregiſſe cum Wolffgango Barbienſe Comite &c. Pridiè Adventus redit Abbatiſſa à Berneburg in Abbatiam cum Gynecæo & Maria Barbienſe. Ad finem Januarii anni 1569. Comes Wolffgangus Barbienſis viſitandi gratia ſponſam ſuam venit in Abbatiam, in donationem accipiens viginti vaſa vini, quæ ſtatim curat Comes hinc avehi in Barbi. Ipſe autem propter expeditionem Gallicam, in qua ductor fuerat ſuper duo mille equites, non diu hic commoratur, ſed pergit ad palatinum Fridericum, cui militaverat, petens ſtipendia militaria diſtribuenda equitibus, quos in Galliam duxerat. Interea ad initium Maji in odium Abbatiſſæ incurrit præfectus Wolffgangus Grunrode, qui poſtea loco & dignitate ſua removetur. Ablegatur poſtea à Principe Joachimo Erneſto 24. Octobr. Anni 1569. honoratus vir & nobilis Chriſtophorus Zantier qui miniſtros Eccleſiæ Dei in Capitulo Gerenrodenſi convocat, referens Illuſtriſſ. Principem deprehendere quam ſolliciti ſint pro Abbatiæ conſervatione, propterea quod

varii

varii ſermones ſpargantur, quaſi Princeps futuris nuptiis Sororiis moliatur diſſipationem aut interitum Abbatiæ. Sed Principem adhuc Abbatiæ bene cupere, & non quærere ejus deſtructionem, verum multo magis ædificationem atque reſtaurationem. Ideo ſibi in mandatis dediſſe, ut omnem animi conceptam ægritudinem deponant, & meliora de benigniſſima voluntate Principis ſperent. Reſpondent capitulares: De benigna voluntate Principis erga hanc Abbatiam, nunquam ſe dubitaſſe, ut qui reipſa experiantur in defenſione quam paterno ſit animo, exemplo majorum ſuorum affectus: ardentibus igitur votis petere ſeſe à Deo, ut Clementiſſimi Principis actiones, conſilia atq; conatus fortunet, & ad gloriam nominis ſui ac ſalutem Eccleſiæ Chriſti & politicarum dirigat atq; clementer tueatur. Ad hujusmodi preces & pia vota aſſiduè ſeſe intentos eſſe, nec in hac perturbatione temporis ſeſe poſſe aliam medicinam afflictæ Abbatiæ reperire, quam ardentem precationem. Deniq; omnes fortunas ac corpora ſeſe conditori Deo & principis tutelæ, committere. Novembri menſe, Anno 1569. Abbatiſſa oſtendit: Propter futurum matrimonium, quod juxta voluntatem Dei, inchoare decreverit, ſibi reſignandam eſſe Abbatiæ adminiſtrationem. Quoniam autem Salomé Kitlicia abſit, quæ ſit membrum hujus Abbatiæ, expetere ſeſe, ut in medium capitulares conſulant, an neceſſarium eſſe judicent, Salomen in tanta penuria temporis & itineris intervalli, ad legitimam reſignationem ac alterius Abbatiſſæ electionem accerſere? Ne forte reſignatio facienda pro illegitima haberi & impugnari poſſit? Annuunt omnes, Salomen prius citandam eſſe. Nam reſignationem decere illis exhibere à quibus perſonis legitimè vocata & delecta ſit. Inter eas verò virgines nullam hodiè ſuperſtitem eſſe, Deo ſic diſpenſante res humanas, quam Salomen Kitliciam, quæ modo pubertatis annos ſit egreſſa. Reliquas enim omnes, quæ intra triennium ſint initiatæ in numerum Abbatiæ, adhuc tanquam impuberes, propter immaturam ætatem, reputari. Quapropter inſtantem reſignationem atque etiam electionem aliæ Abbatiſſæ, ratam minime fore, niſi Salome prius citata compareat, aut procuratorem cum plenis mandatis mittat. Ad diem electioni ordinatum, advenit Adamus frater Salome Kitliciæ, deſignatus à Sorore in curatorem. Verum impeditur tunc electio propter improviſum obitum chariſſimæ conjugis Joachimi Erneſti, Sororis Wolffgangi Barbienſis, quæ non ſine ingenti luctu omnium ſubditorum decedit in Berneburg, Dominica Adventus Domini, manè ſeptima hora, & ſepelitur honorificè in Nienburg die Andreæ Apoſtoli, Anno 1569. Interim, dum adeſt Dominus à Kitlitz poſtridie Nicolai, Eccleſiæ miniſtri quatuor evocantur à Conſiliariis Joachimi Erneſti Ballenſtadium, ubi à Cancellario, Johanne Truckeroto & præfecto Mauritio Rider proponitur: optimum Principem Wolffgangum Anhaltinum valdè aſſiduum tutorem atque patronum fuiſſe per multos annos Gerenrodenſium: In hujus veſtigia Principem Joachimum inſiſtere, qui quærat concordiam inter Abbatiam & domum Anhaltinam. Huic ab Imperio Romano defenſionem commiſſam eſſe in Abbatia. Ut igitur perpetuus conſenſus maneat, inter Anhaltinos & Abbatiæ membra: Principem inpoſterum non permiſſurum, ut peregrinæ nationes dominium in Abbatia Gerenrodenſi teneant. Accidiſſe Principi Wolffgango, laudatiſſimæ memoriæ, ut familia de Gleichen perperam multa egerit, quæ optimo Principi non ſine detrimento Abbatiæ contraria fuerint. Ne igitur hoc triſtiſſimo tempore aliquid gravius patiatur Abbatia admittendas eſſe ad dignitates filias Principis, de quibus ſpes ſit, eas fore parenti obſervantiores quam peregrinas virgines. Suavius etiam eſſe patri, imperium in dilectas filias, quam in alienas habere. Deinde cupere ſeſe ſcire juramentum, quo Abbatiſſa ſoleat ſe capitulo obligare. Tertio de reſignanda Abbatia Berneburgi pacificationem eſſe factam, inter Principem & Comitem Barbienſem, nomine Abbatiſſæ, quam ſperare ſeſe Comitem ratam habiturum. Reſpondent Capitulares: Summa voluptate ſeſe audire benignum animum Principis erga Abbatiam, ut qui expetat concordiam & tranquillitatem. Quod autem referant, diſcordiam fuiſſe inter Principem Wolfgangum ac Eliſabetham de Gleichen, non ſine dolore ſeſe hanc revocare in memoriam. Hujus vero diſſenſionis ſeſe non fuiſſe authores, ſed ſedulo hactenus docuiſſe: inimicitias non alendas, multo minus accendendas eſſe. De hac doctrina poſſe auditores cunctos, re inquiſita, teſtificari. Nunc etiam nihil magis ſeſe in votis habere, quam ut conſtans & perpetua concordia inter poſteros conſervetur, præſertim cum expe-

rientia

rientia doceat; concordia parvas res creſcere, diſcordia vero res magnas dilabi. Reliquum eſſe hoc unum in Abbatia, ut reſignatio Eliſabetæ præcedat, quæ ſi facta fuerit propter futurum connubium, quod Deus omnibus hominibus conceſſerit, in eligenda altera fore ſeſe obſequentes ac in officio fideles. Ad ea conſiliarii reſpondent: Non intra paucos dies admittendam eſſe reſignationem, ob hanc cauſam, quod nemo ſciat, an Cæſarea Majeſtas ſtatim aliam ſit confirmatura, in ſola enim poteſtate Romani Imperii eſſe, aliam Abbatiſſam ordinare atque confirmare. Coadjutricem igitur requirendam eſſe. Quam ſi imperator adductis rationibus admiſerit propter inſtantes nuptias, aliam non poſſe intrudi. Referunt Eccleſiæ miniſtri: omnem poteſtatem impatientem conſortis eſſe, quare, ſi conceſſum fuerit Abbatiſſæ cum Comite in Gerenrode vivere, Coadjutrici autem Annæ Mariæ in Berneburg degere, qualis ea futura ſit adminiſtratio? Procul dubio, ſicut de Polinice & Empedocle in Tragœdiis Euripidis legatur. Ædificia plurima præpoſitæ à majoribus magnis ſumptibus exſtructa, hoc anno exacto demolita eſſe, difficultates quotidiè in Abbatia creſcere: Propter delitias menſæ, ſumptus in dies augeri, Comitem eſſe ſtipatum præſidio equitum: Porro ſine pecunia Abbatiſſam nolle reſignare: Quæ omnia, inquiunt, certam ruinam evacuatæ Abbatiæ minantur.

Reſpondent conſiliarii: Principem his malis omnibus, ope divina, poſſe & velle mederi. Non enim conceſſurum, ut Comes ob nuptam ſuam permaneat in Abbatia. Nec permiſſurum, ut propter reſignationem, Abbatiſſæ nova pecuniæ ſumma modò dinumeretur. Hoc placidum colloquium Ballenſtadii habitum, Abbatiſſa poſtquam cognoſcit, ægrè accipit, durius increpans Evangelii miniſtros, illos contra morem hactenus uſitatum feciſſe, quod re non prius ſecum deliberata, vocata à conſiliariis, ſe inſciâ diſceſſerint. Concita ergo mandat omnia acta Ballenſtadenſia de ſcripto ſibi ocius offerri, ut, qualia fuerint, percipiat, & conſilium ex tempore capiat. Reſpondent miniſtri Eccleſiæ: Mandato illuſtriſſimi Principis, defenſoris Abbatiæ, ſe, ſub veſperam, per literas evocatos eſſe, ſimul oſtendentes literas conſiliariorum, datas in Ballenſtede, & acta, deſcripta manu D. Nathanaelis Milii, teſtificantes, Principem in animo habere, intra hebdomadam adornare ſuos conſiliarios in Abbatiam, qui copioſius ſint expoſituri, in præſentia Domini Adami Kitlicii, quæ Ballenſtadii relata ſint. De modo electionis habendo Abbatiſſa convocat capitulares 13. Decembr. ut ſingulorum ſententiam audiat: interrogat in præſentia Adami Kirlicii, An videatur conſultum Abbatiæ, ut Anhaltinæ Sorores tres, omnes dignitates in Abbatia poſt ſe adminiſtrent? Deinde, an talis electio rata eſſe poſſit? Primo reſpondet Dominus Adamus: Non habere ſe plenam poteſtatem à Sorore Salome ad dandum ſuffragium in electionem aliæ Abbatiſſæ, ſed non ſolum in mandatis habere, ut, cognita deliberatione, ea, quæ proponantur, Sorori renunciet, quæ de conſilio parentis ad relata ſit reſponſura. Reliqui capitulares (ut vocant) reſpondent: legitimam electionem, uſitato hactenus more, non abolendam eſſe. Atque ut priſtina ſolennitas in eligenda Abbatiſſa, conſervari poſſit, eſſe ordinandos puellis, immaturam ætatem habentibus, tutores ſapientia atque authoritate conſpicuos, ne electio inani conatu ſuſcipiatur, & legibus infringi ac mutari poſſit: non ad Principem pertinere prælaturas in Abbatia, ſuo arbitrio diſtribuere, & ſine conſenſu Capituli omnia ordinare. Interea Princeps Bernhardus Anhaltinus tutoris frater, Deſſaviæ in Domino expirat, non ſine magno ſuorum deſiderio, Cal. Martii, Anno 1570. Hic, cum ante finem vitæ ſuæ Funeris ſui Ceremonias, & non magnificos apparatus, teſtamento ordinaſſet, in præſentia fratris & ſororis Eliſabethæ, pridiè Lætare, Deſſaviæ ſepelitur.

HENRICVS MEIBOMIVS
Junior
LECTORI S.

De *Annalibus* his *Gerenrodenſibus* hoc Tomo publicandis nunquam cogitaram, imò vix ulla mihi eorum notitia, niſi quod ab *Henrico Salmuthо*, JCto & Polyhiſtore inſigni, in *Reſponſo de Matrimonio Principis cum virgine nobili*, obſervaveram

 allegatos.

allegatos. Cum autem inſtitutum meum, de edendis Germanicarum & Saxonicarum rerum ſcriptoribus, viris doctis innotuiſſet, ultro mihi eos, pro veteri inter nos à triginta annis amicitia, obtulit Nobiliſſimus & Ampliſſimus Vir, JOHANNES HENRICUS EGGELINGIUS Reipubl. Bremenſis à ſecretis, veteris, recentiorisque, & patriæ hiſtoriæ peritiſſimus, omnisque ſolidæ & elegantis eruditionis curioſiſſimus, quibus ſtudiis labores ſuos ſeveriores continuos diſtinguit & quaſi mitigat. Miſit dein rogatus, qua eſt publicum juvandi promptitudine, ſuum mihi exemplar Annalium, quod Apographum ſatis commodè plerisque in locis ſcriptum eſt, niſi quod in nominibus propriis forte alicubi erratum, ubi ſtatim in ipſo Auctoris nomine, dum *Poppenrodius* nominatur, qui *Hoppenrodius* (uti etiam à *Salmutho* citatur,) ſcribi debebat. Non videtur autem eſſe alius, quàm *M. Andreas Hoppenrodius* Paſtor in Hecſtedt in Comitatu Mansfeldenſi, qui ſuperioris ſeculi anno ſeptuageſimo Germanico ſermone Stambaum/ ſeu *Genealogiam Principum Comitumque in terris Saxonicis* publicavit, librum non contemnendum, quamvis optandum eſſet ut quas in eum ſcripſit notas vir [illegible] *Budæus*, aliquando in lucem protraherentur. Meminit hujus *Hoppenrodii Cyriacus Spangenbergius*, multis ſcriptis Hiſtoricis celeberrimus, & tanquam laborum in antiquitatibus Saxonicis inveſtigandis aliquando ſocium laudat in præfatione *Chronici Querfurtenſis* à ſe editi. Vixiſſe autem deinde in Gerenrode, Diaconi munere, ex his Annalibus apparet, ubi ſe deſignationi Abbatiſſarum, Eliſabethæ Comitiſſæ de Gleichen, & Eliſabethæ Principis Anhaltinæ, interfuiſſe ipſus notat. Finis Annalium abruptus videtur: an à deſcriptore ſit, an ipſe *Hoppenrodius* hic morte interveniente deſinere coactus fuerit, non dixerim, cum nullum aliud MStum ad manus fuerit, prius tamen veroſimilius videatur. Poterunt autem facile, quæ poſt tempora *Hoppenrodii* floruerunt Abbatiſſæ, quæque ab illis res geſtæ ſunt & quo in ſtatu nunc Abbatia ſit, adjici. Sita eſt *Abbatia* ante ſylvam Hartzicam, non longè ab urbe Quedlinburgo, prope Ballenſterum, pertinetque ad Circulum Saxoniæ ſuperioris. *Matth. Webnerus JC. in obſervat. Pract* ſub tit. Vögten p. 480. ſcribit Principes Anhaltinos Advocatiam ejus in feudum ab Imperatore accipere, illiusque nomine in ea merum & mixtum imperium exercere: quos etiam Abbatiæ nomine onera Imperii præſtare *Limnæus Tom. IV. Jur. Publ.* teſtatur.

Quoniam vero in his *Annalibus* multa reperi ſingularia, multa Cæſarum præcepta, veteresque tabulas, quibus deſcribendis diligentiam ſuam Auctor probavit, dignos judicavi, qui ederentur, etiam propter celebrem Abbatiam & ejus Illuſtriſſimum Conditorem *Geronem*, multasque vitæ ſanctimonia inſignes nobiliſſimas virgines. Nec diſpliciturum hoc inſtitutum meum Hiſtoriæ Patriæ ſtudioſis arbitror: in quorum gratiam quasdam etiam Notulas adjeci.

Quæ de *Gerone* Conditore habet *Hoppenrodius*, maximam partem ex *Witichindi*, Monachi Corbejenſis, *Annalium lib. III.* verbis ipſius retentis, deſcripſit: Principem tamen Uchrorum, cum quo *Gero* collocutus, qui *Stoinef* à *Witichindo* dicitur, *Stoinesgerum* vocat, ſicut in illo nomine alii quoque variant, & *Stoigneum* Dithmarus, *Stoignavum* Hepidannus appellat. De morte quoque *Geronis* & de fundatione Cænobii aliis indicta explicat, nec habeo, quæ addam, niſi pauca ſcriptorum loca, quibus ea, quæ ad *Geronem*, ejusque familiam pertinent, illuſtrantur. *Dithmarus l. 2. Chron. Mersburg.* ita: *Gero quoque, defenſor patriæ, dum unici morte turbaretur filii ſuimet illuſtris Sigfridi, Romam pergens, emeritus jam ſenex, coram altari Principis Apoſtolorum Petri omnia victricia depoſuit, & apud Dominum Apoſtolicum S. impetrans brachium Cyriaci, ad Dominum cum omni ſua hæreditate confugit patriamque reviſens nati ſuimet viduam prius velatam monaſterio in ſaltu, qui ſuo ſignatur nomine, Gerinrod conſtructo, Hathui vocatam, ſtatuit Abbatiſſam à Bernhardo conſecratam Chriſto, firmatisque his omnibus, felici hos obitu præceſſit XIII. Kal. Junii.* Cujus itineris Romani, cum in Litteris Monaſterii S. Galli in Helvetia (quas ibi invenit & publicavit *Melch. Goldaſtus Tom. III. Rer. Alem.* p. 89.) mentionem fieri videam, & annum quoq; annotatum, & alia memorabilia, integras eas hic apponam: *Anno Incarnationis DCCCCL. Comes Saxonicus Marchio contra Sclavos, vir religioſus Kero nomine, à liminibus Principum Apoſtolorum reverſus monaſterium S. Galli orationis cauſa viſitavit. Qui cum à fratribus benignè & hoſpitaliter fuiſſet exceptus, ſpirituali, ut creditur, admonitus inſtinctu,*

ſtudium

ſtudium ſanctæ converſationis ſibi corde tenus placere profeſſus eſt, cæpitque humiliter & luctuoſiſſime à patre monaſterii flagitare, ut in conſortium fraternitatis mereretur admitti, Libras quoque argenti octo loco ſancto devotè & fideliter obtulit: & ſi quo pacto vel apud Regem vel apud quemlibet procerum proprietatem ſive poſſeſſionem quamlibet infra terminos Alemanniæ conſequi potuiſſet, monaſterio ſe ſine dubio collaturum eſſe promiſit, & in omnibus cænobii neceſſitatibus ſive negotiis juxta ſcientiam facultatemque ſuam tam in palatio quam in privato infatigabiliter adſtiturum. Cujus precibus Abbas cum congregatione annuens omnem conſvetudinariam fratrum conſtitutionem ſive in orationibus ſeu veſtitu & veſtualibus tam viventi quàm defuncto ex integro condonavit, & ut hoc nulla poſſit oblivione deleri vel negligentia intermitti per annos ſingulos X. Kalend. Apriles (quomodo hæc & expetiit & obtinuit) commemorationem ejus inter ſacras miſſarum hoſtias ſancitum eſt fieri, hanc denique pactionem in regula monaſterii inſcriptione firmari Kero ab alamannis durius pronunciantibus vocatus fuit & ſcriptus, qui Saxonibus *Gero.* In *Chronico Montis Sereni* de ipſo & familia ejus hæc notantur ad An. MCLXXI. *Temporibus denique primi Imperatoris Ottonis duo fuerunt fratres, Gero Dux & Marchio & Sifridus Comes. Horum ſoror Hidda dicebatur. Gero filium habuit unicum Sifridum, qui in juventute obiit, de cujus morte pater adeo turbatus eſt, ut Romam petens coram Altari B. Petri arma deponeret, impetratoque S. Cyriaci brachio domum rediens cum omni hæreditate ſua ad Chriſtum confugit, conſtituens Eccleſiam, quæ Gerenrode ejus nomine dicitur, filiique ſui viduam HatWigam, quam ille annis ſeptem habuerat, à Bernhardo Halberſtadenſi Epiſcopo velatam, eidem monaſterio præfecit: conſummatisque feliciter omnibus XIV. Kal. obiit Annó DCCCCLXV. Sifridus quoque frater ejus in honorem B. Viti conſtruxit Eccleſiam, quæ Groninge dicitur: Hidda vero nupſit Chriſtiano Marchioni, qui genuit ex ea Geronem Colonienſem Archiepiſcopum & Dithmarum Marchionem. Hi fratres & Mater ipſorum, defuncto patre, fundaverunt monaſterium in honorem Dei genetricis, in loco qui Dancmaris velt dicitur, & eſt in confinio caſtri Anehalt, congregatis ibi fratribus Deo juxta regulam B. Benedicti ſervientibus, & præpoſito eis Abbate, qui Hageno dicebatur, quem etiam Imperatoris conſanguinitas illuſtrabat. Hidda autem ſervandæ viduitatis habens propoſitum & deo devota exiſtens, Dominicæ paſſionis locum ſtudio devotionis petiit ubi conſtituta à Rege Hieroſolymorum, quia formoſa erat, adamata, in conjugium petebatur. Quod ipſa fortiter contemnens, cum Regis inſtantia gravaretur, faciem ſuam, pro cujus decore moleſtabatur, dehoneſtare non timuit, naſumque ſibi mirè truncans, terreno amatori deformem ſe ſtuduit exhibere, ſciens interiori ſuo decori, quo cœleſti ſponſo placere ſatagebat, nihil ex illius deformitatis vitio deperire. Hæc Hieroſolymis mortua & ſepulta eſt. Prius vero quam moreretur, filiis mandavit, locum ſuæ novellæ plantationis Dei genetrici non placere, ſedeam alium elegiſſe, videlicet caſtrum, ubi Sala & Boda fluvii convenirent. Verum, quia caſtrum idem, quod tum Northringen dicebatur de hæreditate fuit Geronis Marchionis avunculi ipſorum, quam ille totam deo tradiderat, datis pro eo Eccleſiæ Gerenrodenſi quatuor villis, quæ omnes uno nomine Poligæ vocantur, ipſum redemerunt.* Hæc Chronicon. *Hoppenrodius* vero in ſupra citato libro Genealogico Geronis quoque familiam explicat, & Geronis Marchionis avum, quem Burggravium Magdeburgenſem facit, itidem Geronem dictum, habitaſſe ſcribit in arce Gersdorff, ante urbem Quedelburgum, cujus rudera ſuo tempore adhuc fuerint conſpicua. Sifridum, cum etiam ſine liberis eſſet, Monaſterium in Gröninge condidiſſe addit; cujus conjugem Guttrie dictam fuiſſe, ex ipſis tabulis fundationis monaſterii, ab *Avo* meo *in notis ad Chron. Corbejenſe* productis, didici, Hiddam nupſiſſe Chriſtiano Marchioni & cum eo habuiſſe filios duos Geronem & Dithmarum addit. Itineris Hieroſolymitani meminit quoque *Ditmarus Mersburg* l. 2. p. 31. ubi *dam* vocat. Gero factus eſt Archiepiſcopus Colonienſis; Dithmarum vero ſine prole obiiſſe, & cænobium Nienburg fundaſſe ſcribit *Hoppenrodius* quod poſterius verum eſt, eſtque in cænobio lapis ejus, filiiq; ejus ſepulcralis, in quo vocatur

Marchio Miſnenſis, pro tunc Dominus Luſacenſis:

Prius vero non ita ſe habet, rectiusque *Chronicon Montis Sereni* p. 38. explicat, Dithmarum duxiſſe filiam Hermanni Ducis a Luneburg, Swanehildam nomine, ex ea-

que genuiſſe Geronem Marchionem; ex Gerone iterum natum Dithmarum, & ex Dithmaro Odonem, qui ſine liberis obierit, ceſſante in eo poſteritatis propagatione.

Præceptum Ottonis M. ſeu Donationem Geroni Comiti factam de regione Zermund, quam *Hoppenrodius* producit, etiam habet *Andreas Entrelius in Annalibus Veteris Marchiæ*, & quidem aliquanto plenius.

Fundationis Gerenrodenſis Litteras Germanicis & Latinis verbis *manu Marchionis Geronis* ſcriptas, ſuo adhuc tempore in perpetuam memoriam fuiſſe reſervatas, ſcribit quidem *Hoppenrodius*; valde tamen dubito an Germanicæ illæ ſint authenticæ, & non potius ab aliquo in gratiam Virginum ſacrarum longè poſt ex Latinis converſæ, cum ſeculo X. non fuerit moris, Fundationum Tabulas Germanico idiomate ſcribere, nullis exſtantibus exemplis, imò hæ ipſæ tabulæ Stylum recentioris ævi præ ſe ferant.

Primam Abbatiſſam *Hadwigin Hoppenrodius* in his Annalibus ſemper nominat filiam Geronis, quam tamen in libro ſuo *Genealogico* filii ejus Sigfridi uxorem facit; uti etiam à Dithmaro & in *Chronico Montis-Sereni*, verbis ſupra à me adductis, vidua Sigfridi ſcribitur fuiſſe, & illi ſeptem annos cohabitaſſe: id quod etiam probabilius mihi videtur, cum Geronis filiam non niſi Hildam vel Idam memorari videam. Sed operæ pretium fuerit hic adjicere verba *Dithmari Merſb. ex chron.* L. VII. ubi mortem Hadwigis *IV. Non. Julii* contigiſſe ſcribit, & ita pergit: *Fuit hæc Reginæ Mathildis inclyta neptis ac in XIII. ætatis ſuæ anno Geronis filio Marchionis Sigfrido nupſerat, & cum eo tantum VII. annos conjuncta erat Poſt cujus exceſſum ob Domini amorem & triſtis ſolatium ſenioris, ſacrum à Bernhardo Antiſtite velamentum, & mox conſecrationem ſuſcepit, ſedens LV. annos: tam aſſidua in Chriſti ſervitio, ut Anna: & tantæ largitatis, ut Sareptana: in caſtitate & abſtinentia ſimilis Judith: Eccleſiam ſibi commiſſam diverſis decorans ornatibus. Sepulta autem egregia Chriſti ſponſa, à Bernhardo, antiquæ civitatis Epiſcopo, non ubi periit, ſed ubi generis congregatio ſua rogavit, in medio Eccleſiæ coram ſanctæ crucis altari &c.* Meretur autem in hac re utique fidem *Dithmarus*, temporum illorum ſcriptor, & horum locorum incola, cujus neptis Mathildis cum Abbatiſſa Hedwige jure conſanguinitatis diu nutrita fuit, & in Monaſterio Gerenrode obiit, cujus mortis occaſione laudabilem Hathwigis vitam exponit.

Poſtquam de Hedwige Abbatiſſa V. egit, deſiderari Abbatiſſam ſextam ſcribit *Hoppenrodius*, quæ ſcilicet à Petro Leone confirmata fuit. Neque ego nunc, unde defectum ſuppleam, habeo. Fortaſſis autem plura in Autore noſtro deſiderantur Hac enim occaſione moneo in *Tabulis Genealogicis*, quas *Vindiciarum Anhaltinarum* principio addidit *Anonymus* ſed inſignis Scriptor memorari Abbatiſſam Gerenrodenſem ex familia Anhaltina, quam *Hoppenrodius* non habet, *Arecham filiam Alberti VI. primi Marchionis Soltquellenſis, ex uxore Ditburga, filia Comitis Theonis Wettinenſis.*

De Abbatiſſa IV. *Mechtilde* pauca habet *Hoppenrodius*, cum tamen juxta ejus quoque computum diu ſederit, Illud vero miror, quod *familiam ex quâ nata intercidiſſe* ſcribat. An ita hoc intelligendum, ut memoria interciderit familiæ, ex qua nata? An ipſa familia illa, ex qua nata, intercidit? Verum ſalva res eſt. Fuit enim ex Sereniſſima Ducum Brunſuicenſium & Lyneburgenſium familia, quæ hodieque, Dei gratia, floret, & indies incrementa capit. Fuit Ottonis, qui primus Ducatu Br. & Lyn. à Friderico II. inveſtitus eſt, filia ex Mechtilde Alberti Marchionis Brandenburgici filia. Nupſit autem Henrico Pingvi, Comiti Anhaltino, qui ex ea præter alios liberos multos genuit Ottonem, Anhaltinæ ſtirpis propagatorem. Hæc vero Mechtildis, poſt mortem ſui mariti, facta eſt Abbatiſſa Gernrodana. Quod poſterius prætereunt Hiſtoriæ Brunſvic. & Lyneb. Scriptores, annotavit tamen *Anonymus Auctor Chronic. Brunſvic.* editus à *Madero* his verbis: *Otto ſenior & Mechtilde genuit Conradum Epiſcopum Verdenſem: Ottonem Epiſcopum Hildenſemenſem, qui jura Eccleſiæ ſuæ bene dicitur defendiſſe, & obiit anno Domini MCCLXXIX: Mechtildem, quam duxit Hinricus Pinguis, Comes de Anehalt, & genuit Ottonem Comitem, & facta eſt propter ſui diſcretionem poſtea Abbatiſſa in Gheroude.* Fuit ille Auctor penè coæ-

nè coævus, ideoque fidem meretur: nec per *Gberoude* aliud quam *Gernrode* noſtrum intelligi poteſt.

Ubi de *Brigitta de Oſde* XII. Abbatiſſa agere incipit *Hoppenrodius*, deſiderari aliquot Abbatiſſas ipſe fatetur, & nomina quatuor ex Memorialibus libris tantum deſcribit: quas tamen inter cum non inveniam Abbatiſſam *Juttam*, illius hic aliquam mentionem faciendam, & ſimul controverſiam quæ inter Eccleſiam Gernrodenſem & Epiſcopum Halberſtadenſem Albertum II, ſub Abbatiſſa Brigitta de oſde cæpit, exponendam duxi. Fateor autem, omnem hanc notitiam me debere clariſſimo Hiſtorico *Guilhelmo Budæo*, qui in vita Alberti Epiſc. Halberſtadenſis ad an. 1333. eam publico communicavit, Cum autem ille narraſſet *Gertrudem de Boventem* a. 1324. mortuam, eique ſucceſſiſſe *Brigittam de Oſde* (in quo conſentientem habet *Hoppenrodium*) addit, eam ſediſſe 12. annos, hoc eſt, ad annum uſque 36. ſeculi illius, cum tamen, ut mox patebit, Tabulæ Pacificationis datæ ſint à *Jutta*. An Abbatiſſa forte *Jutta & Brigitta* eadem perſona? in quâ opinione ſive vera, ſive falſa, *Budæum* fuiſſe ſuſpicor, cum tanquam de una & eadem loquatur, quæ primo ſeſe oppoſuerit Epiſcopo Alberto deinde pacificationem cum ipſo inierit. At res ipſa ita ſeſe habet: Cum Gernrodenſis Eccleſia ad Diœceſin Halberſtadenſem pertineret, & ita Epiſcopo jus viſitandi in eam competeret, Albertus II, tum temporis Epiſcopus, ex Domo Ducum Brunſvico Lyneburgenſium oriundus, & juris ſui ſtrenuus aſſertor, viſitationem inſtituere voluit, cum præſertim ex Canoniſſis nonnullæ, & inter illas quædam nata de Merwitz neſcio quid peccaſſent. Oppoſuit vero ſeſe Abbatiſſa Brigitta, nec viſitationem admittere voluit, eoque nomine querelas detulit ad Pontificem Johannem XXII. qui etiam, Alberto minus favens, Epiſcopum Merſburgenſem Gebhardum, & Præpoſitum Montis-Sereni Commiſſarios ordinavit, qui rem ventilarent & deciderent. Coactæ tamen interim ſunt Canonicæ illæ, & Merwitzia Eccleſiam relinquere ad mandatum Epiſcopi ſine dubio minantis, ideoque tandem facta eſt Tranſactio, hac formula: *Nos Jutta dei gratia ſecularis Eccleſiæ Gernrodenſis Abbatiſſa tenore præſentium recognoſcimus, Quod omnis diſſenſio ſeu diſcordia ſuborta ex quibuscunque cauſis inter Venerabilem dominum, Dominum Albertum, Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & Nos, ac Canonicas & clericos Eccleſiæ noſtræ amicabiliter eſt ſopita & deciſa, nobisque Canonicabus & clericis noſtræ Eccleſiæ idem Dominus Epiſcopus benignæ promotionis ſuæ ſubſidium vult impendere gratioſè in omnibus & ſingulis negotiis noſtris & cauſis, Ubi id pro conſervandis rebus Eccleſiæ noſtræ vel recuperandis, aut ipſius Eccleſiæ libertatibus duxerimus invocandum. Ab officio quoque viſitationis, quod à Nobis & Canonicabus Eccleſiæ noſtræ præfatæ prædictus Dominus Epiſcopus exegit auctoritate Apoſtolica per quadrigennii temporis ſpatium abſtinebit. Quo temporis ſpatio elapſo, ſi in noſtra Eccleſia officium viſitationis duxerit exercendum, Nos & Canonicæ noſtræ eundem Dominum Epiſcopum noſtrum admittemus ad omne jus, quod ſibi competit, vel competere poterit auctoritate Conſtitutionis Extravagantium, quæ incipit, Attendimus. Inſuper in deſciſione diſcordiæ prænarratæ perinde dinoſcitur ordinatum, quod Nos unà cum Canonicabus & Clericis Gernrodenſis Eccleſiæ ſæpius dictæ, defenſioni noſtræ, qua buc uſque ab officio Viſitationis ſupra dicto Venerabilem Dominum Epiſcopum ſæpe dictum repellere nitebamur, renunciamus omnino & in ſignum renunciationis bujusmodi reſcripta Apoſtolica per Nos ad Dominum Epiſcopum Merſeburgenſem & ad Præpoſitum Montis-Sereni in Monte-Sereno obtenta & proceſſus virtute Reſcriptorum prædictorum habitos qualitercunque diſrumpere manifeſte & deſtruere totaliter tenebimur ex deciſione diſcordiæ antedictæ. Dominam etiam de Merwitz ac alias perſonas ipſius Eccleſiæ Gerenrodenſis, quæ mandatis Epiſcopi ſæpius dicti obtemperantes ab Eccleſia ſæpius dicta receſſiſſe dinoſcuntur, in ſtatum priſtinum omnium beneficiorum ſuorum cum manſuetudine reducemus integraliter & reſtituemus juxta ordinationem deciſionis diſcordiæ ſæpe dictæ. Præſentati etiam per Nos ad Eccleſias Parocbiales, quarum jus Patronatus obtiuemus tempore diſcordiæ ſæpius ſupradictæ, easdem Eccleſias obtinere debebunt, amotis ab eis quibuscunque aliis poſſeſſoribus, quibus tamen nos in aliis beneficiis interventu venerabilis Domini noſtri Epiſcopi perinde tenebimnr gratioſe, cum primum providendum in habere nos contigerit. Ut igitur omnia præmiſſa & ſingula firma & inconvulſa permaneant, ſigilli noſtri munimine ea duximus roboranda in teſtimoni-*

um & evidentiam ampliorem omnium præmiſſorum. Actum & Datum Anno Domini MCCCXXXIII. Quinto Kalend. Octobris. Has Tabulas etiam debemus *Budæo*, qui quidem, quod miror, *quadrigennii temporis ſpatium* interpretatur *quadrageſimale tempus*, ac ſi durante quadrageſima non viſitare, reliquo autem omni tempore debeat, cum tamen ſenſus ſit proximo quadriennio non debere Epiſcopum viſitationeminſtituere, deinde autem quandocunque libeat.

De Patre *Adelbeidis*, XIII Abbatiſſæ nulla eſt variatio: Matrem vero à Stolbergenſibus, alii à Glichenſibus Comitibus deducunt: *Hoppenrodius* Thuringiæ Landgraviam facit. *Mechtildis* etiam collocatur in Tabulis Genealogicis Anhaltinis ſupra citatis, orta *Patre Sigismundo Johannis F. Alberti claudi fratre, matre Brigitta Comitis Gebbardi de Querfurt & Egeln filia. Scholaſticæ* Abbatiſſæ Pater *Georgius* Princeps Anhaltinus, ſuperioris Gerenrodenſis Abbatiſſæ *Mechtildis* frater, extra controverſiam eſt: de Matre dubium. Habuit enim *Georgius* Uxores quatuor, exque iis liberos ſeptendecim, & inter eos Scholaſticam; qui à Genealogiſtis enumerantur quidem, diſtincte non additur, ex qua conjuge quilibet aut quælibet originem habeat. *Scholaſtica* ultimo loco inter liberos à quibusdam collocatur; fortaſſis igitur ex ultima etiam conjuge, Anna, Alberti Comitis Rvpinenſis filia nata credi poſſet, ſed *Henricus Baſſe Monachus Ballenſtetenſis In Panegyrico familiarum illuſtrium Principum Dominorum de Anbalt*, ex *Anna* alias filias, non autem hanc memorat. Habet autem modo citatus *Henricus Baſſæus* in illo libello ſuo multa præclara de virtute, pietate & morte *Scholaſticæ*, quæ non habet *Hoppenrodius*, ideoque cum libellus ille pauciſſimis ſit viſus, laudetur verò etiam ab *Erneſto Brotruffio in calce Genealogiæ Anbaltinæ*, operæ pretium arbitror in memoriam piiſſimæ Principis, omnia quæ de ea narrat huc tranſcribere, cum præſertim auctor coævus & in vicina vivens omnia accurratè ſcire potuerit, &, quamvis ſtylo minus eleganti, multa tamen egregia narret: *Scholaſtica, filia Georgii Principis in Anbalt Senioris, olim Canonica Eccleſiæ urbis Quedlinburgenſis, poſt vero Abbatiſſa Eccleſiæ S. Cyriaci in Gerenrode, fæmina naturalibus gratuitisq; donis inſigniter oppignerata, ſed & his, quæ Dei ſunt, devotiſſima, ad ſe dura & inexorabilis, ad proximum autem dulcis & affabilis, ad deum vero timorata & ſollicita. Hæc ab infantia inter ſanctimoniales verſata integritatis & innocentiæ tramitem apprebendens in ipſo irreprebenſibiliter usq; in finem perſeveravit, licet etiam in medio ignis nonnunquam poſita ne dum fuerit minimè æſtuata, nec quidem uſtulata. Deniq; in Monaſterio novæ Helpede parvula pueritiæ ſuæ piis inſtituendi moribus priora ſuſcepit rudimenta, eò quod illic nonnullæ nobilium illuſtriumq; filiæ inſtituerentur & erudirentur. Qualiter autem eam ibidem Dominus illæſam conſervaverit, certis reſpectibus, & ne prolixitas faſtidium ingerat, potius intermittendum judicamus. Permanſiſſet ſiquidem in religione illa, quam nondum nec habitu quidem ſuſcepit, niſi tale quidem accidiſſet, propter quod à parentibus rationabiliter extitit revocata. Erat igitur aſpectu venuſta, caſta moribus, converſatione humillima, ita ut adverſarii quidem de ea nil prorſus ſiniſtrum ſeu infamiæ quippiam ſuſpicari auderent. Quæ licet à multis etiam magnis in conjugium peteretur, ipſa tamen quamvis adoleſcentula, in deliciis enutrita, animoſa conſtantia contempſit univerſos. Miſſa deniq; ad Collegium Dominarum in Quedlenborgb, ubi eo tempore præſidebat Hedewig abbatiſſa ex Ducibus Saxoniæ, illic maturioris ætatis ſumpſit incrementa, ſicq; vitam agens & mores exornans, ut cunctis eſſet venerabilis pariter & amabilis. Succeſſu autem temporis electa eſt in Abbatiſſam Eccleſiæ S. Cyriaci in Gerenrode, quam licet Abbatiam juvencula coacta gubernandam ſuſceperit, ipſa tamen corde ſemper & animo plus aſpiraverit abjecta & ſubdita in pace uni ſervire omnipotenti domino, quàm prælata & elata multorum in turbatione & inquietudine bominum & nonnunquam dyſcolorum ſervire moribus. Deniq; ſi anguſtias ſive moleſtias aliasq; difficultates & pecunias, quas in initio ſui regiminis Scbolaſtica per ſingula ſuſtinuit, recenſere placeret, excreſceret, ut verum fatear, labor bujus propoſiti metas. Sed quia ipſa illa occultare ſtuduit, nolumus & nos ea nullatenus prodere, cum ſemper ſua meliora potioraq; ſic occulere, ut potius, quæ ſunt infirmitatis & bumilitatis, de ſe agnoſci maluit. Invenit itaq; eccleſiam illam plus quàm ſatis deſolatam, & diſſolutam muris pariter & moribus, maximè in clericis eccleſiæ illius miniſterialibus, cum illi ſic per vitiorum oberrarent anfractus, ut*

ferme

Digitized by Google

fermè nil clericalis converſationis in omni illorum aſpiceretur vita. Sed illa in domino confidens utriq; continuum opponere curavit remedium. Quid de eccefiæ illius effecerit muris & ſtructuris, palam omnibus liquet, ita ut illi nunc religioſitatis ejus evidens perhibeant teſtimonium. Habitacula quoque domus ſuæ invenit exigua & ruinoſa, ſed renovans decentiore reſtauravit ſchemate. Inter hæc profectò & clericorum cæpit mox diſſolutioni mederi. Erant enim illi concubinarii, ebrioſi & diſſoluti, & moribus per omnia inhoneſti, nilq; ſacerdotalis gravitatis præ ſe ferebant, vix vel ipſam tonſuram deferre dignabantur, in eccleſia rari, in taberna aſſidui, in conviviis & aliis ruſticorum conventiculis & inſaniis, ſicut unus ex illis. Scholaſtica vero, licet hæc ægerimè tulerit, opportunè ſuccurrendum rata, convenit ſingulos, primum in ſecreto exorans & conteſtans, erat enim conſtans & facunda, ut jam non ſic deinceps, velut prius agerent, ſe benignè velle agere cum eis, ita duntaxat, ut ejectis concubinis ruſticorum, aſpernata, vcſania, divina ſedulius frequentarent, clericaliſq; forent ſectatores honeſtatis. Cumq; illa hujusmodi objurgationibus aliquando etiam acerbius inſiſteret, tandem nonnulli ejus fatigati animoſitate vel loco ceſſerunt, vel prout illa exegit omnia, ad votum ejus perfecerunt. Sic nimirum pia Scholaſtica indefeſſo ſtudio ſuo domui dei duplicem induxit, quem dilexit decorem, ut ſcilicet oratorium & ejus altaria decenter ornaret & veſtiret, veſtes quoq; ſacras emendaret & mundaret & reliqua ad hæc ſpectantia devota perficeret, ac etiam, quod hic omnibus majus eſt, eccleſiæ miniſtros, presbyteros & Diaconos devota ſinceritate ſacris inſervire vivere quoq; in ſanctitate & honeſtate, ſine diſſimulatione exigeret. Perſeverant autem doctores iſti ad dei honorem usque in hodiernum diem per omnia, benedictus Deus in ſecula, Amen. Scilicet his omnibus diligenter & fideliter collaboravit piæ memoriæ Margareta, ejusdem Eccleſiæ præpoſitiſſa & ipſa ex nobili familia ex partibus Steriæ, fæmina per omnia laudabilis & religioſa. quæ ſic unanimis & concors cum Scholaſtica extitit, ut eodem ſpiritu ſuccenſæ fuiſſe minimè ambigantur. Inter hæc profectò piiſſimi ſtudia zeli, pia Scholaſtica ſe in omnibus exemplum bonorum exhibuit operum univerſis, ſic ſubditos ſollicitè gubernans, ut boni & religioſi ei ſubjici gaudebant, pravi vero, quod nullatenus adverſus eam quippiam moliri poterant, potius fuga eam affligere ſolebant, quam aliis ſiniſtris machinationibus moleſtarent. Dilexit autem ſuos miro caritatis affectu ita ut nil aliud in ea experirentur, niſi etiam beneficos piæ matris affectus, eis per omnia ſollicitè collaborans, exhortationibus & inſtructionibus vigilans ſuper eas, ſicut ſollicitus paſtor. Hortabatur igitur plurimum ad integritatis caſtimoniam ſollicitè obſervandam, eamq; plurimo conſuevit attollere ſermone ita ut pleriſq; earum affectum ſinceritatis & integritatis inſereret. Nam duæ puellæ ex ejus comitatu exhortationum ejus non ſurdæ adjutrices ſe mutuo concitantes ingreſſæq; oratorium commune & ad imaginem ſanctæ Mariæ ſtantes cum puero Jeſu in medio templi. quarum altera hæc & hujuſcemodi dixit. Domine Deus, ecce ego paupercula nil habeo, quod tibi acceptum offeram, niſi meipſam promitto ergo tibi, quod volo ſervare caſtitatem meam omnibus diebus vitæ meæ, nec in copulam maritalem unquam conſentire. Et accedens obtulit puero Jeſu annulum, ejus oſculans manus. Similiter & alia fecit. Quæ omnia cum interlabentibus diebus aliquot Scholaſticæ illæ recenſuiſſent, illa vehementer turbata durius eaſdem arguebat, dicens, caſtitatem quidem eſſe honorabilem & bonam, ſed ad eam ſervandam etiam voto vel profeſſione ſe aſtringi ſine peritorum & Deum timentium conſilio & parentum nullatenus debere. Parentes autem his agnitis turbati ſunt valde: jam enim de earum nuptiis tractare cæperant. Scholaſtica vero ſe huic turbationi interpoſuit, eoſq; modeſtis prudentibuſq; ſedabat perſuaſionibus, obtinuitq;, ut illæ, ſicut voverant, permanerent, & juxta deſiderium ſuum Domino illibatæ deſervirent. Quod & huc usq; devotè & ſinceriter explere nituntur. Habuit igitur illa ſui juris eccleſiam olim collegiatam. ſed tunc prorſus deſolatam, quam ſtudioſe inſtaurans tales & talium ſimiles, quas ſic exhortando domino lucrabatur, neceſſariorum proviſione conſtitutâ cohabitare faciebat. Familiam deniq; fæminei ſexus habuit competentem ſive honeſtam, nec quiſpiam niſi pudicæ & honeſtæ famæ coram ea comparere præſumſit, ejusq; converſatio ſemper cum humilibus, ſemper cum devotis extitit ita, ut in viam Domini ingenti ſollicitudine proficiens omnes ſibi adhærentes ad hoc ipſum magna cura pertrahebat. Laborabat manibus, & ſuas ancillulas ad hoc ipſum coëgit, ne otioſæ ad pejora forſan deſluerent, vel fabulis in-

tentæ

tentæ etiam illicita perpetrarent. Quidam presbyter eccleſiæ illius miniſterialis, cum quoddam perpetraſſet facinus, homo elegans & utilis, & benè reputatus, nequicquam tamen coram domina abbatiſſa ullatenus comparere præſumſit, ſed fuga abiit clandeſtina, ſibi hoc pro ſolatio deputans, ut ipſam ſe objurgantem minimè ſuſtineret. Illa vero licet vitiorum foret hoſtis, tamen humanæ plurimum compaſſa calamitati, doluit illum ſuæ auctoritatis formidine damnum pariter & periculum incurriſſe. Inter cæteros familiares & amicos ſemper pauperum, inopum & deſolatorum ſingularem habuit amicitiam & favorem, ut etiam intra familiam ſuam claudas multas haberet, cæteriſque difformitatibus diſtortas cum quibus & merito quidam miſer Laurentius nomine merito computandus venit claudus lippientibus oculis & facie deformis, homo verè miſer, cui ferè omnis vita ſua miſeria extitit. Hunc illa tanquam pia fovit mater crebrius ad latus ſuum ipſum ſibi aſſidere faciens, cibum & potum ei porrigens ipſum ſuum ſponſum vocare ſolebat. Habuit etiam famulam à nativitate ſurdam & mutam, erga quam erudiendam miris laborabat ſtudiis ea quam tot & tantis in his, quæ ſalutis ſunt ſuæ, inſtituere curavit, ut eam diſcernere doceret ſignis & induſtriis inter hoſtiam conſecratam & non conſecratam, illamque ſuppliciter adorans, aliam verò abjiciens & contemnens. Eadem etiam ſedulitate eam ad confeſſionem & ſacræ eucharistiæ ſacramentum accipiendum induxit. Supervenit quoque circa eadem tempora miſera quædam puella arrepticia horribilibus geſtis territans cunctos, fugitque tanquam ad miſerorum præſidium ad ædes ſcilicet piæ Scholaſticæ quæ eam per ſuos comprehenſam ejus miſeriis miſerata cautè ſervari fecit. Quæ ſpumans frendens dentibus omnes terribilibus oculis in fugam coëgit, Scholaſtica verò eam modeſtis increpabat ſermonibus, & ſic compeſcuit, ut jam mitius ſeſe gereret. Sicque eam apud ſe vinctam pluribus conſervari fecerat diebus. Et interim nonnullorum clericorum & religioſorum uſa conciliis perquiri fecit, anne eſſet demonica? Sic ſic nimirum pro ipſa illa erat ſollicita, quaſi pro ea eſſet Domino rationem redditura cum tamen illa eſſet prorſus ignota & aliena. Demum multis fruſtratis induſtriis etiam verberibus caſtigandam orationibusque juvandam decernit, quibus tandem diligenter actis temporum ſucceſſu illa ſanitati plenè eſt reſtituta. Quam quidem aliquamdiu apud ſe detentam bene inſtructam veſtibusque decentibus indutam gaudentem & gratias agentem cum pace dimiſit. Quæ profecto ſic ſana perſeverans poſtea matrimonio copulata honeſtè vixiſſe dicitur. Verum ſi eius humilitatem, quam veram ſemper in ore, ſemper in corde, ſemper in moribus obſervabat, conſcribere liberet, excreſceret hæc anguſtia modeſtiam. Quam vilis ei fuerit veſtitus, quàm exiguus, quàm in omnibus frugalis parſimonia quis ſufficienter enumeret? Sic ſic nimirum ejus pacientia & cordis tranquillitas mirabilis in ea enituit, ut quaſcunq; adverſitates moleſtiasve in penuriis in injuriis & aliis quibusvis adverſitatibus tanta animi & vultus tranquillitate & ſerenitate portabat, ut in his etiam ab adverſariis mirabilis judicaretur ita ut ne dum ſe excuſare, ſed vehementer ſeipſam nunc de ſuperbia nunc de impatientia & cæteris conſvevit increpare. Omnem hominem ſollicita excuſare, ſeipſam autem aſſiduè excuſare, omnes bonos, ſe ſolam virga & reprehenſione dignam humiliter aſſerebat. Interrogata ergo aliquando in familiari colloquio, ubinam locorum hæc mirifica reperiſſet donaria humilitatis & patientiæ, reſpondit. Intentis ſibi ipſis quibusvis etiam emineant virtutibus ſemper occurrit quo verè nl diſſimulaverit humilientur & dum ſe ab aliis tolerandos perpendunt patienter aliorum mores tolerare addiſcunt & dum qualis quisque fuerit in juventute ipſe perpendit facile juvenibus, ſi quid delinquunt. donabit. Sic profecto ſententioſa & ædificationum plena ejus exſtiterunt verba, ut Philoſophum vel Rhetorem, cum eam loquentem audiviſſes, autumares. Detrahenti coram ſe nunquam acquieſcere conſenſit, aut, ut dictum eſt, aliena mala oppalians honeſtè excuſavit, aut mox ſilentium indixit. Si quid tamen pereiperet emendatione dignum, non celavit, ſed continuo advocatum aviſavit vel corripuit. Sanè hæc pia Scholaſtica admodum exſtitit cupida converſationis religioſorum & quorumvis timentium deum ut ex eis nonnulla emendationis vitæ perciperet frugem, quos etiam nonnunquam ad ſuam conſvevit ſcholam adducere, ut ibi coram puellis laborantibus etiam verbum Dei pro ædificatione depromeretnr. Noluit enim ſuas eſſe ocioſas. Ideoque miro flagrabat deſiderio, ut illuſtris memoriæ fratrem Ludovicum conſobrinum ſuum ordinis minorum de obſervantia ſupraſcriptum videre poſſet, & audire. Ipſe nimirum illa tempora moribus & vita mirum in modum decorabat. Sed quia S. Franciſcus

ſuis fra-

ſuis fratribus diſtrictius, ne monialium ingrediantur monaſteria, in regula ſua interdicit, ipſe licet inſtanter exoratus ut ei occurrat, prorſus abnuit & excuſavit. Sed nec ſic illa quievit, ſed prælatorum etiam illius ordinis aſſenſum ſollicitè requiri faciens minimè quod voluit impetravit. Tandem à ſede Apoſtolica diſpenſatione deſuper obtenta fratrem Ludvicum diu deſideratum ingenti excepit gaudio, ipſumque ſecum licet renitentem triduo retinuit. Denique jam tunc inter eos videre erat & audire verba ſalutis animarum & honoris divini incrementa & cetera hujuſcemodi; ut verè putares denuo Benedictum & Scholaſticam conveniſſe. Non erat ibi moribus vel diſciplinæ adhibuiſſe calcaria ſed potius imponere frena. Unde & clam & palam plurimas fecit exhortationes, Exhortans ante omnia ut rationabile ſuum faceret Deo obſequium ne per indiſcretionem læſa Deo contingerent diſplicere & hominibus. Perpendens igitur pium animi fæminei fervorem ſvaſit illum nequaquam debere erga hujuſmodi tenerrimas obſervare perſonas, qui virilibus etiam animis ſufficienter foret oneroſus. Denique urgebatur Scholaſtica nonnullis conſcientiæ ſuæ ſtimulis, quibus aliquando ſic erat inquieta, ut etiam excuſſo de ſub Abbatiæ ſuæ regimiue collo deliberaret eam ſecurius dimittendam, inter quos iſti erant importuniores ſcilicet quod ſtatus iſte puellarum ſic in Eccleſiis Deo ſervientium non eſſet per Eccleſiam ſeu ſedem Apoſtolicam approbatus. Item in bulla ſuæ conformationis ſcriberet ei Papa: ac per hoc ſtatum tuum non approbamus. Quæ verba etiam leguntur in clementinis de electionibus capitulo Indemnitatibus ubi Papa præſcribit eis formam eligendi Abbatiſſam ſubjungens: ac per hoc ſtatum earum non approbamus. Item eſſent plurima in eccleſiæ illius conſvetudinibus quibus ſe etiam juramento coactam ſubmitti dixit quæ tamen nusquam in ſcripturis ſanctis, in doctrinis patrum, in canonibus eccleſiaſticis expreſſa inveutrentur, quorum nonnulla etiam patenter cederunt in non mediocri conſcientiæ gravamen. Et horum ſimilia. De quibus jam dudum ſtudioſiſſimè apud doctos & religioſos juxta morem ſibi conſvetum tractare ſolebat. Sed nec ex hoc quievit, donec potens in opere & ſermone ſuccurreret frater Ludovicus præfatus coram quo omnia liquidavit uſque ad coſtas. Ille vero multis perſvaſionibus & auctoritatibus ſufficienter inſtructam tranquillam fecit & quietam, promittens in ſuturum ſollicitius ſuper his etiam ſcripto ſe conſulturum. Demum triduo emenſo altrinſecus multum conſolati cum bona pace ſeparati ille ad noſtrum declinavit cænobium illa vero gaudens regreſſa eſt ad ſuos. Ludovicus autem nobis recenſere ex ordine ſtuduit quid ædificationis devotionis & conſolationis à ſorore ſua Scholaſtica attuliſſet, dicens eam verè eſſe hominem Dei, & Deum habitare in ipſa. Cauſam autem illam, quæ agebatur inter eam & Eccleſiam Halberſtadenſem ſuper lacu Froſenſi erat ei mirum in modum aſpera & moleſta quam illa dudum fratrum ſuorum Germanorum & Eccleſiæ ſuæ Capituli juriſque peritorum maturè habito concilio in Curia Romana perſequendam inchoaverat, ſed dum in illa expenſæ forent profundendæ conciliatores contra promiſſa cæperunt auxilia ſubtrahere Scolaſticam in periculo relinquentes. Sed quod ſic maturè agere cæpit, ſe opprobrii obnoxiam fore rata ſi à cæptis deſiſteret, ac per hoc eam nequaquam judicabat intermittendam, unde & uſque in finem vitæ ſuæ grandibus expenſis eam continuare decrevit, ita ut plurimi ejuſdem cauſæ ditarentur participio etiam ipſius eccleſiæ preſbyteri ipſa autem ſola multis preſſa penuriis in paupertate uſque in finem pauper & egena remanſit. Denique crebro eoſdem ſuos miſit ad Urbem auro onuſtos, ſed eoſdem ditatos beneficiisque refertos rubeisque ocreatos caligis redeuntes inde recepit, & quam amabant cauſæ dilationem inde reportabant. Itaque plurimi has fraudum technas intelligebant, ipſa vero ſola nequaquam ab aliis ſibi ſiniſtrum quippiam poſſe irrogari æſtimabat, quæ innocentiæ ſuæ arte edocta nemini prorſus ullam poterat inferre moleſtiam, taceo fraudem. Habet enim hoc ſincera innocentia ſeu ſimplicitas artificium, ut neſciat de aliis malum vel ſuſpicari quod ipſa irrogare minimè cogitat. Demum circa illa tempora cum peſtis inguinaria vehementer deſæviret maximè in regionibus circa ſaltum Hercyniæ, Dominus Georgius Princeps frater germanus Scholaſticæ cum hæc perciperet, petiit ut contagioſa deſereret loca & ad ſe accederet, ne pariter & ipſa eadem involveretur tempeſtate. Cui illa maturè reſpondit abſit, ut hanc rem ullatenus agam & has meæ creditas curæ in his deſeram periculis. Si me requiſierit dominus & cum ſuis in hoc degentibus non invenerit ſed forſan loco & conſortio ei diſplicitis & mihi illicitis, nonne contra me commotus graviter iraſcetur. Sive ergo vivere conceſſerit, vivam intrepida cum eis in limitibus eccleſiæ meæ, ſi etiam mori juſſerit in

ſerit in ipſum confidens inter manus filiarum mearum moriar, quarum lacrymis & precibus verè ſcio & confido me coram domino fideliter adjuvandam. Ac per hoc nullatenus acquievit, ſed in ſuo nidulo velut turtur gemens remanſit. Interea itaque nunciabatur ei tranſitus felicis recordationis dominæ Agnæ Abbatiſſæ in Gandersheim, quæ migravit ad Dominum ipſo die aſſumpeionis glorioſiſſime Reginæ cœli virginis Mariæ Dei genitricis. Quo illa audito piis perfuſa lacrymis inſtantius pro ejus anima dominum exoravit. Sentiens proinde ſibi hoc imminere, quod ſorori evenerat confeſtim ſuis pariter convocatis multo eas exhortata ſermone monuit, ut omnes in manus piiſſimi ſe reſignarent ſui redemptoris, ſeque diligentiore diſponerent ſollicitudine & ſingula ſalutis obſtacula adhuc ſanè per pænitentiæ lamenta maturè auferre fatagerent, ut ſic aliquando à Domino vocatæ ſecurius ex hoc ad dominum emigrarent ſeculo. Ego enim, ait, novi me nequaquam longa vobiſcum mora remanere, ſed citius vocante domino emigrandum eſt, Vos autem, chariſſimæ, tranſitum meum domino piis precibus commendare dignemini, ut miſericordiam ſuam in ſuprema & extrema neceſſitate mea mihi clementer infundere dignetur. Illæ vero his auditis vulneratæ cordibus conſternebantur maximè, quia in his verbis eam in proximo morituram intellexerant. Ipſa autem deinceps ſe ab omni exteriori ſubduxit ſollicitudine ſic ſibi intenta orationibus jejuniis eleemoſynisque dominum placare ſtuduit, ita ut omnes perpenderent ex hoc mortem eſſe in propinquo. Noviſſimè vero ipſo die S. Bartholomæi Apoſtoli jam cœpit etiam lectulo decumbere nec ad ſe quenquam ingredi permittens manſit apud ſe in ſilentio orans officiumque Eccleſiaſticum cum puella ſollicitè abſolvere curavit. Juſſit itaque vocare Priorem Ballenſtadenſem, ut cum eo de more ex ſtatu ſuo conferret. Ille vero diutina mora detentus tandem aliquando poſt aliquot venit dies inveniens omnes mæſtos & ferè deſolatos, cum illa nemini prorſus loqueretur. Qui ad ejus ingreſſus cubiculum vivacibus eam cœpit attollere ſermonibus, quæ quaſi reſumpto ſpiritu: ut quid, inquit, mihi tam pernicioſam texuiſtis moram. Ego enim laborans in extrema neceſſitate neminem habui mihi aſſiſtentem, cum quo de rebus & gravaminibus meis tractarem. Peragens itaque diligenter & pertractans cum eo de ſtatu ſalutis ſuæ & eo bene ſtante etiam condito teſtamento exteriora ſua prudenter & fideliter diſpoſuit. Quibus ipſa conſolationibus ſublevata etiam ipſa ſurrexit de lectulo & cibos exquiſitè præparatos obedienter accepit pluribus circumſedentibus & non mediocriter gaudentibus dum illa etiam voce ſonora & virili omnes conſolaretur, ita ut nemo ullatenus eam audiens vel videns crederet infirmam ſive ægrotam, ſed mærore & puſillanimitate nonnulli dejectam putabant cum prorſus nulla cujusvis morbi in ejus corpore reperirentur veſtigia. Illa vero ſine intermiſſione exhortationibus ſalutaribus ſuos plurimum ædificavit, fecitque coram ſe vulgari ſari textum Dominicæ Paſſionis quam & devota attentione audivit & mox in ſuum rediit lectulum, ferè omnibus dicentibus, nequaquam eſſe morituram, ſed præ mærore eſſe attenuatam. Illa vero facta confeſſione ſacramentum Euchariſtiæ & unctionis ſacræ ſibi fecit afferri, quibus devotiſſimè perceptis continuo totum eccleſiæ ſuæ ſibi juſſit adeſſe capitulum ſcilicet Canoniſſas & clericos. Intellexit enim clericos velle aliquid moliri adverſus eccleſiæ libertatem & contra Abbatiſſæ liberam electionem & nonnulla alia. Quibus omnibus præſentibus pia Scholaſtica in lectulo ſe erigens longa & duriuſcula clericos exhortata admonitione & ut de cœptis deſiſterent, acri eos deterruit comminatione. Et vocans notarium publicum & ea quæ dixerat & dictura erat ipſum autenticè deſcribi mandavit & ſuæ electionis confirmationisque faciens produci conſcriptiones inſtantiſſimè petiit, eos in pace mutuo ſe honorare & ut ipſi clerici ſuis contenti ſtipendiis virginum ſtatum

nulla-

Digitized by Google

nullatenus perturbare præſumerent. Hæc enim: & horum ſimilia ſic vivaci edixit voce, ut nemo eam crederet niſi ſaniſſimam iisque dimiſſis converſa ad Dominum dixit: Nunc dimittis ſervum tuum domine &c. Et ad priorem Ballenſtatenſem: Pater, adeſt mihi hora, quam mihi ultimam conſtituit dominus Deus omnipotens vos ſicut viventem & me nunc morituram adjuvare non ſit moleſtum, & ſic agoniſans: largire clarum veſpere, inquit, quo vita nusquam decidat, ſed præmium mortis ſacræ perennis inſtet gloria. Et ſic ſecura tranquillitate pia & religioſiſſima Scholaſtica obdormivit in domino integro ſenſu pia devotione intra manus filiarum ſuarum orantium & flentium, præſentia & caduca deſerens, feliciter ut confidimus apprehendit æterna. Pridie Kalendarum Septembrium anno domini milleſimo quingenteſimo quarto hora completorii. Quam etſi mors perveſerit horrenda, ipſa tamen ſic eam alacriter acceptaverit, ut verè viſa ſit ei inſultaſſe, dicens: Ubi eſt mors victoria tua, ubi eſt mors ſtimulus tuus? Deo autem gratias qui dedit ei victoriam per Jheſum Chriſtum dominum noſtrum. Ita ſiquidem, ut nec vultus ejus venuſtatem ullatenus immutare potuerit ſicque hilaris aſpectu colore perſeveravit rubicundo ac ſic tranquillo repauſaret ſopore. Cumque corpus mortuæ ex more foret involvendum ſollicitius diſquiſitum nil poterat in ipſo cujuſpiam morbi vel peſtis inveniri, ſed ubique ſolidum & integrum ſuæ integritatis & caſtimoniæ etiam in morte ſervans ſpecimen, cum tam ipſa per multos dies gravi ſe affligebat inedia. Tertia demum die ab ejus tranſitu, cæteris enim diebus corpus defunctæ reverenter per eccleſias ibidem cum decenti funeris pompa cantibus & fletibus circumducitur, ad eccleſiam ſuam majorem reductum undique diſcoopertum ſemper ſuæ modeſtiæ ſervans decentiam ut eam cuncti procul dubio in pacis quiete pauſare judicarent. Sicque eo die, ſcilicet quarto Nonarum Septembrium, per manus Domini Ballenſtetenſis, eccleſiaſticæ traditum eſt ſepulturæ ad latus ſcilicet dextrum primæ ejusdem eccleſiæ Abbatiſſæ, ut fermè eodem videantur requieſcere ſepulcro. Denique ipſo ejusdem piæ Scholaſticæ depoſitionis die ſcilicet quarto Nonarum Septembrium felicis memoriæ frater Ludovicus ſupraſcriptus ejus conſobrinus olim princeps in Anhalt, frater ordinis minorum & ipſe ad cæleſtia migraſſe inventus eſt. Ordine nimirum admirabili illa pia Scholaſtica ex his hujus periculoſæ vitæ erat deo diſponente eximenda anguſtiis ſororem ejus Agnem voluit iter hoc præoccupare, deinde ſubſecuturam Scholaſticam per reverendiſſimum virum fratrem Ludvicum aſſecurare, ut pariter in regionem longinquam profecturi mutuis conſoverent ſolaciis. Sanè ſepulcrum hujus piæ Scholaſticæ abbatiſſa ornari fecit lapide, ejusdem imagine vivaciter inſculpto; venerabilis ac generoſa Domina Urſula ejusdem eccleſiæ Præpoſitiſſa, quæ quam venerabiliter dilexerit viventem, oſtendit ex pietatibus, quas devotiſſime impendit defunctæ cum etiam non participet in fructibus eorum, quæ pia conquiſivit eccleſia ſuæ. Scholaſtica ipſa tamen memor ſollicitudinis dilectionis cæterorumque beneficiorum illius veluti grata matri filia annuam eidem ſolenniter fieri per clerum & canoniſas conſtituit memoriam, licet hanc gratitudinis viciſſitudinem eidem juſtiſſimè impenderet Abbatiſſa quæ ſuccedit officio, beneficiis & fructu. Denique & ſepulcrum ejusdem piæ Scholaſticæ hoc decoratur epigrammate elegiacis decurrens verſibus. Huc usque *Baſſæus* cujus verba plura adducere, ut memoria illuſtriſſimæ virginis ex Principali Anhaltina domo conſervaretur, volui.

Et hic finire has notas, & nihil amplius addere, decreveram, cum in manus meas incidit Hiſtoria Gerenrodenſis Monaſterii ex Chronico *Jacobi Schopperi*, Theologiæ Doctoris, MSta & quidem Germanico ſermone, quam in fine ſcribit, ſe in anguſtum contraxiſſe ex Chronico Dithmari & MSto quodam Chronico. Ex quo mihi ſtatim in initio dubium de nomine Auctoris noſtri natum. In MStis enim Annalibus in principio M. Andream Poppenrodium, & deinde etiam Diaconum eodem modo vocari & ſcribi, ipſus agnovi, hariolatus tamen ſum, rectius ſcribi Andream Hoppenrodium & eſſe eundem cum Auctore Genealogiarum. Jam

vero illam conjecturam meam non ſatis firmo fundamento niti obſervavi. *Schopperus* enim, qui hiſtoriam ſuam in anno 1568. finit, in Annæ Kitliciæ rebus explicandis, notat *poſt obitum Nicolai Mylii Witebergâ vocatum eſſe Andream Poppenrode qui de hac Eccleſia multas notitias collegerit*, qui ſine dubio eſt ipſe ille Annalium Gerenrodenſium conſcriptor, qui tamen à *Schoppero* pariter ac in *Annalibus*, non *Hoppenrodius*, ſed *Poppenrodius* ſcribitur. Quomodocunque autem nomen ejus ſeſe habeat, ſufficit, quæ ab eo de rebus Gerenrodenſibus congeſta, adhuc ſupereſſe & publicari. Statim autem in hoc *Schoppero* inquiſivi, quam ille poſt *Hedwigin* quintam Abbatiſſam ſexto loco numeraſſet, cum ibi in Annalibus Gerenrodenſibus defectus aliquis ſit; verum ille etiam ſextæ & ſeptimæ Abbatiſſæ nomen ignorari ſcribit, & Adelheiden de Bürne octavam facit, quæ Annalibus ſeptima eſt. Interim hic inter *Hedwigin* & *Albeidin* inferendam eſſe Abbatiſſam *Rikinzam*, videor me clarè docere poſſe, ex Tabulis ab ea datis Monaſterio Mariæ Fontano, altero à nobis milliari, quas proinde integras hîc deſcribam, uti inveni: *In nomine ſancte & individue Trinitatis. Ego RIKINZA ABBATISSA in Gerenrode, omnibus fidelibus hoc ſcriptum ad quos pervenit, perpetuam in Domino ſalutem. Ut mutuis fidelium hominum negotiis juſto ac devoto ratiocinationis ordine peractis nec littera oblivionis officiat, nec contraire volentium maligna facultas obſiſtat, expedit quàm plurimum ſcripti diligentis adhibito providè cavere ſuffragio. Noverit igitur tam præſentium univerſitas, quàm futurorum ſucceſſura poſteritas, quod tres manſos in Paddenſtede ad adminiſtrationem luminarium Capellæ S. Mariæ in Gerenroth attinentes domui hoſpitalis in loco, qui Fons S. Mariæ dicitur, ſub tali juris conditione poſſidendos induiſimus, ut per ſingulos quatuor annos poſt hujus contractus annum proximos, à præfata Hoſpitali domo novem ſolidi Magdeburgenſis monete in feſto dominorum perſolvantur evoluto autem quadriennio conſequenter duodecim ſolidi ſingulis annis prædicto tempore præfate monete præmemorate capelle impendantur. Ut autem facti hujus ſeries recenter in memoria vigeat, nec adverſus eam iniquorum calumnia prævaleat, hanc inde chartam conſcribi fecimus, & Sigilli noſtri teſtimonio eam communivimus. Acta ſunt hæc Gerenroth, anno incarnationis Dominicæ MCCV. indictione quarta, cum laudamento & aſſenſu Osbudris cuſtodis, qui tunc temporis in procuratione capellam S. Marie habebat. Giſla præpoſita, Mechtilde decana, & toto dominarum noſtrarum conventu præſente, cum ſubnotatis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt, Henricus Cappellanus curiæ noſtræ & Canonicus S. Cyriaci Martyris Bartoldus cuſtos. Criſtianus ſacerdos. Cono ſacerdos. Fredericus ſacerdos Paulus Diaconus Ericus Subdiaconus Johannes Subdiaconus cum prædictis Canonicis Sancti Cyriaci interfuerunt huic contractui complures alii de familia Eccleſiæ noſtre bone opinionis viri.* Ex quibus tabulis reſtituitur memoria Abbatiſſæ *Rikinſæ*, ipſis Gerenrodenſibus ignotæ, ſimul etiam aliæ inter teſtes, ut Mechtildis Decana, ſine dubio illa, quæ dein facta eſt Abbatiſſa, quamque Sereniſſimæ Ducum Brunſvicenſium Domui ſupra aſſerui. Ex qua tamen familia oriunda fuerit *Rikinſa*, juxta cum ignariſſimis ſcio.

Poſt *Brigittam de Oſle* non minorem defectum aliquot Abbatiſſarum in *Schopperi Chronico* deprehendo, quàm in Annalibus, putatque ille negligentis hujus annotationis cauſam fuiſſe diſſidium inter Cæſarem & Papam Romanum propter Inveſtituras Epiſcoporum & prælatorum, durante etiam bello inter Fridericum Auſtriacum & Ludovicum Bavarum. Sub Abbatiſſa Adelheide Anhaltina ſcribit *Schopperus*, dominium, quod illa habuiſſet in Egeln, perveniſſe ad Principem Albertum de Anhalt per pactum Abbatiſſæ.

Sub *Adelheide de Waldis* litem fuiſſe Abbatiſſæ cum Decano S. Cyriaci in urbe Brunſviga, quæ tamen compoſita fuerit, notat *Schopperus*.

Sub *Bertrada de Snaudit* notat *Schopperus*, Principem Bernhardum de Anhalt confirmaſſe *Jano de Niendorp* Donationem in Opperode, & Janum de Niendorp pincernam hæreditarium Ducatus Brunſvicenſis fateri hanc donationem Eccleſiæ Gerenrodenſi factam.

Margaretam Merwitziam ſcribit *Schopperus* aliàs vocari Margaretam de Torgaw.

Poſt *Scholaſticam*, dignitatem oblatam *Margaretæ de Warberg*, notatur in Annalibus, ſed *Schopperus* addit, eam abiiſſe domum ad Henricum de Warberg, fratrem ſuum. Et ſic tandem Te dimitto, Benevole Lector, & valere jubeo.

Fr. HEN-

FR. HENRICI BODONIS;
In Cœnobio Clusâ Monachi
Benedictini

SYNTAGMA

De conſtructione cænobii Gandeſiani, perfectione quoque & defectione ejusdem.

Proëmium in Syntagma de conſtructione cœnobii Gandeſiani, perfectione quoque & defectione ejus, Fr. Henrici Bodonis monachi Cluſenſis.

Cum optimi cujusque viri ſenſus non ita optimis etiam ciborum ferculis, ſicut rerum probè geſtarum, lectione reficiantur, ut majorum ſuorum factis ſemper, vel cohortetur, vel admoneatur poſteritas, cogitabo, venerabili domino & præceptore meo abbate Conrado jubente, de eccleſiæ Gandeſianæ fundatione nonnihil commendare litteris, quod vel frugi poſteris vel delectabile lectori foret. Id autem ut poſſem, opuſculum illud illuſtriſſimæ fœminæ Hroſuitæ, in quo eccleſiæ memoratæ fundationem heroico canit carmine, fateor me plurimum juvit. Hoc namque poſt ſexcentos annos (neſcio quo ſydere nobis favente) pulveris ex ſinu levatum, plurimorum de ipſâ eccleſiâ non rectè blatterantium & ignota defendentium opinionem & aſſertionem fortiter abigens, & prorſus refutans, palàm cunctis facit, cœnobium ſacratarum Deo virginum fuiſſe. Taceo quòd & ipſa Poëtis bonorum memoriâ digna, ſe non uno in loco ſcribit & appellat monialem. Nihil proinde veri continet, quòd de eccleſiâ Gandeſianâ & illi ſimilibus & quidem plurimis, vel dicitur, vel ſcribitur ſcriptumque invenitur, quòd ſcilicet fœminulis fuerint conſtructæ ſub tamen quadam cœnobiali cenſurâ ad pudicitiæ tantummodo cuſtodiam, unde quando libuiſſet nubere illis viris liceret. Id ut verum comprobetur fundationis litteræ & locis conceſſa privilegia in vulgum populentur, & quæ à populo dicuntur fore nulla omnino apparebit. Verum vulpeculæ doloſæ vel carnalis concupiſcentiæ, vel faſtus ambitionisve ſecularis dum vineam demolientes cœnobialis vitæ radices abruperunt, & exortis vepribus & ſpinis quædam priſcorum, ut præ oculis eſt, labruſca remanſit. Quæ enim, dum cœnobialis illic perfectio floruerat, vitia fuiſſent, illa modò habentur mores. Et quis non conſummatam eſſe infelicitatem judicabit? quandoquidem non modo quæ mala ſunt delectant, ſed etiam placent, at viderint... Cæterùm ut quod cordi fuerat ad rem conferre poſſem, quâ potui diligentiâ in modum argutæ apis flores plurimos depaſcentis vetuſtiſſimos codices perluſtrando ſcrutari haud deſtiti, ſi quid obvium fortaſſis mihi fieret, quod ad ſcopum noſtrum pertineret. Dumque parvula initia pertinaci (ut hominum mos eſt) perſequerer ſtudio, faventibus & occurrentibus aſtris, tam eccleſiæ fundationis, quàm etiam donationum multarum litteræ in manus noſtras pervenere, quibus apprimè delectatus, rem quam quidem volebam, at quomodo poſſem dubitaveram, aggreſſus & feliciter adorſus, ab initio fundationis eccleſiæ ad noſtrum usque ævum de illis, quæ notitiæ noſtræ oblata fuere, hiſtoriam texui, quâ omnibus præſentibus & futuris quàm fortuna paſſibus erret ambiguis, & quàm multo in loco humanæ res immotæ perſeverent, ſatisſuperque relucebit. Rerum namque mundalium flos eſt caducus, & quaſi ſtipulæ flamma levis: læta facilè mutantur, inimica autem & ſuccedunt, & tenatiùs hærent. Rogatum verò pium lectorem velim ne ad inconcinnam ſententiarum compoſitionem, naſum ruget, neque ſupercilium ducat. Mediis

enim

enim (ut ita dicam) incudibus opus hoc ablatum reformatione caruit, & ſemper ſcriptis noſtris ultima linea defuit, cùm politiori ſermoni operam impertiri ſimplicitas, quæ bonitatem decet, laboret nunquam. Nolui certè ea quæ didici, vel quæ poſteritati conducere judicavi, obliterari, malens inſcitiæ meæ mihi teſtis eſſe ad poſteros, quam illorum, vel voluptati, vel utilitati morem non gerere. Quæ igitur codiculo hoc congeſſi, animo illis gratificandi elaboravi, ea humili pectore offerens emendanda lectori. Balbus ego loqui balbis ſtatui, magis quàm omnino tacere, reputans mecum, quòd aliquis fortaſſis veniet, qui robore ſpiritus, & loquendi & dicendi artis peritior, noſtris ruditatem auferet, in ſuumque Demoſthenis oleo nitentem loquendi modum transponet. Et illi me miniſtraſſe haud pœnitebit, noſtraque ipſe ita ſuſcipiat rogaverim, ut tabellionum prothocolla. Habet quidem eccleſia Gandeſiana aliquot abbatiſſarum nomina cum annorum numero, quo præfuerunt, aſſignato libris, at omnino fallunt tam annorum numero, quàm regiminis ordine. Tertiæ namque loci abbatiſſæ numero plus duplicato regiminis annos aſſignant. Magis illuſtri Hroſuitæ credendum eſt, quæ ſub ſeptimâ loci abbatiſſâ ſcripſit, quàm illis, quæ unde emerſerint, neſcitur. Diverſos abbatiſſarum vidi catalogos, & quàm diverſos, tam etiam varios, & ut de cœteris taceam, nomen Athelheidis tertiæ nusquam ſuum vidi tenere locum: aut enim immediatè ſequitur ſororem ſcilicet Beatricem, aut una, quod magis miror, deeſt. Verùm ordinis veri, nullus fidelior teſtis, quam privilegia noſtra auctoritate fulta, quibus magis ſtandum & abſque etiam ullâ hæſitatione credendum, quàm ſchedulis auctore carentibus, nemo eſt, qui intelligere non poſſit. Portò autem ipſi illuſtriſſimæ Dominæ Adelheidi fundatrici noſtræ annum 1124. fundationis Cluſini cænobii literæ aſſignant, viceſimum verò ſextum ſupra milleſimum centeſimum Barthæ primæ, unde liquidò apparet inter illas nullam abbatiſſarum regimen adminiſtraſſe. Vale lector mi candide 1531.

Incipit Fr. Hent. Bodonis de eccleſiâ Gandeſimâ Syntagma.

Scripturo mihi de matre noſtrâ eccleſiâ Gandeſianâ, primum illius fundatorem ut abſoluam opus eſſe judicans, ad illius & nomen & genus memorandum me converto. Et quidem fundatori nomen *Luthbolphus* fuit, genus autem ex Saxonum principibus, quin imo *Saxonum ipſe Dux*, princepsque potentiſſimus, utpote cui ex Widekindo Saxonum principe, (quem invictiſſimus licet Carolus Magnus poſt annos 30. quàm armis fatigaverat, vix in deditionem cogere valuit) origo fuit. Et ſupervacaneum, nulliusque momenti æſtimavi, viro huic nobilitate clariſſimo ab avorum & atavorum (Rhetorum more) potentatu vel dominatu laudem venari. Non enim hic ramus aut ſterilis eſt, aut infœcundus, cui ex radicibus laudum fructus ſit quærendus. Licet namque ex poteniſſimis ut dictum eſt, exortus ſit ipſe, tamen potentiſſimus potentiores (ut ita dixerim) genuit, non ſolum Saxoniæ Duces ſed etiam Romani Imperii moderatores potentiſſimos, ut ex ſequentibus patebit. Unde factum eſt, quod in trunco ſive in radice non invenias, mireris in ramis. Totius itaque Saxoniæ Dux & princeps *Ludolfus ex patre Brunone*, quàm fuit genere nobilis, tam bonitate & vitæ moribus etiam claruit. Dum totius Saxoniæ dicitur, meminiſſe debuiſti Saxoniam & orientalem & occidentalem. Orientalis Albiam attingit. Occidentalis autem Weſtfaliam continet, cujus Ducatus ab Angriâ nomen habet. Concurrunt utraque ſimul ad mare usque unde Lubecæ eccleſiam majorem longo poſt tempore Henricus Dux Saxoniæ princeps Brunſuicenſis fundavit. Occidentalis autem Saxonia ab eventu nomen aliud habet, ob frequentem à fide, quam coacti ſuſcepere, defectionem à Carolo M. ſibi editum dicente *Weſtenfeilt* unde *Weſtfalia*. Utrâque Saxonia Lutholfus princeps potitus filiam nobiliſſimi principis Francigenarum duxit uxorem *Odam* nomine. Principis nomen *Billung*: dominæ autem ſive matris Odæ vocabulum, ſi non malè characteribus fallor, Proda fuit. Et quidem Oda Illuſtris fœmina, quam nobilitate ſplenduit generis, tam etiam virtutibus & certè omnivariis coruſca enituit. Quem autem à matre edocta virtutis cul-

tis cultum didicit & coram poſtea coluit, haud Saxoniæ inuecta dereliquit. Illuſtriſſima illius genitrix Deo devotiſſima non interdiu ſolum orationibus vacavit, ſed etiam nocturni temporis quietem proterens, Deo precibus appropinquavit ſeſe, ac vitam ſuoſque illius moderationi recommendans omnibus ſuis inprecibus Divi Joannis Baptiſtæ meritis & interceſſionibus ſe adjuvari exoravit, Quadam igitur nocte dumante aram Divi Joannis ſuæ devotionis ſacrificium omnium gubernatori Deo offerret, & cœli penetralia pulſare videretur, illius, quem precum ſuarum mediatorem invocavit, apparitione futura edoceri meruit. Quia, inquit, crebra depoſcis prece meis te meritis adjuvari, prænuncio tibi progeniem tuam c. nobium nobile ſacris virginibus ac Deo ſponſatis erecturam, tuamque progeniem auguſtalem altitudinem aſcenſuram, ac potentiſſimè orbi dominaturam. Eo ſolamine ſibi devotam Baptiſta Chriſti roboratam relinquens ætherias ſedes repetivit.

Genuit autem Ludolfus inclytus Princeps ex Odâ illuſtri uxore filios *Brunonem & Ottonem*, filias quatuor *Hatbumodam*, *Garburgam*, *Ludgardam*, & *Chriſtinam.* Porrò illuſtris fœmina Oda viſionem, quam à matre edocta fuerat, pectore clauſam tenuit. Tempore aliquando arridente in mentem revocans, de cœnobii conſtructione varia ſecum volutavit. Tandem piiſſimum principem Ludolphum ſuper re iſta convenit, devota Deo devotum, bene cupiens de Deo mereri bene cupientem, & gratificari optantem pulſavit, & facillimè, quod voluit, principi perſuaſit. Una enim anima ambobus fuit, unus ad Deum affectus duobus. Inito ad rem feliciter auſpicandam cum Antiſtite Hildeſianorum *Altrifrido* ſecretius quodam conſilio, in propriâ hereditate loco omnibus noto *Bruntcsbuſen* ſanctimonialium ædificavit monaſterium, atque bonis ditavit in honorem ſanctorum Joannis Baptiſtæ ac prothomartyris Stephani. Quod ubi fundavit Romam unà cum ſuâ conjuge adire deliberavit, ad monaſterii fundati tutelam etiam à Papà acquirendam, & omnium donatorum confirmationem irrevocabilem ſtatuendam. Acceptis proinde à rege Ludvico litteris commendatitiis, ad Sergium Papam iter minimè diſtulit, ſed devote conceptum fervorem devotius adimplevit, Papæ quoque acceptiſſimus, omnium quæ petivit compos evaſit. Hujus quidem teſtes litteras principis hìc ponere placuit. *Quia ſcriptum eſt, precium animæ viri divitiæ ejus: idcirco ego Lutholphus Saxoniæ Dux notum eſſe cupio omnibus Chriſti fidelibus, tam præſentibus quàm futuris, quòd ego poſt incoationem monaſterii puellarum, quod divinâ inſpiratione commonitus, ſimulque dilectæ conjugis meæ Odæ ſ vadelâ inductus, in honorem præcurſoris Stephanique protomartyris in Bruntesbuſen ædificare cœpi litteris Domini noſtri Ludvici Romanorum regis invictisſimi ad Sanctisſimum Sergium Papam acceptis, cum prædictâ conjuge meâ, anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo quinquageſimo tertio. indictione prima, Romam ivi & in præſentiâ ipſius ſummi Pontificis prænominatum monaſterium & omnem proprietatis meæ bereditatem, quam babui, videlicet Gandesbemiâ marcu, & Alumge marcu & Raderinge marcu & Benabia marcu, & Lankidorp marcu. & alia loca piurima cum familiabus utriusque ſexus, apoſtolorum principi pro remedio animæ meæ, & eorum ſimul, quorum debitor extiti, in jus & proprietatem tradidi: ſanctorum etiam Romanorum Pontificum Anaſtaſii & Innocentii pignora glorioſa nobiſcum deportanda pio nobis caritatis affectu tradens, petiit & accepit à nobis promiſſum, eccleſiam in bonore prædictorum confeſſorum ædificandam, & lumen ante ipſorum pignora indefi:ienter adminiſtrandum. Ut autem bæc omnia per ſuccedentia ſibi ſecuta firma & indiſſolubilia perſiſtant, privilegium plenæ ac perpetuæ libertatis in papyro conſcriptum, ubi omnia prædicta continentur, monaſterio noſtro liberè utendum contradidit. Nos etiam in continenti, duas ſtolas albas triginta aureis intextas . eidem beato Sergio tradidimus, ſtatuentes, ut abbatiſſa, quæ pro tempore fuerit, eundem cenſum ſanctæ Romanæ eccleſiæ in ſignum libertatis ſingulis annis perſolvat. Cum autem divinâ cooperante gratiâ proſpere domum rediisſemus, gratanter à ſancto Collegio recepti. eundem locum ſacro Collegio puellarum videntes nimis anguſtum in quadam ſylva bereditatis noſtræ, juxta fluvium Gande qui alio nomine Echterna dicitur, anno ab incarnatione Dominicâ octingenteſimo quinquageſimò Sexto, Indictione quàrtâ, eccleſiam inhonore prædictorum confeſſorum, non longe à loco priore, celebriori ædificio conſtruximus. Precamur igitur vos legentes noſtræ bujus donationis paginam, ut cœleſtis regni clavigerum pro nobis ſup-*

pliciter exoretis, quatenus poſt funera carnis noſtræ Paradiſi januas traditâ ſibi poteſtate nobis aperiat, atque in extremo judicio ad tribunal æterni judicis ſupplex nobis advocatus exiſtat, omnium ſanctorum interventione, Amen.

De cœnobii fundandi loco divinitus monſtrato.

Reverſus ad lares proprios laudabilem virginum adunavit chorum regi ſummo deſponſandarum, quibus filiam ſuam Hathummodam, aliàs jam benè vitam cœnobialem dictam, & Altfridi Epiſcopi Hildeſianorum benedictione in abbatiſſam conſecratam, præfecit. Deinde animo admodum ſagaci locum, quo eccleſiam ſive cœnobium majus priore ædificare poſſet, exploravit, & divinis obſequiis illud mancipare ad honorem Sanctorum Anaſtaſii & Innocentii Pontificum. Quod autem in hereditate propriâ ædificaſſe dicitur, eo eſt, quòd habitationis propriæ locum ad conſtruendum locum delegit. Eum namque locum, qui hodie usque Lutolveſſem dicitur, manſionis placitæ terminum habuit principi benè adornatum, & aulis bene excultum, de quo in divi Georgii martyris eccleſiâ acceſſum & facilem & expeditum habuit. Ab ipſâ enim aulâ ſuâ tranſitum fieri fecit ad ſummi regis aulam ducentem. Aſtipulatur dictis Hroſuita cœnobii ejusdem virgo, in ſuo de conſtructione monaſterii Gandeſiani poëmate. Cum autem pagum, vel, ut dicimus, villulam exiguam inter umbroſos colles trans Ganden omnia vaſtiſſimâ ſylvâ occupante haberet, quo ſeſe ſetigeri gregis cuſtodes ex more reciperent, & tam laſſis membris ſuis quietem, quàm gregibus contra beſtiarum incurſus ſecuritatem capeſſerent, contigit biduo ante omnium Sanctorum celebritatem ut ipſi ſubulci dum nocturno tempore ſcrofis ſive porcis curam impenderent, maximo cum ſtupore plurimis (ut videre videbantur) lucernulis ſiluam denſiſſimam nemusque opacum oppleri, coruſco admodum ſplendore funeſtas tetræ noctis tenebras fugatas, admirabantur. Quam viſionem cum patri domus annunciaſſent, demonſtrato illi loco, quem lux ipſa perfuderat, incommune vigilare ſtatuerunt, & illi quidem, ſi iterum eadem contingerent, ille verò, ſi vera indicaſſent, experiri cupientes. Inſomnem itaque ſequentem ducentes noctem, ecce accenſas iterum lucernulas & numero auctas quidem videre, illarumque ſplendore non ſecus atque auricomus ipſe Phœbus locum præfudiſſet radiis tenebras ceſſiſſe. Hujus viſionis ordinem dum omnium ad aures fama portaſſet, illuſtris principis notitiam fugere haud quivit: & quidem tacuit, at intimo corde rem conſideravit. Nocte igitur celebritatis, multis ſibi junctis longiſſimo intuitu contemplabatur certior fieri cupiens, res ipſa ſi tertiò appareret. Nec mora, poſteaquam enim nemus teterrima nox omnium oculis abſcondiſſet, eum locum, quo cœnobium fundandum divina electio eligerat, pulcherrimo ordine plurima circum dederunt luminaria, quæ tanta luce coruſcabant, ut non horrendas ſolùm tenebras loco pepuliſſent, ſed etiam umbras ipſas arboreas abſtuliſſent. Hæc ubi princeps clariſſimus cum adjunctis ſibi clariſſimè perſpexiſſet, gratias Deo egit, utpote qui tali ſigno de eccleſiæ fundandæ loco cogitantem ſignatus fuiſſet. Haud enim dubitavit eum locum ſanctificandum quem ita luce inſolitâ jam tertiò demonſtraſſet. Eam ob rem electiſſimæ conjugis ſuæ illuſtris Odæ conſenſu mox operarios accivit plurimos, & locum quem cœlitus lux miſſa circumdederat aggredi juſſit, arbores ſuccidere, vepres ſpinasque evellere mandavit. Mundato dein loco, & omnibus obſtantibus erutis, eccleſiæ ædificandæ operam impertitur diligentem, atque divino amore flagrans opus acceleravit.

De lapidibus ad fabricam neceſſariis cœlitus proditis.

Interea cùm ad fabricam convenientes non poſſent nanciſci lapides, ob idque templi opus inceptum moraretur, illuſtris fœmina Hathumoda loci prima abbatiſſa, mœſto valde animo tulit moram, timens ne lapidum defectu ab intentionis magnitudine fundantium locum animus reſiliret. Quam ob cauſſam, tam nocte, quam die multo ſe frangebat labore, ſummi opificis thronum usque devoto corde adiens & illius orans omni potentem poteſtatem Credidit enim ſe fide firmâ & non intermiſſâ precum inſtantiâ illius opem in re tam arduâ ſibi impetraturam. Utque multiplicatis precibus citius divinum auxilium mereretur, ſubjectis ſibi ſororibus junctis

Digitized by Google

ctis intimè poſtulavit cœlitus ſolamen ferri, quibus ad bene cœpta perficienda penè nihil ſupereſſe humani conſilii videretur. Nec mora, quam tam fidenter quærebat pietatem promptulam adeſſe meruit experiri. Poſt enim jejunia, poſt preces devotas, cum die quadam ante altare petitam opem ne largitas divina protelaret, devotis precibus & lacrymis precaretur dulciſonæ cujuſpiam vocis ſuſurro, quam lapidi inſidentem progreſſu eſſet offenſura admonetur ſequi alitem. Quam admonitionem devoto pectore gratulabunda complectens, & exſurgens locoque diſcedens, ad cœptam templi fabricam properavit. Deinde accerſitis ad ſe cementariis, jubet ſequantur ſe præeuntem. Cum autem ſaxum magnum ſibi in viſione deſignatum haut procul vidiſſet, candidulam in eo ſedentem columbam conſpexit. Ubi verò ad ſaxum usque veniſſet ales, perinde atque diceret venite, levi alarum volatu deferens volitare ante eos cœpit, ſuumque volatum gradientibus contemperans in montem usque perduxit. Quò cum perveniſſent, columba reſedit, & illis aſpicientibus humum roſtro percuſſit, ſub cujus aggere lapides latuerunt hominum cogniti nulli, & perfuncta officio ales diſparuit. Tunc Chriſti virguncula locum emundari juſſit, tellurisque admodum molem tollere, divini promiſſi credula præcepit. Quo facto theſaurus eousque incognitus apparuit, tanta videlicet petrarum abundantia, ut non ad templum ſolum ſufficiens foret, verum etiam ad totius cœnobii perfectum usque conſummationem omnium judicio ſatis ſuperque eſſet. Locus autem ille, quo lapides tollebantur in eccleſiæ fabricam, mons iſte & locus eſt, ubi modò rei dignâ animadverſione plectuntur, & malam videmus crucem erectam: cumque lapidum ad omne votum cementariis copia miniſtraretur, multo conamine opus cœptum acceleravere.

De morte Ducis Lutholfi fundatoris.

Interea temporis inclytus princeps Lutholphus, qui Deo in terris domum fundaverat, ad domum non manu factam in cœlo vocatur: Sicq; qui magno licet animi deſiderio eccleſiam illam atque cœnobium ædificare cœpiſſet, non tamen perfecit, impiâ ſorore illius vitæ ſtamina rumpente. Hic tamen, cùm lecto procumberet, electiſſimæ conjugi ſuæ Odæ, nec non filiis ſuis cariſſimis, Ducibus Brunoni & Ottoni, omnem ſtructuram cœnobii & eccleſiæ commiſit, & ne quid moræ in his paterentur mandavit: Sicque plurimorum cum dolore rebus valefecit humanis, non dubium de morte ad vitam transmigrans æternam. Sepultus fuit in eccleſiâ Brunteshuſenſis cœnobii, donationis autem per ſe factæ cum Papæ conſenſu litteras dedit.

Donationis per Ducem Lutholphum factæ indices litteræ.

Quia ſcriptum eſt, precium animæ viri divitiæ ejus, idcirco ego Lutholphus ſimul cum conjuge meâ Odâ, quandam hereditatis noſtræ partem Dei ancillis tradendam pro redemtione animæ noſtræ, & eorum ſimul, quibus debitores ſumus judicavi. Proinde omnes ubique in Chriſto fideles tam præſentes, quàm futuros noſſe volo, me ad eccleſiam Gandersheimenſem ſanctimonialibus ibidem Deo ſervientibus tradidiſſe quicquid in Gandersheimia marcu, & in Runderiâ marcu habui, in terris; in ſylvis, campis pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, propriis vel communibus domibus ædificiis vel priùs habitis, vel poſtea conſtructis mancipiis quoq; diverſi generis, vel conditionis, mobilibus & immobilibus, & in quibuscunq; rebus cum omni integritate eorum. Et ut hæc traditio firmior eſſet, & indiſſolubilem per ſuccedentia ſibi ſecula auctoritatem habere poſſet, filiam meam Hathumodam nomine, ſacro velamine ibidem conſecrari faciens, tam Imperiali auctoritate, quam ſedis apoſtolicæ litteris, & Epiſcopali benedictione muniri curavi, & ſanctorum Chriſti confeſſorum Anaſtaſii Papæ & Innocentii corporibus & tam ſancti Salvatoris, quàm ejus ſanctæ genitricis & duodecim apoſtolorum dignis reliquiis, à venerabili Papâ Sergio acceptis, adornare ſtudui. Cujus litteras quamvis in Papyro ſecundum priſtinam Apoſtolicæ ſedis conſuetudinem ſcriptas habeamus, hic tamen propter illos, qui illas habere non poſſunt, ponere dignum duxi. Unde parum perlegentes, vel audientes, à me ad illius verba ſe convertant Sergius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus venerabilibus confratribus noſtris archiepiſcopis, ſeu reverendiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, religioſis abbatibus, clericis, comi-

tibus, atq; cunctis fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ præſentibus & futuris. Omnis itaque Chriſtianorum militia ſciat, ac ſine ullâ dubitatione indubitanter agnoſcat, quia mandante nobis Domino atq; invictiſſimo rege noſtro Ludvico, ut pro cœnobio quod avus & poſteà ejus cariſſimus genitor in honore omnipotentis Dei dedicaverunt ad eundem ſanctum locum de ſanctorum Chriſti corporibus mandare deberemus: Pro quâ videlicet petitione congruâ & ſatis juſtâ, hunc venerabilem & glorioſum Comitem Luthólphum nomine, qui eidem loco ſacro præeſt, cum Imperiali Epiſtolâ ad nos dirigere ſtuduit. Nos quoq; tam ſaluberrimam dignamq; poſtulationem cum magnâ lætitiâ & exſultatione ſuſcepimus ac pro ſalute patriæ ac magno caritatis amore, quam erga Chriſtianiſſimum Imperatorem & dominum noſtrum habemus, beatiſſimorum Chriſti præſulum Innocentii & Anaſtaſii Papæ, nec non reliquias Domini ac ſalvatoris noſtri, ſanctæq; ejus Genitricis Mariæ, atq; duodecim apoſtolorum, ad prædictum ſanctum locum deferenda libenter præbuimus. Propterea has vobis omnibus in Chriſto piè viventibus noſtras Apoſtolicas litteras monſtrari juſſimus, ut non (quod abſit) increduli, ſed modis omnibus exiſtat veratenus, quòd nos prædicto huic Lutholpho glorioſo Comiti prædictorum ſanctorum corpora Innocentii & Anaſtaſii Papæ ſive reliquias dedimus. Hæc ſunt verba epiſtolæ, quam mihi venerabilis Papa Sergius in papyro, ut diximus, ſcriptam & ſuo ſigillo munitam dedit: quam ità ideo huic traditioni meæ inſerere volui, ut quicunque legerit ſciat, vel quantâ auctoritate locus iſte in monaſterium ſit fundatus & conſecratus: vel quorum ſanctorum corporibus & pignoribus illuſtratus: vel ad quorum ſanctorum memoriam hæc mea traditio, quam ad eccleſiam Gandesheменſem ancillarum Dei deputavi, ſit facta.

De Odæ Ducis Ludolphi relictæ proceſſu.

Tranſlato ad cœlorum regna inclyto principe ac Duce Lutholpho, illuſtris ejus conjunx ſemper Deo devota devotius ſe gerebat, & cariſſimis filiabus ſe adjunxit, unà cum illis, quod ab ipſis fieri voluit, Deo placere ſtudens. Cœnobio filiæ præfuêrunt, illæ filiabus, & omni ſtudio quicquid Deo famulaturis neceſſarium vel judicavit vel perſpexit, id procurare & Deo ad cœnobium perficiendum ſategit providere. Interea temporis caram Odæ filiam, Lutgarden nomine, rex Francorum Ludvicus ſponſam poſtulavit, & conjugem atque reginam duxit in cœnobii Gandeſienſis bonum.

De Hathumodæ primæ abbatiſſæ obitu & Garburgis primæ electione,

Illuſtriſſima Domina bonorumque memoriâ digna filia Odæ & sereniſſimi principis Lutholphi Hathumoda, poſtquam viginti duobus annis virginibus Chriſti pia mater præfuiſſet, diem ſuum obivit extremum, ſuæ ſorori Garburgi ſedem regiminis dimittens. Erat quidem ipſa Garburgis potenti cuidam Bernrado deſponſata, & ut ſponſa, quantùm honeſtas expoſtulavit, veſtita quidem fuit, ſed animo non hæſit illi ſponſus, unde nuptiis renuncians ſe Deo devovit. Quod ubi ſponſus reſcivit, Gandeshemiam veniens ſponſæ requirit Colloquia. Recuſat illa, importunius ille agit: matris illa tandem mandatis obtemperans ora præbet, Ad quam ita exorditur: famâ, & ut videre videor, non mentiente didici te niti noſtrum diſrumpere pactum, atque fœdifragam ſolvere promiſſum, Id te ſcire volo, quòd cum ſoſpes revertar è bello, ad quod ſenioris noſtri regis juſſu accelero, te mihi ſociabo etiam invitam, & tuum peſſundabo votum. Dixerat & mente leviuſculâ caput jactans & ora, per ſuum & gladium & candidulum jurat collum, verba quæ dixiſſet ad rem citiùs collaturum. Cui voce ſubmiſſiore Garburgis reſpondit: Chriſti & voluntati & protectioni me committo: ſic mihi fiat, ut ipſe decreverit. Abſceſſit, bellum intravit, citò ſenſit non rectè ſe locutum. Qui enim virginem alto voluit detrudere propoſito equo dejectus finem illis vitæ accepit. Sicque virgo Chriſti amori juncta in illius deſponſatione permanſit, mater & magiſtra illis facta, quæ ad Gandeſianum confluxerant cœnobium.

De Brunone & Ottone Filiis Lutholphi Ducis.

Patre ac illuſtriſſimo principe Lutholpho vitâ perfuncto, *Bruno* filius illius natu gran-

tu grandior terræ Ducatum ſuſcepit, & una cum fratre Ottone ad opus inceptum quicquid neceſſarium videbatur, ſuppeditavit. Idem quoque Bruno cum fratre Ottone Ludvicum regem Franciæ orientalis, ad quem tunc Saxonia ſpectabat, adivit, & uno ſimul animo ipſum cœnobium Gandeſianum cum omnibus illius poſſeſſionibus ipſi regi atque Imperio tradentes tuendum, & ſummâ videlicet auctoritate defenſandum, perpetuò commiſerunt. Quod piiſſimus rex aſſumtum ſequenti privilegio donavit.

Privilegium Regis Ludvici,

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Ludvicus divinâ favente gratia Rex. Si liberalitatis noſtræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus, & neceſſitates eccleſiaſticas noſtro ſublevemus juvamine, atq; regali tueamur emunitione, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam, & ad æternam feliciter obtinendam profuturum, liquidò credimus. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quàm futurorum, induſtria, qualiter Bruno & Otto noſtri fideles comites, in procerum noſtrorum præſentiâ tradiderunt nobis quoddam monaſterium, quod dicitur Gandesheim, quod Ludolf eorum genitor in primis ædificare cœpit, & reliquias Sanctorum Chriſti confeſſorum Anaſtaſii & Innocentii ob honorem Chriſti illuc venire fecit quod eſt conſtructum in honore ſancti Stephani protomartyris Chriſti, & omnia, quæ ad idem monaſterium jure ac legitimè pertinere videntur, & cum Garburch ſoror eorundem Comitum ſanctimonialibus præeſſe videtur, eo videlicet rationis tenore, ut & præfatum monaſterium regio ſublevaretur munimine, & ſanctimoniales fœminæ ibidem Deo famulantes in noſtro conſiſterent patrocinio, & quamdiu in illorum progenie aliqua ſanctimonialis fœmina, quam vitæ religio & ſanctarum ſcripturarum inſtructio, & omnium bonorum morum commendet compoſitio, absque ullius perſonæ contradictione ſanctimonialibus fœminis eſſet prælata. Et ſi aliter (quod abſit) evenerit, quod talis in illà progenie inventa non eſſet, quæ præfatis ſcilicet virtutibus non ornata videretur, cæteræ ſanctimoinales fœminæ dignam Dei ſervitio, quamcunq; vellent, eligere inter illas poteſtatem haberent. Unde per hoc noſtræ auctoritatis præceptum decernimus atq; jubemus, ut præfati monaſterii ſanctimoniales fœminæ deſideratam à nobis, nullo inquietante, electionem obtineant, atque Imperialem in cunctis rebus, decimis & poſſeſſionibus quas nunc quolibet jure acquiſitionis poſſident, vel in futurum Deo opitulante habere debent per cuncta ſeculorum curricula firmam & immobilem teneant immunitatem. Et nullus princeps, vel alius quilibet exactor, judiciariam poteſtatem, vel freda exigenda, ſeu manſiones vel paratas faciendas in eodem monaſterio niſi ex conſenſu & petitione ejusdem monaſterii abbatiſſæ habere præſumat. Et homines illius abbatiſſæ, ſive liberi ſint, ſive ſervi, nulla judiciaria coërceantur poteſtate, ſed in præſentiâ ejusdem abbatiſſæ advocati, & eorum rectitudinem acquirant & cæterorum perficiant. Et ut hæc noſtræ auctoritatis conceſſionis & confirmationis firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus noſtris melius obſervetur, veriusque credatur, manu noſtrâ propriâ ſubter eam firmavimus & annuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Datum 6. Kalend. Febr. indictione decimâ anno dominicæ incarnationis octoginteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, anno primo Ludvici Sereniſſimi Regis in Orientali Franciâ regnantis. Actum Franconfurt in Dei nomine feliciter. Amen.

Signum Sereniſſimi 

Iſte Ludvicus filius fuit Ludvici regis Orientalis Franciæ: poſtea enim quàm miſerabili ſorte Ludvicus Caroli magni filius ipſum regnum Franciæ, quod Romanum in ſe habuit Imperium, filiis ſuis partiens, diem clauſiſſet extremum, ita partitum manſit ad usq; ultimum ex Caroli ſtirpe natum. Hic autem Ludovicus, qui hoc privilegium dedit, Ludvico & Carolo rege ac patre vitâ functo, cum fratribus Carolomanno paternum diviſit regnum Orientalis videlicet Franciæ, & in ſuam partem accepit Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & Lotharingiam. Hic illuſtriſſimorum Ducum Saxoniæ Brunonis & Ottonis ſororem Lutgardam nomine duxit in uxorem.

 De

De cruore ſancto Gandeſiam tranſlato.

Idem ſereniſſimus rex Ludvicus de Dominico cruore nonnihil habuit ad ſe uſque à majoribus deventum. Hunc cruorem maximâ habuit in reverentiâ, atque non ſecus atque precioſiſſimo illo gaudebat theſauro. Regina autem illuſtriſſima Lutgardis clanculum illum regis theſaurum abſtulit, fore magnum arbitrans, ſi tam precioſus ſanguis ad eccleſiam illam, quam pater ſuus in Gandesheim ædificaverat, transferretur. Quod ubi perfecit, regi tandem factum innotuit, qui ſatis anxiè tulit theſaurum ſibi precioſiſſimum ablatum, & plurimum ſcrutando, quis facti auctor fuiſſet, nitebatur explorare. Ubi verò reginæ anxio ſatis pectore factum indicavit, & tantum ſibi theſaurum ablatum plurimum quereretur, illa delinito illuſtriſſimi regis animo, ſe ſacrum cruorem non abſtuliſſe tantùm dixit; Sed & tutiori looo & ubi majori in reverentiâ haberetur collocaſſe affirmavit, in famigeratiſſimam ubique terrarum eccleſiam â patre ſuo ac principe Lutholpho in Gandesheim conſtructam Verbis ſuis illuſtriſſima fœmina regem vicit, & quem ad dandum ipſum ſacrum cruorem plurimis impellere non potuiſſet, ut ablatum Gandeſiamque transportatum, non ſolum grato portaret animo, verum etiam ut regiis locum ipſum ſacri cruoris reſpectu donariis cumularet, impetravit, ut in ſequenti patet privilegio.

Donationis regis Ludvici privilegium.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Ludvicus divinâ favente gratiâ rex. Si liberalitatis noſtræ munere locis Deo dicatis quiddam conficimus, & neceſſitates eccleſiaſticas noſtro ſublevamus juvamine, atque regali tuemur munitione, id nos & ad mortalem vitam corporaliter tranſigendam & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquidò credimus. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium, quam futurorum induſtria, qualiter nos pro remedio animarum piiſſimorum anteceſſorum auguſtorum, & ob noſtræ mercedis augmentum nec non pro dilectâ conjuge Lutgardâ ac cariſſimâ prole noſtrâ, quasdam res proprietatis noſtræ ad monaſterium, quod dicitur Gandesheim, conceſſimus quod eſt conſtructum in honore S. Stephani protomartyris, & in noſtro conſtat patrimonio, hoc eſt, in villâ, quæ dicitur Tengſtede, & in villâ, quæ dicitur Erike in pago, qui vocatur Sutburingiâ in Comitatu Ottonis, cum domibus ædificiis campis, agris pratis, paſcuis, ſiluis, cultis & incultis, aquis aquarumve decurſibus, viis & inviis, acceſſibus cum adjacentibus, finibus, exitibus cum regreſſibus, & quicquid ad præfatas villas jure ac legitimè pertinere videtur. Ita ut quicquid ab hodiernâ die deinceps abbatiſſa & ſanctimoniales fœminæ præfati monaſterii inde facere voluerint, liberam ab omnibus perpetualiter habeant poteſtatem faciendi. Si vero perſona quælibet poſterorum noſtrorum, quod minimè credimus, hoc noſtræ conceſſionis præceptum irrumpere tentaverit, & immunitatis & electionis à nobis conceſſæ ſcripto continetur violandum decreverit: omnipotentis Dei iram incurrere ſe nullo modo dubitet, & coram juſto judice, in tremendo examinis die, ſe rationem inde redditurum minimè ignoret. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus noſtris melius obſervetur, veriusque credatur, manu propriâ noſtrâ ſubter eum confirmavimus & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Datum 5. Idus Febr. Indictione decimâ. anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo Anno primo Ludvici ſereniſſimi regis in orientali Franciâ regnantis. Actum Franconfurt in Dei nomine feliciter Amen.

(Suturingia eſt Suderdöringland, ibi jacet Erick & Tengſtede, quas villas cœnobio Gandeſiano rex dedit)

Illuſtris Oda multis donatur à Ludvico rege.

Idem quoque Sereniſſimus rex Ludvicus conjugis dilectiſſimæ genitricem Odam regio munere donavit, tali conditione, ut illa donatis quoad viveret uteretur, poſt autem felicem illius mortem ita donata ad cœnobii poſſeſſionem cederent. Tradidit itaque illi in Northoringiâ, hoc eſt, in Northdoringlant, Wanzele-

Wanrelena. Ipſa terra, quia jam ad Saxones longiuſculè pertinuit, nomen illi mutatum eſt, & orientalis plaga Saxoniæ vocatur.

De Ducis Brunonis intempeſtâ morte.

Inclytus princeps Bruno ſexto, ut putatur, anno regiminis Garburgis ſororis ſuæ, cum contra infideles, Saxoniam irrumpentes, procinctum movisſet, & totum penè hoſtium fudiſſet exercitum, iterum illis in unum confluentibus, Dux inclytus cum duobus Epiſcopis & plurimis de populo crudeliter occiditur. Et licet quidam libri ab infidelibus Danis ipſum ad bellum provocantibus martem tentaſſe ſcribant, & jam illis terrâ pulſis, cum victor renavigaſſet, inſperatò ventorum turbinibus in profundum navibus pulſis diem clauſiſſe extremum, id tamen paleam eſſe certum eſt: cum Hroſuita poëtis temporibus illis vicinior ab Ungaris ipſum cum Epiſcopis interemptum pedeſtri deſcribat ſermone. Iſte Bruno Dux magnanimus urbem principalem caputque novi Ducatus futuram Brunſuigam fundavit. Iſti Brunoni quidam chronographi fratrem aſſignant Tanquordum nomine, a quo ipſi Brunſvigæ Tanquordevorde nomen acceſſerit, verum ego nuſquam inter filios Ducis Lutholphi illum ſcriptum reperi.

De inclyti Ducis Ottonis principatu.

Poſteaquam illuſtris princeps Bruno abſque herede terris noſtris exceſſit, cœlicumque palatium petivit, frater illius Otto principatu terræ donatur à rege Ludvico. Hic patris cariſſimi votum, quod ad cænobium fundatum habuerat, proſequebatur, & dilectiſſimæ genitricis dominæ Odæ voluntati plenè obſecundabat, atque novellam eccleſiam dignis exornans cultibus, cœnobii mœnia & commoda puellis Deo ſervituris perfecit.

Dies conſecrationis eccleſiæ decernitur.

Perfectis igitur cunctis, dies illa, cujus in medio noctis tertio quondam fulſere divinitus lucernæ, dedicationi eligitur, ut quæ fuerat fundandæ eccleſiæ quodammodo initium, foret etiam Deo conſecrandæ ac militiæ inſtituendæ, ut ita dixerim, primiceria. Erat autem dies illa quâ, vaſtum per orbem omnium ſanctorum venerabile feſtum peragitur, primâ videlicet dies menſis Novembris. Quâ luceſcente plurimæ hominum catervæ confluxerunt Gandeſiam, adeſſe optantes tantæ celebritati. Sole autem lucifluos ſpargente radios, pulcherrimus ille virginum chorus, ſuſceptis patronorum corporibus, gratulando inferunt eccleſiæ novæ dulciſonis reſonantes ac jubilantes hymnis. Cunctis tandem ritè peractis, reverendiſſimus in Chriſto pater ac dominus *Wicbertus, eccleſiæ Hildeſianæ ſextus antiſtes*, ipſum templum Deo dedicavit in honorem Divi Johannis Baptiſtæ, ſanctorum Innocentii & Anaſtaſii Pontificum, ac omnium ſanctorum, quorum tunc feſtum celebrabatur. Conſecratum fuit ipſum templum & Deo dicatum cœnobium Gandeſianum, anno Domini octingenteſimo octogeſimo primo poſt Deiparæ virginis partum. Ex tunc in ſylveſtribus illis quondam locis divinæ laudis carmina cœtus ille virginum reſonabat, omnibusque, quotquot Dei famulatui adſcriptæ fuerunt, ſanctimonialibus fœminis virgines cœnobii Gandeſiani claro perfectionis lumine cœnobialis converſationis tramitem oſtendebant. Generis quidem atque generoſitatis luce rutilabant, at virtutum nitore omnium penè oculos reverberabant.

Ducis Lutolphi transferuntur oſſa.

Primi quoque fundatoris Illuſtriſſimi Principis Lutolphi ante fabricam eccleſiæ vitâ functi oſſa ex veteri eccleſiâ cœnobii Bruntehuſen in novum templum conſecratum tranſtulerunt, eadem in auſtrali parte eccleſiæ ſepelierunt, in loco, qui modò ad ſanctum dicitur Stephanum, ubi illius hodie usque ſepulchrum cernitur.

Rex Ludvicus moritur & illius conjunx Lutgardis.

Sereniſſimus rex Orientalis Franciæ Ludvicus, ubique ad honorem Dei conferre decreverat, cœnobio Gandeſiano, & donata chirographis corroborata ex ſententiâ perfeciſſet, diem ſuum clauſit extremum. Quem illuſtriſſima conjunx & regina

reginâ Lutgardis adhuc interipſâ novellæ eccleſiæ congregationis læta, quibus virginum illa congregatio cum Odâ venerandâ jocundabatur cœnobium ſequendo, rebus exceſſit humanis potitura cœleſtibus.

Inclytus Arnolphus princeps rex eligitur.

Et quia Sereniſſimus rex Ludvicus non dimiſſo herede humanis exſutus æthera petivit, ob id fratris illius Carolomanni filium Arnolphum regem Orientalis Saxoniæ principes terræ ſtatuerunt. Habuit hic in regni ſorte Boariam Sueviam,Saxoniam, Thuringiam, Friſiam, Lothringiam. Hic bellicoſiſſimus Princeps Slavos domuit ac Normannos, tandem poſt multas victorias vocatu Papæ Formoſi ad urbem usque progreditur, & victoriâ adverſariorum potitus à Pontifice coronatur, nomenque Auguſti ſortitur.

Regis Arnolphi poſtea Imperatoris ad cœnobium Gandeſianum Donatio.

Expugnatis fortiſſimè adverſariis, cum quid daturus eſſet Papa Formoſus pectore ſuo volutaret, & quicquid in mentem veniſſet non dignum judicaret,atque regi propoſita non tanti æſtimata ab ipſo Rege videret, ſciſcitabatur quonam munere illius majeſtati gratificari poſſet. Ad quem Sereniſſimus Rex fertur dixiſſe. Quicquid tua ſanctitas obtulerit minus eſt, niſi unum, quod Romæ occultatum eſt mihi præſtiteris: & adjecit crucem illam, in quâ Chriſti omnium redemtoris ſanguis eſt, quem à Conſtantinopoli invictiſſimus Conſtantinus Romam tranſtulit, mihi ob gratiam inventam impertiatur tua ſanctitas opto. Et licet non gratam beatiſſimo Papæ, nec etiam Romanis ipſis auditu placitam Sereniſſimus rex voluntatem pandiſſet,majeſtatis tamen auctoritas impetravit. Cùm igitur in Auguſtum regem Papa benedixiſſet, ipſam Dominici ſanguinis crucem in collum coronati poſuit, cupito illum munere dignatus. Cùm autem feliciſſimè in propria rediiſſet, conſilio cum reginâ inito quonam loci tam precioſum Chriſti ſanguinem locaret, ubi debito honore haberetur: Illa priorum memoriam docta, qualiter videlicet & Sereniſſimus Rex Ludvicus eum, quem ipſe habuerat ſanguinem, ſive ſacrum cruorem, Gandeſianum ad cœnobium dediſſet, Regis animum eò inflexit, ut & ipſe crucem illam ſanguine Chriſti precioſam ad cœnobium, à Ducibus Saxoniæ ædificatum, transferret, datisque ad ipſum templum regiis muneribus, quo veneratione dignâ coleretur in perpetuum curaret. Ad Reginæ igitur votum Invictiſſimus Rex Gandeſiam venit, & munificentiſſimè ſuis donis locum cumulavit. Dedit primùm crucem illam cum Chriſti ſanguine precioſam, & quo coleretur honore ſtatuit. Deinde ad prædeceſſorum memoriam & ſalutem, in uſum ancillarum Dei ibidem Deo, ſanctisque ejus divina obſequia die noctuque perſolventium, quicquid habuit in *Crucbt* & in *Calcheim* & in *Bliderſtorp*, in Comitatu * * * datis litteris donavit. Villæ ſunt jacentes cis Rhenum magnis divitiis abundantes.

De morte Garburgis primæ Ducis Lutholphi fundatoris filiæ cœnobii abbatiſſæ ſecundæ.

Poſtquam illuſtriſſima Regina Orientalis Franciæ Lutgardis ſuo obitu matris venerandæ Odæ pectora mœroris telo perfoderat, illius ſoror Garburgis cœnobii Gandeſiani abbatiſſa viginti duobus annis in regimine completis, dolorem dilectæ matris adauxit, naturæ atque Deo concedendo, non præter totius congregationis mœrorem. Plurimùm enim cœnobio profuit reginæ, ſororis videlicet, adjuta pietate: unde regnum tam Ludvici, quam Arnolphi & aliorum principum animos ſibi conciliat. Sepulta apud ſororem ſuam Hathumodam diem operitur communis reſurrectionis.

Chriſtina prædictarum ſoror abbatiſſa eligitur.

Sede per mortem generoſæ Garburgis vacante Sororem vitâ functæ Chriſtinam nomine concors ſororum congregatio in abbatiſſam elegit, quam electam Præſul Hildeſianus, Wicbertus nomine, conſecravit. Hujus frater illuſtriſſimus Othu

Otho Dux Saxoniæ nominis hujus primus, & matris tam religioſæ quàm venerandæ Otho atque ſororis ipſius videlicet Chriſtinæ abbatiſſæ, defunčti quoque Patris ac principis intuitu, miro ſategit modo & ſtudio quicquid virginum congregationi frugi eſſe cogitaverat, & etiam provideatur in futurum expedire, ſuppeditare. Et hic quidem exterorum curam habuit, & rebus neceſſariis pro virili incubuit: mater autem Oda laude omni digniſſima, non filiam congregationi prælatam ſolùm, ſed etiam quotquot divina electio illuc loci adduxerat, non ſecus atque communis omnium mater, ad meliora ſuo ſtudio provexit. Unde factum eſt, ut miratu omnium dignam illic converſationem inſtitueret, & honeſtate multâ præditas virgines totus penè mundus Odæ illuſtriſſimæ matris diligentiâ educatas clamaret.

Otto illuſtriſſimus Saxoniæ Dux rex fieri petitur.

Cùm poſt invictiſſimi Auguſti Arnolfi mortem (miſerabilem quidem eò, quòd Pherecydis fata in illum ceciderint, hoc eſt, pediculari morbo inſanabili obierit dominator orbis) cùm, inquam, poſt illius obitum filium ejus Ludvicum in regem Franciæ Orientalis ſuffectum, Italiæ quoque regno, armis fugato Berengario, potitum, ipſe tandem Berengarius captum incarceratumque oculis privaſſet, res Franciæ ancipiti caſu fluctuare viderentur, omnium potentum Franciæ unâ ſententiâ ſceptrum regni Ottoni Saxoniæ Duci afferendum decretum fuit. Erat enim illuſtriſſimus Dux Otto & virtutibus cunctis pollens, Francigenis verbo, opere, conſilioque potentior, & miro tam ab ipſis Francornm potentibus, quàm à Saxonibus pro probitate ingenitâ affectu colebatur. Unde ipſæ virtutes, quas in illo venerabantur, adſciſcere ſibi ſceptrum videbantur regium. Ubi autem regii nominis fama principis aures attigerat, ætatis jam penè decrepitæ memor omnino votis principum contrarias ſenſit, & ſe non potentem armis ob naturæ imbecillitatem cauſſabatur, ſed tamen nunquam regi ſurrogando ſe defuturum dixit, ſed conſilio, auxilio, & quibuscunque poſſet regiis rebus opem laturum. Cùm proinde Franciæ principes ſe ſuâ ſpe fruſtratos cernerent, Ottonis Ducis Saxoniæ providentiæ commiſſum voluerunt ad diſcernendum, quis Orientalis Franciæ regio diademate coronandus eſſet tantâ rerum curâ impendente. Qui ſecum meditari cœpit primùm, deindeque cunctis animo deliberatis Conradum Ludvici ultimi ex filio, ut creditur, nepotem illis perſuaſit in regem ſufficiendum. Quem cùm illis obtuliſſet, non dubiam Francigenæ de oblato per tanti principis judicium tenuere ſententiam, ſed directis in illum votis, regem Orientalis Franciæ elegerunt, coronatumque diademate regio nomine donaverunt. Erat autem ipſe Dux Franciæ Conradus, & ætate pollens, & viribus plurimum valens, unde videbatur regiis rebus opem ferre poſſe. Rex igitur conſtitutus nihil ſine Ducis Ottonis conſilio, vel tentavit vel perfecit principis ſenioris experientiæ deferens & fidelitati illius ſe committens anno 913.

Illuſtris princeps Otto Dux Saxoniæ in fata conceſſit.

Ultimam penè ætatem cum illuſtriſſimus Saxoniæ princeps Otto attigiſſet, & tam pietate admirandus, quàm laudabili canicie venerandus omnium judicio diceretur, vetiti pomi morſu hauſtum venenum lethale illius viſcera flatum Deo reddere coëgit. Ejus mors adeo congregationem virginum electiſſimam perculſit, ut præter illum etiam vivere ſe poſſe dubitarent. Unde totum triduum inhumatum ſervabant viri cadaver, ſperantes ſe illius ſpiritum ſuperis revocaturas. Saxigenæ ad exanimis lectum Principis cum Francigenis occurrunt, cadaver pariter & ſtratum lacrymis madefaciunt. Generoſa mater Oda ſe ſuperſtitem filio doluit, undique voces reſonant mœſtitiam. Potentum tandem conſilio tanti principis oſſibus dignus præparatur locus in eccleſiæ medio, in crypta ſub choro. Quo depoſito dignus terræ princeps terræ commendatus aliquando reddendus vivificanti Deo.

Illuſtriſſima fœmina & digna tantarum filiarum mater Oda moritur.

Poſt completos annos ætatis centum & ſeptem illuſtriſſima & genere & vitâ Oda, tam ætate, quàm virtutibus etiam omnigenis plena, diem obiit extremum, & terris erepta dubio procul omni cœlis collocatur. Capit inter filias Mauſoleum in

aquilonari parte chori, ubi cum filiabus ultimum viventium omnium operitur diem.

Illuſtris Domina Chriſtina abbatiſſa fatis dat manum.

Non diu ſuperſtes omnibus orbata remanſit Chriſtina abbatiſſa, ſed bis ternis in regimine annis completis debitum carnis Deo ſolvens, ſpiritum, quem dederat eidem reddidit, aliquando reddendum. Et hæc matris ſororumque virtutum heres, earum etiam loculis ſociatur animâ poſitâ. O Gandeſia! Gandeſia! vide fundatorum tuorum buſta: & quidem illorum victitas munificentiâ, lætaris fundatoribus illis: at ſubeat mentem tuam, quid voluerint tantis ſtipendiis eccleſiam donantes. Jacet apud te pater, jacet apud te filius, filiabus juncta mater: jacebis & tu, quisquis ſacerdotiis eccleſiæ gaudes: reſurgent illi, reſurges & tu. Illi donaverunt in divini obſequii augmentum, tu videris qualiter utaris.

De Henrici Ottonis filii principatu.

Erat illuſtriſſimo Duci Ottoni filius Henricus nomine, qui patri in Ducatu Saxoniæ ſucceſſit. At neſcio quo ſydere inter Sereniſſimum regem Conradum, principis Ottonis conſilio ad regni faſtigia provectum, & Henricum ipſius Ottonis filium Saxoniæ Ducem diſſenſio adeo gravis orta fuit, & in finem penè usque regis perduravit, ut ipſe rex Conradus & Duci Henrico Ducatum & Ducatui Ducem tam dolo, quàm vi moliretur auferre. Sic enim inclytus princeps rebus ſuis, & quidem ſatis opimis aliorum invidentiam irritavit.

Quomodo idem Dux Henricus Ottonis filius eligitur in regem.

Cum regni ſui anno ſeptimo ſereniſſimus rex Conradus, malâ preſſus valetudine, diem ultimum jam jamque ſibi impendere ſentiret, principes & Duces regni, excepto illuſtri principe Henrico Duce Saxoniæ, convocari fecit. Quibus coram ſe poſitis dixit: me hominem Deus vocat, nulla vos rogo regnandi ambitio inflammet; ſed Henricum Saxoniæ Thuringerumq; Ducem prudentiſſimū eligite ac regno præfectū Dominum habetote. Cujus ſententiæ cum principes conniviſſent, fratrē ſuum Everhardum rex ita alloquitur: Cernis, frater mi, diutius hac vitâ frui me non poſſe, idcirco tui conſiderationem habeto, & meo tui fratris conſilio intendito. Sunt nobis copiæ, ſunt exercitus, ſunt urbes & arma cum regalibus inſigniis, & omne quod decus Imperii depoſcit, præter fortunam & mores. Fortuna Henrico cedit, rerum publicarum ſumma ſecus Saxones eſt. Sumtis igitur hiſce inſigniis lanceâ, armillis aureis, ac diademate, ito ad Henricum pacemque facito cum eo, ut eum fœderatum poſſis habere in perpetuum. Et iſte quoque, licet lacrymas fudiſſet, in regis tamen fratris conſilium itavit & juſſa perfecit. Rege proinde vitâ pariter & regno perfuncto, omnium vota in illuſtriſſimum Saxoniæ Ducem Henricum Ottonis filium diriguntur, & pari conſilio rex Orientalis Franciæ eligitur. Hic dum quæreretur aſſumendus in regem aucupio operam dare invenitur, unde *Aucupis* nomine vocatur. In regem ſuffectus coronari noluit, dicens: Satis mihi eſt, præ majoribus meis nomen regis adeptum, penes nobiliores ſint unctio & diadema. Quæ illuſtriſſimi principis verba plurimis placuerunt: ſed & Imperium ſibi oblatum acceptari renuit: Unde factum eſt, ut à nonnullis catalogo imperii dematur. Rex iſte Henricus Sereniſſimus & totus inclytus, tanto virtutum cumulo dives, potentiâ tantâ excelluit, ut viri ſpecies imperium meruiſſe non injuriâ dicatur. Mathildam regis Theodorici filiam uxorem ac reginam adhuc vivente patre duxit, ex quâ tres filios Ottonem, Henricum & Brunonem genuit. Henricus Bavariæ Dux evaſit: Otto rex ac tandem Imperator: Bruno annis tredecim archipræſul, eccleſiæ Colonienſis fuit, vir magnæ perfectionis & ſanctitatis. Iſte monaſterium S. Panthaleonis in Coloniâ fundavit, & abundantiſſimè dotavit: cujus monaſterii abbas mille quaſi florenos pro confirmatione largitur Papæ. Rex iſte Henricus Sereniſſimus Goſlarienſem civitatem fundavit: totius etiam religionis amator, & aviti ſpiritus egregius ſucceſſor, quemadmodum avus ſuus inclytus Dux Saxoniæ Gandesheim præclariſſimum virginum fundavit cœnobium, ita & ipſe in Quedelingeborg

longè lateque omnibus notum monaſterium ædificavit. Sereniſſima illius conjunx regina Mechtildis ſanctitate clara, & totam ſtirpem Saxonum nobilitans virtutibus ſuis, hoſpitalia multa variis in locis erexit. Monaſterium etiam monialium in Northuſen extruxit, quod malo omine in ſecularem Canonicatum eſt mutatum virginibus pulſis. Viderint quid fundatrici reſponſuri ſint rei auctores. In Coſingen etiam virginum cœnobium: monaſterium inſuper in Polde, quaſi in palude ordinis Præmonſtratenſis ipſa fundavit

De lanceâ Salvatoris.

Hujus ſereniſſimi regis temporibus Burgundiorum rex Rudolfus lanceam magni Conſtantini habuit, in quâ de clavis Domini crux quædam fabricata fuit. Hanc lanceam precibus atque minis à Rudolfo rege Henricus iſte obtinuit, per quam ſæpè poſtea contra inimicos triumphavit. De illius creberrimis victoriis, qui ſcire aliquid voluerit Chronica legat, & quod miretur inveniet. Ipſe tributum Ungaris negavit infidelibus & Chriſtianis dominantibus.

Rex Henricus filio ſuo primogenito nuptias facit.

Miſſis ad Anglicorum regis palatium nunciis Eaditham regis Everardi viri jam functi filiam à tenente ſceptrum filio rogavit Ottoni proli regiæ. Gratiam habuit rex, ſororem, rogatus & nedum Eaditham ſolùm, ſed etiam alteram illius ſororem paranymphis regis aſſignavit, dans plenam regiæ prolis alteram eligendi facultatem. Oris Saxonicis invectas puellas cum ſereniſſimis regibus Henrico patri ac Ottoni præſentaſſent, & utram eligerent, illam ſponſam futuram Anglici regis mandato panderent. Quam poſtulavere illam & in regnum aſſumſerunt, & nuptiis inſtitutis proli regiæ regiam ſobolem junxerunt.

De donatione regis Henrici ac morte illius.

Inter cætera, quæ ſereniſſimus rex Henricus eccleſiæ Gandeſianæ impertitus eſt bona, curtes ſuas largitus eſt Herrihuſen & Felberge cum omnibus eò pertinentibus. Machtilda regina prædium unum in Friſiâ ad idem cœnobium dedit. Poſtea autem quàm ſedecim in regno annos compleverat, Romam devotionis (ut quidam ajunt) aut Imperii ſumendi (ut alii dicunt) gratiâ petivit: at in ipſo itinere morbo correptus diem obivit extremum, & in cœnobio, ipſe in quod Quedelingeborg fundaverat, reportatus, humo commendatur, anno Domini nongenteſimo triceſimo ſexto.

De electione Hroſuitæ abbatiſſæ.

Ad deſcribendas abbatiſſas ratio me à cœptis de regno Ottonis revocat, ne dum diademata admiror nimium videar tempus regiminis abbatiſſarum negligere Chriſtinâ illuſtri dominâ è medio vivorum ſublatâ, venerabilem admodum matrem generoſamque dominam Hroſuitam in abbatiſſam electam reverendus pater ac dominus Walbertus, eccleſiæ Hildeſianæ ſeptimus Antiſtes, unà & alias ſorores conſecravit: has quidem velamine ſacro Deo dedicans, illam autem benedictione in abbatiſſam cœnobio Hano venerabilem fœminam fuiſſe ex congregatione illâ ſanctâ electam litteræ tradunt poſteritatis notitiæ.

De Luthgardis electione.

Hroſuitâ rebus humanis exemptâ, illuſtris domina Luthgardis regimini ancillarum Dei præficitur, quam voluit ab Hattone Epiſcopo Moguntino benedictione conſecratam. De Hattone illo qui ſcire volet Chronica legat, & non bona offendet. Hæc Luthgardis nominis hujus prima Ottonis Saxoniæ Ducis in cryptâ quieſcentis filia fuit.

De Windilgarde.

Lutgardi regimine & vitâ perfunctâ illuſtris domina Windelgardis in locum illius ſurrogatur, quam Sehardus Epiſcopus Hildeſianus conſecravit. Hæc eccleſiam extra opidum in honorem Deiparæ virginis ædificavit, quam & benedixit, Deoque dicavit.

Otto primogenitus regis Henrici rex conſtituitur.

Evivis Sereniſſimo Rege Henrico per mortem ſublato primogenitum illius nobilem heredem Ottonem terræ maximates regem conſtituerunt. Hic Regni terminos maximè dilatavit, & Otto magnus appellatus eſt. Filios habuit Ludolphum, Wilhelmum, Ottonem. Lutolphus Dux evaſit Suevorum, Wilhelmus archiepiſcopus Moguntinus, Otto Rex Romanorum. Otto magnus habuit fratrem & ſorores duas. Henricum poſtea Ducem Bavariæ, Garburgam, Haddvich. Garburgam Lotharingiæ Dux Giſelbertus uxorem accepit: quo defuncto regi franciæ nubſit, & mater fuit Friderici archiepiſcopi Moguntini, quem poſtmodum propter traditionem Otto Magnus depoſitum acceptare monachatū coëgit. Eadem Garburga Francorum regem Lotharium genuit Ludovico. Haddvig Francorum Comiti Hugoni nubſit, qui poſtea in regem fuit coronatus. Et quia ſereniſſimus Rex Otto reginam matrem illuſtriſſimam Machtildem aliquantulum inhonoraſſe dicitur, privando illam dotaliciis, quam tamen ſibi, ut decuit, reconciliavit, ex ipſis, quibus defendentibus robur Regni accipere debuiſſet, Deus judex juſtus illi Regni turbatores ſuſcitavit. Frater namque illius Henricus, quorundam perſuaſu, mala in regem moliebatur, ob id videlicet, quòd Otto nondum in Regem patre electo natus fuiſſet, ipſe autem à Rege Patre genitus. Filius etiam Ottonis Lutolphus, Suevorum Dux in regem patrem multa tentavit. Dux inſuper Lotharingiæ Giſelbertus, cui ſoror regis Ottonis nubſerat, ad mortem usque perſequebatur. Verum omnium moderator Deus, qui non niſi Regis peccatum purgare voluit, non niſi & Regi expurgatores illos dedit: haud enim aliud poterant, quàm inceſſere Regem.

Illuſtris princeps Henricus, regis Ottonis magni frater, filiam ſuam Deo in cœnobium obtulit.

Inter nubila illa cum Rege Ottone & fratre ejus Henrico tempora, Henricus clàm Gandeſiam properat, inque eccleſiam beatæ virginis extra opidum nuper extructam ſe recepit. Miſſis deinde ad venerabilem illuſtremque abbatiſſam Windelgardam nunciis dominicum ſibi cruorem præſentari petivit. Quo impetrato, votum Deo Chriſto fudit; ſeque filiam ſuam *Garburgam* nomine perpetuo illius ſervitio traditurum promiſit, poſteaquam cum fratre paciſci contigiſſet. Illam, ut conjecto, filiam ex prima uxore Juditta Arnolfi Ducis Noricorum Ducis filiâ habuit. Poſt longā iteratamq; in fratrem Regem conſpirationem, inclytus princeps Henricus factorum pœnitens, depoſitis Duce dignis paramentis, & vilioribus indutis, humi ſe in Dei eccleſiâ coram fratre Rege Ottone proſtravit, veniam & gratiam quærens. Eâ pietate motus Rex pius & fratri errorem indulſit & paullo poſt Bavarorum Ducem fecit. Qui Dux confirmatus Hungaros potentiſſimè fudit, ſtravit ac vicit, eisque irrumpendi in Saxoniam facultatem ademit omnem. Quibus peractis filiam Garburgam, & bene moratam & bene etiam Litteratam, Deo in Cœnobio Gandeſiano maximo cum honore obtulit. Habuit idem princeps ex Juditta filium nomine Lutolphum & filiam Lutgardam vocabulo, Hanc illuſtriſſimo Franciæ Duci Conrado in conjugio ſociavit, Lutolpho autem filio *Hermanni Suevorum Ducis* filiam accepit, unde factum eſt, ut tam Franci, quàm Suevi Ottoni obedirent Magno.

Privilegium Ottonis regis primi Gandeshemenſi cœnobio datum.

Rebus cum fratre compoſitis Rex Otto eccleſiæ Gandeshemenſi non defuit, ſed interpellatus ſequens privilegium dedit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Otto divinâ favente clementiâ Rex. Noverint omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, qualiter nos remunerationis æternæ gratiâ monaſterium Gandesheim nuncupatum in honore S. Mariæ & omnium ſanctorum à noſtris conſtructum progenitoribus, noſtri immunitate patrocinii donamus, ſanctimonialibus ejusdem cœnobii electionis arbitrium concedentes, omniaque à prædeceſſoribus noſtris Regibus illuc collocata, Ludvico ſcili-

cet

cet, prædia in Tengſtede & Erike & Bliterſtede cum familiis cœteriſque omnibus appendiciis in pago Suturingiâ in comitatu, cui tunc temporis Otto præfuit, & ab Arnolpho proprietates, in villis Crucht & Calcheim nominatis illò traditas, & à proavo noſtro Lutolpho, qui prælibatum conſtruxerat, monaſterium, quicquid in confinio villarum infra nominandarum, id eſt, Gandesheim Rundina, Deguſte, Lankendorpe, proprietatis habuit, datum: & ab ejus conjuge Odâ villam in Wantzlevâ cum omnibus jure illuc pertinentibus. Et ab uno noſtro Ottone villâ in Hollenſtede cum omnibus appendiciis ſuis traditâ hoc regalitatis noſtræ curtis etiam Herebuſen & Felberge cum omnibus eò pertinentibus, quas dominus ac genitor noſter Henricus Rex præfato dedit monaſterio cum prædio illuc à domina ac matre noſtrâ Machtildâ reginâ in Friſiâ collato, præcepto confirmamus. Tradimus inſuper earundem victui ſanctimonialium quicquid proprietatis hactenus habuimus in villa Mundelingen in pago Hartheri in Comitatu Ehrenfridi. Jubemus quoque, ut nullus Comes, vel alius quilibet exactor, judiciariam poteſtatem vel freda exigenda, ſeu manſiones ſeu paratas faciendas, in omnibus monaſterii locis, niſi ex conſenſu abbatiſſæ monaſterii ejusdem, habere præſumat. Et homines illius abbatiſſæ ſive liberi, ſive ſervi, nullâ judiciariâ coherceantur poteſtate, ſed in præſentiâ ejusdem abbatiſſæ advocati eorum rectitudinem acquirant, & cæterorum perficiant. Et ut hæc auctoritas noſtra firma permaneat, & per futura tempora à fidelibus noſtris melius obſervetur, manu propriâ ſubtus confirmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Datum 4. Non Maij. anno Dominicæ incarnationis 946. Indict. 2. anno domini Ottonis piiſſimi regis II. Vuerlabum in divinitatis nomine.

Signum Domini Ottonis ſereniſſimi Regis. 

Rex Otto Auguſtus benedicitur.

Orientalis Franciæ rex Otto poſt plurimas tam de Ungaris, quàm de Berengario regni Italiæ invaſore, victorias ac demum Romanorum poſt coërcitionem urbem Romam ingrediens honorificè ſuſcipitur, à ſummoque Pontifice Joanne applaudentibus cunctis Imperatoris & Auguſti nomen benedictus ſortitur, anno domini 9. Hic Otto primus & Otto magnus, qui etiam amor mundi vocatus eſt.

Hujus prima uxor regis Angliæ filia Eaditta Parthenopolin ſive Magdeburg fundavit, rege in Italiâ agente quâ tandem ibi feliciter ſepultâ Adelheidin reginam, Lotharii regis Italiæ, cujus regnum contra Berengarium defenſavit, uxorem duxit. Hæc fuit filia Rodulphi Ducis Burgundiorum: quæ ſepulta in Zelſe diœceſis Moguntinenſis quieſcit, ubi dictus Imperator duo monaſteria unum monachorum, alterum monialium ædificavit, & ſuo more optulentiſſimè dotavit, utraque illarum uxorum ſancta creditur.

De Ottonis magni filio Ottone in regem benedicto.

Invictiſſimus Imperator Otto in Saxoniam ex Italicis oris reverſus, filium ſuum Ottonem cunabulis fermè adhuc obſitum, in regem Aquisgrani benedici fecit.

De Garburgis ſecundæ in abbatiſſam electione.

Poſteaquam illuſtriſſimæ Dominæ Windelgardi inferias celebraſſent, ſorores Dei obſequiis in cœnobio Gandeſiano deditæ, in clariſſimam fœminam, dominam Garburgem Henrici Bavarorum, Ducis Ottonisque magni fratris filiam vota dirigentes abbatiſſam illam elegerunt. Quam electam reverendiſſimus pater dominus Ortwunus Hildeſianorum Antiſtes conſecravit.

De illuſtri virgine ſanctimoniali cœnobii Gandeſiani Hroſuitâ.

Sub illuſtriſſima Dominâ Garburgi iſta ſecunda vitam egit ac floruit illuſtris virgo ſanctimonialis Hroſuita in Saxonia nata, miro ingenio ac doctrina clarens, & in utroque ſcribendi genere admirabilis, cujus opera ſunt:

Ad virgines ſacras caſtitatem & continentiam hortando latino ſermone.
In laudes beatæ virginis elegiaco & hexametro verſu librum unicum incipientem: Unica ſpes.
Hiſtoriam reſurrectionis Dominicæ: poſtquam corporeo Chriſtus.
Hiſtoriam & vitam S. Gangolphi, O. pie luciſator.
Hiſtoriam & vitam S. Pelagii martyris: Inclyte Pelagi martyr.
Hiſtoriam concurſionis S. Theophiſi: Poſtquam lux fidei.
Hiſtoriam S. Proterii & S. Blaſii: Qvi velit exemplum.
Hiſtoriam S. Dionyſii carmine elegiaco: Dum factor.
Hiſtoriam paſſionis S. Agnetis virginis: Virgo quæ vanas.
De geſtis Ottonum, ſive geſta Ottonis magni primi in Germania Imperatoris panegyricum verſu hexametro: Pollens Imperii Regnator.
Et præſcripta quidem in lucem per calcographos edita habentur cum comœdiis ſequentibus.

Comœdia.	Prima, Gallicanus.	
	Secunda, Dulcitius.	
	Tertia, Callimachus.	In æmulationem
	Quarta, Abraham.	Terentii.
	Quinta, Paphnutius.	
	Sexta, Fides Spes & Charitas.	

Verùm de fundatione cœnobii Gandeſiani verſu hexametro ſcriptum opus, cui etiam beatiſſimorum Pontificum Anaſtaſii & Innocentii vitas eodem genere metrorum contextas præmiſit, pulveribus longiſſimis temporibus abditum noſtro ævo vix lucem vidit, aliquibus etiam foliis privatum: taceo quòd & vetuſtate nonnullis in locis, non litteræ tantùm, verùm & totæ ſententiæ abſumtæ ſunt. Græcæ etiam linguæ notitiam habuit, coætanea Joannis Anglici quæ doctrinâ ſuâ Papatum meruit.

Monaſterium beatæ Mariæ Virginis conſtruitur.

Eccleſiam illam extra oppidum, quam Domina Windelgardis ædificari fecit, in cœnobium virginum Ordinis Divi Benedicti, illuſtriſſima domina Garburgis, hujus nominis ſecunda convertit, & ad rem iſtam bene cunctis diſpoſitis triginta perſonis locum aptiſſimum reddidit, quas etiam ſuſtentavit neceſſaria alimenta ſuppeditando.

Alterum Privilegium, quod Otto magnus dedit.

Poſteaquam Auguſti nomen Sereniſſimus Rex Otto magnus obtinuit, tunc & alterum privilegium cœnobio Gandeſiano dedit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei gratiâ Imperator Auguſtus Notum ſit omnibus fidelibus noſtris præſentibus & futuris, quomodo Ludolphus proavus genitor noſter Dux Saxonum, quoddam monaſterium in loco Gandesheim nuncupato, conſtruxit cum venerabili conjuge ſua Oda primordium ejus conſtructionis affirmans cum filia conſecrata, quam Dei ſervitio ibidem nuncupavit, ſimulque cum ea tradens dotis nomine quicquid pretii habuit in Gandeshemia marcu & in Altunga marcu, & in Lacberia marcu. Poſtquam autem memoratus Dux migravit à ſeculò, ejusque venerabilis conjux viduata remanſit, filii eorum Bruno & Otto adierunt Ludvicum venerabilem Regem, qui ſororem eorum in matrimonium acceperat, & tradiderunt ei memoratum monaſterium, quod Lutolphus eorum genitor in primis ædificare cœpit, cum omnibus, quæ ad idem monaſterium, jure ac legitime pertinere videbantur, eo videlicet rationis tenore, ut præfatum monaſterium regio ſublevaretur munimine, & ſanctimoniales fœminæ, ibidem Deo famulantes in ejus & deinceps ſuccedentium conſiſterent patrocinio Regum. Quod ille deſiderium gratanter accepit, atque auctoritate regali conceſſit easdem ſanctimoniales poteſtatem habere inter illas, quamcunque vellent eligere, electionem nullo inquietante, ſed imperiali auctoritate protegente per cuncta ſeculorum curricula firmam & inviolabilem teneant, De-

inde conceſſit omnes mercatores à Reno usque ad Albiam & Sale transeuntes ad uſus ſanctimonialium ibi degentium, cenſum telonii perſolvere. Poſtea vero tradidit ad ſupradictum monaſterium in pago, qui vocatur Suturingia, in Comitatu Wilhelmi, quicquid habuit in Tengſtede, in Erick & in Bliderſtede. Ac deinde dotavit venerabilem ſocrum ſuam Odam, quæ ejusdem monaſterii fundatrix exſtitit, poſt obitum Senioris ejus Lutolphi, tradens ei in pago Notoringia in Comitatu Theodorici, in loco Wetzeleva, nuncupato, quamdiu ſuperſtes in hac vita remanſiſſet, poſt obitum vero ejus abſque contradictione heredum ejus conceſſit auctoritate regali eandem hereditatem jure perenni ipſi monaſterio in proprietatem, pro remedio animarum piiſſimorum anteceſſorum Auguſtorum, & ob ſuæ mercedis augmentum, nec non pro dilecta conjuge Lutgarda. Hoc igitur venerabili exemplo provocatus Arnolphus Rex tradidit ad idem monaſterium in beneficium per interventum conjugis ſuæ Odæ, nec non Hildegardis venerandæ nepotis ejus in eleemoſinam divæ memoratæ aviæ Ludvici Regis, genitorisq; ejus Carolomanni Regis, nec non & pro beatiſſimorum Regum, videlicet Ludvici & Caroli patruorum ejus commemoratione, animæque remedio, ad uſus ancillarum Dei ibidem Deo ſanctisque ejus divina obſequia die noctuque perſolventium, quicquid in Crucht & in Calchcim & in Bilderſtorp in Comitatu N. Hæc omnia, quæ præſenti ſcripto continentur expreſſa, bonæ memoriæ genitoris noſtri more anteceſſorum noſtrorum Regum videlicet & Imperatorum concedimus & donamus. Et ſi perſona quælibet poſterorum noſtrorum, quod minime credimus, hoc noſtræ conceſſionis præceptum irrumpere tentaverit, & violandum decreverit, Dei omnipotentis iram incurrere nullo modo dubitet, & coram juſto judice in tremendi examinis die ſe rationem redditurum. Vt autem hæc noſtræ conceſſionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora melius obſervetur, veriusque credatur, propria manu ſubter eam firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Datum tertio Nonas Novembris An. 975. Indictione 4. an. Regis Ottonis 15. Imperii 8. Actum Palathe in Dei nomine feliciter Amen.

Rex Otto ſecundus Patre ac Imperatore adhuc vivente Auguſtus creatur, & Otto ipſe videlicet Pater moritur.

Poſtea quam ob Leonis Papæ expulſionem, Romanos obſitione & fame plurimum afflixiſſet Otto magnus, & vi vim inferre Romani nequiviſſent, in deditionem coacti Principi invictiſſimo portas aperuere, ac honorificè ſuſceptum etiam nolentes Auguſtum ſenſerunt, Quibus feliciter actis, filium Regem Ottonem Auguſtus Otto Pater ad ſe accitum, & à ſummo Pontifice coronari, & à populo univerſo Auguſtum ſalutari fecit. Deinde Conſtantinopolitani Imperatoris filiam, Theophanii nomine Imperatori filio ſuo Ottoni in matrimonium conjunxit. Omnibus demum bene compoſitis, reverſus ex Italia Paſcha Domini Quedelingborch celebravit, ac deinde Martianopoli Aſcenſionem Domini ferians morbo corruptus anno Imperii ſui 13. diem obivit extremum. Hic primus venas argenti & æris juxta civitatem Goslarium invenit, Parthenopoli ſive Magdeborch cultu regio humatus adhuc cernitur ſumma in eccleſia quam fundaverat.

De Ottone ſecundo Imperatore.

Iſte Otto tam ab eventu, quam à corporali qualitate nomina ſibi obtinuit. Ad qualitatem enim corporis rubicundiorem Rufus dictus fuit: & quia ante ſe patrem cognominem habuit Otto ſecundus appellatus eſt: demum ob fortitudinem, & in Sarracenos ſanguinolenta prælia ſanguinarius & pallida mors Sarracenorum nuncupatur.

Privilegium primum Ottonis ſecundi eccleſiæ Gandeſianæ datum.

Hic Imperator filiam ſuam cariſſimam Sophiam nomine illuſtriſſimæ Domi-

næ Garburgi cœnobii Gandeſiani abbatiſſæ divino famulatui enutriendam & inſtituendam tradidit, & ſequens privilegium dedit.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Imperator & ſemper Auguſtus. Omnibus fidei ac noſtræ majeſtatis debitum & fidei ſervatoribus per ſubjectum adbibitis ſcriptum titulum patere volumus, qualiter dilectæ conjugis noſtræ Theophanii Imperatricis Auguſtæ votum & interventionem ſequentes, filiam noſtram cariſſimam nomine Sophiam Deo & ſanctæ genetricis illius Mariæ virgini, ſanctisque confeſſoribus Anaſtaſio & Innocentio, quorum eccleſia in loco Gandesheim nominato honorificè conſtructa videtur, cui etiam Garborg neptis noſtra ſub præſenti tempore abbatiſſa præeſſe dignoſcitur, devoto animo obtulimus, atque ut ſacræ ſcripturæ litteras ibi ediſcat, vitamque & converſationem ſanctimonialium Deo illic ſervientium imitetur, præfatæ abbatiſſæ nutriendam commendavimus eidem eccleſiæ ac prænarratis ſanctis, nec non virginibus Deo illic ſervientibus ob noſtri nominis parentumque noſtrorum memoriam, in die oblationis ejus donantes noſtræ proprietatis quendam locum Blideſtadt nominatum in Comitatu Siggonis & in pago N. Inſuper **** ad nos pertinens Suzare, Ericha, Rohenſtad, Nuenſtad Womeſtroverich, Wolfereſuiniden, in præſcripto Comitatu ſitis, ſylvam in Dunſtedriâ marchâ. Illa atque hæc omnia cum omnibus rebus illuc ritè pertinentibus, in mancipiis utriusque ſexus, ædificiis, areis, terris, cultis & incultis, agris, campis, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarumve decurſibus, molendinis, piſcationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, cunctisque aliis impendiciis, quæ aliquo modo nominari poſſunt, hac noſtræ auctoritate donationis ad integrum ſupra ſcriptæ eccleſiæ in proprietatem tradidimus. Et ut hæc noſtræ donationis integritas per futura temporum curricula inviolabilis & inconvulſa permaneat, hoc noſtræ celſitudinis præceptum conſcribi, manuque propriâ ſubter notatum ſigilli noſtri impreſſione juſſimus ſubſignari. Datum 2. Kal. Octobris anno Dominicæ incarnationis 979. Ind. 6. anno autem regni Ottonis ſecundi 19. Imperii verò 12. Volckvelden in nomine Dei feliciter Amen.*

Alterum ejusdem privilegium.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Otto divinâ favente clementia Imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium atque futurorum ſolertia, quod nos more anteceſſorum noſtrorum regnum videlicet coimperatorum legitimo ſortientes connubio noſtræ dilectæ conjugis Theophanii quendam juris noſtri locum Patelече nominatum, in pago Ambraga in comitatu Wychmanni conſtitutum, cum cunctis cujuslibet utilitatis rebus abbatiſſæ monaſterii in Gandesheim in perpetuam proprietatem donavimus; firmiterque legavimus cum cæteris compluribus villulis ad præfatum locum pertinentibus, ac utriusque ſexus mancipiis, ædificiis, campis, terris, cultis & incultis, pratis paſcuis, ſylvis, aquis aquarumve decurſibus, piſcationibus, molendinis, venationibus, exitibus reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, eâ videlicet ratione, ut quicquid exinde ſibi placuerit faciendum, omnium contradictione prorſus perſonarum contemtâ faciat. Et ut hoc largitatis noſtræ præceptum ſtabile firmumque perpetim credatur ſigillo noſtro ſignari juſſimus, manuque propriâ ſubtus notando confirmavimus. Datum anno Dominicæ incarnationis 979.

Privilegium ejusdem tertium.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Imperator Auguſtus. Omnium fidelium noſtrorum tam præſentium, quàm futurorum, piæ devotioni patere volumus qualiter nos dilectæ conjugis noſtræ Theophanii Imperatricis Auguſtæ ac cariſſimæ filiæ noſtræ Sophiæ votum ſequentes, ob dilectionem & interventum neptis noſtræ Garburgis abbatiſſæ venerabilis, ad eccleſiam, cui ipſa præeſſe videtur, in loco Gandesheim conſtructam, ac in honore ſanctorum confeſſorum pariter & Pontificum Anaſtaſii & Innocentii conſecratam, Urbalem bannum, quem vulgariter Burchban vocant, ante-prædeceſſores noſtros videlicet & Imperatores ad prædictam pertinentem hac noſtrâ præceptione noviter confirmamus. Et inſuper Deus noſtræ donationis Urbales bannos, unum in Seburg, alterum in Greve, in jus præfatæ eccleſiæ & abbatiſſæ, modò & in futuro ibi præſidentis à novo conceſſimus, atque illuc hac noſtræ auctoritatis confirmatione ad integrum tradimus, eâ videlicet ratione, ut prædicta

dicta Garburch venerabilis abbatiſſa, ſuæ ſucceſſores præſcriptorum locorum bannos ſub ſuo jure perpetim teneant, nec ullus deinceps Comes, vel Advocatus aut alia qualibet perſona, ſive voto ſive juſſu, ſuper jus nominatæ Gandesheimenſis eccleſiæ abbatiſſæ aut ſibi ſuccedentium poteſtatem ſuper eosdem bannos aliquo modo habere præſumat. Et ut hæc noſtræ donationis aut confirmationis auctoritas per futura tempora credibilior & ſtabilior habeatur, hoc noſtræ celſitudinis præceptum inde conſcribi, manuque propriâ ſubtus notatum ſigilli noſtri impreſſione juſſimus aſſignari. Datum 4. Iduum Martii anno dominicæ incarnationis 980. Indict. 7. anno verò ſecundi Ottonis. Actum Tomboreh in Dei nomine Amen.

Signum Domini invictiſſimi Im-



Ottonis ſecundi, peratoris & ſemper Auguſti.

De morte Ottonis ſecundi & tertii Imperio.

Poſt plurimas victorias & Romanorum ad pacem ſervandam cohertionem, Otto hujus nominis ſecundus Imperator & ſemper Auguſtus Romæ ultimum clauſit diem, ibidemque honorificè terræ commendatus requieſcit. Sortitus eſt autem regni ſui heredem filium Ottonem, qui illius nominis tertius ob egregia facinora & creberrimas contra infideles victorias Mundi mirabilia appellatus fuit. Et licet pene puer judicaretur ob ætatem, nam decem & octo annos natus fuerat, matris tamen ſcilicet Theophanii Auguſtæ conſiliis & Divi Bernwardi, quem morum habuit inſtitutorem, ductu regni habenas & tenuit & gubernavit. Vir tandem effectus Romam adiit, & ipſis Romanis petentibus Pontifice tunc ſummo defuncto Brunonem, conſangvineum in Petri ſedem promovit: à quo & coronam Imperii Auguſtique nomen accepit. Hic quibus eccleſiam Gandeſianam donaverit ad meam non venit noticiam. Ille carens herede cum conſenſu ſtatui ut exinde non hereditate ſed electione Imperium quis teneat.

De morte Garburgis ſecundæ.

Poſteaquam illuſtriſſima fœmina Domina Garburgis, hujus nominis ſecunda, cœnobii Gandeſiani abbatiſſa Henrici Bavarorum Ducis filia, cui magnus Otto patruus fuit, annos quinquaginta duos cœnobii ipſius regimen optimè (utpote quam dominus omnigenarum virtutum decore adornaverat) manu tenuiſſet, feliciter obdormivit in Domino, cui ſimilis in religionis ſacræ cultu poſt obitum illius non ſurrexit. Cum illius namque pheretro primæ inſtitutionis integritas monaſterio eportabatur, & novus exinde vivendi modus, auſteritatis quidem primariæ impatiens, delicatulis autem fœminulis mirum in modum gratus, aſſumebatur. Ubi autem luxus & ſuperfluitas rerum ædes cœnobiales intraverunt, pariter cum illis & inſolentia comitabatur & placiti libitique licentia.

De primæ Sophiæ Ottonis filiæ electione.

Ad futuræ verò abbatiſſæ electionem adunatæ virgines vota ſua in Sophiam ſecundi Ottonis filiam direxerunt, & eandem in defunctæ ſedem admittentes abbatiſſam fecerunt. Hæc eſt illa, quæ graviſſimas diſſenſiones inter Hildeſianos & Moguntinos Præſules inſtruxit. Primum enim inter Osdagum Hildenſemenſem & Willigiſum Moguntinum antiſtites litis cauſſam fecit velationis ſibi impendendæ benedictione: non enim niſi à palligero, hoc eſt, archiepiſcopo velari voluit. Ad quod dum ſuis malè dulcoratis verbi Willigiſi animum inflixiſſet, adeo animavit, ut mordaciter Osdago, valdè reverendo viro, & ex monacho Augienſis cœnobii Epiſcopo facto, reſiſteret & ad ſuam Parochiam eccleſiam Gandesheimenſem pertinere aſſeverans diem decerneret, quo ad velandas virgines Gandesheim adventurus poteſtatem Epiſcopalem diceret ſe ejus loci oſtenſurum. Convenit autem ad

diem conſtitutum & Oſdagus, ſuum in eccleſiam ipſam jus defenſurus. Conſtitutis igitur in loco Epiſcopis duobus, ad unam eandemque rem perficiendam, & hic ſuum oſtendit jus, ille verò ſibi competere vero jure voluit. Tandem poſt longam diſceptationem favore multitudinis archiepiſcopo deſtituto, & coram multis Epiſcopis in jure convicto, ad altaris abſidem cathedram Epiſcopalem Oſdagus Antiſtes Hildenſemenſis poni juſſit, hac tuitione locum ac regimen defendens. Interpoſuit autem ſe diſceptationi Ottonis tertii regis præſentis mater Theophanii & ſuis cum Epiſcoporum eorum poſitorum precibus id obtinuit, poſcente, imo ultrà, quam credibile eſt, rogante, Moguntino ut ad altare principale ipsâ die myſteria peragere, ita videlicet, ut Dominæ Sophiæ ſimul Antiſtites duo velationem peragerent, cæterarum verò ſolus Hildeſianus perficeret. Conceſſum eſt petitioni, & locus caritati fraternæ datus, factum inſolitum quiddam, duo Epiſcopi ex latere altaris ſederunt Pontificalibus paramentis feſtivè infulati. Ventum eſt ad ancillarum Dei conſecrationem, tunc Epiſcopus Hildeſianus, qui antea à Pontificali jure timebatur dejectus, ſubito Dei judicio erectus inter miſſarum ſolemnia primò Dominum regem, ſi in ſororis ſuæ velationem conſentiret, humiliter requiſivit, deinde alios. Quibus conſenſum fatentibus, primò Dominam Sophiam ſi ad Hildenſemenſem ſedem ſibi ſuisque ſucceſſoribus ſubjectionem & obedientiam profiteretur, interrogavit, deinde alias velandas. Quæ unanimi conſenſu religionem & ſubjectionem profeſſæ ſunt, publicèque denunciatum eſt omni clero & populo, archiepiſcopum nihil juris ſibi in eccleſia vendicare præter conſenſum & permiſſum Epiſcopi Hildenſemenſis. Interfuerunt huic rei Epiſcopi Millo Mindenſis, Hildebaldus Wormatienſis, Retharius Paderbornenſis.

Sophia deinde matre defuncta ad fratres ſui Ottonis, videlicet tertii, palatium in vitâ etiam Garburgi abbatiſſa ſecunda, Willigiſi archiepiſcopi factione promota ſe recepit. Erat enim litteris imbuta & leges quoque calluit humanas, quapropter Otto frater ejus Imperator eam petivit ſibi concedi ab abbatiſſa: fuitque ultra biennium rebus Cæſareis dedita varium de ſe ſpargens rumorem. Defuncto autem Oſdago & in ejus locū ſurrogato Gerdago, etiam brevi vita functo, Bernwardus tertia Ottonis opera Hildenſemenſis Epiſcopus ordinatur. Hic licet Dominam Sophiam ſummo honore ſemper coluiſſet, rem tamen iſtam, quam dimiſſo cœnobio tentavit, gravatim tulit. Quapropter blandius illam admonitam, ad monaſterium quibus potuit hortabatur; & licet ſurdis auribus verba ſua capi videret, haud tamen deſtitit, quod æquum fuit inculcare. Ubi autem Viri ſancti admonitionem ingrato animo Domina Sophia accepit, admonentem primò declinavit, deinde patrocinaturum ſibi Moguntinum acceſſit, & illius, ut antea in Oſdagum, ita nunc quoque in Berwardum animos concitavit, muliebri perſuaſione juriſdictionem cœnobii Gandeſiani ad Moguntinam, non ad Hildeſianam pertinere eccleſiam perdocens & aſſeverans: ſicque ad cœnobium reverſa inter ſorores diſplicentiæ plurimum contra Epiſcopum Bernwardum ſeminavit. Inſtabat interea dies, qua illuſtriſſima Domina Garburgis cœnobium quod conſtruxerat, poſt prioris combuſtionem conſecrari optavit, verùm valetudo adverſa, quæ longiuſcule illam fatigaverat, eam id operis obire non ſinebat. Sophia illud laboris ipſa Garburgi abbatiſſa annuente aſſumſit perficiendum, quæ primò ad morem ſuū Epiſcopum contemnens archiepiſcopum Willigiſum acceſſivit, quo decernente, dies conſecrationis in commune conſtituitur. Archiepiſcopus quaſi jure id officii peracturus, Bernwardo litteras mittit mandans, quatenus ad eccleſiæ dedicationem ſibi adjutor occurrat. Maximæ hinc inter Epiſcopos diſceptationes oriuntur. Ille quidem vi tentat, at hic vim vi pellit, & omnino perinde atque juris alieni invaſorem banni interpoſitione ab opère ſuſpendit. Eo tandem poſt ſynodos multas perventum eſt, ut ſanctiſſimo Papæ & invictiſſimo Imperatori litis deciſio facienda decerneretur: cujus quidem ſucceſſum & determinationem, qui ſcire optaverit, vitam Divi Bernwardi legat. Porrò autem ipſa eccleſiæ conſecratio ad uſque Henrici glorioſiſſimi Imperatoris, qui Ottonem tertium ſequebatur, ſub diſſenſione agentibus Epiſcopis, protelata fuit, ut patebit in ſequentibus.

Otto tertius moritur & Henricus Dux Bavariæ in illius locum eligitur.

Invictiſſimo Imperatore & ſemper Auguſto tertio Ottone Romæ cum ingenti totius Imperii dolore vitæ ultimum diem claudente non dimiſſo herede, Principes votis in Henricum illuſtriſſimum Principem Bavariæ Ducem directis, ipſum Regem, demum Imperatorem ſtatuerunt An. 1000. Hunc quidam filium volunt fuiſſe principis Henrici fratris videlicet Ottonis Magni. Quod autem nonnulli (ut ille qui rithmo de eccleſiæ Gandeſianæ conſtructione ſcribit Teutonico) hunc filium fuiſſe Ottonis tertii veritate caret, licet dominam Sophiam ſororem in privilegio ſuo vocet: cognationis enim ratione eo ad illam vocabulo utitur. In hunc illuſtriſſimum Principem divinæ humanæque ſapientiæ omnium moderator Deus theſaurum contulit. Huic Kunegundis Regina uxor fuit, voto quidem matrimoniali, non autem carnali copula. Lege namque conjugali quidem juncti legem copulæ carnalis ſupergreſſi ſunt, & ſupra virtutem caſtitatis arcem in plurimorum hoſtium medio defendentes trophæa virginitatis cœlo intulerunt. Hic invictiſſimus Princeps ſororem habuit, quam Regi Ungariæ Stephano adhuc gentili in Uxorem dedit, & ex hoc ipſe Stephanus cum tota Ungaria Chriſti fidem aſſumſit. Iſte Henricus aviti Spiritus ſucceſſor Gandesheimenſi cœnobio non defuit, caſtrum Derneborch, quod inter Halberſtadiam & Warnirode ſitum eſt, eccleſiæ Gandeſianæ dedit, inſuper & ea quæ ſequenti continentur privilegio.

Privilegium Henrici Imperatoris primi, Regis ſecundi.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus Dei favente clementia Rex. Noverit omnium Chriſti fidelium præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, qualiter nos concambio commutationis curtis Badeliska nominatæ quandam juris noſtræ Dalebeim in pago Ambraga in Comitatu verò VVichmanni Comitis ſitam, cum omnibus ſuis pertinentiis ſive appendiciis, villis, ædificiis, pratis, paſcuis, ſilvis, venationibus, aquis, aquarumve decurſibus, molendinis, piſcationibus, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, viis & inviis, cultis & incultis, ſeu cum omnibus, quæ quolibet modo dici aut nominari poſſunt, utilitatibus ſanctæ eccleſiæ Gandesheimenſi conſilio & conſenſu Sophiæ ſororis noſtræ, & ejusdem monaſterii abbatiſſæ, per hanc noſtram regalem paginam concedimus, & de noſtro jure & dominio in ejus jus & dominium transferimus. Inſuper etiam eidem eccleſiæ Gandesheimenſi bannum ad manus noſtras ſpecialiter pertinentem in prædicto pago Ambraga quingentos arietes, quos ex debito liberi homines, nunc vel anteceſſorum noſtrorum temporibus ipſi & parentes ipſorum ad ſupra dictum locum ſemper ſolverunt, unà cum præſcripta curte Dalebeim, cunctis utriusque ſexus familiis eò pertinentibus, ſeu cum cæteris ejus utenſilibus ſimili modo regaliter largimur: Hoc quoque regia auctoritate ſtatuentes, ut nullus prædictorum liberorum alicui præter Gandesheimenſi ſe ſubdat eccleſiæ. Et ut hæc donationis noſtræ auctoritas ſtabilis & inconvulſa permaneat, hoc præceptum inde conſcriptum manu propria corroborantes ſigillo noſtro inſigniri juſſimus. Datum 3. Non. Septembr. indictione 8. anno Dominicæ incarnationis 1009, anno verò Henrici ſecundi 8. Actum in Gelenheim feliciter, Amen.

De Sophiæ prædictæ regimine.

Domina Sophia in regimen electa, quemadmodum ante velationis benedictionem non niſi à palligero accipere voluit, ita quoque nunc in abbatiſſam conſecrari à non palligero inviſo ſibi Bernwardo noluit. Quæ ut voluntatis ſuæ compos evaderet, Regis atque Reginæ aliorumque principum aures demulcens id obtinere curavit. Quibus pro re præſulem Bernwardum pulſantibus, inſipientiæ ceſſit dans locum petitionibus.

his dictis reticuit oculosque depresſit. At illa nimio ſtupore pavefacta, ſilenter aſtantibus dixit: Heu me miſeram! Haud tamen ipſum amplius inquietare præſumſit, ſed humiliter ſibi indulgentiam & licentiam dari petivit. Quod ubi audivit pius pater, breviter eam de ſacræ religionis obſervatione commonuit, & de obedientiæ imperfectione coarguit, ſicque elevata dextra eam benedictione munivit. Ubi autem Divi patris obitum Sophia audivit, eò ſorores atque bresbyteros mittens cum oblationibus ſuis meritis illius ſeſe commendari fecit. Verborum inſuper illius memor ad venturam Deiparæ virginis Mariæ aſſumtionem primùm, deinde etiam ad natalitium illius diem pavens prophetiam expectavit. Quæ tamen incipiente ſequenti anno, ante purificationis virginis ac matris ſolemnitatem 3. Kal. Februar. ex hac vita migravit. 1037.

De diſceptationis præſcriptæ Judicio.

Non quidem propoſiti mei, eſt facta judicare, ſed ſcribere, verùm diſſenſionis tantæ cauſſa conſiderata, illud quod mihi videtur, inferre curabo. Cum cœnobium Gandeſianum à ſui etiam fundatione liberum ab omnibus & Romanæ ſedi immediatè ſubjectum fuerit, nullus Epiſcoporum, vel etiam Principum aliquid proprietatis ſibi uſurpare in illo poterat. Prætipuit enim omnibus ſedes Apoſtolica jus jurisdictionem & proprietatem fundandi & etiam fundati cœnobii. Deindeque Imperialis majeſtas liberum reddidit, ut ſatis ſuperque ex privilegiis claret. Itaque cum non ſubeſſet jurisdictioni Epiſcoporum, liberam habuerunt poteſtatem vocandi Epiſcopum, in quem illis placuiſſet, vel ad benedicendum eccleſiam, vel ad velandas virgines. Verum ſi ad diſſenſionis cauſſam oculos reflectimus, obvium fit, quomodo Epiſcopus Moguntinus proprietatem eccleſiæ & jurisdictionem illius, quam nunquam habuit, & uſurpare voluerit, & uſurpatam defendere. Antiſtes autem Hildeſianorum auctoritatem & proprietatem, quam à fundatione ipſius cœnobii prædeceſſoribus ſuis nunquam negatam, etiam ultra ducentos annos conceſſam relinquere noluerit, ac contra invaſorem laborarit defenſare. Non ergo tuendæ libertatis gratia pugnatum eſt, quam enim Hildeſianis Epiſcopis negavere proprietatem eam in Antiſtitem Moguntinum transferre voluerunt. Omnis igitur controverſiæ illius cauſſa eſt, quod principiis non reſtiterunt, privilegia libertatis defendendo, ſed libere magis Epiſcopos Hildeſianos intromittendo. Unde privilegiorum nulla in diſſenſione fit mentio, niſi quod ſemel incognitas eousq; produxerunt litteras, quibus auferendi poteſtas reſecatur, aliquid videlicet illorum quæ data fuerunt ad locum. Hujus autem ſectionis ratio fuit: Nam Divus Bernwardus cum ſe contemtu habere videret, humanum quid paſſus, de donatis tum à prædeceſſoribus ſuis, tum etiam à ſe ipſo ad ipſum locum aliquam pœnitudinem gerebat, ut clarius in vitæ illius deſcriptione liquet. Omnis ergo illius diſſenſionis & controverſiæ finis exemptionum fuiſſent privilegia, ſi ad libertatem tuendam pugnatum eſſet, ſed proprietatis longiuſcule uni conceſſæ auctoritatem alteri, qui eam nunquam noverat, dare litem conſtruxit, & tantorum malorum fomitem miniſtravit. Quare autem illis auferre, & huic dare voluerint Deo judici conſtat.

De Athelheidis primæ electione.

Illuſtriſſima fœmina Domina Sophia hujus nominis primâ ſeculo exempta, venienti de Nivella ſorori ejusdem Athelheidi nomine vota ſorores cœnobii Gandeſiani dantes, illam in abbatiſſam ſibi elegerunt. Quam confirmatam, neſcio quis Epiſcoporum, coram Imperatore Conrado maximo cum honore benedixit. Hic Conradus eſt, qui Henrico hujus nominis regi ſecundo, Imperatori autem primo ſucceſſit. Fuit autem Dominæ abbatiſſæ ſangvine junctus. Obiit verò idem anno conſecrationis eodem videlicet 1040. Eadem autem Atelheidis in Quidelingeburch abbatiſſa fuit, at brevi tempore vixit.

De Beatricis electione.

Illuſtriſſimâ quoque fœmina Domina Atelheidi rebus humanis exemta, ſereniſſimi regis Henrici hujus nominis tertii poſtea Imperatoris ſecundi, filiam Beatricem vocatam, in defunctæ ſedem locavere. Quia verò de Imperatoribus hîc agitur, non ab

ab re judicaverim, ſi de illis paucula perſcribamus, maximè cum de hoc Henrico Chronographi diverſa ſenſerint: alii enim hunc Conradi generum, alii filium dicunt fuiſſe. Illorum teſtimonio, qui hunc Imperatoris generum fuiſſe autumant, verba afferam. Conradus Auguſtus natione Francus Giſelam de antiquo & glorioſo Carolorum ſangvine oriundam uxorem habuit,& multas leges condidit: quarum tranſgreſſor Comes Lippoldus accuſatur. Qui Auguſti faciem reveritus, latiſſimam intravit ſolitudinem, ibique omnibus incognitus cum uxore vixit vitæ redimendæ gratia. Contigit autem inter venandum Cæſarem ibi pernoctare, qua nocte Lippoldi uxor peperit. Dum autem Cæſar obdormitaſſet, vocem audivit dicentem: accipe, accipe, accipe: ad quam vocem tremens item audivit: redde, redde, redde: denique fuge, fuge, fuge: Conrade hic puer erit tuus gener. Quam ob cauſſam puerum occidi juſſit, & in necis ſignum ſibi lingvam illius deferri. At qui occidere juſſi fuerant, elegantiâ pueri moti, vivum dimittentes, loco lingvæ necis imperatæ indicem, leporis lingvam Cæſari præſentaverunt. Inde caſu Henricus Saxonum Dux iter carpens puerum tam pulcrum videns in filium adoptavit, ſibiq; cognominem fecit. Puer crevit & omnium oculis ob pulcritudinem & prudentiam placuit: ejusdem ſpecie & moribus Conradus Imperator delectatus ab Henrico Duce eum ſibi dari in obſequium petivit. Adoleſcentior factus miro omnium affectu amabatur, adeo ut ſuſpicione adureretur Cæſar, timens ne ob tantum affectum & fervorem, quem videbat in omnibus, ille eſſet puer, quem dudum occidi juſſiſſet. Quapropter ex Italicis oris reginæ litteras ſcripſit, quibus perimendum mandavit adoleſcentem. Dedit itaque juveni litteras, quales David quondam Uriæ. Contigit autem adoleſcentem apud quendam ſacerdotem hoſpitari, qui adoleſcente quieſcente, dum illius res perſcutaretur, litteras vidit, & novitatum cupidus cautè, ita ut legere poſſet, illas aperuit. Ubi verò adoleſcentis mortem litteris mandari comperit, ſcelus exhorrens cautiſſimè necis mandatum abraſit, ejusque in locum, ut Cæſaris filia mox litteris viſis adoleſcenti daretur ſcripſit. Litteris acceptis, & elegantiam juvenis videns regina, haud diſtulit, quod imperatum absque morâ fuerat fieri, perficere, filiamque ſuam nuptui dedit. Quod ubi Imperatori indicatum fuit, contra, inquit, Dei voluntatem non poſſumus. Porrò autem cum prole maſcula Cæſar careret, generum ſuum in filium adoptavit, regnique & Imperii habuit ſucceſſorem. Hic eſt Henricus in numero regum hujus nominis tertius, Imperatorum autem ſecundus. Hic eo in loco, quo pater & mater eremum colebant quondam, monaſterium virginum ſolenniſſimè ædificavit, dictum Herauga in ditione Paderbornenſi. Hujus filia fuit Beatrix, quæ Atelheidi defuncta in abbatiſſam electa fuit.

De ipſius Beatricis regimine.

Ea ipſa Beatrix abbatiſſa ſuper rerum eccleſiæ Gandeſianæ malâ diſpenſatione ad Victorem Papam tertium accuſata, Romam perrexit, & aliquot ibidem dies morata, non ſolùm ſummi Pontificis gratiam recuperavit, ſed etiam munus benedictionis, atque libertatis privilegium obtinuit.

De Atelheidis ſecundæ electione.

Beatrice & vita & officio perfuncta in Atelheidin illuſtriſſimam Dominam vota fundentes abbatiſſam ſorores elegerunt. Quam confirmatam, licet diu rexerit, præter tamen conſecrationem eam obiiſſe ſcribunt, quamvis genus illam commendet & tempus. Non fuit Beatricis præcedentis ſoror, ut quædam Chronica fallitur, quæ duas Atelheides ſimul poſt Beatricem deſcribunt. Nam tertia Atelheidis quando rexerit nullus fidelior, quam Cluſini cœnobii fundationis litteræ, ut patebit. Illa Atelheidis ſecundò combuſtum monaſterium dedicari fecit.

De Frederunthæ electione.

Ubi in fata Atelheidis ſecunda conceſſerat, in generoſam Dominam Frederuntham ſororum vota ceciderunt. Quam electam & confirmatam reverendus pater Dominus *Dudo*, *Padeſontanæ* civitatis Antiſtes conſecravit. Hujus abbatiſſæ temporibus lux cœlitùs ſuper monaſterium Gandesheimenſe diffuſa ipſum maximis ſplendoribus implevit atque illuſtravit: denique cœcis ſurdis, debilibus, claudis &

id

id genus aliis divina gratia ſanitatis beneficium eò loci conceſſit, multis mirati dignis eodem tempore contingentibus. Minimè tamen litteris commendatum reperi, quonam loci, an videlicet in communi omnibus eccleſia, an ad virginum ibi quieſcentium buſta ſint facta miracula. Non abnuo etiam multa ſanctitate primæ inſtitutionis virgines apud Deum poſſe, ob vitæ cœnobialis integritatem, qua mundo claruerunt.

De Agnetis primæ electione.

Ubi inclyta Domina Frederuntha inferiis celebrata fuit, illuſtriſſimam fœminam Dominam Agneten Henrici Imperatoris ſororis filiam in defunctæ ſedem elegerunt. Hanc ob juventutis inexperientiam multis eccleſiam damnaſſe ferunt, & inconſecratam diem ſuum obiviſſe extremum.

De Atelheidis tertiæ electione.

Poſteaquam Domina Agnes rebus humanis valefecit, in unum adunatæ ſorores in religioſiſſimam matrem moribus maturam Dominam Atelheidin vota dirigentes ipſam in abbatiſſam elegerunt. Hæc Henrici regis quarti, Imperatoris autem tertii filia fuit, quàm generis nobilitate inclaruit, tam vitæ integritate ac morum probitate, ut noſtra & tenent, & loqvuntur privilegia reſplenduit. Hæc quinti quoque Henrici regis Imperatoris autem quarti ſoror fuit. Et quia de Imperatoribus cœpimus libet paucula Atelheidis hujus gratia de eisdem commemorare. Henricus itaque rex tertius hujus nominis, Imperator autem ſecundus, ubi mortem ſibi celerem futuram intellexit, quia & Goslariam dilexit (ubi monaſterium Sanctorum Simonis & Judæ conſtruxerat) & Spiram, utrobiqve manere mortuus voluit. Inteſtina corporis cum corde Goslariam deferri mandavit: cadaver autem ita iſtis vacuum Spiræ juſſit ſepelire. Vir bonus fuit, cui probitas & pietas nomen dedit.

Huic filius ejuſdem nominis ſucceſſit ætate puer: erat enim (ut ajunt) vix ſenos natus annos. Porrò illuſtriſſima Auguſta Agnes mater regis vicem fungens denis ferme annis negocia totius Imperii rexit. Poſt quos, ubi filium regem leviuſculè agere & plurima regno impendere mala, quibus contraire non poſſet, vidit, pertæſa laborum ad monaſterium Fruteriam ſe contulit, illicque cùm aliquot annos religioſè vixiſſet, Romam tandem adivit. Ubi aliquo tempore in Dei amore peracto, vitæ terminum attigit, ſepulcraque in eccleſiâ Divæ Petronellæ honorificè in tumbâ marmoreâ quieſcit. Hæc eſt mater Henrici, de quo loquimur, & Atelheidis de quâ agimus avia.

Henricus autem hic pater Atelheidis, quartus hujus nominis rex, tertius verò Imperator, plus poteſtate, qvàm animi moderatione regens, plurimorum biles movit, maxime autem Saxonum animos amaricavit, eo quod Ottonem Ducem Saxoniæ ſive Brunſvicenſem Ducatu Bavariæ privaſſet, & Welphoni Suevo contuliſſet. Iſte eſt Otto, qui monaſterium Northemenſe in honorem Divi Blaſii Præſulis ac martyris ædificavit. Huic erant filii Sifridus, Henricus & Cono, quos ubi Ducatu Bavariæ privati fuerant, primum Ducatus honore & nomine privari contigit, & Comites de Homborg, de Daſſel, & de Everſtein vocati fuerunt, unusquisque à loco, quem ſortitus (patre diſtribuente) fuerat. Sifridi filius Sifridus monaſterium Amelingsborn ædificavit, & ſine liberis mortuus in capellâ cum patribus in Northeim ſepultus quieſcit. Henricus à militibus Trajectenſis Epiſcopi interemptus periit. Cono frater ejus à funeſtis quibusdam hominibus noctu percuſſus violentâ morte finem vitæ ſortitus fuit.

Iſte rex Henricus caſtrum Hartesborch unde Saxones frequenter impugnavit conſtruxit. At Saxones, Ottonis Ducis prædicti auxilio, caſtrum ipſum deſtruxerunt. Et licet plus qvàm quinquies contra Saxones procinctum moviſſet, nunquam tamen niſi cruenta victoria illi ceſſit: in quâ & Gebhardus pater Lotharii, poſtmodum Imperatoris, occubuit ex parte Saxonum: Anno Domini 1106. divina clementia regis ſorefacta purgante, & hominum malitiâ ſufflante, Henricus hic reſignare filio regalia compellitur, & filius patrem (quod nefas eſt dicere) perſequitur. Paullo-poſt, potentiſſimus qvondam princeps, peregrinus & pauperrimus, quon-

quondam orbis dominus, moritur, & Henricus filius ejus, nominis quidem hujus rex quintus, Imperator autem quartus, ad voluntatem & regno potitur, & imperio jam adepto, anno videlicet 1106. ſcilicet jam liberè & abſque formidine.

De regimine Atelheidis ejusdem.

Illuſtriſſima itaque Domina Atelheidis ad munus Abbatiſſatus adſcita, in ultimum pene annum Henrici quarti Imperatoris, regis autem quinti fratris ſui perſecutoris perduravit. Hujus illuſtriſſimæ Dominæ Atelheidis ſub regimine Cluſenſe monaſterium ædificatum eſt, & illius penultimo anno conſecratum. Quod etſi non legimus fundaſſe ſimpliciter, malè enim meritorum negligentiâ obliteratum eſt, quis vel fundaverit vel adjuverit, eam tamen & fundum & circumjacentia dediſſe, privilegia noſtra tenent, & tertius Imperator Lotharius confirmans teſtatur. Unde non negamus illuſtriſſimæ Dominæ Atelheidi tam genere quàm moribus vitæ pollenti fundatricis nomen. Vixit adhuc anno Domini 1124. quo anno Cluſinum cœnobium fuit conſecratum.

De Bartæ primæ electione.

Poſt deceſſum ab hoc mundo illuſtriſſimæ Dominæ Atelheidis tertiæ in Dominam Bartam vota ſororum concurrunt: quam electam & confirmatam Antiſtes Padeſontanæ civitatis in abbatiſſam conſecravit anno 1126.

De ſecundæ Lutgardis electione.

Illuſtris Dominæ Bartæ poſt obitum, omnium votis generoſa Domina Lutgardis cœnobio Gandeſiano præficitur. Quam Lotharii Regis rogatu Bernhardus Hildeſiarum præſul Goslariæ in abbatiſſam conſecravit anno Domini 1134. Hanc cum monachis Cluſinis gravem & diuturnum conflictum habuiſſe antiquiores libri teſtantur, ſed diſſenſionis cauſſam non afferunt, nos autem aſſignabimus illam. Cum tempore conſtructionis hujus cœnobii, ſcilicet Cluſini, penè nullum eſſet in Germania monaſterium, in quo vita cœnobialis ad normam Divi patris Benedicti floreret, ſed omnes limitibus trangreſſis ſuæ faverent inventioni, divina interim revelatione Cluniacenſis reformatio introducta & ab aliquibus monaſteriis ſponte aſſumebatur, aliquibus etiam invitis imponebatur, & maximo ſuæ integritatis rumore terras perfudit. Porrò autem cum Lutgardis eccleſiæ Gandeſianæ profecta melioris inſtitutionis famam audiviſſet, fratrum hic degentium & merum & vitæ inſtabilitatem cognitam habens, indoluit, & ad corrigendam vitæ cœnobialis imperfectionem operam dare cogitavit, quod noſtris privilegiis reſtantibus certò ſcimus. Quales enim erant, quando inſtituebatur, tales etiam introduxerunt fundatores. Quos ubi ad regularis traditionis tramitem corrigere voluit, refractarios reperit. Grave enim eſt, quod ſemel imbibitum rejicere, grave nativum ſitum terræ auferre, grave pellem mutare antiquam. Cæterum ubi aliquantos recalcitrare ſibi vidit, aliquantos vero viſis ſuis occurrere, hos materno quidem affectu complectens, illos verò poteſtatis ſuæ in monaſterium Cluſinum ferula compellens aſſumere reformationem Cluniacenſem coëgit. Quæ ut manu teneretur hoc in loco, & primùm reformationis ipſius fratres Cluſam advexit: deinde ad illam neceſſaria, & donationum factarum confirmationem, & libertatum privilegia ab Imperatore Lothario tertio huic monaſterio impetravit, anno Domini 1134. Hic eſt Lotharius tertius, qui monaſterium Regale Lutter dictum fundavit: cui Henricus quintus hujus nominis Rex, quartus autem Imperator, Ducatum Saxoniæ dedit, eò quod Magnus filius Ortolphi Ducis Saxoniæ filium non haberet. Duas enim tantum filias habuit, quarum una Adelia nupſit Ottoni Comiti, genuitque Albertum cognomento Urſum: altera Wulfhildis Duci Bavariæ Welfoni nupſit & peperit ei Henricum cognomento Leonem, patrem illius, qui in Brunſwick quieſcit, de quo poſthac dicetur. Iſte Henricus Imperator Halberſtadium deſtruxit, Brunſuick oppugnavit quidem obſidendo, at non expugnavit. Saxones enim adunati duro marte aggreſſum finibus ſuis expulerunt. Quin & Slavos eodem tempore Saxoniam devaſtantes valida manu plurimis ex illis proſtratis procul egere. Poſt multa tandem diſcrimina Imperator ille Henricus ultimum diem clauſit, 1124. quo anno inviĉtiſſimus Lotharius cæpit & glorioſiſſimè & toto vitæ ſuæ tempore rexit, & de omnibus triumphavit vir bonus & rectus. Anno verò 1138. Deo atque naturæ conceſſit, & in monaſterio

ſterio Lutter, quod ipſe ædificavit, humatus quieſcit. Huic Conradus Henrici ſuperioris Imperatoris ſororius ſucceſſit, & hic 1152. mortem obivit, cui ſucceſſit Fridericus Suevorum Dux Friderici Ducis filius. Hucusque de Imperatorum ſucceſſione, ad abbatiſſarum ordinem revertendum.

De quartæ Atelheidis electione.

Poſt illuſtriſſimæ Lutgardis ſecundæ ab hoc mundo diſceſſum, in quartam Atelheidin filiam Friderici Comitis Palatini votis directis, elegerunt in abbatiſſam. Hæc ſuo tempore tertiò combuſtum monaſterium Gandeſianum decentiſſimè reædificavit, & eccleſiam feneſtris, picturis, tabulis & id genus aliis ornamentis decoratum, à quinque epiſcopis conſecrari fecit.

De quintæ Atelheidis electione.

Quarta Atelheidi vita poſt triginta annos, quibus rexit perfuncta in quintam illius nominis Atelheidin generoſam Dominam Haſſiæ, vota ſua ſorores dirigentes eam in ſedem vita functæ poſuerunt. Quam electam Hildeſianorum Antiſtes Adologus in abbatiſſam benedixit. Hanc eccleſiæ bene præfuiſſe veterum monumenta declarant. Cæterum Duci Henrico ab Imperatore Friderico proſcripto, poſt reditum bona illius reſtituit, tabula quadam Divi Georgii in compenſationem reſtitutorum recepta. Hæc ubi ad Imperatoris aures pervenerunt, factum abbatiſſæ averſabatur, & iram denunciavit eidem, quam tamen poſtmodum placavit multis interpoſitis precantibus. Quia autem hic de Duce proſcripto dicitur, reſtat ut de illius proſcriptione nonnihil in medium afferamus. Dux iſte Saxoniæ Henricus Friderico Imperatori primo maxime dilectus fuit ob egregia facta, quæ tum alias, tum maxime Romæ in Duce experiebatur. Quam enim erat potens armis, utpote totius Saxoniæ Dux, & penè à mari, hoc eſt, à Dacia usque ad mare, hoc eſt, Siciliam dominans, tam erat & potens conſiliis. Huic erat cognomen Leonis, unde dicebatur Henricus Leo, de cujus patre in ſuperioribus dictum eſt. Ob igitur gratiam, qua in Ducem ferebatur Cæſar, marchionatum illi Auſtriæ contulit, quem fecerat Ducatum eximendo à jurisdictione Bavariæ. Uxorem habuit filiam Regis Angliæ Machtildin nomine. Plurimas eccleſias fundavit in Ratzeborg, in Lubeck, in Brunſuiga S. Blaſii, in qua requieſcit cum Uxore, item Johannis Baptiſtæ. Sclaviam ſubjugavit illorum principem Nicholi trucidando, & epiſcopos inſtituendo Gheroldum in Oldenborch, Eueroldum in Ratzeborch, Ernoven in Magnopoli Hieruſalem devotionis cauſſa adivit, & maximo cum honore à Rege Hieruſalem invitatus fuit, & etiam à Soldano plurimis donatus, plusquam mille marcas argenti ad templi luminaria dedit Templariis iſte Henricus. Paullò poſt Fridericus Imperator Mediolanenſibus ſuccenſens contra illos arma paravit. Cum autem cæteri principes conniviſſent Cæſareæ majeſtati, Henricus Saxoniæ Dux ſolus videbatur gravatim ferre Imperatoris ſententiam. Quod ubi Imperator vidit in tam ſibi dilecto, perinde atque ſi amicus amico, genu flexit, me inquiens non deſeras rogo. At, neſcio quo ſidere ſui neſcius Henricus nec ſupplicem, ut par fuiſſet, levavit, nec roganti annuit. Mox ergo Imperatrix Regem levare feſtinavit, eidemque dixit: mi Domine ſurge, & caſus hujus meminerit Deus. Jordanus autem quidam Dapifer Duci adulando dixit: Domine Princeps, Imperii corona ad veſtros pedes hodie cecidit, ventura eſt dehinc ad caput. At malè mentitus fuit, & certè malo omine iſta Cæſaris ad Principem humiliatio facta. Exinde enim fortuna dorſum Henrico Principi oſtendit. Ubi namque alii principes Henrici Ducis opimis rebus invidi, Imperatorem ipſi Duci offenſum reſciviſſent, majores ſtimulos illius iræ addentes Ducem variis accuſationibus Imperatori detulerunt, adeoque animum illius contra Henricum accenderunt, ut Herbipoli curiâ indictâ omne feudum, quod vel ab Imperio vel Epiſcopis Dux Saxoniæ ſibi collatum habuerat Cæſarea auctoritate illi auferret: demumque Ducatu exemptum Goslariæ proſcriberet. Quod moleſtiſſimè Dux potentiſſimus ferens, contra Imperium vim maxime exercuit, & contra Ducem, cui Ducatum Imperator dederat, arma ferociſſimè movens Thuringiam prælis & incendiis devaſtando, Northuſen, Molhuſen, civitates Imperiales Vulcano dedicavit: Halberſtadium dirutum incendit, opulentiſſimam civitatem Bardewieck deſtruxit, ut modò etiam videtur: cujus in locum vel propè Lunenborch ædificata

ficata eſt: nam primum tantum caſtrum fuit, unde urbi nomen acceſſit. Proſcripto etiam Duce, Philippus archipræſul Colonienſis, cui cum Duce jam tribus annis gravis diſſenſio fuit, nactus ad ſuam ſententiam tempus, tribus millibus equitum, & innumerabili peditum multitudine vallatus, Ducatum illi Weſtphaliæ & Angriæ belli jure abſtulit, qui ducatus hodie usque Epiſcopis Colonienſis eccleſiæ manet confirmatus, adeo ut in Pontificem confirmatus, id electionis approbatione obtineat, quod carnis propagatione non ſcivit: mox ſiquidem titulus Weſtphaliæ & Angriæ Ducatus illi datur, & adſcribitur Ducis meritum. Imperator etiam Lubecam accedens & diu oppugnatam in deditionem accepit. Verum quis contra Deos arma impunè tulit? Plurimum licet ſæviſſet contra ſententiam Cæſaream Henricus, ubi tamen ſe non poſſe ſubvertere edictum vidit, fulmini vel ſerò ceſſit, & pace poſt multiplicatas principum interceſſiones obtenta, Cæſareæ ſeſe ſubſtravit poteſtati. Plectitur ob culpam læſæ majeſtatis exſilii pœna, & circa feſtum Divi Jacobi Apoſtoli Anglicas oras petivit cum uxore Mechtilda Regis Angliæ filia. Ubi cum triennio vitam exſul peregiſſet, clementiſſimus Imperator, interceſſorum inſtantia ad miſericordiam flexus, mitiorem ſententiam dedit, & exſulem in patriam revocari indulſit, demumque quantum libuit pro bona voluntate reduci Principi reſtituit. Huic ita reverſo Domina Abbatiſſa bona reſtituit, ob quam cauſſam Friderici Imperatoris, ut vetuſtiſſimi libri continent, iram meruit. Verùm quæ reſtituerit litteris mandatum non eſt: tabula vero ipſa, quam in amicam compenſationem accepit, hodie usque in eccleſia quidem manet, & præcipuis in feſtis una cum reliquis ſanctorum in palàm proponitur, ſed nec tot gemmis ornata, quot ante habuerat, quin & duæ ſtatuæ vel columellæ aureæ non comparent. Cæterùm propter dicendorum rationem non obliterandum putavi, quod Henricus iſte tres habuit filios, Ottonem, Henricum & Wilhelmum. Ipſe Henricus finem vitæ adeptus in eccleſia Divi Blaſii in Brunſuick ſepultus fuit.

Noveris optime lector, quod Otto Friſingenſis Antiſtes Chronographus quendam Henricum Saxoniæ Ducem, proſcriptum ab Imperatore Conrado, introducit, de quo ſimilia noſtris multa dicit, multa etiam diſcrepantia, quem dicit generum fuiſſe Lotharii tertii. Verum ego Saxonicos ſcriptores ſecutus, qui noſtrum Henricum à Friderico proſcriptum & metro & proſa declamant. Imò & abbatiſſæ illius, cujus gratia hiſtoriam perſequimur, monumentis offendimus, quod iram Friderici meruerit, eò quòd proſcripto bona reddidit. In ſequentibus quoque patebit, cum de Ottone proſcripti filio differendum, & ex ſequentibus liquet.

De Mathildis primæ electione.

Vita pariter & officio Atelheida quinta perfuncta ejus in locum Mathildis Generoſa Domina Comitiſſa de Woldenberg & Woltrode ſurrogatur. Hanc Præneſtinus epiſcopus, & ſedis Apoſtolicæ legatus Guido, in abbatiſſam, Ottone quarto Imperatore præſente, in Northeim benedixit.

Iterum de Imperatoribus ut aliquid introducam Otto memoratus expoſtulat. Friderico Imperatori Henricus filius ſucceſſit 1190. Quo vita & Imperio perfuncto 1197. nonnulli in Philippum Sueviæ Ducem conſenſerunt, nonnulli in Ottonem Henrici Ducis Saxoniæ quondam proſcripti filium, in quem & Papa Innocentius tertius ob crudelitatem Henrici fratris Philippo adverſus conſenſit. Richardus quoque Rex Angliæ Ottonis avunculus & archiepiſcopus Colonienſis partes Ottonis juverunt. Mandante igitur Papa Otto Rex benedicitur, oritur inter Philippum & Ottonem bellum grave non paucis annis, dicentibus etiam quibusdam, ut Vincentius Beluacenſis teſtatur, eum non debere imperare, Ottonem videlicet, cujus pater Friderico fuiſſet obnoxius, læſæ majeſtatis crimine. Ecce bone lector, hic habes teſtimonium de Henrico proſcripto, qui fuit ſub Friderico primo. Poſt varios tandem præliorum anfractus, Philippus dolo interfectus occubuit, & naturæ debito coactè quidem ſoluto Ottoni etiam nolens imperium derelinquit. Is itaque poſt Philippi mortem Romam petivit, illicque in Auguſtum benedictus cum ad propria rediiſſet, Philippi Regis filiam in uxorem accepit, ac duodenis ſummam rerum annis poſteaquam rexit, & vita exceſſit & imperio. Hic primus Henrici proſcripti filius fuit: de fratribus autem illius in ſequentibus, cum ad ſecundum Mathilden ventum fuerit, dicetur.

Digitized by Google

De regimine Mathildis ejusdem.


Generoſæ hujus Dominæ Mathildis tempeſtate præſul Hildeſianus Herebertus nomine, maximâ vi proprietatem in eccleſia Gandeſiana & monaſteriis adjacentibus ſibi uſurpare laborans plurimas tribulationes abbatiſſæ ſubminiſtravit. Quas ubi ob nimietatem ſuis viribus repellere Domina Mathildis non quiviſſet, contra ipſum Antiſtitem Apoſtolicam ſedem appellavit, & propriâ etiam in perſona Romam adivit. Ubi diſſenſionis exortæ & motarum cauſſarum agens victricia libertatis privilegia ab Innocentio tertio Pontifice ſummo obtenta Gandeſiam ad modum, ut ſequitur, ſecum aſportavit.

Privilegium Innocentii Papæ tertii.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, in Chriſto filiæ Machtildi abbatiſſæ monaſterii SS. Anaſtaſii & Innocentii in Gandesheim, ejusque ſororibus regulariter inſtitutis. Prudentibus virginibus, quæ ſub habitu religionis accenſis lampadibus per opera ſanitatis jugiter ſe præparant ire obviam ſponſo, ſedes apoſtolica debet patrocinium impertiri, ne fortè cujuslibet temeritatis incurſus, aut eas à propoſito revocet, aut robur (quod abſit) ſacræ religionis eneruet. Ea propter, dilectæ in domino filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium in Gandesheim, quod ad Romanam eccleſiam nullo pertinet mediante, & in fundo & proprietate Beati Petri noſcitur eſſe conſtructum, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ad exemplar felicis recordationis Agapyti & Joannis prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, cum clericis & miniſterialibus omnibus ad idem monaſterium pertinentibus, ſub Beati Petri & noſtram protectionem ſuſcepimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſi quidem ſtatuentes, ut Canonicus ordo, qui hactenus eſt obſervatus ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſentiarum juſtè & canonicè poſſedit, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterint adipiſci, firma vobis & vobis ſuccedentibus ac illibata permaneant. In quibus hæc propriis vocabulis duximus exprimenda. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt, cum civitate, teloneo ac foro & omnibus pertinentiis ſuis infra civitatem eccleſiam S. Mariæ, in qua eſt monialium conventus eccleſiam S. Bonifacii in Bruntesbuſen, ubi ſunt moniales incluſæ· monaſterium de Cluſâ, ubi ſunt monachi nigri, & eccleſiam S. Georgii, quæ omnes juxta civitatem Gandesheim ſunt in fundo & proprietate Beati Petri conſtructæ: Villicationem in Dengte cum eccleſiis & omnibus pertinentiis ſuis: Villicationem in Hollenſtede cum omnibus pertinentiis ſuis: Villicationem in Heribuſen cum omnibus pertinentiis ſuis: Caſtrum Wantzleve cum parochiâ villicatione & omnibus pertinentiis ſuis: Erike, Dengſtede cum eccleſiis & omnibus pertinentiis ſuis: Villicationem in Geveldehuſen cum parochiâ eccleſiis & pertinentiis ſuis: Caſtrum in Bruggem cum eccleſiâ & quingentis, regalibus manſis, omnique ſilvaticâ utilitate: caſtrum Dernborch: villicationem Wichuſen cum eccleſiis & omnibus pertinentiis ſuis: Alvelingerot cum eccleſiis & monetâ, & omnibus pertinentiis: Cracht, Calcheim, Bliderſtorp cum eccleſiis vineis & omnibus pertinentiis: eccleſiam Retingeroth, caſtrum Palheim cum eccleſiis & omnibus pertinentiis, eccleſiam in Kerkrichberge & capellam in Sebuſen: & decimas, quas in Colonienſi, Halberſtadenſi & Hildenſemenſi diœceſibus poſſidetis, ſanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus & ſumtibus colitis, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis exigere aliquid, vel extorquere præſumat. Nulli quoque poſt factam ibidem profeſſionem ſas ſit abſque licentiâ de eodem loco diſcedere, niſi arctioris religionis obtentu. Diſcedentem verò abſque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab archiepiſcopis, Epiſcopis, Decanis, archiadiaconis, aliis omnibus eccleſiaſticis ſecularibusve perſonis omnino fieri prohibemus. Chriſma verò, oleum ſacrum, conſecrationes altarium ſeu baſilicæ, ordinationem clericorum & capellanorum veſtrorum, qui ad ſacros ordines fuerunt promovendi & cætera eccleſiaſtica ſacramenta, à quocunque malueritis catholico Antiſtite, communionem & gratiam Apoſtolicæ ſedis habente, absq; pravitate aliquâ præcipimus exhiberi. Probibemus autem omnem cujuslibet eccleſiæ ſacerdotem (præter Apoſtolicam ſedem) in veſtro monaſterio ali-


quam habere ditionem. Auctoritate namque Beatorum Petri & Pauli jubemus, ut nullus rex, dux, marchio, Comes vel alia ſecularis perſona, licentiam habeat ipſum monaſterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profectò juxta id quod Apoſtolicæ ſedis privilegii firmitate conſiſtit, inconcuſſe ditatum permaneat & locis ac rebus, tam his, quas moderno tempore habet vel poſſidet, quàm quæ futuris temporibus in jure ipſius monaſterii divina pietas voluerit adaugere, ex donis, oblationibus, decimiſque fidelium absque ullius perſonæ contradictione firmitate perpetuâ perfruatur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci abbatiſſâ. vel earum aliquâ, quæ tibi ſucceſſerunt, nulla tibi qualibet ſurreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ poſtponatnr, niſi quam ſorores communi conſenſu, vel eorum pars conſilii ſanioris de ipſius collegio monaſterii ſi idonea reperiatur ibidem ſecundum Dei timorem providerint eligendam. Libertates quoque & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemtiones ſecularium exactionum à regibus & principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas autoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatum monaſterium temerè pertubare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integre conſerveantur, earum pro quarum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura ſalvâ ſedis apoſtolicæ auctoritate & in eccleſiis non exemptis diœceſani epiſcopi canonicâ juſtitia. Si quæ igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiove commonita niſi reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſq; ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat, & à ſanctiſſimo corpore & ſanguine Dei & redemtoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen Datum Farentii per manum Joannis S. Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. Romanæ eccleſiæ Cancellarii 10. Kal. Julii Indict. 8. incarnationis Domini anno 1207. Pontificatus verò Domini Innocentii tertii anno 9.

Ego Joannes & S. Stephani in cœlio monte presbyter Cardinalis.



Ego Cinchus & S. Laurentii in Lucinâ pbr. Cardinalis.

Ego Cinchius SS. Petri & Pauli pbr. Card. tt. S. Pammachii.



Ego Guido S. Nicolai in carcere Tulliano Diacon. Card.

Ego Gregorius S. Theodori Diacon. Cardinalis.

Ego Innocentius, catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego

Ego Gregorius S. tt. Veſtinæ pbr. Card.

Ego Leo tt. S. Crucis in Jeruſalem pbr. Cardinalis.

Ego Rogerius tt. S. Anaſt. pbr. Card.
Ego Petrus & Prutianæ tt. pbr. Cardinalis.
Ego Stephanus & S. Chryſogoni pbr. Cardinalis.
Ego Gregorius ad velum aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Joannes Albanenſis Epiſcopus.
Ego Joannes Sabinenſis Epiſcopus.
Ego Nicolaus Tribulanenſis Epiſcopus.
Ego Guido Preneſtinus Epiſcopus.

Ego Ubertus S. Theodori Dia: Cardinalis.

Ego Otto SS. Sergii & Bacchi Diaconus Cardinalis.

Poſt Innocentii Papæ obitum novis iterum cœpit urgeri infeſtationibus. Unde & iterum ſe defenſura Romam adiit & alterum ab Honorio Papâ tertio privilegium obtinuit per omnia præſcripto ſimile. Unde non neceſſarium judicavi illud præſentibus inſerendum. In hoc tamen ultimo loci ſepulturam eſſe liberam inſertum eſt, niſi ſepeliendi, aut excommunicati vel interdicti fuerint, ſalva etiam juſtitia illarum eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Datum Laterani X. Kal. Junii. Indict. 9. Incarnat. Dominicæ æ. 1222. Pontificatus vero Domini Honorii Papæ anno 5.

De ſecundæ Berthæ electione.

Noveris, optime lector, ſummam rerum Eccleſiæ Gandeſianæ ſub Mathilde præſcripta in vertice fuiſſe. Illa namque privilegiis, quæ ad poſteros miſit, potius, quid habuerint, quam quid modo haberent, inſinuat, ut patebit. Mox enim illâ vitâ perfuncta & res cœnobii quoque (ne perſonas dixerim) defecere pedetentim. Generoſa proinde Mathilde humanis exuta in Dominam Bartham hujus nominis ſecundam ex Nienborg Haſſiæ Comitiſſam vota ſororum reciderunt, eamque in defunctæ locum abbatiſſam Conradus Portuenſis Epiſcopus & à latere ſedis Apoſtolicæ legatus benedixit. Præfuit annis pene 30, obque Eccleſiæ defenſionem plurima pertulit.

Reliqua deſunt in MSto.

HENRICUS MEIBOMIUS
Lectori S.

CHronicon hoc Gandersheimenſe Fratri *Henrici Bodonis*, Benedictini in Cœnobio Cluſano, quod proximè adſitum eſt, monachi di-

gnum judicavi, quod publicaretur, quamvis in fine mutilum eſſet, propter multas variasque antiquas notitias, ad hiſtoriam pertinentes, ipſa præcepta Cæſarum inſerta. Non probo quidem omnia, quæ de Saxoniæ Principibus diſſerit monachus; multa tamen præclara, non ſine induſtriæ laude, congesſit, & tradidit. In cap. de Regimine Mathildis II. ſcribit, eam cum Henrico Epiſcopo Hildeſienſi rerum quarundam cœnobii permutationem feciſſe: id quod cum hiſtoria temporum non convenit, quoniam Henricus Brunſvicenſis A. 1334. demum Epiſcopus Hildeſienſis electus eſt. Sed non vacat, nec libet nunc in reliqua inquirere, vel etiam, quæ deſunt, addere. Continuaſſe monachum illum hiſtoriam ſuam usque ad annum 1550. conſtat mihi: Extat vero etiam *M. Michaelis Rupii* Paſtoris & Superintendentis Gandersheimenſis *Chronica Gandersheimenſis*, Germanicè ſcripta, ad finem usque ſeculi ſuperioris. Ego nunc minuta quædam chronica Monaſteriorum, uti illa in MStis invenire, in gratiam antiquitatis Patriæ amantium, adjicio.

CHRO-

CHRONICA
ECCLESIÆ HAMELENSIS

per

JOANNEM DE POLDA

Seniorem Eccleſiæ.

Digitized by Google

CHRONICA ECCLESIÆ HAMELENSIS.

IN nomine Domini, Amen. Quia ob labentem generis humani memoriam, res mirificè antiquitus geſtæ Chronice deſcribuntur, anno igitur à nativitate ejusdem DCCXII. Anaſtaſio ſecundo Imperium Romanorum gubernante, Gregorio ſecundo Papâ ſedem in verâ Româ tenente, qui glorioſum patronum noſtrum Beatum Bonifacium martyrem ad votum Pipini Ducis, majoris domus Franciæ, Beati Wilbrodi Moguntinenſis archiepiſcopi ſenio gravati ac totius cleri precum inſtantiâ, in archiepiſcopum ejusdem ſedis Moguntinenſis propriis manibus, cum magna lætitia cœtus Cardinalium, in craſtino beati Andreæ Apoſtoli conſecravit, pallio, clenodiis, ac multis reliquiis honeſtavit & prænomen filii, quod eſt Bonifacius, propter eximia ſua beneficia erga eccleſiam Dei per annos 40. facta impoſuit: Quia prius Winfridus nomine patris ſui fuit vocatus. Idem venerabilis Papa Gregorius, miſit Beatum virum Bonifacium ad dictum Ducem Pipinum majorem, patrem Caroli M. ut ipſum in primum Regem Franciæ ungeret & conſecraret, quod factum fuit in civitate Jeſſem, quæ nunc Oriens vocatur. Iſte Pipinus Princeps multùm dilexit Beatum Bonifacium, eò quod primitus juvit eum congregare Regnum & ejicere Hildericum Lubertum & Effœminatum & quod prælio ſuæ peregrinationis pacem & concordiam inter patrem ſuum Carolum Martellum vel tondentem ſic dictum, quia omnes principes in circuitu tondebat, & macerabat, & Rabadonum ultimum Regem Friſonum conſtituit & ordinavit. Iſte fuit Rex Rabodonus, qui à Beato Wulframo Epiſcopo debebat baptiſari, habens unum pedem in baptiſterio, & alterum foris, requiſivit utrum de ſuis parentibus plures in cœlo regnarent, vel ad inferos deſcenderint, reſponſum fuit, quod plures ad infernum: & ille extrahens pedem de fonte dicens, & nos pluritatem cupimus imitari, tertia die ſine baptiſmate diſceſſit. Et deinceps Bonifacius verbum Dei undique in Friſia ſeminavit, quod dictus Rabodonus prohibuit, quo tandem gladiis impiorum occubuit. Hic athleta & preciator Bonifacius 33. annos in Epiſcopatu Moguntinenſi viguit. Francos, Bavaros, Thuringos, Haſſones, Friſones ad veram fidem convertit, auctoritate apoſtolica inquiſitor hæreticæ pravitatis extiterat, unde adjutorio dicti Regis Pipini multos hæreticos exterminavit & igni tradidit comburendos & quatuor Synodos generales incitavit & in Almania multa mirabilia fecit. Primò eccleſiam Fuldenſem in pago Grapfeld in honorem Beatorum Petri & Paulli apoſtolorum conſtituit & conſecravit, ſed eam imperfectam reliquit, unde petiit Beatum Lullum ſuum archidiaconum in dicto Epiſcopatu ſuum ſucceſſorem, ut dictum monaſterium perficeret, ac ibidem ipſum ſepeliret, quod & factum fuit. Et ipſe Pipinus Rex præcipit quod nunquam debet exhumari & alio duci. Deinde ordinavit eccleſiam collegiatam Friſlarienſem & profectus in Weſtphaliam ad opidum Geiſmariæ, ubi reperit robur vel quercum miræ magnitudinis, ſubter qua quercu gentiles orare conſuevere, unde ad preces Beati Bonifacii venit ventus tornatilis validus dividens ipſam quercum in quatuor partes æquales, de quibus capellam in honorem Beati Petri conſtruxit. At Bel Martis in opido Merſebork deſtruxit & eccleſiam ibidem conſecravit, ut in Legenda ipſius patuit evidenter. Deinceps pervenit ad partes fluminis Weſeræ, quod Weſtvalos & Oſtvalos ſegregat & disjungit (unde Oſtvali, id eſt, Saxones ſunt dicti) ad quandam Comiciam in finibus regni Angariæ Regis Widekendi ſitum, contemplabatur in amœnitate ipſius loci, quo rivulus Hameloha ſe agit in Weſeram & reperit ibi quoddam delubrum, quo Jupiter colebatur: unde beatus vir Bonifacius acceſſit

Comitem & Comitiſſam ejusdem loci, dicti de Oſten de regali genere Widekindi natos ſenio gravatus ſcintilla modica fidei Chriſti illuminatos, evangelizans ipſis & toti populo ibidem fidelius verbum, regenerans eosdem in fonte baptiſmatis, Eberhardum Comitem Bernhardum, uxorem ſuam Comitiſſam Odegundinam Chriſtinam vocavit & petiit ipſum delubrum deſtrui & eccleſiam in honorem Beati Romani, quondam ſui prædeceſſoris, in eccleſia Moguntinenſi, conſecravit: Ipſi verò annuentes dignis ſuis precibus fundaverunt & donaverunt dictam eccleſiam cum omnibus bonis ſuis, quia liberis ſeu heredibus fuerunt orbati, obnixéque petierunt, eorum corpora in eadem eccleſia tanquam fundatorum digne ſepeliri. Quorum memoria ut factum fuit omnium ſanctorum valde ſolemniter ibidem in eccleſia Hamelenſi peragitur annuatim. Poſtea Beatus Bonifacius fecit vocare fratres ſui ordinis, ſcilicet Benedicti, de dicto cœnobio ſuo Fuldenſi, multas eos in canonicos regulares, poſtmodùm per Ludovicum Imperatorem, Magni Caroli filium, in canonicos ſeculares mutatos, & ordinavit ibidem eccleſiam valdè ſolemnem, quam Beatus Bonifacius eccleſiam Hamelenſem vocavit eò quòd fluvius Hamelohæ ibidem in Weſeram fluit, & ipſam Eccleſiam Hamelenſem cum omnibus ſuis pertinentiis cœnobio Fuldenſi tradidit & incorporavit. Hic glorioſus Pontifex Beatus Bonifacius, cùm eſſet annorum 21. peregrinari incepit, peregrinatione 40. annis degit: in epiſcopatu ſuo annos 23. menſes 6. & totidem dies obtinuit. Quanta autem bona pro eccleſia Dei fecerit patet in Legenda ſua magna, quam aliâs abbreviavi. In nonageſimo quinto anno impleto ad Deum cum Palma martyrii in terra Friſonica in villa Detmunt migravit.

Anno verò Domini DCCCI. ab anno conditæ urbis Romanæ M. D. LII. ab anno Imperatoris Auguſti Octaviani DCCCXLI. glorioſus Carolus Magnus in patricium Romanorum fuit vocatus, qui 18. ſuæ ætatis anno Conſtantinum ultimum Imperatorem Romanorum de Græcia debellavit, Lumbardos devicit, Franciam & Lumbardiam unà cum fratre ſuo Carolomanno 40. annos rexit, Regnum Romanorum 14. annos ſolus obtinuit. Et venerabilis Leo Papa ipſum Carolum in eccleſia Beati Petri apoſtoli in Imperatorem Romanorum conſecravit & ad partes Almaniæ pro fide catholica eundem deſignavit. Et interea Senatores Romanorum conantes ſibi bona & jura Imperialia ſubuſurpare, Leone Papa 4. contradicente, deripuerunt de ſolenni proceſſione ad S. Laurentium præſcindentes ſibi linguam & novacula ſciſſuram ſuorum oculorum fecerunt, quos pariter cum lingua Deus omnipotens ſibi mirificè reſtituit & quaſi album filum * pro cicatrice oculorum obtinuit, quem Dux Poleranus de manibus Romanorũ eripuit, & ſecum Spoletum perduxit, propterea quod nefas ipſi Græci cum potentia ſpirituali à Romanis receſſerunt & Imperium ad Carolum & Francigenas fuit in hoc ſtigmate devolutum. Cum autem hæc doloris fama ad glorioſum Imperatorem Carolum perveniſſet, fecit vocari Leonem Papam & venit ſibi in occurſum Padebornæ civitate Weſtphaliæ. Ipſe Leo habuit in Comitatu ſuo Beatum Lullum archiepiſcopum Moguntinenſem, Beati Bonifacii ſucceſſorem, ac venerabilem Sturmium abbatem eccleſiæ Fuldenſis, & profecti fuerunt pariter ad eccleſiam collegiatam & villam tunc temporis populoſam, dictam Hamelonia, dicti venerabiles Patres Lullus & abbas Sturmius informaverunt Leonem Papam de fundatione, inſtitutione & conſervatione ipſius eccleſiæ Hamelenſis, per Beatum Bonifacium factæ, humiliter ipſi Leoni ſupplicantes, ut dictam eccleſiam Hamelenſem de novo in honorem Beati Bonifacii defuncti & canoniſati conſecraret & Beatum Romanum patronum primum ab infra ſub choro reſtauraret. Quo benignè per Beatum Papam Leonem facto, intimis acceſſerunt ipſum glorioſum Imperatorem Carolum precibus, ut ipſe unà cum Papa Leone inſtitutionem, donationem, incorporationem eccleſiæ Fuldenſi per Beatum Bonifacium factæ, cum villâ & omnibus ſuis pertinentiis per ſuum privilegium ratificare & confirmare dignaretur. Quod Imperator annuens dictis & dignis eorum ſupplicationibus fecit juxta tenorem hujus privilegii, quod ſic incipit: Carolus Dei gratia Francorum, Longobardorumque Rex ac Romanus Patricius notificamus, qualiter condonaverimus atque condonamus ad Fuldenſe monaſterium quandam rem proprietatis noſtræ, ſcilicet, Hamelohe prædium nuncupatum ſitum in pago Saxoniæ cum omni integritate, tam terris, quàm ædificiis, cultis & incultis, mancipiis & omnibus ſuis juribus, ut in privilegio continetur. Idem Carolus glorioſus ordina-

vit

vit & ditavit Præpoſituram multis poſſeſſionibus & divitiis, à flumine Weſeræ pene uſque ad Elviam, quæ meritò epiſcopatus potuiſſet nuncupari, heu ! heu ! nunc per pravos ſucceſſores multùm deſolata. Notandum, quod quatuor fratres fuerunt de Everſtein, ſcilicet, Fridericus, Otto, Ludolphus & Joannes, qui fuerunt nobiles de caſtro Everſtein cis Rhenum, inter civitates Baſileam & Oppenheim, qui fratres multum bene ſe rexerunt circa eccleſiam Hamelenſem, & opidum tunc temporis, quorum fratrum ipſe Fridericus tunc fuit ſenior Canonicus, cuſtos ſeu theſaurarius, eccleſiæ Hamelenſis, quem propter ſuam legalitatem & juſtitiam in Præpoſitum elegerunt, quam electionem Fuldenſes impugnaverunt. Dictus Comes Fridericus renuncians electioni de ſe per capitulum factæ, quem ipſi Fuldenſes in gratiam receperunt & de novo Præpoſituram ſibi contulerunt, & fratri ſuo Ottoni Advocatiam pro defenſione bonorum ipſorum Canonicorum nomine homagii dederunt, & ſic advocatia ad ipſos de Everſtein pervenit, ut patet in privilegiis de renunciatione, & ſic incipit. Ego Fredericus dictus de Everſtein cuſtos eccleſiæ Moguntinenſis &c. nos plenius informati de collatione Præpoſituræ in Hamelen de nobis facta, in manus ipſius Abbatis Fuldenſis liberè omnino exfeſtuantes, jus quod nobis per capitulum fuit acquiſitum, Actum anno MCCXXIIII. Kal. Martii. Anno igitur à nativitate Domini MCCLIX. Abbas, Præpoſitus, Decanus, ac totus conventus eccleſiæ Fuldenſis propter locorum diſtantiam, Baronum & Nobilium malitiam, vendiderunt dominium, jus, proprietatem eccleſiæ dictæ Hamelenſis & opidum tunc bene muro munitū, circumfoſſatum ac divitiis ornatū, venerabili Widekindo Epiſcopo Eccleſiæ Mindenſis pro D. marcis examinati argenti vel ſterlingorum legalium 13. ſolidis & 4. &c. pro marca puri, quorū 300. ſuper feſto Pentecoſtes fuerunt ſolutæ & ducentæ in ſequente ſuper feſto prædicto ſub pœnis in quitatione ſcriptis perſolvendæ, ut patet in quitatione, quæ incipit ſic: Henric⁹ Dei gratia Abbas Fuldenſis &c. Et cum hoc vendiderunt Epiſcopi. Advocatiam de Everſtein, ut patet in privilegio, quod ſic incipit: In nomine Domini. Et ipſi Fuldenſes petierunt conſenſum hujus venditionis à capitulo Eccleſiæ Hamelenſis, opidanis cum Comitibus prædictis. In quo contractu ipſi opidani cum Comitibus prædictis minimè conſentierunt. Contra quos dictus Epiſcopus Mindenſium Widekindus conſtituebat prælia & pariter convenerunt circa villam dictam Zedemunde prope Munder, quo dictus Epiſcopus Widekindus cum ſuis victoriam obtinuit & omnes opidanos Hamelenſes ſecum captivos in Mindam perduxit, quorum multi ex utraque parte in ore gladii ceciderunt, ut ipſorum occiſorum memoria adhuc in Eccleſia Hamelenſi ſuper die beati Pantaleonis devotè peragitur vigiliis & miſſis: quod prælium fuit commiſſum anno Domini M.CCLXI. die ut ſupra. Dictus Epiſcopus Widekindus exhibuit ipſis opidanis, ut acclinarent ſe defenſioni & protectioni eccleſiæ Mindenſis, & quod vellet eos omnes relinquere quietos & ſolutos, ſuper quibus ſcripſerunt inducias ad deliberandum. Et interea ceciderunt in illum Ducem potentem Albertum magnum de Brunſuik, cujus frater erat Johannes primus Dux Luneburgenſis in diviſione Ducatus Brunſuig, & dederunt ſe ſub protectione & ditione ſua, ut eos defenderet & à captivitate liberaret. Qui potens Dux Albertus venit cum DC. dextrariis phaleratis militiâ præclara & copioſâ perrexit coram civitate Mindenſi & coëgit Epiſcopum & capitulum reddendum chirographum & litteras quibus Fuldenſes opidum Hamelen vendiderunt, & facta fuit compoſitio per abbatem in Lockum, Præpoſitum Mindæ & nobilem advocatum de monte, ut eſt in privilegiis. Et ipſe Dux receſſit & dictum opidum ſtat ſub protectione Ducum Brunſuicenſium hodiernis diebus & omnem libertatem, quam dictum opidum habet, habet adhuc à Præpoſito & capitulo ejuſdem eccleſiæ Hamelenſis, ut in eorum privilegio liquide patet, & totus fundus opidi cum cenſu areali ac dominio cedit Præpoſito & capitulo, & nunquam ab iis amovetur, veluti privilegium compoſitum evidenter oſtendit. Unde cum funditur dominio & uno ſolido arealis cenſus triumphavit noſtra eccleſia Hamelenſis contra Auguſtinenſes, quibus cum 33. annos ſteterunt in lite & mille marcæ puri argenti ſunt in ea lite peremptæ, & eccleſia Hamelenſis permanſit in ſpiritualibus ſub protectione Epiſcopi Mindenſis, ita quod nullus prælatorum, archidiaconorum in ea habeat diſponere niſi Epiſcopus propter antiquam paternitatem. Et fertur & eſt eccleſia ſecundaria immediata poſt eccleſiam cathedralem Mindenſem, quia eccleſia Hamelen-

ſis fuit fundata ſub anno DCCXII. eccleſia verò S. Martini in Minda fuit fundata & confirmata per inclytum Imperatorem Cunradum tunc in Minda exiſtentem, ad rogatum Sigeberti Mindenſis eccleſiæ Epiſcopi, qui eandem eccleſiam conſtruxit ſub anno Domini MXXIX. Ut patet in privilegio, quod incipit: In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Conradus divina favente gratia Romanorum Imperator Auguſtus. Anno Domini MCCCLXXXIIII. poſt oppidemiam quartam ego Joannes de Polda Canonicus hujus eccleſiæ de Hamelen ætate & gradu Senior collegi hanc Chrocam Hamelenſem de Legenda & vita S. Bonifacii pro parte prima, partem ſecundam collegi ex decem privilegiis de venditione eccleſiæ & opidi Hamelen per Fuldenſes facta & conſcripta. Notandum quod primum privilegium incipit ſic: In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. In ſecunda littera Fuldenſes petunt à capitulo conſenſum venditionis & incipit: Henricꝰ Dei gratia Eccleſiæ abbas Fuldenſis &c. Nos attendentes, quod Mindenſis eccleſia miniſterio noſtro ab antiquo ſpecialis fraternitatis vinculo eſſet aſtricta, & quod commodiſſimum eſſet, ut Dn. Epiſcopum Mindenſem, quem patrem ſpiritualē ab antiquo habuiſtis, & dominum temporalē haberetis quam alii principi ſervitute tyrannica ſubjugari. Heu! Heu! quantam tyrannidem exercuit noviſſimus princeps Albertus Dux ex quorundam opidanorum adjutorio & conſilio in nobis, qui culturam noſtrorum agrorum villicis noſtris contra juſtitiam inhibuit & nos de curiis noſtris expugnare voluit, dignum eſſet jugi noſtræ memoriæ commendandum, cui in prælio ſuæ militiæ 80. marcas puri argenti vi & metu commiſimus, pro quibus clenodia & calices noſtri adhuc hodiernis vicibus obligavimus, & per quatuor annos poſtea 30. marcas puri argenti pro redemptione ſuæ captivitatis obtulimus. Qui autem fautores & conſiliarii ipſius ad hanc pecuniam à nobis extorquendam fuerunt, novit qui omnia noſcit. Et nota quando iſta neceſſitas nobis ex parte Ducis Alberti incumbebat, quod multi de conſulibus filios, fratres, avunculos & nepotes in capitulo noſtro habuerunt, ibi pater renunciavit filio, frater fratri, avunculus avunculo, nepos nepoti: omnes fuimus eis tanquam hæretici & publicani, crudeliter in eos ſævientes. Quia ergo interea cum Dn. Joanne de Lude & Dn. Bernhardo Luſeken, quod procuravimus citationem contra inclytum principem Ducem Erneſtum, patrem dicti Ducis Alberti, qui ex mala informatione & prohibuit culturam noſtrorum agrorū & veniebamꝰ ad eum in Eimbek & exhibuimus ſibi 40. marcas puri argenti, ut deſiſteret ab omni impetitione, qui conſuluit cum Magiſtro dein Arsvelde Canonico ibidem in Eimbek. Et ille glorioſus Dux retulit nobis, quod non haberet jus ad noſtram provinciam, ſed malè eſſet per quoſdam informatus, & quod nos caſſaremus citationem noſtram, ipſe vellet caſſare præceptum ſuum & tollere, quod cum omni amicitia fuit factum, neque unquam quadrantem à nobis accepit. Etiam nota, quod glorioſus & miſericors Dux de Brunſuik Erneſtus iniciavit novum opus jactu lapidis in inſula in medio Weſeræ prope opidum Hamelem, quod Carmelitæ ædificare cœperunt. Similiter in Opido contra Auguſtinenſes: & fuit inclytus fautor noſtræ eccleſiæ: etiam tantā inimicitiam non potuit cum aliquo habere, quod vellet, ut interficeretur, dicens: animam non poſſum dare, ergo nolo, ut quis interficiatur. Quantam autem calumniam paſſi fuerimus de incolis opidi hujus, brevi temporis ſpacio de conſervatione capellæ penes Weſeram, ſtatuunt nanciſcentes Præpoſito adutentes eccleſia Hamelenſis & quingentos annos ante opidum fuerat, & quod omnem libertatem & omne bonum ab Eccleſia noſtra ſunt conſecuti. Nota quod antiquam paternitatem & fraternitatem, quam eccleſia Fuldenſis & Hamelenſis habuerunt cum Epiſcopo Mindenſi & capitulo in ſpiritualibus & quando Epiſcopus Widekindus de Hoja comparavit eccleſiam Hamelen & oppidum ab Eccleſia Fuldenſi pro quingentis marcis puri argenti. Et ex eo, quod Decanus & capitulum dictæ eccleſiæ Hamelen & tam in temporalibus, quam ſpiritualibus ſe benevolè & benignè abſque ulla contradictione ad dictum Epiſcopum Widekindum ad ſuam eccleſiam acclinavit, tradidit eidem Eccleſiæ Hamelen principaliter duo dona. Primum donum, quod propter antiquitatem deberet fieri & eſſe eccleſia ſecundaria in eccleſia Mindenſi. Secundum donum quod immediate deberet eſſe ſub Epiſcopo & ſuo officiali, & quod nulli Prælatorum dictæ eccleſiæ Mindenſis aliquam jurisdictionem in dicta eccleſia Hamelenſi deberent habere. Tertium donum quod dictæ eccleſiæ Hamelenſis bona deberent eſſe

libera ab omni impetitione Advocatiæ, ſi qua in eis bonis eſſet, & fundus dicti opidi cum quibusdam aliis in perpetuum apud dictam eccleſiam deberet permanere. Hæc omnia habentur in privilegio.

FINIS CHRONICÆ.

Verſus de fundatione & ætate eccleſiæ Hamelenſis.

Conditur in denſis eccleſia nunc Hamelenſis,
Septingentenis annis Domini duodenis,
Romanus pridem pater hinc Bonifacius idem
Conſecrat ad votum Caroli Leo Papaque totum,
Bernhard Chriſtina fundarunt iſta petrina,
Cœli regina tribuens his gaudia bina.

Verſus de translatione opidi Hamelen ad Ducem Brunſvicenſem.

Quondam Fuldenſes fuerunt, modò ſunt Hamelenſes
Brunſvicenſes, Mindenſes deſpicientes.
Cis Zedemundenſes cur prælia ſunt ſtatuentes.
Poſt duo DD duo CC LXI. Pantalis ecce
Multos proſtratos, ſed ab Alberto liberatos.
Tunc Duce magnifico principe pacifico.

De inundatione Weſeræ.

Poſt M. poſt tria CCC. poſt ſeptuagintæ quaterque
Weſera creſcebat Hamelen ſtratasque tegebat.
Poſt M. poſt quinque CCCCC & V. inſuper adde
Weſera creſcebat Hamelenque viasque tegebat.

CHRONICA Monaſterii S. Michaëlis in Hildesheim.

ANno Dominicæ incarnationis 993. Barvvardus regius capellanus decimus tertius Eccleſiæ Hildeſienſis Epiſcopus conſtituitur. Hic in ſeptentrionali parte civitatis Hildeſienſis in loco ſqualido, feris & brutis animalibus coaptato, monaſterium in honorem ſancti Michaëlis ædificavit de ſuo patrimonio. In quo & abbatem & congregationem monachorum viventium, ſub regulâ S. Benedicti inſtituit: quorum utilitati prædia, curtes & familias ad 300. manſos condonavit de ſuo patrimonio, & quæ emere poterat de theſauro relicto ſibi ab Ottone tertio felicis memoriæ. Sepultus eſt in crypta monaſterii ſui anno 1022. ordinationis ſuæ 31. cui venerabilis Godehardus Altahenſis monachus, poſtea Hersfeldenſis abbas ſucceſſit, qui anno Domini 1026. reliquam partem monaſterii S. Michaëlis à S. Barwardo nondum conſecratam, ipſe conſecravit cum pluribus altaribus.

Goderammus primus abbas monaſterii S. Michaëlis in Hildenſem conſtituitur à S. Barwardo præſule piiſſimo, anno Domini 996. celebraverunt autem tunc divina fratres in ſacello S. Crucis ante fabricam majoris eccleſiæ. Fuit autem ante converſionem ſuam Præpoſitus majoris eccleſiæ, doctor ſacræ paginæ, filius marchionis, nobilis genere & dignitate: ſed poſtmodum monaſterium S. Panthaleonis in

Coloniâ eſt ingreſſus: de quo cum certis fratribus ad monaſterium S. Michaëlis in Hildenſem eſt translatus. Obiit autem pridie Kal. Julii anno 1030. & ſepultus eſt ante altare S. Stephani in pede altaris, ſcripti ſunt autem circa tumulum ipſius iſti verſus.

Hac pauſant tumbâ Goderammi mortua membra:
Abbas qui primus hic fuit eximius.
Quem bene nutrivit huc ei Colonia miſit,
Ut ſummi regis dux foret ille gregis.
Sed Julii fine Deus hunc poſt juſſit obire.
Cujus nunc animæ da requiem Domine.

Et apparent oſſa ipſius ſicut creta in monumento & ſicut nix alba.

Adelbertus ſecundus abbas rexit annos 14. Iſte fuit Præpoſitus S. Joannis Baptiſtæ Herocampiæ prope Haſſuelt, juſtæ converſationis monachus, & à S. Godehardo in abbatem conſecratus eſt: Sub quo monaſterium S. Michaëlis in Hildenſem in vigiliâ Pentecoſtes ad veſperas fulmine combuſtum eſt, anno 1033. in cujus evidens teſtimonium adhuc hodie manet tæda in eccleſiâ ejusdem monaſterii retro altare S. Crucis in Columnâ æreâ, quondam à S. Barwardo erectâ. Sciendum namque eſt, quòd iis temporibus usque ad tempus abbatis Dethmarii, clerus tam diſtrictâ religione in Dei obſequio in civitate Hildenſemenſi ſe mancipaverat, ut ita dicam, multi ſacerdotes ſeculares que, relicto ſeculo, religionem intravere. Nomen quoque & non multi fratres à jugo diſciplinæ nondum abſoluti, arctiori habenâ in clauſtro frenabantur, ultra quàm credi poteſt. Nam quotidiam ſcripturam Evangelium cum lectione Decano repræſentare cogebantur, ita ut timidius in clauſtro, quàm in ſcholis manum ſubducere viderentur. Delicatioris etiam veſtitus tunc nulla illis erat cura: ita etiam, ut gulas, quibus nunc ardet clerus, neſcirent. Nam multi clerici & ſacerdotes ſeculares, ut in clauſtro Domino ſervire poſſent, affectabant: ſed minimè eis concedebatur: ita ut plærique clerici, tam interius, quàm exterius, clauſtrali reſtrictione recluſi, renunciato nondum ſeculo, ſeculum neſcirent.

Anno 1035. dedicatum eſt & conſecratum à novo monaſterium S. Michaëlis à S. Godehardo. Hic dedit monaſterio eccleſiam in Dirickholthuſen.

Abbas Albertus obiit anno 1044. & ſepultus eſt ante altare, cui Benno ſucceſſit, qui parvo tempore fuit in regimine.

Sigebertus tertius hujus monaſterii abbas, pater vel frater profeſſus hujus monaſterii, vir ſapiens & excellens in jure, vir decorus, eloquens, verecundus viſu, in inceſſu compoſitus, in devotione attentus, in labore ſolatioſus, in omnibus agendis circumſpectus & providus, & ſpiritualibus ſemper intentus. Interrogatus declinatis in terram aſpectibus, ſemper utilia & brevia reſpondere curabat. Vir humilis, pudicus & caſtus, non turbulentus, mitis, & patiens in omnibus: ita ut multi mirantes de tanti viri ſanctitate exiſtimarent, eum adhuc in futuris annis canoniſari: nam omnis populus dixit eum beatum, & ſine dubio.

Circa annum 1048. Thietmarus Epiſcopus Hildenshemenſis valde fuit moleſtus monaſterio noſtro, aliqua bona ſcilicet decimas in Lafferde, Eggelſen, Netlingen, Sawingen & Beddungen ac bona in Wenthuſen auferendo, ex inductione quorundam perverſorum hominum, ſi homines modò ſunt.

Anno 1072. Sigebertus hîc fuit adminiſtrator cœnobii S. Petri & Pauli Paderbornæ, ut Coſmodromion pag. 216. Denique obiit anno 1079.

Meinwardus abbas quartus rexit annos 21. Iſte fuit frater profeſſus hujus monaſterii, prior abbatis Sigeberti, vir literatus, ſcientificus, ſimilis ferè Doctori, non habens ſimilem in loquendo in totâ civitate Hildenſemenſi, diligens & ſolicitus circa curam animarum, regens fratres in omni diſciplinâ & rigore. Anno Domini 1102. obiit abbas Meinwardus ſepultus ante altare S. Crucis.

Conradus primus, abbas quintus, rexit annos 22. Iſte Conradus frater & monachus hujus monaſterii conſangvineus abbatis Sigeberti filius civitatis. Hi valde dilexerunt ſe in vitâ, propter quod etiam non ſunt ſeparati in morte: venerunt namque ad unum ſepulcrum ante altare omnium ſanctorum. Abbas Conradus obiit 1114. anno regiminis 22. tertio Idus Septembris & ſepultus eſt circa avunculum ſuum abbatem

abbatem Sigebertum, & cum ex more ſepelirent eum invenerunt abbatem Sigebertum adhuc integrum, jacentem corporaliter incorruptum cum caſulâ ſuâ, ita recenter, quaſi fuiſſet eodem die ſepultus.

Tempore ſuo decima in Metelingen ſecundarie aufertur, & vaſallis de Salder donatur.

Conradus abbas ſextus rexit annis quatuor: pater profeſſus videlicet monaſterii SS. Stephani & Viti in Corbeiâ, ſecundum aliqvos frater carnalis abbatis Meinwardi. Iſte Conradus comparavit multa linteamina depicta pro ornatu parietum templi, ſicut adhuc hodiernâ die patet ad oculum in quibusdam linteaminibus, in quibus ſcribitur:

Abbatis Conradi de votio dedit Michaeli. Item in alio,

Abbas Conradus ſextus re, voce ſecundus,
Talia dona ſuæ contulit eccleſiæ.

Obiit Conradus 1127. ſepultus ante altare S. Crucis.

Theodoricus abbas ſeptimus hujus nominis primus, rexit annis 14. Eligitur ex conventu, magiſter artium ſcientiis & doctrina optime inſtructus: etiam ſemper omnia bene rexit vir juſtus, rectus & providus & in omni loco recollectus & compoſitus.

Hujus tempore monaſterium Ringelhemenſe tranſlatus aliò monialibus, traditur inhabitandum monachis Benedictinis, miſſo illuc abbate Rudolfo de monaſterio S. Michaëlis Obiit abbas Theodoricus anno Domini 1141. anno regiminis ſui 14. ſepultus in choro S. Joannis, in ſiniſtro cornu altaris ad aquilonem.

Borchardus abbas octavus rexit annis tribus. Iſte fuit de præclaro & nobili genere natus, vir ſapiens, proceræ ſtaturæ, vultu jucundus, manſvetus & modeſtus, & in omnibus factis providus & conſideratus. Obiit 1143. ſepultus ante altare S. Crucis.

Benno frater monaſterii electus rexit menſes tres, qui non ſucceſſit Bernhardo ſed Adelberto, & poſt eum Sigebertus ſecundum aliquos parvo tempore fuit in regimine, & ideo forte non computatur inter abbates. Fuit enim vir multæ prudentiæ & providus, in conſiliis juſtus, in judicio à dextris & ſiniſtris: quicquid verbis monuit, hoc factis adimplevit. Denique poſt multarum virtutum inſignia, alibi cum honore ſublimatus, abbatiam reliquit, circa annum 1144. Sepultus in remotioribus partibus.

Poſt Borchardum ſucceſſit *Katmarius*, qui etiam parvo tempore præfuit.

Franco abbas decimus rexit annis 23. Iſte Franco, ut aliqui aſſerunt & volunt, quod iſte præcedens non ſit, quia iſte Franco diu præfuit, ut eſt in quodam Miſſali. Sed iſte Benno parvo tempore præfuit, eò quod ad alium locum translatus fuit. Fuit autem prædictus Franco Prior præcedentis abbatis, vir bonus & zeloſus, & iſto tempore adhuc viguit in monaſterio S. Michaëlis obſervantia regularis in omnibus, & fratres in magno rigore vixerunt, & mutua charitate. Migravit ad Dominum anno 1166.

Wicbbertus vel Wicbbardus rexit annos 12. Doctor eximius artis medicæ, ex remotis partibus oriundus, quondam Canonicus B. Virginis: ſed relicto ſeculo ad monaſterium ſe tranſtulit. Rexit autem fratres cum omni ſolicitudine & magna caritate. Idem abbas multa bona fecit monaſterio: etenim pro utilitate monaſterii vetus & novum teſtamentum procuravit in pergameno. Sed & pſalteria in divino officio conſcribere fecit, cum multis aliis libris, quos ad bibliothecam comparavit.

Theodoricus ſecundus abbas 12. rexit annis 24. Fuit magiſter artium, filius civitatis, vir per omnia providus: laudabiliter rexit ſpiritualia. Ipſe multa clenodia in caſulis & cappis monaſterio ſuo contulit pro ampliatione divini cultus. Et obtinuit infulam & ſandalia cum cæteris libertatibus per privilegia cum multis indulgentiis anno 1194. Sub iſto abbate Theodorico S. Bernwardus canoniſatur â Cœleſtino tertio (qui regens cœpit ſedē apoſtolicam an. 1193. & ſedit annos tres) elaborante hoc Bernone præſule Hildeſienſe & Theodorico abbate S. Michaëlis. Reſignavit abbatiam Theodoricus anno 1204. anno regiminis 24. aſſumens ſibi aliqua bona ad vitam de monaſterio, quæ ipſe antea emerat. Sepultus in choro S. Joannis ante altare circa gradus presbyterii.

Hugoldus abbas 13. rexit annos 17. Iſte ſacræ Theologiæ Doctor, monachus pro-

profeſſus fuit in Corbeja, de qua à fratribus S. Michaëlis unanimiter eſt electus anno 1204. vir valdè peritus, & in omni religione devotus, & bene rexit omnibus diebus vitæ ſuæ. Migravit ad Dominum anno 1221. Sepultus in Corbeia: In hoc monaſterio libros Moſis metrice compoſuit quidam Hugo, quod ſcripſit in fine libri:

Qui legis id domi præſta miſeratus Hugoni:
Supplicat Hugo reus, dic miſerere Deus.

Sepultus eſt, credo, apud nos & electus in Priorem.

Dethmarus abbas 14. rexit annos 20. Iſte Dethmarus Doctor Juris in divino obſequio nobis mancipatus, ſapiens & eloquens, longæ ut dicitur, ſtaturæ rexit fratres in omni caritate & diſciplina. Hujus abbatis tempore, nimirum anno 1236. civitas Hildeſienſis craſtino Nativitatis Mariæ cum eccleſiis & domibus infra murum contentis, incendio & tempeſtate ita totaliter conflagatur, ut ſolùm S. Crucis oratorium cum ſuo viculo remaneret. Hic abbas cum conſenſu conventus dedit ſororibus, quas Pœnitentes vocant, recens in urbem traductis, certas habitationes apud Indiſtriam circa vineam antiquam, pro monaſterio extruendo; pro quibus in recompenſam dedit Epiſcopus Conradus monaſterio aream unam apud ſorores & unam aream in Eſſem. Ex petitione etiam iſtius Dethmari abbatis fratres minores primò receperunt locum habitationis apud majorem eccleſiam pro monaſterio conſtruendo, propter Conradum de Hannover qui fuit diſcipulus & confrater S. Franciſci, qui totis viribus adhæſit Deo, ſequens patrem ſuum ſpiritualem, cui poſſeſſionem ſuam fecit. Et jacet adhuc corporaliter in eccleſia S. Martini ad Minores in Hildenſem, ut fratres ibidem teſtantur, clarens miraculis, obiit autem anno 1241. prid. Non Octobr. Idem abbas Dethmarus obtinuit privilegia de novo pro ſandaliis portandis ac benedictionibus dandis à Papa Gregorio nono. Obiit 1241. 10. Kal. Apr. ſepultus ante altare S. Barwardi ad aquilonem.

Mortuo abbate Dethmaro, alius quidam ex Congregatione monachus, *Gotſchalcus nomine*, eidem in regimine ſucceſſit, vir juſtus, ſimplex & rectus. Qui fatigatus à monialibus, quas abbas Theodoricus ſecundus & abbas Hugoldus & alii abbates poſt eos, congregaverant, propter multas detractiones & oblocutiones, & infamiæ maculam, eas exterminare decrevit: impetravitque ab Innocentio quarto privilegium contra easdem moniales, ut eſt in ſcriptis ſequentibus.

Innocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati & Conventui S. Michaëlis Hildeſemenſis diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad noſtram noveritis audientiam perveniſſe, quod monaſterium veſtrum propter monialium multitudinem, cum ad ſuſtentationem earum reditus non ſufficiant, admodum prægravetur, pro quarum cohabitatione cum monachis gravis eidem cœnobio infamia generatur, diverſis adoleſcentulis ad inſtantiam poſtulantium, ubi non niſi ſeptem ætatis provectæ conſueverunt recipi ab antiquo ad veſtimenta fratribus procuranda. Quocirca Univerſitati veſtræ diſtinctius inhibemus ne quod de ſeptenario ſororum numero profectioris ætatis fuit ſalubriter inſtitutum & per multa tempora laudabiliter obſervatum, non ſinatis cujusque temeritate, cum major adoleſcentularum numerus ad ſeptenarium reductus fuerit, violari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ paginam inhibitionis infringere, vel ei temeriario auſu contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit in dignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Laterani 14. Kal. Aug. Pontificatus noſtri anno 3.

Hic abbas Gotſchalcus rexit annos 19. Et fuit nobilis de Boltzem dictus: reparavit eccleſiam ruinoſam cum ambitu & multas indulgentias impetravit à ſummo Pontifice Innocentio 4. & laudabiliter rexit: ſpiritualia tamen partim cœperunt tepeſcere propter nimias divitias. Obiit 1206. anno regiminis 19.

Erneſtus abbas 16. rexit annos 37. Iſte bene rexit: ſed vita regularis cœpit paullatim deſtitui propter nimias divitias. Hic abbas emit bona in Rutenberg & in Beckem, ſicut abbas Thidericus ejus nominis ſecundus, & unus vel duo poſt eum: alias pauci inveniuntur qui aliqua bona emerunt, ſed omnes contenti fuerunt in donatione S. Barwardi. Idem Erneſtus inſtituit, ut Canonici majoris eccleſiæ omni an. in feſtivitate S. Michaëlis viſitarent chorũ cum ſuis choralibus miſſam cantarent, ſicut patet

ſcriptum

ſcriptum in antiquis pſalteriis. Similiter inſtitutum fuit cum Canonicis S. Crucis, & S. Andreæ ut in die S. Bernwardi divinis intereſſent, & nobiſcum circumirent in proceſſione. Talia & ſimilia prædictus abbas inſtituit in interitum reformationis & diminutionem religionis, quamvis inventio ſua eſſet bona. Obiit abbas Erneſtus anno 1297. & ſepultus eſt ante altare S. Barwardi ad Auſtrum.

Otto abbas 17. rexit annum unum. Iſte natus de progenie vom Kampe, nobilis quantum ad genealogiam, ſed virtutes, ut timeo, paucas habuit, quia

Nobilis eſt ille, quem nobilitat ſua virtus.

Idem Otto quodammodo puer adhuc quando electus multa bona impignoravit in Elzem & in Zarſted, & in villis circumjacentibus. Nec credibile eſt, quod ſit decapitatus propter nefas quoddam, quia inveniuntur aliquæ litteræ, quas poſt longum tempus in ſenectute monaſterio tradidit, ſicut de domo hoſpitali quam à monaſterio in poſſeſſione cum aliquibus bonis ad vitam, quam tandem monaſterio in ſenectute reliquit pro certa pecunia, ut eſt in certis literis ex copialibus. Iſte Otto reſignavit 1298.

Henricus de Wenthuſen vir litteratus abbas 18. rexit abbatiam annis 23. Iſte Henricus nobilis de Wenthuſen, vir bonus & devotus, non elatus ſed benignus & affabilis, doctus & in Poëſi & aliis ſcientiis multum commendatus. Sed proh dolor religio jam defecit. Ipſe tamen multa bona per ſuum prædeceſſorem alienata etiam per guerras recuperavit, & conſcripſit & pro modulo ſuo collegit. Idem Henricus expulſus fuit à Conrado de Steinberg ſucceſſore ſuo anno 1315. & tempore expulſionis ſuæ conſtruxit monaſterium prædicatorum in Brunſuick in Indagine cum adjutorio cujusdam civis ibidem, quibus etiam reliquas de ſacroſancto corpore piiſſimi Præſulis Barwardi donavit, per quem ſcilicet Bernwardum multa etiam mirabilia ibidem perpetrata ſunt.

Conradus de Steinberg, hujus nominis tertius in ordine 19. ſucceſſit Henrico de Wenthuſen. Eo tempore chorales ſunt recepti & ſchola reſtaurata eſt ſub capitulo, ut & ſcholares chorum viſitarent. Item Conradus dum quadam die cauſſa utilitatis monaſterii iter ageret, fortè accidit, ut equo labente cui inſederat, tibiâ colliſâ prorſus debilis & cruciatus in ſella geſtatoria referetur. Juſſit itaque ſe ad ſepulcrum B. Pontificis Barwardi deferri, ubi eſt in oratione proſtratus. Cumque voviſſet ſe, quoad viveret, candelam nocte dieque ibi proviſurum, incolumis continuo ſurrexit, quique alienis manibus eſt illatus, propriis eſt pedibus egreſſus. Idem abbas Conradus inpignoravit conſulatui noſtræ civitatis campum vel pratum retrò monaſterium à molendino montano usque ad Indiſtriam pro 600. ut æſtimo, florenis propter contributiones. Deinde anno 1347. reſignavit abbas Conradus de Steinberg abbatiam Dn. Henrico de Wenthuſen, revocato à fratribus, quem prius expulerant. Accepit autem in contentationem abbas Conradus Renshuſen, Volkerſen, Nettelrehd, Dirickholthuſen, Wallenſted. Et deinde præ triſtitia ut timeo, obiit anno Domini 1354. Sepultus in capella SS. Philippi & Jacobi, quam Dn. Henricus de Wenthuſen, quondam ædificavit, nunc autem ſucceſſor ſuus iterum revocatus.

Henricus de Wenthuſen revocatus ſedit annos 6. in quibus multa bona fecit. Comparavit enim tabulam in altari S. Crucis juxta votum, quod poſt expulſionem promiſerat cum tali inſcriptione:

Anno milleno C terno bis quoque deno,
Ordine ſeptenus abbas, in nomine primus,
Henricus dictus, qui ſemper ſit benedictus,
De ſuis donis dedit hæc pia vota patronis.

Obiit autem anno 1354. ſepultus in capella SS. Philippi & Jacobi, quam ipſe anteà ædificaverat cum bibliotheca, ſaxo ſepulcro ſuperpoſito cum tali epitaphio: Obiit piæ memoriæ ......

Ordine ſeptedenus abbas, in nomine primus,
Henricus dictus, qui ſemper ſit benedictus.

Hartmannus primus in ordine viceſimus, rexit annis 14. Iſte Hartmannus: Freſe adhuc puer quaſi electus, nobilis, & fuit ab infantia nutritus in monaſterio, & fuit in expenſis cum abbate Conrado de Steinberg in nominatu. Et quia puer erat, ſapiebat ut puer. Ædificabat diverſas cellas & habitationes in circuitu monaſterii, ubi unus-

quisque habitaret & ſibi intenderet. Nec licitum erat alicui in dormitorio pernoctare, niſi eſſet celebraturus die ſequenti; frumenta etiam dividebantur ſingulis ſecundum menſuram clauſtralem. Nunquam autem refectorium viſitare ſolebant, niſi eſſet feſtivitas duodecim lectionũ, vel Kalendarum. Novitiis verò neqnaquam refectorium viſitare licebat, ſed erant cum abbate in expenſis. Dederunt autem eorum ſex ad civitatem pro potu tenui 24. talenta; & abbati pro expenſis 40. talenta & in die profeſſionis ſuæ unusquisque monaſterio dedit 40. florenos. Idem abbas Hartmannus Freſe multa bona alienavit in Medel & in villis circumjacentibus: Vineam etiam retro monaſterium inter Indiſtriam & murum civitatis, quam S. Barwardus monaſterio dedit, & campum retro molendinum cum quibusdam aliis bonis. Sed tamen ſuo tempore multæ guerræ fuerunt, & lites ſicut patet de Epiſcopo Henrico, qui magnas contributiones exigebat pro comparatione caſtrorum. Deinde anno 1364. obiit abbas Hartmannus Freſe anno 14. regiminis ſui & ſepultus eſt circa altare S. Petri ad Aquilonem.

Bado de Obergen abbas 21. rexit annis 15. adhuc puer electus, ſatis tamen expertus & prudens, ſubdiaconatus tenens gradum. Hic abbas fuit cum Gerhardo Epiſcopo Hildeſemenſi in prælio prope Dinkeler & erat armatus à plantis pedum usque ad verticem, fulgens in equo tanquam ſpeculum, habens ſcapulare de ſerico in galea, quod tendebat â caleptra usque ad baltheum, vel medium corporis, & erat magna tempeſtas venti illo in tempore, ſic quod ventus flavit ſcapulare hinc & inde, & omnis populus mirabatur. Et fuit primus in acie belli, & cum appropinquaret parti adverſæ prope Dinkeler, adverſarii ſui balare inceperunt, ſic ut mens & conſilium fugeret ab eis, & ſolo timore perterriti pro primo fugam inierunt. Bado autem cum eſſet primus in acie, non tantum non fugit, ſed & cæteros milites ac vaſallos in Domino confirmavit, & evaginato gladio pugnare cœpit, & viriliter agere cum ſuis, pars adverſa contrita eſt, & maximam partem ipſe interfecit. Cum autem Gerhardus Epiſcopus Hildenſemenſis videret tam virile certamen Badonis, clamavit ad ruſticos & dixit, ô vos viri Pilati quomodo ſtatis? videte monachum, vos autem quid facitis? Deinde anno Domini 1380. anno 15. regiminis ſui abbas Bado obiit. Et quia gladio pugnavit, gladio periit, interfectus prope caſtrum Marienborg, & ſepultus eſt in medio chori S. Joannis.

Hartmannus ſecundus dictus Hake, viceſimus ſecundus in ordine rexit annis 14. exiſtens militaris, ſecularis quodammodo, plus miles, quam monachus. De eo fortè verificatum fuit illud Joëlis 1. reſiduum erucæ comedit locuſta &c. quia prodigus fuit, ut ſalva pace ſua dicam. Omnia bona impignorata fuerunt, an per eum, aut prædeceſſorem, Deo conſtat. Fuit tamen aliàs vir multum ſapiens, & magnus in conſilio Epiſcopi Gerhardi. Exiſtimo quod ultra duos manſes liberos non reliquit, quando obiit. Hic idem, dum quodam tempore iter agere vellet, accidit, ut clericus quidam familiaris ſuus ſibi conſtaret & calcaria cum equo ſibi præpararet, poſtulans ab eo precium ſervitutis præteriti anni. Ille autem cum non haberet, ut in promptis ſibi daret, ilico manſum ſibi tribuit pro precio & pro gratitudine illius obſequii ſibi impenſi. Quem ille non recuſavit, ſed gratus de tanto precio cum gratiarum actione ſuſcepit. Anno vero regiminis ſui 14. annö vero Domini 1394. obiit Hermannus Hake, ſepultus ante altare S. Cæciliæ, quod nunc dicitur S. Catharinæ.

Jacobus abbas 23. electus & in controverſia cum abbate Alberto Gripetan, rexit annis quaſi duobus, Prior præcedentis abbatis. Ipſe tradidit bona in Diſth & Rentzhuſen Diderico & Joanni dictis de Hardenberg, ad 6. annos, qui inde dederunt monaſterio S. Michaëlis in civitate Northemenſi quinque marcas nominatim, ut eſt in litteris deſuper conſcriptis: quæ acta ſunt anno 1394. Idem Jacobus tandem victus reſignavit Alberto Gripetan anno Domini 1396. & accepit ad vitam bona in Volkerſen cum omnibus pertinentiis ſuis, cum piſcaria in Vrothe, & dederunt ſibi in prompto 1. Lödige Marck / ut eſt in littera Epiſcopi Gerhardi de reſignatione ſua deſuper confecta.

Albertus Gripetan de ſimplici progenie natus & filius civitatis Hildenſemenſis, abbas 24. habuit nomen cum re. Nam veraciter tetigit eos, alii autem terra formati ante eum nobilitares fuerunt. Et fratres compulſi ſunt ſervare divina volentes nolentes. Et qui ab unâ hora ſine ſcitu abbatis ſe abſentaret, in pane & aqua pœnitere coactus eſt.

Tempo-

Temporibus etiam prædicti abbatis inceptum fuit ſarcophagium S. Barwardi, patroni noſtri, à domicellis de Gallen aurifabris, & pro magna parte completum & deauratum pro magna pecunia. Deinde anno 1430. obiit Albertus Gripetan, vir ſtrenuus & juſtus, ſecundum communem modum loquendi, quia bene rexit, ſecundum quod tunc temporis vita fuit monachorum: Et ſepultus eſt infra altare S. Barwardi, ubi quondam fuit altare S. Annæ ad meridiem ſaxo grandi antro ſuperpoſito cum tali epitaphio:

Hic jacet proſtratus, qui Gripetan cognominatus
Poſt mille bis ducenti bis quindecim ſuperadde
Craſtina Criſpini die nec non Criſpiniani.

Rexit autem annis 34.

Henricus Pepperſack ſecundus in nomine, abbas 25. rexit unum annum. Electus fuit de S. Godehardo, ubi prius extiterat ultra 20. annos, vir bonus, juſtus & rectus. Reſtauravit monaſterium in multis locis, ubi neceſſitas exigebat, & vixit duntaxat ad annum unum. Et obiit anno 1431. ſepultus ante altare S. Godehardi.

Henricus tertius, in ordine 26. rexit annum dimidium. Iſte Henricus de Hamelen fuit nobilis quantum ad partum, ſed quantum ad virtutes Deo conſtat. Obiit autem præfatus Henricus anno 1432. Jdib. Maji. ſepultus ante altare S. Catharinæ circa Hartmannum Haken cum tali Epitaphio:

Anno Domini 1432. Idibus Martii obiit Dn. Henricus abbas hujus monaſterii, cujus anima requieſcat in pace, Amen.

Theodoricus tertius in ordine 27. rexit annis 27. Iſte Theodoricus Brikman filius hujus civitatis, vir inſcius & ignarus. Habuit autem Priorem Conradum Hovemeſter, qui obiit in die Calixti Papæ anno 1437. ſepultus in ambitu verſus meridiem circa roſarium ad introitum eccleſiæ circa limitem. Idem abbas Theodoricus fuit in Concilio Baſileenſi anno 1434. vel paullo poſt, habens ſecum viæ comitem capellanum S. Lamberti & in miniſterio. Cum autem idem abbas Theodoricus eſſet vir egregius & regalis perſona, electus eſt ab aliis Prælatis pro Miſſâ de ſpiritu ſancto cantanda, pro inchoatione concilii, quod & fecit. Cui cum ſolenniter ſe expediviſſet, ſuſpicatus eſt quidam de Cardinalibus eum eſſe forte Doctorem Theologiæ, vel Decretorum, cupiens frui alloquio. Cum autem alloqueretur per Cardinalem nihil reſpondere poterat, quia inſcius fuit, non intelligens Latina. Dixit ergo præfatus abbas ad capellanum ſuum materna lingua: quid jam reſpondebo ſibi, ne confundar? cui capellanus reſpondit: nominetis aliqua caſtra ad villas circa Hildensheim, quas cum nomina veritis putabit vos eſſe Græcum, & ceſſabit à vobis. Qui ſtatim reſpondit Cardinali: Sturtwolt/Haſt/Giſen/Boerſche/Bauenſtede/Driſpenſtede/Igem. Qvod audiens Cardinalis dixit ad Capellanum ſuum: Eſt Græcus? Qui reſpondit: etiam honorande domine. Et receſſit ab eo. Dixit autem abbas ad capellanum ſuum, & quid reſpondebo in concilio? Qui reſpondit: cum interrogatus fueritis, dicatis præſidenti verba iſta: Ego ſto cum iſtis, quicquid ipſis videtur placet & mihi. Qui oblitus verborum capellani ſui reſpondit, ſto cum hic. Et concitati ſunt ad riſum Prælati circumſedentes, ipſe cum confuſione recedebat. Idem abbas Theodoricus aperuit ſepulcrum primi abbatis videlicet Goderammi ante altare S. Stephani, & invenit oſſa ipſius tam alba, ſicut nix vel creta, ponens lapidem ſuper monumentum cum epitaphio, quod prius non habuit. Ipſe etiam aperuit ſepulcra abbatum, ſcilicet Sigeberti & Conradi primi, ante altare omnium ſanctorum & Theodorici ſecundi in choro S. Joannis, qui S. Barwardum canoniſavit, & invenit eos adhuc corporaliter cum caſulis ſuis. In cujus ſignum & evidens teſtimonium ſepulcra eorum exaltavit. Theodoricum quoque ſecundum invenit cum baculo paſtorali ſemiferreo & lapideo. Tempore etiam ejus Theodorici tertii completum fuit ſacrophagium S. Barwardi, & ſarcophagium undecim millium virginum eſt completum. Ad quod etiam monaſterium plura clenodia contulit, & in prompta pecunia: alia de oblationibus fidelium data fuerant. Obiit autem præfatus abbas anno 1449. ſepultus ante aram S. Bartholomæi habens ſupra ſepulcrum baculum ſemiferreum & lapideum, more Theodorici ſecundi, ſicut viderat in ſepulcro illius baculum tali forma.

Henricus Woltdorp in Controverſiâ electus eſt cum Conrado Woltbuſen de monaſterio S. Ægidii in Brunſvick: ſed Henricus Woltdorp tenuit poſſeſſionem. Et magnam pecuniam ſe inter conſumſerunt contendentes in curiâ Romana, circa tria millia florenorum in duobus annis & dimidio, quæ poſtea monaſterium cogebatur ſolvere. Et poſtquam ſic contenderunt, Deus cogitavit cogitationes pacis, & non afflictionis. Advenit namque quidam Cardinalis, dictus Nicolaus de Cusâ, miſſus à Papa Nicolao 5. ad partes Saxoniæ. Hic comperiens nos contendentes incepit examinare electionis formam, etiam de vitâ & moribus electorum ac etiam gregis. Et proh dolor! reperit eos maculâ proprietatis omnes damnabiliter infectos, & certa alia, quæ cauſsâ honeſtatis ſuperſedeo. Et abbatem Henricum alloquitur, qui nitebatur ſibi maternâ linguâ reſpondere. Tandem juſſus Latina loqui, non potuit, quia inſcius fuit & ignarus, & præ confuſione receſſit. Et hic tandem excommunicatus fuit, & poſtea abſolutus & electio caſſata. Providit autem Cardinalis quendam religioſum virum, nomine Joannem Eilken, filium hujus civitatis, de monaſterio Bursfeldenſi. Hic præfatus Joannes cepit ſecum certos fratres in cooperatores reformationis monaſterii noſtri, qui non modicum laborem habuerunt, præſertim varias oblocutiones à plebeis, & difficultates ab aliquibus fratribus ſuſtinuerunt. Nam difficile eſt conſveta derelinquere, quæ omnia cauſſa brevitatis & pacis ſuperſedeo.

Joannes Eilken hujus nominis primus rexit annis 13. in ordine 29. primus reformator. Hic complevit domum hoſpitum quam Theodoricus Brinckman abbas inchoaverat. Eodem etiam tempore, quando reformatio eſt introducta, multa privilegia amiſſa fuerunt, quæ diſtracta ſunt per monachos irreformatos de multis bonis. Obiit autem prædictus Dn. Joannes anno 1464. in die B. Mariæ Magdalenæ, ſepultus ante altare S. Stephani retro Goderammum primum abbatem ad occidentem

Henricus hujus nominis quintus in ordine 30. Iſte Henricus Bertkow filius fuit Bursfeldienſis, miſſus à Domino Joanne ab Hagen pro reformatione introducendâ & manutenendâ. Et ordinatus eſt in cellerarium, & poſt paucos annos in Priorem: ſed neſcio quo interjecto livore, depoſito Prioratu, iterum Bursfeldiam rediit, & ibidem in Priorem ordinatus eſt. Sed non multo poſt defuncto Dn. Joanne Eilken, conventus S. Michaëlis unanimiter ſimili cum gaudio elegerunt ipſum præfatum Henricum Stendel, quondam eorum Priorem in abbatem monaſterii, anno quo ſuprà. Conſtitutus abbas & confirmatus, vir erat plenus caritate, & in caritate rexit fratres & in diſciplinâ. Invenit autem maxima debita, quaſi 600. florenos ad manum, & fere ſexcentos ad annuum cenſum. Nihilominus tamen omnibus diebus vitæ ſuæ ſtruxit, tam in eccleſiâ, quàm in aliis locis. Ædificavit & circumdedit muro lapideo quaſi totum monaſterium, cum novo infirmatorio ſuper ambitum infra eccleſiam & capellam S. Martini, & domum hoſpitum cum cellulis ſuis. Eo tempore reformatum fuit monaſterium S. Godehardi per eundem priorem Henricum abbatem, cooperantibus ſecum venerabili Erneſto Epiſcopo & Eggehardo de Wenden Præpoſito, cum conſenſu abbatis Henrici Woltdorp, qui hujus cauſſa extitit. Quia cum eſſet ibi electus in abbatem, noluit eum Epiſcopus Erneſtus confirmare niſi promitteret reformationem illius monaſterii, & ita factum eſt. Iſte præfatus Henricus Bertkow cum eſſet nobilis per aliqua vota in Epiſcopum Hildenſemenſem poſt mortem Dn. Erneſti eſt electus. Sed quia erat amator fratrum ſuorum, potius voluit in ſimplicitate cum fratribus ſuis vivere & mori, quàm glorioſè cum aliis dominari. Et quia amabilis erat omnibus & affabilis, propterea magnam gratiam habuit cum Prælatis eccleſiæ Hildenſemenſis & civitatis, & maximè cum Principibus patriæ. Idem etiam pater venerandus ampliavit & prolongavit eccleſiam S. Lamberti verſus ambitum & occidentem, & addidit quaſi mediam partem. Obiit autem prædictus abbas anno Domini 1483. decimo ſui regiminis anno, ſepultus in latere S. Bartholomæi ad meridiem, non remotè à Theodorico Brinckman.

Hartmannus 3. in ordine 30. rexit annis 18. Iſte Hermannus Poelman fuit Prior præcedentis abbatis, oriundus civitate Monaſterienſi. Et erat vir juſtus & rectus, etiam ſatis intelligens, quamvis coram hominibus ſimplex videbatur, declinans

nans à malo, & ſolicitus per omnia, ut ambularet cum Deo, tertius in reformatione. Ordinavit itaque ſingulis diebus pauperes peregrinos colligere, quorum pedes ipſe communiter conſuevit lavare, quod de gratiâ Dei usque hodie laudabiliter obſervatur: propter quod etiam monaſterium S. Michaëlis notabiliter profecit ab illo tempore & deinceps. Iſte venerabilis pater ob quandam violentiam ac invidiam nobis factam in piſcaturâ Indiſtriæ à conſulatu Hildeſimenſi, ivit uno die cum Priore ſuo & duobus ſenioribus ad Prætorium, & in præſentiâ totius conſulatus & 25. ſeniorum citavit eos vivâ voce ad judicium extremum ad reſpondendum de hujusmodi violentia ſibi contra libertatem monaſterii ſui illata, & finaliter obiit & emendam defendit & libertatem. Multùm zeloſus fuit & fervidus ad viſitandum & reformandum monaſteria utriusque ſexus, tam ordinis noſtri S. Benedicti, quàm etiam aliorum. Inter quæ reformavit monaſterium Ringelheimenſe adeo depauperatum & deſolatum, ut quodammodo nullum veſtigium alicujus religioſitatis in eo fuerat relictum. Cujus miſerrimam deſolationem conſolari volens, ordinavit Priorem ſuum ibidem in abbatem, hominem inexpertum, puſillanimem, & minus idoneum ad tale opus. Quo ſpiritu tamen hoc egerit, novit ſcrutator omnium cordium Deus: dicere tamen audeo, quòd ſimplici & pio animo, quia homo ſine felle erat, cujus reſpectus erat in Deum omni tempore. Ordinatus ordinavit ſibi tres fratres in principio, ſed nihil fuit regimen iſtius abbatis. Obiit autem prædictus Hartmannus anno 1487. ſepultus in latere S. Godehardi circa altare verſus Aquilonem, non remotè ab Henrico Peperſack, qui jacet ibidem ante altare.

Poſt hunc eligitur *Dn. Joannes Lof*, *natione Monaſterienſis*, baccalaureus, inſtructor juvenum novæ civitatis profeſſus monachus S. Godehardi, ubi & cellerarius fuit. Poſtea miſſus pro Priore ad Corbeiam pro reformatione. Ubi in magna paupertate incepit reformationem. De hinc electus abbas S. Michaëlis quapropter reformatio ibidem incepta cecidit ab ejus diſceſſu. Hic fuit vir bonus & ſapiens, & maximus zelator ordinis, multorum monaſteriorum reformator, & viſitator: quia fuit vir ſimplex & rectus timens Deum & recedens à malo. Qui præfuit bene in temporalibus & ſpiritualibus ad 33. annos & obiit in vigilia SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum, ſepultus in capella eorundem. Eodem die & tempore electionis timuimus quendam advenire novum abbatem per intruſionem. Quare occultè ſepelivimus eum, cantantes vigiliam & miſſam poſt ſepulturam ejus. Hic in principio ſui regiminis contendit cum capitulo eccleſiæ majoris juridicè propter ſervitium, quod domus Michaëlis ****** eis reſiſtendo eisdem usque ad excommunicationem exulationemque civitatis ad tempus, ſed conatus pii hominis nihil profecit. Hic primus invenit modum ut braxaretur cereviſia Martialis, quæ ante eum fuit inviſa in monaſterio noſtro. Fecit etiam ædificari capellam S. Gertrudis in abbatia noſtra. Obiit prædictus abbas Joannes Lof anno 1521. ipſo die Philippi & Jacobi, ſepultusque in ſacello prædictis apoſtolis ſacro, ut ſupra.

Finis hujus Chronicæ.

ANONYMI
Chronica Monaſterii in Lothen, Diœceſis Mindenſis,
Poſt in opidum Lemgo tranſlati.

(Uuu) 3 CHRO-

CHRONICA
Monaſterii in Lothen, poſt in opidum Lemgo tranſlati.

De fundatione monaſterii in Lothen per Widekindum nobilem advocatum de Monte.

ANno verbi incarnati MCCLXV, quo tempore venerabilis *Cono* eccleſiæ Mindenſis Epiſcopus dictam ſedem gubernabat *Widekindus de Monte*, dictæ eccleſiæ nobilis advocatus, divino Spiritu inſpiratus, monaſterium ſororum in *Lothen* fundavit, villis quoque & decimis, quas ab *Alberto Duce in Brunſvic* in pheudo tenuit, & induſtria corporali & ſervitio acquiſierat, ad preces & exhortationes nobilis viri, fratris *Ottonis de Hoja*, fratrisque Joannis ſapientis, divinæ mercedis intuitu ſecundum ſequens privilegium copioſe dotavit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Univerſis Chriſti fidelibus præſens ſcriptum intuentibus, nobilis vir Widekindus, advocatus de Monte, qui dicitur Schalkesberg, ſalutem in omnium ſalutari. Quoniam juſtum eſt, rerum bene geſtarum memoriam nulla oblivione delere, earum maxime, quæ ad honorem omnipotentis Dei provida deliberatione ſalubriter diſponuntur: nos autem attendentes, felix eſſe commercium, pro perituris æterna, pro terrenis cœleſtia commutare, cum nihil homini proſit, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur, quæ pro noſtra, noſtræq; conjugis Akethe, ac progenitorum noſtrorum ſalute fecimus aut donavimus, cunctis tam præſentibus quam futuris eſſe cupimus hominibus manifeſta; videlicet, quod habita venerabilis Cunonis, Epiſcopi Mindenſis licentia clauſtrum in Lothen, Mindenſis diœceſis fundavimus, ordinantes in eo, ut Prioriſſa & ſorores Ordinis Patrum Prædicatorum ſub beati Auguſtini regula, Domino, à quo cuncta bona percepimus, in perpetuum famulentur. Dotavimus etiam ipſum clauſtrum, cum adhuc eſſet novella plantatio, tali dote. Jus patronatus eccleſiæ in Lothem, & duas magnas domos in eadem villa, cum aliis domunculis & omnibus agris ad eas pertinentibus, & decimam ipſius villæ, & fluvium parvum qui in latere villæ fluit: item unam domum in alia villa, quæ Loden ſimiliter nominatur: item in Bitede tres magnas domus, cum aliis domunculis & agris ad eas pertinentibus, & decimam de eadem villa, cum omni juris integritate, videlicet ſilvis, pratis, rivis & paſcuis, clauſtro huic libera ab omni advocatia pro dote contulimus & aſſignavimus in perpetuum poſſidenda. Cætera autem quæ donavimus de manu illuſtris principis Alberti Ducis in Brunſvic jure tenueramus pheudali, ſed nobis ea reſignantibus, quæ nulli hæredum noſtrorum unquam collata fuerant, dictus princeps una cum fratre ſuo Joanne Duce, tam eccleſiam, ſive jus patronatus dictæ eccleſiæ, quam domos, ſeu domorum & agrorum hujus proprietatem, noſtras ad preces propter Deum inceptæ à nobis plantationi liberaliter contulerunt. Nec eſt tacendum, ut credimus, quod omnia prædicta bona non de hæreditate noſtrorum progenitorum extiterunt, ſed noſtra pecunia, noſtraq; induſtria conquiſita, propter quod ea reſignandi ſeu donandi liberam magis habuimus facultatem. Univerſitatem igitur fidelium attentè duximus exorandam, inſuper hæredes noſtros monemus, quatenus ipſi Deum habentes præ oculis, cujus iræ nemo reſiſtere poteſt, ne in ſacrilegii reatum incurrant, donationem ratam habere dignentur & gratam, ut & ipſi nobiſcum mercedem conſequantur æternam. Nos enim, & uxor noſtra Aketha, cuncta, quæ præmiſimus, ad honorem omnipotentis Dei, ſuæq; matris glorioſæ Mariæ, præfatis ancillis Chriſti, & cunctis eis ſuccedentibus in perpetuum

petuum cum pleno cordis affectu & mentis alacritate donamus, nos & progenitores ſeu hæredes noſtros eadem devota ſolicitudine commendantes, ut earum precibus aſſiduis, nobis inter mundi hujus diſcrimina fluctuantibus, divina dignetur indulgere pietas portum felicitatis æternæ. Ut autem noſtra donatio firma ſemper & inconvulſa permaneat, eam ſigilli noſtri munimine duximus roborandam, anno quo ſupra.

Sed quia felicitas invidiæ ſemper eſſe ſubjecta agnoſcitur, quidam minus ſobris, nec ſecundum Deum recte ſapientes, ſtimulis invidiæ agitati, & avaritiæ inhiantes, aliorum lucra ſibi reputantes damna, hanc fundationem tam ſanctam tàm utilem & multis proficuam veluti vulpecula Samſonis, Domini ſegetem ſeu vineam, quam dextra Dei plantavit, evertere & devolvere laborabant. Igitur humanæ ſalutis inimicus Diabolus, & ejus membra, huic ſacræ plantationi ſe fortiter & malitioſe opponebant, & *Henricum Comitem de Hoja*, qui propter malitiam ſuam & ferocitatem *ſecuris* nominabatur, ex eo, quod captivisin cippo poſitis pedes amputaverit, excitaverunt, ut agros & alia quædam bona per quendam *liberum Wernerum*, & ejus cognatos monaſterio dicto legata, auferat, & in ſuum dominium ſive uſum ſibi uſurparet, non attendens Propheticam, ex perſona Dei, quæ dicit: *Væ qui prædaris, quoniam & ipſe prædaberis*: imprecationem. Vindictam hujus nefandi Spolii ad clamorem pauperum incluſarum Chriſti ſponſarum Dominus ſibi reſervans; hanc ſecuriem, quondam acutam, & lingua fructifera cædentem & evellentem, nunc vicem recipiendo ad ardorem & ad odorem ignis æterni eſſe poſitam, indubitata fide credimus & timemus. Inordinatam etiam inſolentiam & violentiam in decima Nortlede/ pro dote ſororibus data & perRomanam curiam confirmata, *monachi de Lucka*, Ordinis ciſtertienſis inferebant, ut vix aliquis credere ad plenum ſufficiat.

Qualiter filius patrem ceperit.

Igitur *Heinricus, filius Widekindi*, à patre degenerans, & patris beneficiis invidens, recte velut alter Adonias Salomonem, ſic ille patrem ſuum dehoneſtans, divini oblitus præcepti, captivavit, & omnia bona, quæ pater ſuus pro dote novellæ plantationi ancillarum Chriſti dederat, ea abſtulit & occupavit. Et quia per ſe, ſie aliorum favore & adminiculo contra patrem & monaſterium inceptum perficere & ei reſiſtere non valuit, per adjutorium *Friderici Comitis de Retbberge* ſatagebat ſupplere, & per ejus ſatellites. Unde per quendam Dei inimicum, nomine Kulingem, monaſterium in Parte jam inceptum, modo per rapinas, modo per incendium & alia infinita, annihilare & deſtruere nitebatur. Sed patrum duorum, videlicet fratris *Ottonis de Hoja*, & fratris *Joannis Sapientis*, tanquam fundatorum monaſterii in Spiritualibus intervenit tuitio. Et niſi hic nequam per eos placatus fuiſſet, omnia jam ædificia incineraſſet.

Qualiter hæc diſcordia ſedata fuit.

Tandem ſorores cum his patribus & quibusdam aliis amicis monaſterii & fratribus de pace tractantes, tandem Epiſcopo, Capitulo, civibus etiam in Minda eis condolentibus, negotium & hanc controverſiam mediantes, quod prædicto *Henrico filio Widekindi* prædicti, præſente *Comite Henrico de Hoja*, qui etiam hunc in pertinacia fovebat, *Prioriſſa Johanna* & Conventus CC marcas dederunt, tali tamen conditione adjecta, quod nec ipſe nec fratres ſui, vel eorum hæredes, dictas puellas in dictis bonis amplius moleſtare vel inquietare quovis modo attentarent. Qualiter autem hoc obſervatum fuerit, in ſequentibus patebit.

De tyrannide fratris hujus Henrici.

Henrico igitur per mortem de medio ſublato, frater ejus, *Gerbardus* dictus, Montis regimen ſibi aſſumſit. Hic ſe novellæ plantationi primo patris veſtigia imitatus, gratioſum & benevolum ſe exhibens, ſed malorum conſilio corruptus, fratris ſui Henrici, tyrannide inflatus, extitit imitator. Monachi etiam de Lucka propriis limitibus non contenti, Gerhardum Advocatum pecuniis corrumpentes, villas Ballehuſen & Achterſen/ quas ſorores pecuniis copioſe ſibi acquiſierant, dictarum villarum poſſeſſionem ſibi uſurpaverant. Ecce quomodo hic paternæ benedictionis

nis oblitus, non ſolum his ſaturatus ſui cordis crudelitatem, quam erga Chriſti famulas gerebat, foris exhibere, & in aliis inimicum oſtendere non verebatur.

Qualiter pecora eis ablata fuerint.

In his *Gerbardus* non contentus, ad alia mala manum a varitiæ per ſpolia veritus extendere non eſt. Unde gregem porcorum pinguium vice quadam manu violenta rapuit: deinde etiam litteras, quas ſuper proprietate villarum prædictarum habebant, repetitione importuna exigere & extorquere minime erubuit: inſuper graviſſime comminatus, ut & hoſtem ſe gravem ſentire non dubitarent, ſi eum in pecunia pro villis à monachis exponenda & promiſſa per eas impedirent. Sorores ergo tantas comminationes ferre non valentes propter metum, qui & in virum conſtantem cadere poteſt, lachrymoſis ſingultibus vexationes ſolventes literas reddiderunt. Et ſic villæ hæ duæ in poſſeſſionem monachorum venerunt.

Qualiter ſorores Lothen intraverunt.

Qualiter hæ ancillæ Chriſti Lothen intraverunt, & diverſi eventus, pericula & turbationes, Domino permittente, ibidem per adverſitates velut aurum in camino ignis examinatæ, etiam venerandum virum fratrem Joannem Sapientem, cui etiam pondus miniſterii incumbebat, non tranſiverunt; hæc omnia ex quodam tapeto, quod ſoror Joanna prioriſſa dicti monaſterii, cum aliis tribus ſororibus, ne tanta pericula à ſororum in perpetuum memoria deleantur, acu artificioſè depicta compoſuerunt, ne tantæ rei geſta deferirent, ſed tanquam præſentia præ oculis ſemper & in promptu haberentur, collegi.

Igitur materia prima in dicto tapeto, eſt forma *caſtri*, olim *Schalkesberge* dicti, & cuſtodiis effigies, ſtantis in porta.

Secunda materia eſt *Widekindus*, ſtans cum ſua conſorte *Richeda*, librum manibus tenens, ſororesque duæ de monaſterio, quod Paradyſus dicitur, emiſſæ pro clauſtri fundatione & receptione. Quam uxorem ſuam Widekindus ſic alloquitur: *Ecce fundo de bonis meis clauſtrum.* Ad quem domina Richedis, verbum domini ſui ratificando, approbans inquit: *Ratum habeo quod facitis.* His ſororibus tres viri religioſi & ſpectabiles, recte velut tres patriarchæ, adſtant; videlicet primus, frater *Joannes Sapiens*, ſic inquiens: Timeo juvenem Advocatum. Alter, frater *Henricus de Brema*, qui poſt per manus indignorum hæreticorum juxta Bremam pro fide Catholica occiſus, martyrii palmam adeptus eſt. Tertius frater *Joannes de Hamelen*, chartulam, chirographum continentem, manibus tenet, ſic dicens: *Ego ſcribo chirographum.*

Tertia materia eſt *Epiſcopi Ludolphi Mindenſis* effigies, cui tres *Mindenſes Canonici* aſtant, proprietatem & jus in monaſterii fundo cauſantes, petentes pecuniæ ſummam, dicentes: *Nobis debentur viginti quinque marcæ:* Quibus reſpondet Epiſcopus: *Faciam quod vultis.*

Quarta materia eſt domicellus *Henricus* prædictus & *Fridericus de Rebberge* Comes, Lothen convenientes, ille ſtans digito extenſo contra clauſtrum quaſi querulando juxta quoddam granarium, in quo quatuor puellæ docebantur, ſic inquiens: *Ecce hæreditas mihi ablata.* Cui dictus Fridericus, quaſi alter Achitophel, malitiæ ſua arcana prorumpens, conſiliat, dicens: *Deſtruite locum.* O quanta hæc humani cordis malitia: deſtruere & evellere plantationem ſalutis, quæ ad multorvm ſalutem plantata dinoſcitur. Quis hic Fridericus & qualis fuerit, hoc in prole ſua, quæ urbem Hervorde egregiam anno Chriſti M. CCCL. per traditiones viam ſpoliare ipſa nocte SS. Proti & Hyacinthi, & evertere crudeliter attentavit.

Quinta materia eſt, quomodo quidam, Diaboli membrum & inſtrumentum nomine *Kuling*, malitiæ armis coopertus, faculam accenſam manu gerens, ſorores alloquitur, dicens: *Niſi locum hunc recedendi dimiſeritis, vos incendam.* Cui frater *Henricus* prædictus occurrentes per brachium apprehenderunt, dicentes: *O infelix, quid facis?* Kulingus vero, videns ſuum propoſitum non poſſe perduci ad effectum, ab incendio iſto quievit, pecora autem clauſtri abducens ſpoliavit.

Materia ſexta, diſpoſitio caſtri Montis eſt, in omni ſua forma, cum gradu, verſus partem ſuperioris caſtri aſcendente. De hoc caſtro *Henricus Advocatus* cum ſua

uxore,

uxore, manu literam portans, concomitantibus fratribus Joanne Sapiente, & Henrico de Hamelen, in præſentia Henrici Comitis de Hoja, & Friderici Comitis de Rethberge, loco teſtium aſtantibus: quos Henricus Advocatus alloquens, inquit: *Scribite, quod bona in Lothen vobis renuncio.* Ad quos Comes Henricus reſpondet: *Ego Comes Henricus in Hoja id teſtor.* Frater vero Joannes, acceptis his, ſigillis Comitum, & Advocati roboratis, manibus extenſis dicit. *Ego Henricus Advocatus, in præſentia Comitis de Hoja, cum uxore mea & fratribus meis renuncio omni juri quod habui in bonis Lothen, pro CC marcis.*

Materia ſeptima eſt *Pater Joannes* anguſtiatus de pecuniæ ſolutione, & nemus Romaſines quoddam, qui flexis genibus, plicatiſque manibus & oculis in cœlum levatis orans inquit: *O Domine Deus, da conſilium de clauſtro.* Cui vox de cœlis, quaſi alterum Gedeonem confortans, ait: *Confortare, & eſto robuſtus, & ego tecum ero.*

Octava materia eſt forma civitatis Halberſtadenſis, cui Epiſcopus *Volradus* cum duobus fratribus, *Ottone & Gerbardo de Hernſtede* aſtant, dictumque Epiſcopum petentes dicunt: *Noſtrum promoveto negotium.* Quibus reſpondet Epiſcopus: *Petam pro ſororibus.* Ad cujus rogatum, quatuor ſorores in curru ſedentes collocantur, videlicet Johanna, Mechtildis, Margareta, & Mechtildis de monaſterio Wedenſtede aſſumptæ, & Lothen ſunt translatæ. Harum duæ redeunt, & duæ apud Lothen remanſerunt.

De ſorore Johanna Prioriſſa.

Prædicta ſoror *Johanna*, ante Ordinis ingreſſum cuidam nobili viro copulata erat. Hoc modico tempore ſupervivente, & per mortem ſublato, hæc ſpiritu Dei tacta, mundum cum ſuis oblectamentis deſerens, religionis ingreſſum petiit & obtinuit, & quàm religioſe, quam prudenter & diſcrete monaſterium prædictum rexit in Prioratus officio, & ornamenta divini cultus promovit ſtudioſe & artificioſe, id ſorores & manuum ejus opera teſtimonium perhibent usque in præſens evidenter.

Qualiter Lothen intraverunt.

Igitur his puellis quatuor dictum monaſterium intrantibus, quidam *Wernerus* portam aperit, & has puellas intromittit. In fine hujus tapeti imagines fratrum *Hermanni de Minda & Joannis de Hamelen* ceu depictæ videntur, & unius converſi fratris, *Wirici*. Per medium harum materiarum verſus ſequentes inſeruntur, nominaque ſororum, quæ has materias cum ſtudio collegerunt, ut ſciant poſteri, quantum laborem ſorores ſæpe-dictæ una cum ſororibus primitivis in fundatione dicti monaſterii habuerunt, & quanta ibidem tædia propter regnum cœlorum perpeſſæ ſint. Sunt autem hi verſus.

Quisquis me calcat, bona me facientibus optat,
Namque Prioriſſa facies mibi data Johanna.
Vendicat Albeidis bomines ſibi nobiliores.
Eliſabeth cunctis pietatis amore flagravit.
Richeidis fratres jungit merito ſibi caros.

Et hæc ex prædicto tapeto.

Quare & quomodo ſorores Lemego fuerunt translatæ.

Anno ergo MCCCVI, à fundatione monaſterii Lothen XLI, Chriſti ancillæ ad opidum *Lemego* ſe tranſtulerunt, ut in majori pace pacis auctori Deo famularentur, ibidemque monaſterium ædificare cœperunt. Translationem harum puellarum venerabilis Pater, frater *Johannes* ex militaribus *de Buſche*, ſecundus Provincialis Saxoniæ apud ſedem Apoſtolicam, & *Simonem de Lippia*, nobilem & ſtrenuum militem multis laboribus corporalibus & expenſis procurans ordinavit. O quam multi fideles & devoti Deo ad plenum mirari non ſufficiunt, quod eccleſia Mindenſis tam gratam, tam ſanctam Deoque dilectam congregationem, diœceſin & ec-

cleſiæ limites (cum dictæ eccleſiæ & ſedes ſibi ſimilem nunquam habuerit, nec in præſentiarum habere videatur) exire permiſit. Poſtquam enim hæc congregatio dictæ eccleſiæ fuit ablata, non modicum tam in ſpiritualibus, quam etiam in temporalibus declinavit. Quamdiu vero dictam eccleſiam ſorores inhabitarunt, Deus omnipotens propter ſuas devotas & efficaces preces, duas victorias famoſas, videlicet tempore Widekindi & Ludolfi, Epiſcorum Mindeſium, eccleſiæ dictæ dicitur contuliſſe. In quarum præſentia idolum Dagon cecidit, & filii Iſraël contra ſuos hoſtes bellantes triumphum glorioſe reportarunt. Recedentes igitur de Lothen, eccleſia ibidem, & ejus collatio, ad Dominum Simonem prædictum, per quandam permutationem in Lemego, quæ in jus & proprietatem ſororum tranſierunt: & eccleſia in Blomberge, Capituli in Padeborne, Lothen, ut dictum eſt, in jus Domini de Lippia tranſivit. Quam idem Simon, cum conſenſu omnium ſuorum hæredum, anno Domini MCCCIX. monaſterio in Lucka, Dei intuitu perpetuo poſſidendam donavit.

Qualiter hic Simon capitur & ſororum pecuniis redimitur.

Ante annos aliquot, prius quam ſorores Lemego intraverunt, *Simon* hic eccleſiam in villa Eugeren contra Osnaburgenſes incaſtellat & firmat, ambitum usque ad ſolum deponit: juxta quam caſtrum, quod olim Regis Widekindi & everſum & destructum fuerat, denuo erigit: chorum ab eccleſia pariete interpoſito ſeparat, in granarium mutans, de domo Dei raptorum gymnaſium effecit. Propter quod Dei iram contra ſe provocans capitur, & in Osnabrugis captivus abducitur. Poſt multum vero temporis placita pro ſua liberatione interponuntur, & ſic caſtrum evertitur, & datis pecuniis copioſis de captivitate liberatur. Venerabilis Pater, frater Joannes de Buſche dictus, his intellectis dictum Simonem accedens, de ſororum introitu & translatione tractare cœpit. Simon hoc audiens, tum quia de puellarum dictarum adventu lætatus, tum quia pecuniis indigens anguſtiatus, paratum & benevolum in dicti Patris negotio & cauſſa ſe exhibere non tardavit. Igitur placitis & collationibus, quæ ad hoc ſpectabant, terminatis, jus Patronatus, quod Simon in eccleſiis Lemego hactenus habuerat, ſororibus æternæ mercedis intuitu liberaliter conferebat: pro loco vero & area, ubi clauſtrum & curia, & cætera clauſtri ædificia videntur, ſorores mille & ſeptingentas marcas Bremenſis argenti expoſuerunt.

Qualiter ſorores de Lothen ſe tranſtulerunt.

De Lothen tandem finaliter recedentes, tribus diebus & duabus noctibus in via morem faciendo perſtiterunt. Quamdiu autem in itinere fuerunt, nullus maſculinus ſexus in domibus, ubi pernoctabant, adeſſe permittebatur, niſi tantum patres & fratres, & alia comitia Clericorum & ſecularium honeſtorum de die ſorores deducentes. Accidit autem una nocte, ut famulus unus, currus minator, ſive auriga, in villa ubi pernoctabant, die adhuc lucente, ſuper ſtabulum, ubi equi ſtabant, ad quietem ſe poneret, & in eodem ſorores dormirent. Nocte tandem ſuperveniente duo ex equis, ſolutis capiſtris, ſtabulum exierunt. Famulus hoc audiens, ſtatim expergefactus, ut equos in ſtabulum & ad ſua loca reduceret, de ſtrato ſuo deſcendit. Quædam vero ſoror, famuli præſentiam ſentiens adeſſe, aucam exiſtimans, ad ſororem ſibi propinquiorem inquit, O mi ſoror, ô mi ſoror. Quid eſt, inquit: quæ reſpondit, Owi auca: ex præſentia famuli territa (quod proprium virginum eſt ſecundum Hieronymum) neſciens quid diceret.

Qualiter ſorores Lemego intraverunt & quam glorioſè ibidem receptæ fuerunt.

Tandem Lemego venientes, cum magno gaudio, paucis exceptis, univerſorum recipiuntur. Igitur ſoror *Ermegardis de Helbeke* Prioriſſa, cum triginta novem ſororibus, converſis exceptis, ipſo die nativitatis virginis Mariæ benedictæ Lemego intrantes, Domino Simone prædicto ſua conſorte & prole, militibus & militaribus totius dominii ſui, nec non totius opidi præfati univerſitas, proceſſionaliter recta, velut

ut filii Iſrael arcæ Domini occurrentes, ad eccleſiam beati Nicolai Epiſcopi, ſic, quod duabus ſororibus duo nobiles, vel duo milites, ſeu prælati eccleſiaſtici, vel religioſi, bini & bini ſororibus adjuncti, cum tripudio introduxerunt. Facto itaque ſilentio, præfatus pater, Joannes de Busché ambonem aſcendens, & facta compendioſa collatione ad populum, eundem exhortabatur, ut nullus præfatas Chriſti ſponſas turbaret, moleſtaret, vel quodcunque damnum inferret eisdem vel injuriam quovis modo. Si quis autem hoc præſumeret, & immunitatem earum ac libertatem infringere auſus eſſet, Dei & Romanæ ſedis indignationem incurreret, terribiliterque contra harum injuriatores fulminavit. Addidit quoque, quod hæ puellæ non tantum ad ſalutem opidi Lemego, ſed ad totius terræ, illuc eſſent translatæ. Expleto ſermone & prædictis omnibus, ſorores ſe religiosè & cum omni admiratione ad clementiam Domini, quæ ſe ſanas & incolumes corpore & rebus usque illuc perduxit laudandam & extollendam disponebant. Una igitur ex ſororibus *Adelbeidis*, Mindenſis natione, antiphonam de S. Nicolaò, *O Chriſti pietas*, voce tam ſonora, tam ſuavi, tamque devota incipiens cantavit, quod omnes audientes reddidit admirantes. Unde miles quidam dictam puellam in proceſſione: reſpiciens & concomitans, ex tam dulci modulatione motus cum nihil jocalium, præter cultellum argento pretiosè adornatum, ad manum haberet, ſibi tradidit orationibus ſe ejus recommendans. Ad novam civitatem Lemego tandem euntes, virginem glorioſam in Capellula juxta plateam per antiphonam, *Salve Regina*, ſalutantes, eidem ſe & ſuos recommendaverunt. His devote terminatis, per eccleſiam ad clauſtrum intrantes, matrem miſericordiæ ſalutarunt cum ſuo pio unigenito, qui eas ad locum majoris ſecuritatis perducere dignati eſſent: pro quo gloria tibi Domine. Factum hoc anno & die quo ſupra, tempore *Alberti de Brockbuſen* tunc ibidem plebani. Hujus progenitores quanto favore & ſincero amore fratres Prædicatores, & ſingulariter apud Mindam f'nt proſecuti, eorum larga manus, & eleemoſina ac ſepultura teſtimonium perhibent ſufficiens evidenter. Hi namque fratribus in Minda trecentas marcas Hervordienſis monetæ pro ſtructura novi clauſtri, in cujus chori introitu ſunt ſepulti, ob reſpectum mercedis æternæ tradiderunt. Horum filius *Albertus* libros groſſos, videlicet ſummam Gaufredi Bibliam in duobus voluminibus, inſtituta cum gloſſis, Textum Codicis, Summam Monaldi, & ſermones Pariſienſes anno MCCCIV. conventui noſtro dedit.

De aliquibus eventibus & adverſitatibus apud Lemego expertis.

Igitur tranſactis XXVII. annis, antiquus ſerpens, qui & Diabolus, actibus ſanctis harum puellarum iniquior factus & invidens iterum nova bella, iterum turbationes in membris ſuis ſuſcitare non verebatur. Ecce, ut in quiete contemplationis, ſtudii & orationis, ad quæ noſtrates hæ virgines deputatæ, impedirentur, quidam *Hermannus Guntberi* Proconſul, ac *Ludolphus de Horne*, & cæteri Conſules Novæ civitatis Lemego novas ſcholas juxta cemiterium verſus plagam Aquilonarem erexerunt. Sed quia hoc temerariè in gravamen & ſororum præjudicium propter ſcholarium diſcurſus & clamores cedebat, tum etiam propter divinorum impedimenta, tum propter principalis ſcholæ diminutionem, per cenſuram eccleſiaſticam, ordinante hoc Magiſtro Joanne de Melberga, tunc Priore Mindenſi, compulſi, ſcholas prædictas depoſuerunt. Acta ſunt hæc feliciter anno Domini M.CCCXXXIII. ad laudem ipſius, qui liberat pauperem à potente, & pupillo adjutorium præſtat in tempore opportuno: huic laus ſit & gloria, Amen.

Qualiter Archiepiſcopus Colonienſis territorium Lippienſe intraverit.

In Nomine Domini Amen. Anno gratiæ MCCCCXLIV. regnante Sereniſſimo & Chriſtianiſſimo principe Friderico Romanorum Rege, durante Baſileenſi Concilio, ibique Papatui præſidente Felice quinto, apud Romam ſanctiſſimo Papæ Nicolao quarto, *Suſatenſes* cives ſubjugantes, facto juramento, ſua colla nobili domicello *Johanni filio de Clivis* obtulerunt, ac à ſancta eccleſia Colonienſi abſcedentes à Do-

mino *Theodorico de* Morſa Archiepiſcopo declinaverunt. Unde commoti ſunt principes & gentes terrarum turbatæ ſunt, partibus tandem adhærentes. Epiſcopus vero *Henricus Monaſterienſis de Morſe* natus, ſuo germano Archipræſuli Colonienſi pro viribus aſſiſtebat, qui eo momento Monaſterienſi & Oſnaburgenſi eccleſis præſidebat. Illuſtris autem & ingennus domicellus de Lippia, cum Clivenſibus confœderatus, eos adjuvabat. Sed Archipræſul cum ſuis ſatellitibus Suſatenſibus & Lippienſibus ſolotenus duobus annis blada & frumenta deſtruebat, turribus ac propugnaculis circumcirca ubique deſtructis. Anno tandem MCCCCXLVII. præfatus Dominus Theodoricus de Morſe, archipontifex Colonienſis, collecta grandi populorum multitudine Bohemorum, Miſenenſium ac Thuringorum, quorum multitudo arenæ maris non immerito adæquabatur, idibus Junii domicellorum Lippienſium territorium intravit: ac primo introitu illud inſigne acforte opidum Blomberg expugnavit cum ſuo caſtro, militaribus, opidanis ac villanis in eo inventis captis, urbemque eſpolientes, tandem igne penitus exurentes, ibidem diem integrum repauſarunt. Ibique tunc impletum eſt, quod in Machabæorum primo ſcribitur: *Nam factus eſt timor & planctus magnus in Iſraël univerſa terra illa, & ingemuerunt juvenes & ſeniores & virgines infirmatæ ſunt, & ſpecioſitas præ timore grandi immutata eſt.* Et ſequitur poſt pauca: *Et fugerunt habitatores civitatis propter eos.* Nam, quod tamen dolens refero, XVII. Calendas Julii incolæ opidi Lemego, audita deſtructione opidi Blomberg, graviſſimo timore percelluerunt, & ultra quam fari poſſum perterriti, ſuas habitationes derelinquentes, ubique tanquam alter Cain profugerunt, hi in Occidentem, hi ad Aquilonem. Sed tamen Deus ſemper propitius ſuper peccatis noſtris, locum eorum penitus delere noluit. Unde quidam opidanorum Lemego, altius ſapientes, præfatum Epiſcopum amicis intervenientibus implorarunt, ejus clementiam invocantes, numero quaſi quadraginta, cæteris fuga ſublatis, eundemque præſulem cum ſuis principibus ac familiaribus Lemego introduxerunt, eidem homagium & fidelitatem cum juramento pollicentes, pecuniaria magna ſumma eisdem impoſita. Sed tamen præſcripti opidani non longe poſt hæc tempora ſuo domicello reconciliati adhærebant. Sed per omnia benedictus Deus, qui cum ſua ſtropha ſuos, quamvis peccatis aggravatos, de tam grandi periculo evadere permiſit. Igitur opidum Dethmold, cum villagio Vfelenſi penitus flamma abſumpſit. Illam etiam inſignem civitatem Monaſterienſem cum Oſnabruga, & Hervordiam, cum civitatibus, villis caſtris ac monachorum & monialium monaſteriis, hæc gens & Belial filii præterierunt. Comitatum verò Ravensburgenſem gravi ſpolio damnificarunt. Noviſſime igitur ad Lippienſe opidum accedentes, ibique & apud Zuſatum usque ad XIII. Kalendas Auguſti permanſerunt. Sed hi docti erant ad prælium & fortiſſime eis reſiſtebant: eratque in præfato exercitu quædam gens maledicta, quæ vulgo Drvanten vocabatur, longe diſtans à bonis Chriſtianis. Hæc perverſa collectio illud nobile monaſterium S. Walburgis & muros Suſati intravit, & ibidem in obſidione perſiſtebat. Tandem verò XIV. Kalendas Auguſti ſcalis ac aliis bellicis machinis ad muros Suſati applicatis, urbem capere vi nitebantur. Sed Deo propitio, oranteque S. Patroclo, & civibus fortiter reſiſtentibus, in ſua ſpe penitus fruſtrabantur: unde multis de Præſulis parte neçi datis, cæteri ſcalis dimiſſis, ad ſua turpiter ſunt reverſi. Hæc enim maledicta gens nemini parcebat, eccleſias & monaſteria undique exſpoliando: unde eorum fama omnes homines perterrebat, ad inſtar tonitrui maximi. Sed benedictus Deus qui ſuos illæſos amicos cuſtodit. Eodem quoque tempore erat maxima fames per totam Weſtphaliam, tam in frumento, vino ac cæteris hominibus neceſſariis. Oremus igitur omnipotentem Deum, quamvis peccatis noſtris exigentibus, ut peſſima gens noſtras ad terras nequaquam revertatur: ſed emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, ut poſt curſum hujus vitæ nobis dicat: Venite ad me; præſtante Domino Jeſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula,
Amen.

F I N I S.

ANO-

ANONYMI
Chronicon monaſterii Huiesburgenſis,
in diœceſi Halberſtadenſi.

CHRONICON MONASTERII HUIESBURGENSIS.

QUoniam de oblationibus fidelium inſtitutum eſt divinum in hoc loco ſervitium, expedit nobis, ut beneficiis utentes, benefactorum non ſimus immemores, ne incidamus in illam divinæ comminationis ſententiam, qua dicitur: Peccata populi mei comedunt. Peccata enim populi comedere, eſt ſuſtentari de oblationibus fidelium, nec rependere illis orationum ſuffragia. Illorum ergo memoriam, ne apud poſteros noſtros oblivio vel ignorantia aboleat, literis breviter perſtringemus, & ab ipſo fundamento narrationis exordium ſumemus.

Fuit hoc in loco, qui nunc *Hujesborg* dicitur, curia Halverſtadenſis Epiſcopi, & Capella, quam videlicet *Borchardus* primus Halverſtadenſis Epiſcopus, tanta devotione juſſerat conſtrui, ut ipſe quoque cementum, lapides, & quicquid poſſet, ſuis manibus porrigeret. Qui dum interrogaretur, quare tantam devotionem huic operi impenderet, hoc fertur dediſſe reſponſum; quia divinum ſervitium quandoque foret in hoc loco inſtituendum; quod tamen vivente eo nequaquam eſt vel minatum.

Ea igitur Capella, quam diximus, conſecrata eſt ab Archiepiſcopo Magdeburgenſi, Engelhardo, & eodem Borchardo primo, Halberſtadenſi Epiſcopo: ſuperius quidem altare (nam duo habebat altaria) ab Archiepiſcopo in honore ſanctæ Dei genetricis Mariæ: inferius autem altare in crypta ab Epiſcopo Borchardo primo in honore Gregorii & beatæ Mariæ Magdalenæ, undecimo Kal. Auguſti.

Igitur Epiſcopo Borchardo Halverſtadenſi eccleſiæ præſidente, virgo quædam, *Bia* nomine, patre *Eſicone*, matre *Helmborga* progenita, quinto ſuæ ætatis anno Quidelingeborg, in monaſterio S. Dei genitricis Mariæ, divino ſervitio mancipata eſt, quæ à prædicto Borchardo ſacro chriſmate confirmata, & ſacri velaminis impoſitione deſponſata, *Pia* ab ipſo eſt nuncupata.

Hæc igitur teneros ſuæ ætatis annos morũ maturitate transcendens, ſpirituali profectu cœpit creſcere de die in diem, de virtute in virtutem, ſic vivere ſtudens, in converſatione temporali, ut quandoq; videri mereretur Deum Deorum in Sion cæleſti, Sponſo namq; cæleſti Domino Jeſu Chriſto, cui ſe deſponſatum noverat, fidem ſervare cupiens, toto conamine ad ejus complexum anhelans, quia necdum viſione jugi ejus recordatione mentem ſuam refrigerare curabat. Denique quicquid habet mundus blandũ, quicquid jucundum, ita abhorrebat, ut eorum quoque præſentiam & cohabitationem, cum quibus converſabatur, grave impedimentum ſui profectus æſtimaret, & eo quod in ſecreto cordis ſui cubili coram Domino ſecum jugiter habitare vellet. Quare cœpit deſiderare vitam eremiticam, habitationemque ſolitariam, ut ſine impedimento quietem poſſideret ſempiternam.

Eodem tempore fuit in Halberſtadenſi eccleſia Canonicus S. Stephani protomartyris, nomine *Eggebardus*, quem ſui ſecreti conſcium fecerat: nam hunc confeſſorem habebat. Qui eodem quoque æſtuans deſiderio; quia ſi illa in eremo, qua de-

Digitized by Google

ſiderabat, includi poſſet, ipſe quoque in eodem loco vitam eremiticam Deo militare vellet.

Igitur defuncto Halberſtadenſi Epiſcopo, prædicto Burchardo primo, *ſecundus Burchardus*, qui & *Bucco*, ſucceſſit in epiſcopatu, anno Dominicæ incarnationis M L X. Hic igitur beatæ memoriæ Burchardus ſecundus epiſcopus diligenter attendens cui villicationis ſuæ redditurus foret rationem, dum animarum ſibi commiſſarum curam ageret eos præcipue ſibi in familiaritatem conjunxit, quos Deo familiares per vitæ meritū agnovit. Unde contigit ut prædictā Dei famulam ſæpius gratia viſitationis adiret, atque in ſpirituali colloquio frequentaret. Cui illa, ut ſpirituali patri, deſiderium ſuum, quod jam dudum de ſolitaria vita conceperat, fiducialiter revelavit, ejusq; ſuper hac re conſilium pariter & adjutorium poſtulavit. Cui Epiſcopus inter cætera tale reſponſum dedit: Si deſiderio, inquit, duceris ſolitariæ vitæ, juxta eccleſiam S. Dei genetricis Mariæ in habitaculo competenti, in Hujesborg faciam te includi: qui locus adeo ſecretus eſt, ut illic jugiter poſſis vacare divinis contemplationibus. Illa gratias agens conſenſit, & conceſſa ſibi licentia Luthmodis abbatiſſæ ſuæ, omnique conſentiente congregatione idibus Junii de Quedelingeborg venit Hujesborg.

Anno incarnationis Dominicæ M L X X. Indictione octava, anno ordinationis Epiſcopi Burchardi ſecundi, I I. Idibus Junii, incluſa eſt hic Dei famula Bia anno ætatis ſuæ XL. cui ne deeſſet Dominicum ſervitium, ſacerdotali miniſterio peragendum, idem Epiſcopus cum fratribus ſuis, videlicet Canonicis Halberſtadenſis eccleſiæ, conſilio habito, Dominum Eggehardum, cujus ſupra mentionem fecimus, ei in hoc loco presbyterum conſtituit, & competentem manſionem, tribuens ſtipendia utriusque deſiderio; cum tamen ignoraret Epiſcopus, eorum animos jamdudum in hoc fuiſſe propoſito. Quorum votum, quoniam in divino timore fuit inchoatum, ſubſequens probavit converſatio, quæque Deo complacuit fama ſanctitatis eorum, longe lateque diffuſa, multos ad hunc locum pro quærendo ſalutis auxilio, attraxit. Erat autem in monaſterio S. Mariæ virginis in *Gandesheim* quædam Dei ancilla, nomine *Adilheidis*, quæ vehementer dolens in monaſterio ſuo tepuiſſe fervorem divinæ dilectionis, ac cecidiſſe ſtudium ſanctæ religionis, venit & ipſa conſilium quærere pariter & orationis ſuffragium. Quæ dum nocte ſic requieſceret, viſa eſt ſibi per ſomnium audire, vel cantare, ſuam modulationis carmine antiphonam illam, quæ de beati Dionyſii, ſororumque ejus ſcripta eſt paſſione, ſacram illorum ſocietatem & individuam in Chriſto unanimitatem continens, cujus initium eſt: Beata nimium & Deo grata noſtra ſocietas. In quo cantu expergefacta, cogitare cœpit apud ſe, ſe forte commonitam hoc oraculo, quod tertia cum duobus ipſa futura eſſet in hoc loco, quod tamen non antea mente conceperat, & fieri poſſe omnino diffidebat. Sed Deus omnipotens, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, per prædictum Dei famulum Eggehardum ſuccedente tempore eam ad hujus deſiderii propoſitum animavit, & agente Epiſcopo, occultis conſiliis de clauſtro ſuo educta, in hoc loco incluſa eſt, anno ſexto, ex quo domina Bia hic fuerat incluſa.

Hi ergo tres, quam perfecte vixerint, & quam dulciter in divina contemplatione epulati fuerint, ſolus ille noverat, qui de diverſis locis in ſua eos caritate in hoc uno loco adunaverat. Omnibus autem ad ſe venientibus poculum ſalutis æternæ propinabant, dum alios ad divinum timorem converterent, alios in divino amore roborarent.

Cuidam quoque in tempore illo talis eſt oſtenſa viſio: vidit enim in revelatione fontem ſub eccleſia ortum, ad aquilonarem partem derivari, de quo hauriebant & bibebant undique advenientes populi. Ejus interpretatio patet: nam prædictæ Dei famulæ, ex Aquilonari parte templi incluſæ, aquam ſapientiæ ſalutaris, quam de fonte divinæ miſericordiæ dulciter hauriebant, omnibus advenientibus ſalubriter propinabant.

Sed ancilla Dei Adelheidis, videns prædictam famulam Dei Biam non monaſticæ, ut in monaſterio didiceſat, ſed ſolitariæ vitæ pro libitu Domini Eggehardi inſiſtere; humillime inſtitit eis die noctuque, ut viros monaſticæ vitæ peritos, qui & ipſi bene vivere, & alios bene inſtruere poſſent, advocarent: quorum inſtitutione octo, ſi non

non amplius, fratres Deo hic ad militandum coadunarentur. Cujus deſiderium, quia placitum Deo fuit, ſubſequens eventus probavit.

Eodem tempore fuit in *Parthenopoli* civitate, in monaſterio S. Joannis Baptiſtæ, quidam Dei famulus, in habitu ſanctæ converſationis, nomine *Thiezelinus*, qui fervens deſiderio æternæ vitæ, videnſque cohabitantes monachos remiſſe viventes, ac per hoc impediri ſuam intentionem, latenter abſcedens in Sigebergenſi cœnobio fere per biennium commoratus eſt: ſed auctoritate Weſelonis, Archiepiſcopi Parthenopolitani, revocatus, cum comperiſſet horum trium laudabilem in Chriſto converſationem, advenit cum licentia, quærens conſilium & orationis ſuffragium, quo & ipſi impetraretur hic manendi licentia. Cognito ejus deſiderio, venerabilis Epiſcopus Burchardus ſecundus, quia tunc temporis Weſelonem Archiepiſcopum adire non poterat, ſimulans infirmitatem, eundem archiepiſcopum, quaſi pro viſitationis gratia ad ſe accerſivit, multiſque prædictum virum ſibi concedi impetravit. Itaque licet multum renitente abbate Bernardo, tandem conceſſa licentia advenit.

Hunc brevi ſecutus eſt cum licentia & alius de ſuo clauſtro, venerabilis monachus, nomine *Meinoldus*, qui & *Meinzo* nominabatur.

Necdum vero Dominus Eggehardus habitum monaſticæ profeſſionis induerat; cui ait prædictus Meinzo, cum idem habeamus in Chriſto deſiderium, non decet nos differentem geſtare habitum: & nos, inquit, non poſſumus deponere habitum, quem pro Chriſto ſuſcepimus, quapropter vos nobis, ſicut animis, ita conformari habitu velitis. Quam ejus admonitionem ille gratanter accipiens, qui jamdudum monachi gerebat animum, ſuſcepit etiam profeſſionis habitum, ac conſecratus eſt ab abbate Bernardo Magdeburgenſi.

Cum ergo aliquandiu hi tres hic commorarentur, poſtulabant ab Epiſcopo dari ſibi licentiam, ut eccleſiaſtico more, cum pulſatione ſignorum tam nocturno quam diurno tempore divinum celebrarent ſervitium, & ſi quos poſſent, pia exhortatione ſocios ſibi acquirerent in hac ſancta profeſſione: quod Epiſcopus ſtatim devotiſſime conceſſit: videnſque per voluntatem Dei in manu eorum proſperari, ipſum locum à jure ſuo abſolvit, & ſcripto libro homeliario, ſcilicet Gregoriano, ſanctæ Dei genetrici ſuper ipſius altari librum ponens, cum libro locum obtulit: ut omnes hic congregati & deinceps congregandi libera Deo ſervitute famularentur, ita ſcilicet, ut nec ipſe, nec aliquis ſucceſſor ejus, ulla neceſſitate, vel ratione, nec ulla prorſus occaſione, aliquam violentiam huic loco unquam inferret, nullum jus propriæ poteſtatis poſſeſſionis, aut ſeſſionis in hoc loco ſibi vendicaret: adveniens non cum multitudine locum aggravaret, nec aliquo modo quietem fratrum perturbaret. Hoc etiam pro ſui memoria conſtituit, ut Pſalmus Domine exaudi, ſecundus cotidie ad unam horam decantaretur pro die obitus ſui, dum adhuc viveret, poſt obitum vero ſuum pro memoria animæ ſuæ & anteceſſoris Burchardi primi, Epiſcopi Halberſtadenſis.

Igitur commorantes hi prædicti famuli Dei ſub protectione divina, dante benedictionem Domino, multiplicabantur numero. Et quia in ſimplicitate cordis diligentes Dominum quærebant regna cœlorum, adjiciebantur eis, divina providente clementia, quæcunque ad ſuſtentationem tranſitoriæ vitæ fuerunt neceſſaria.

Eo tempore præfuit *Ilſeneburgenſi* cœnobio *Herrandus* Abbas, quem Burchardus ſecundus Epiſcopus præfecerat eidem loco, ad informandam in eodem cœnobio monaſticæ religionis vitam. Monachi quippe antea illic fuerant & adhuc manebant, ſed ſanctæ converſationis fervor, ſi aliquando in eis fuerat, tunc prorſus tepuerat.

Hunc igitur abbatem, quia magnæ religionis & ſanctæ converſationis videbatur, ſæpe dicti fratres præeſſe ſibi in his, quæ ad Deum pertinent, petierant, eo quod necdum proprium Abbatem haberent. Nam in ſpiritualibus præfuit Dominus Thiezelinus, exteriora procurabat Dominus Eggehardus. Abbas autem Herrandus eorum petitoni acquieſcens, interdum cauſa viſitationis ad eos venit: aliquantos etiam fratres benedictione monaſticæ profeſſionis conſecravit.

Cognoſcentes autem, eum propriis magis, quam ipſorum utilitatibus intentum, conſilio habito, circa vigiliam nativitatis Domini elegerunt ſibi *Abbatem* venerabilem virum *Eggehardum*, defuncto jam in eodem anno, in octava S. Martini, Do-

mino

mino Thiezelino: Jamque præterierant quaſi decem anni, ex quo hic fuerat incluſa ancilla Dei Bia.

Epiſcopus audiens electionem factam, & laudans, ſua auctoritate firmavit, eundemque virum in feſto S. Johannis pontificali benedictione conſecravit.

Hic igitur primus & piiſſimus noſtræ congregationis pater, cum aliquanto tempore in hoc officio laudabiliter permanſiſſet, videns ſe gravari nimis frequentatione populi, qui confeſſionis cauſa undique ad eum confluebant, fecit conſtrui ad Orientalem partem civitatis Capellam in honore S. Sixti, ea intentione, ut cum perfecta fuiſſet Capella & abſoluta, Deo illic libere vacaret, ſicque ſaluti confluentis ad ſe populi melius conſulere potuiſſet, quod & factum eſt. Nam perfecta poſt triennium Capella, ipſo die quo conſecrata eſt, nempe in octava S. Sixti, idem pater noſter ab officio Prælationis abſolutus eſt, qui & ſequenti anno in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli defunctus eſt.

Ipſo tamen adhuc vivente, venit de Quedelinburg N. Dei famula, quæ videns prædictas Dei ancillas, Biam & Adelheidim, perfectam agere vitam, & converſationem probatiſſimam, cœpit eis ſupplicare, quo & ipſa tertia cum eis habitare mereretur. Cui cum diceret Adelheidis, Dei ancilla, quia tantum nequaquam valeret ſuſtinere laborem: illa majori ſuccenſa deſiderio, & jam impatiens amore, quantocyus ingreſſum obtinuit, nec devotione inferior, nec virtute animi vel vitæ perfectione jam diſſimilis. Erat enim invictæ caritatis, magnæ patientiæ, & ſummæ humilitatis, diſcreta in ſilentio, & valde utilis in verbo, quod & agnovimus, & frequenter experti ſumus.

Porro Epiſcopus Burchardus ſecundus, quantam dilectionem erga omnes hic habitantes habuit, & ex his quæ jam ſcripta ſunt, & ex multis beneficiis, quæ per eum huic loco collata ſunt, quæ & in ejus chirographo deſcripta ſunt cognoſci poterit. Hic igitur Epiſcopus, ordinationis ſuæ anno XXIX. feliciter conſummato, migravit ad Dominum V. Idus Aprilis, occiſus in Goslaria, pro Apoſtolicæ ſedis ſubjectione & obedientia.

Poſt hujus obitum quaſi XX. anni computantur usque ad electionem Domini *Reinardi* Epiſcopi: quo tempore qui & qualiter præfuerint Halberſtadenſi eccleſiæ prorſus eſt neceſſarium huic materiæ intexere. Nam primo duo canonice electi, id eſt, ***Tietmarus Diaconus, & Herrandus Abbas***, pauco tempore præfuerunt: quorum prior ſtatim veneno interremptus occubuit, alter ab hæreticis expulſus eſt.

Anno Dominicæ incarnationis MCVII. ſuſcepit regendam Halberſtadenſem eccleſiam Reinhardus Epiſcopus, cujus memoria in benedictione eſt. Hic ſicut in hiſtoria veteris teſtamenti legitur, de electis regibus, qui excelſa abſtulerunt, & lucos ſucciderunt, ſuſcepit quæcunque male radicata fuerant, pia ſolicitudine & Pontificali autoritate eradicare. Vitam quippe ſanctimonialium, antea nimis miſerabilem, ad normam monaſticæ diſtrictionis reflexit: primum ipſe *Clericos*, qui dicuntur *regulares*, in hoc Epiſcopatu inſtituit, & in quantum valuit, tam clericorum, quam monachorum vitam in melius reformare ſtuduit: per ſemetipſum quoque tam ſtudioſus in Dei ſervitio fuit, ut in hoc ſtudio ſui ſimilem poſt ſe nullum reliquit.

Hic igitur locum iſtum & congregationem noſtram multum dilexit, Prædia & decimas eccleſiæ noſtræ contulit, quæ in ejus chirographo continentur: quædam autem ab Epiſcopo Burchardo ſecundo eccleſiæ noſtræ collata & ablata, poſt ejus obitum ipſe reſtituit, aliisque multis modis ſuæ caritatis erga nos benignitatem oſtendit & ſicut dicit ſcriptura, non dedit totum peccatori, quia Chriſto famulantibus nullum permiſit raptorem, nullum adverſarium dominari. Potenter enim reſtitit ſeculari poteſtati, & quorum ſe novit Pontificem, factis ſe oſtendit patrem & defenſorem.

Hic ſextodecimo ordinationis ſuæ anno vita deceſſit, & mortis debitum perſolvit VI. Non. Martii.

Igitur, ut ad priora redeamus, ipſo die, quo primus noſtræ congregationis pater ab officio Prælationis eſt abſolutus, ſucceſſit in officium ejus reverendus vir *Alfridus*, eadem die electus, eadem die benedictione Pontificali conſecratus, anno Domi-

Dominicæ incarnationis MLXXXIIX. Non tamen hæc ejus electio præceps aut inconſulta fuit, ſed prudenti conſilio idem pater noſter Eggehardus, & ancillæ Dei Bia & Adelheidis egerant cum Epiſcopo, ut eadem hora, qua ipſe abſolveretur, hic in ejus locum ſuccederet: quod etiam ejus ab effectu, immo profectu, ſubſequente divina agnoſcitur factum voluntate.

Hic pater noſter Dominus Alfridus, quaſi Propheticum illud ad ſe dictum fuiſſet: *Ecce conſtitui te, ut evellas & deſtruas, & ædifices & plantes*: Item illud Eſaiæ: *O lata tentoria, longos fac funiculos*: cœpit deſtruere vetera & ſecularia hujus loci ædificia, & ædificia nova noſtræ profeſſioni & ordini convenientia. Capellam itaque, quia parva fuit, reſervato ſanctuario ex Occidentali parte deſtrui, & ampliorem fecit conſtrui, quæ poſt obitum Burchardi ſecundi à Wernero Merſeburgenſi Epiſcopo dedicata eſt in feſto Mariæ Magdalenæ. Creſcente vero numero fratrum, quod locus fuerat anguſtior, temporibus Reinhardi Epiſcopi, ipſius hortatu eam iterum eccleſiam fecit deſtrui, & monaſterium, ut modo cernitur, ædificari. Quod monaſterium videlicet ab Epiſcopo Reinhardo cum magna devotione dedicatum eſt in Kalendis Auguſti anno Dominicæ incarnationis MCXXI. Sed & omnia hujus loci ædificia ab ipſo ſunt conſtructa, cooperante ſecum, vel potius operante divina gratia. Quanta autem ſub eo huic eccleſiæ collata ſint prædia, quanta ejus induſtria & labore conquiſita, nos magis utilitate ſentimus, quam cogitatione comprehendimus. Nam quamvis in exterioribus multum haberet laborem, tamen de interioribus tantam habuit ſolicitudinem, ut hi qui intra clauſtra eſſent, ea etiam quæ ſine utilitatis cauſa extra clauſtrum agerentur, ignorarent. Nihil quippe diſſimulabat, quod diſpliceret in fratrum moribus, nihil putabat negligendum in externis utilitatibus, videlicet internorum curam exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum ſolicitudine non relinquens.

Porro poſt obitum patris noſtri Eggehardi peractis XXXVII. annis, ipſo die, quo anniverſarius ejus celebratur, elevata ejus oſſa & tranſlata in eccleſiam cum magna reverentia recondita ſunt ante altare S. Servatii. Inventa eſt autem cum oſſibus ſacri corporis pars cilicii, quo antea indutus fuerat, & catena, qua cingi conſveverat, quæ & poſita ſunt in ſupradicto loco. Tranſlata ſunt eodem die etiam oſſa famuli Dei Thiezelini, ſimulque recondita cum oſſibus patris noſtri Eggehardi, ante altare S. Servatii.

Hæc autem ideo per ordinem notanda putavimus, ut poſteri noſtri noverint, à quibus vel per quos in hoc loco inſtitutum ſit Dominicum ſervitium, ut eorum in orationibus ſemper ſint memores & in Domini timore pariter & amore eſſe ſtudeant imitatores.

Sequitur Catalogus Abbatum Hujesburgenſium.

I. *Eggehardus*, primus Abbas. De hoc habetur ſatis in præmiſſa narratione de origine hujus monaſterii. Præfuit annis III.

II. *Alfridus* Abbas ſecundus. De hoc ſimiliter habetur in præmiſſis. Electus eſt anno MLXXXIII. Vocatur etiam *Elferus*. Dedicavit ejus tempore Reinhardus Epiſcopus eccleſiam in Hujesborg, ut eſt modo.

III. *Ecbertus* Abbas tertius, tempore Rodolfi Epiſcopi fecit dedicari eccleſiam in Niendorp, anno MCXL. Idem poſuit reliquias in Eilenſtede anno M CLI. vel circiter. Confirmatus fuerat Piſis à Papa Innocentio, præſente Lothario Imp. anno MCXXIIX. Ejus tempore Dominus Petrus, Præpoſitus Hamerslebienſis, relicta Præpoſitura factus eſt monachus in Hujesborg, de quo habetur in fine primæ quinquagenæ Auguſtini ſuper Pſalterio, in veteri libro in Hujesborg. Habetur præterea Epiſtola Anſelini Epiſcopi Halberſtadenſis in Hamersleve ad iſtum Abbatem Ecbertum, quia querelas contra Harmerslevenſes fecerat idem Abbas, ſed Epiſcopus ipſam corripit. Require in veteri libro in Hamersleve, circa homelias Effrem, & in libro primo Reformationum. Sed quo anno Domini hæc geſta ſint, ſcire non poſſum, quia annis multis præfuit iſte Abbas; nec ſcio quotus in ordine fuerat ille Petrus Præpoſitus.

IV. Quartus Abbas fuit *Dageno.* Sub illo intravit Volcmarus Comes de Honſtein anno MCLVII. factus monachus in Hujesborg converſus.

V. Quintus Abbas *Otto.* Huic Papa Leo dedit uſum inſigniorum, ſcilicet infulæ, baculi, ſandaliorum. Dedit eidem caſulam blaviam pretioſam, quæ Leo Papa adhuc usque nominatur. Hujus Abbatis Ottonis tempore, & Præpoſiti Hamerslebienſis Adelberti, facta eſt commutatio curiæ cujusdam. Require in Hamersleve in veteri Regiſtro pag. 45.

VI. *Reinboldus*, abbas ſextus, rexit tempore Olrici Epiſcopi Halberſtadenſis anno MCLXXIIX.

VII. Septimus abbas *Ropertus* præfuit tempore Conradi Epiſcopi Halberſtadenſis anno MCXCVII.

IIX. Octavus abbas *Henricus.*

IX. Abbas nonus, *Matthias.*

X. Decimus abbas *Sifridus.* Hic tempore Friderici Epiſcopi Halberſtadenſis exoneravit monaſterium Hujesborg ab Advocatia Comitum de Blankenborg, anno MCCXX.

XI. Undecimus abbas *Ludolfus* præfuit tempore Friderici Epiſcopi, cui reddidit CL. marcas pro damnis illatis eccleſiæ Halberſtadenſi per Comites de Blankenborg, occaſione Advocatiæ. Nolebant enim carere.

XII. Abbas duodecimus *Conradus.*

XIII. Tertius decimus abbas, *Hugo*, nobilis de Scherenbeke. Eo tempore volebant vendere curiam in Rode, ſed abbas prævenit, dans illis pro quolibet manſo viginti marcas, & villam in Eſterendorp, quam loco homagiorum recepit: è converſo recepit in feudum ab Epiſcopo Volrado Halberſtadenſi.

XIV. Abbas quartus decimus *Wernerus.* Hic comparavit mediam decimam in Anderbeke, à milite Friderico Gerenrode tempore Volradi Epiſcopi.

XV. Quintus decimus abbas *Henricus.* Hic aliam partem decimæ in Anderbeke emit à milite Ludolfo de Hartesrode, qui ea fuerat infeudatus ab Alberto Duce Brunſvicenſi. Hicque abbas dedit Hamerslevenſibus fraternitatem pulchrè anno MCCLXXXV. Idem etiam vendidit Conrado Præpoſito Scheiningenſi manſum unum, anno MCCLXXXIX.

XVI. Abbas ſextusdecimus *Bruno.*

XVII. Decimus ſeptimus abbas *Conradus*, vendidit decimam in Sarckſtede, quam modo habet monaſterium S. Burchardi, Domino Lodowico de Wansleve, pro LXXX. marcis Stendalienſis argenti, anno MCCCIV.

XIIX. Decimus octavus abbas, *Dithmarus.* Hujus tempore invenitur monachos habuiſſe propria.

XIX. Decimus nonus, *Burchardus.*

XX. Abbas viceſimus *Egbertus.*

XXI. Viceſimus primus *Olricus.*

XXII. Viceſimus ſecundus, *Conradus.*

XXIII. Viceſimus tertius *Gerfridus.*

XXIV. Viceſimus quartus *Sifridus.*

XXV. Viceſimus quintus, *Jaſpar de Berwinkel* militaris, temporalis multum, annis multis perfecit piſcinam Thomrode: quinque manſos acquiſivit in Altena, qui nunc locati ſunt monaſterio B. Virginis Mariæ prope Helmſtede, anno MCCCCI. Compoſitio etiam facta eſt inter eum ſuper decima in Wegersleve.

XXVI. Abbas viceſimus ſextus, *Henricus Dingelſtede*, præfuit annis IV.

XXVII. Viceſimus ſeptimus abbas *Henricus Swegerken*, annis XIII. præfuit. Debita contraxit plura, fuitque communiter excommunicatus, & reſignat poſt novem annos. Inde factus abbas in Madesborg (forte Madeborg) reliquit etiam illam Abbatiam, tandem in prioratu Asmerslevienſi finivit vitam.

XXIIX. *Joannes Oldenot*, abbas viceſimus octavus, electus in Abbatem vetulus, ſolebat in curia Badensleven reſidere. Rexit annis IIX. Introduxit reformationem, ſuſcepto Priore Theodorico Brunſuicenſi ex monaſterio Burſfeldenſi, qui obiit feliciter XXXV. anno ab incepta illa reformatione.

XXIX. Ab-

XXIX. Abbas viceſimus nonus, *Theodoricus Einem*, electus eſt ex monaſterio Burſfeldenſi, die Margaretæ, anno MCCCCIIX, præfuit annis XXXV. Liberavit monaſterium à debitis per Henricum abbatem contractis. Curiam in Rode conſtruxit; tabulam ſummi altaris & ſtalla fieri fecit; quæ quamvis ſumptuoſa pretioſaque fuerunt, tamen ante duos annos prorſus avulſa, contrita annihilataque per factioſos homines ſunt, unà cum plerisque aliis ornamentis inſtrumentisque hujus monaſterii, videlicet campanis, ac omnibus mobilibus anno MDXXV. Ejus item tempore monaſterium reformatum eſt, ſub Burchardo Epiſcopo Halberſtadenſi. Idem Theodoricus annuos reditus auxit.

Nomina fratrum quorundam, quos hic abbas ad religionem ſuſcepit in Hujesborg, hæc ſunt. *Joannes Stoppel*, de Gosveldia, intravit anno MCCCCXLIX. die viſitationis Mariæ, poſt ipſum abbas. *Lippoldus de Stemmen* militaris anno MCCCCLIV. electus in abbatem Ilſenbergenſem. *Henricus Beer* anno MCCCCLIIX. qui Prior fuit in Monnike Nienberg & Ilſenborg, electus in abbatem Ballenſtedenſem, novem annis ibi vixit, iterum reſignavit & rediit Hujesborg, ubi anno MDXIX in bona ſenectute obiit. *Henricus Gerken*, anno MCCCCLXIII. promotus in abbatem in Lutter. *Hermannus Polde*, electus in abbatem Ilſenbergenſem. *Wilkinus Biſterfeld* anno MCCCCLXV. Proviſor in Eulenſtede, in Ballenſtede in abbatem eligitur. *Conradus Ricberdinck* de Minda, anno MCCCCLXVI. Cellerarius Prior & abbas ibidem eligitur. *Joannes Bardorp* anno MCCCCLXX abbas in Monnike Nienborg. Vitus de Roden, Præpoſitus in Groningen ad finem vitæ ſuæ.

XXX. Triceſimus abbas *Joannes Stoppel* de Gosveldia. Hic annis duodecim fuit Cellarius, ſeptem annis Prior, abbas factus anno ætatis ſuæ LIII. Præfuit laudabiliter annis XXII. & obiit anno Domini MDV. Kal. Aprilis. Eccleſiam de novo texit, & turres duas quas nunquam habuit, fieri fecit. Auxit fratrum numerum, proventus, libros & ornamenta: ciſternam fecit & alia multa, quæ ſcribere longum eſſet. In religionem ſuſcepit *Henricum Baſſæum*, anno MCCCCLXXXIV. qui miſſus Ballenſtedium ibi in Prioratu obiit, & quædam non ſpernenda opuſcula ſuo marte compoſuit. Suſceptus etiam eſt *Joannes Henne*, anno MCCCCLXXXVI. inde abbas in Ballenſtede, reſignavit poſtea, factus abbas in Ilſenborg: *Henricus Oudenroth*, poſtea factus abbas in Harsfeldia, obiit anno MDXXVII. inopinato per caſum: *Hermannus Eike* de Vnna, anno MCCCCXCVI. poſtea hic abbas.

XXXI. Triceſimus primus abbas, *Conradus de Minda*, electus anno Domini MDV. Cellarius fuerat annis XII. & annis VII. Prior, ſub Joanne abbate. Præfuit bene, ſed primo regiminis ſui anno obiit feliciter.

XXXII. Abbas triceſimus ſecundus, *Hermannus Eike*, de Vnna, electus eſt anno MDVI. Hic reformavit monaſterium in Harsfeldia, diœceſis Bremenſis, anno MDIX. miſſis illuc fratribus bonis & abbate & Priore. Ciſternam in horto caulium fieri fecit, & domum lotionis ibidem: & refectorium pro laicis: & organum procuravit, pro ducentis & quinquaginta florenis, anno MDXII. Tabulam ad S. Catharinam & S. Andream, ornamenta valde pretioſa, aurea ſcilicet, & alia fieri fecit, & libros plurimos comparavit. Decimam in Ecſtorpe à Dominis Teutonicis emit.

XXXIII. Triceſimus tertius abbas, *Joannes Eike*, Weſtvalus defuncti abbatis patruelis, prius Magiſter novitiorũ, deinde Cellarius, electus eſt anno MDXLVII. Sub hoc abbate ex iverunt multi de monaſterio monachi, & concionatores facti ſunt Lutherani, fidei & profeſſionis prioris obliti. Hic conſtruxit è fundamentis horreum in curia thom Rode, pro frumentis quæ ex decimis colliguntur. Baculum Abbatialem, ſive pedum, novum fieri fecit, ex puro argento. Curiam ſive grangiam magnam in Eilenſtede, item thom Rode, quas monaſterium antea ipſummet adminiſtrabat, propter infidelitatem eorum, qui erant adminiſtratores, cum ſumma monaſterii jactura & damno pro exigua penſione elocavit. Monaſterii quoque ſilvæ partem am Hun/ſcilicet den Rudding/ Buhrſchl/Rhemberg/ Luthorn & Kelneren/ſub hoc abbate prorſus devaſtatæ ſunt & deſolatæ; idque his præcipue de cauſis. Nam quilibet Canonicus eccleſiæ in Halverſtad ex his monaſterii lignetis ſingulis annis duodecim plauſtra lignorum pro duobus thaleris accipiebat, quod ita per annos aliquot con-

continuaverant: per ſucceſſorem tamen hujus abbatis Joannem Kopen iterum abrogatum eſt; alias ne una quidem arbor manſiſſet in tota ſilva. Tandem hic abbas contra regulam & profeſſionem & ſtatuta condidit teſtamentum; ſcholæ patriæ, agnatis pauperibus & vigili civitatis certam pecuniæ ſummam diſtribuens, ut oſtendunt literæ ſigillatæ urbis Camenſis in parvo pergameno: item ſcripta Joannis Murterſtad, quæ adhuc exſtant, qui tunc temporis, quando ſucceſſor Joannes Kopius ea recuperare volebat, Monaſterii Syndicus fuit. Et recepit hic ſucceſſor quædam, pro quibus ut dicitur, comparavit magnam campanam in turri anteriori, ſpectantem ad portam.

XXXIV. Triceſimus quartus abbas jam dictus eſt *Joannes Kopius*, antea Cellerarius, vir magnæ autoritatis. Præfuit optime monaſterio tam in ſpiritualibus quam in temporalibus. Muſicæ artis erat peritus. Ipſe exornari & pingi fecit eccleſiam, altaria, circuitum & refectorium æſtivale. Organum quoque fecit, opus novum, & ſuggeſtum in eccleſia; refectorium hyemale pro fratribus conſtruxit, novam cellam quoque prope templum, item hypocauſtum anterius è fundamentis ædificavit, numerumque fratrum auxit. Principibus Brunſuicenſibus ipſe primam tonſuram dedit, ſcilicet Domino Henrico Julio, Epiſcopo hujus diæceſis, Domino Philippo Sigiſmundo, & Domino Joachimo Carolo. Ipſe tamen ante ſolenniſſime hic in Hujesborg conſecratus fuit à ſuffraganeo Bambergenſi. Obiit hic abbas anno MDLXXXIII. die XXI. Aprilis.

XXXV. Abbas triceſimus quintus fuit Dominus *Georgius Püſtermaker* electus dicto anno MDLXXXIII. die XXV. Aprilis antea Cellerarius, prius Pater, homo cute ſincerus & candidus, Muſicus & Organiſta optimus, ſed tamen, proh dolor! cum jam præfectus eſſet monaſterio, podagrico morbo corripitur graviſſime. Quapropter minus fructuoſe præeſſe potuit. Nam cum eſſet homo modeſtus, pius, & ſæpiſſime lecto decumberet, fratres obliti ſui officii, deſerere regulam & antiqua contemnere ſtatuta cœpere: quilibet enim quod volebat faciebat. Cœperunt igitur vendere ligna, ſerere apud ruſticos (cum quibus convivia inſtituebant cum damno monaſterii) linum, piſa & frumenta: item colligere pecora. In ſumma: male mali fratres ſuum abbatem venerabantur, ſuumque monaſterium, quod fideliter notare debuiſſent, obliti profeſſionis ſuæ, perdere ſtudebant. Sicque hoc tempore ſilva circa monaſterium primum devaſtari cœpta eſt. Domum opilionis, thom Roden hoff ipſe tamen abbas novam conſtruxit: lupuletum inferius prope piſcinam mediocriter auxit: piſcinam vero poſteriorem prope molam, ſordibus quibus ſcatebat, emendari fecit.

Cumque fere annis ſeptem præfuiſſet monaſterio, podagra correptus obiit circiter quinquagenarius anno MDXC. die IIX. Martii. Requieſcat in pace.

FINIS TOMI II.

INDEX.

INDEX
Rerum & Nominum
TOMI II.

Numerus paginas & additæ literæ, i. initium, m. medium, f. finem paginæ ſignificant.

A.

ABbates Monaſter. S. Michael. Hildeſ. recenſentur, à pag. 517. uſq; ad 525.
- - - Monaſterii Hujesburgenſ. à pag. 537. uſq; ad finem.
Abbatia Gerurodenſis conferendæ jus ſibi rapit Papa 433. f.
Abelinus Epiſcopus Aldenburgenſ. 394. m.
Accaron dicitur Ptolomais 55. i.
Achen oppidum capit ArchiEpiſc. Magdeburg. 350. f.
Adalbertus ſ. Albertus ArchiEpiſc. Brem. 35. i. Imperii Conſiliar. 40. m. 43. m. 44. m. 223. m. in Ambria Eccleſias fundat, 40. m. 90. i.
Adaldagus ArchiEpiſc. Brem. 28. f. privilegiorum Eccleſia Brem. confirmationem ab Imper. & Pontif. Roman. accipit 29. i.
Adalgarius ArchiEp. Brem. 27. m. de eo multa leguntur in Hiſtoria Reinberti ibid.
Adamitarum in Bohemia ortus & interitus 316. i.
Adelbertus ſ. Albertus primus ArchiEpiſc. Magdeb. 30. f. 274. f.
Adelberus ArchiEpiſc. Brem. 50. i.
Adelgotus ArchiEpiſc. Magdeburg. 323. f. duas inſtituit Congregationes, Magdeburgi & Halæ 324. i.
Adelheidis, Rudolphi Duc. Burg. filia, Lothari Reg. Italiæ vidua, nubit Ottoni M. 203. m. 493. m.
Adelheidis I. Abbatiſſ. Quedlinb. fit Abbatiſſ. Gandersheim 501. f.
Adelheidis II. Abbat. Gandersheim. 502. f.
Adelheidis III. Abbat. Gandersh. Henrici IV. Imper. filia 503. i.
Adelheidis IV. Abb. Gandersh. Friderici Comit. Palat. filia 505. i.
Adelheidis V. Domina Haſſiæ Abb. Gandersh. ib.
Adelheidis Abbatiſſ. Gernrod. 436. f. ejus parentes 470. i.
Adelheidis de Walde Abbatiſſ. Gernrod. 437. ſeqq.
Alheidis Otton. Comit. in Delmenh. fil. nubit Dederico ArchiC. Oldenb. 110. m. 166. m. obit 10. f.
Adelheid. fil. Florentis Comit. Holland. nupſit Comiti de Hennegovve 217. f.
Adelia fil. Magni Duc. Sax. nubit Ottoni Comiti 504. f.
Adelradus R. Angliæ vincitur à Rege Daniæ 31. f.
Adelvvardus Epiſc. Verdenſ. 28. f.
Adelvvardus primus Abbas Stadenſ. 5. m.
Adolphus Naſſov. Imperat. in prælio cum Alberto perit 333. m.
Adolphus Epiſc. Oſnabr. 214. f. Cantoriam inſtituit ib. donationem in Lintberg confirmat 215. i. decem Advocatias ad Epiſcopatum confert ib. in honorem Catharinæ feſtum inſtituit ib.
Adolphus Dux Clev. opem fert Henrico de Solmes Domino in Ottenſtein 241. m.
Adolphus Dux Sleſvicenſ. in Dimarſia interfectus 69. i.
Adolphus Dux Sleſv. ſine herede moritur 408. m.
Adolphus Camerarius Epiſc. Mind. den Nettelnberg in feudum accipit 206. f. fundat caſtrum Schauenburg ib. à Conrado Imp. Comes creatur ib.
Adolphus de Marca Comes 227. f.
Adrianus Papa Carolo M. res Eccleſiæ defendendas committit 196. i. jus eligendi Pontifices ib. jus inveſtitura Epiſcopor. & ArchiEp. ib. m. Patricium & Advocatum urbis Romæ facit ib.
Ægidius Romanus, vir celebris 147. i.
Ægiolfus ArchiEp Colon. 5. i.
Agnes Auguſta Henric. IV. Imp. mater imperio præeſt 503. i.
Agnete Schencken Abbat. Gernrod. 441. m. ſeqq.
Ahnes aula Epiſc. Monaſt. 262. i.
Albertus Rudolphi Hapsb. fil. vincit Adolphum Naſſov. Imp. 333. m. fit Imperator 334. i.
Albertus. R. Ungar. & Bohem. veneno perit 363. i.
Albertus ſ. Adalbertus ArchiEpiſc. Brem. 35. i.
Albertus ſ. Adalbertus primus ArchiEp Magdeburg 30. f. 274. f.
Albertus II. Arch. Magd. 329. f. accipit Privilegia ab Ottone IV. & Frider. II. Impp. 377. i.
Albertus III Arch. Magd. 346. m.
Albertus de Querfort. Arch. Magd. 350. m.
Albertus Magni fil Dux Brunſv. fit Arch Brem. 157. i. ſeqq. 387. m.
Albertus Dux Brunſv. Papis licet reſiſtentibus floret Epiſc. Halberſt. 337. f. ſeq. 381. m. adverſus eum facta conſpiratio detegitur 382. m. ſeqq.
Albertus Anhaltinus Epiſcop. Halberſt. quando mortuus 381. i.
Albertus Crummedyck Epiſc. Lubec. 403. m. ex parochiali Eccleſ. Oldenburg. facit domanium 403 f.
Albertus Urſus Otton. Comit. filius 504. f.
Albertus Com. Mansfeld. fruſtra à Papa contra Albertum Duc. Br. conſtituitur Epiſcopus Halberſt. 338. i.
Albertus Com. de Regenſtein Halberſtad. Eccleſ. turbat 384. i. interficitur ib. f.
Albertus Epiſc. Mind. obſeſſos in Iborg ſuſtentare, fruſtra nititur 211. m.
Albertus de Hoja Diœceſin Oſnab. vaſtat 250. m. poſtulatur Adminiſtrator Eccleſ. Oſnabr. 263. i.
Albertus Abbas Raſtedens. 105. i.
Albertus I. Abb. Monaſt. S. Mich. Hild. 518. i.
Albertus II. Gripetan Abb. Mon. S Mich. Hild. 522. f.
Albertus de Padua Doctor Excellens 149. i.
Alcairum ſedes Imperat. Turcici 48. i.

Alchvvinus Caroli M. Præceptor 199, m. *reformat Monaſter. S. Martini apud Thuronos* ib.
Aldenburgenſis Eccleſ. dividitur in tres Epiſc. 394, m. *per* 84. *ann. vacat Antiſtite* ib. *ejus bona invadit Billug.* 393, f.
Aldenburgenſes Presbyteri per Slavos truculentam cladem perpeſſi 393, f.
Aldenhauſen à Magno Duc. Sax. oppignoratur ArchiEpiſc. Magd. 347, i.
Alexander V Papa eligitur 352, m.
Alexander VI. Papa 370, m.
Alexander de S. Elpidio vir celebris 153, i.
M. Alexander de Saxo-ferrato 167, i.
Alfridus Epiſc. Monaſter. 200, m ſeq.
Alfridus ſ. Elferus Abbas Hujesburg 537, f.
Albardus de Buſch Droſſatus Limburg. Comitis Tekenenb. in obſidione Reineberg. reſiſtit 244, m.
Alheidis Dithmari Marchion. Luſat. fil. Abbat. Gernrod. 428, ſeq
Alheidis de Burne Abbat. Gernr. 433, ſeq.
Alheidis mater Comitiſſ. Tekenenb. 211, m. *bona ſua devovet cœnobio Ozede* 212, f.
Alexius Epiſc. Brandenb. 329, m.
Alphonſus de Toleto ſubtilis 148, m.
Altena à Gerhardo Com. Old. exſtruitur 184, f.
de Alvensleve Nobilib. ArchiEpiſc. Magd. abripit caſtrum Molſeren. 350. f.
Alvericus ſ. Elvericus Epiſc. Oſnab. 206, f.
Amazonum origo & bella 127, f.
Ambri Friſones depellunt 170, f. ſeq.
Ambria & Ruſtringia Comit. nunc ſunt Oldeburg. 161, m.
in Ambria Eccleſ. fundatur 40, m. 90, i. *monaſterium* ib.
Ambroſius de Chora vir celebris 188, i.
Amedeus ſ. Felix V. Sabaudiæ Dux contra Eugenium Papa eligitur 260, f.
Amelungsborn. Monaſter. à quo conſtructum 503, f.
Anatrog Princ. Slavon. venit Hamburgum 34, i.
Ancona civitas circumdatur à Chriſtiano ArchiEp. Mogunt. 85, f.
Angelus de Camerio vir celebris 158, f.
Angliæ Rex ſubigit regnum Franciæ 243, f.
Angli ex Francia pelluntur 74, f.
Angliæ Eccleſiarum villarum, feudorum & Canonicatuum initio Sec. XV. numerus 167, f.
de Anhalt Principum proſapia & officium apud Imperator. 40, i.
Anna Burggravia Abbatiſſ. Gernrod. 451, m. *Lutheri doctrinam amplectitur* 453, m.
Anno ArchiEp. Colon. 6, m.
Anno II. Arch. Colon. 6, m. 207, i. *fit Imperii Conſiliarius* 40, m. *ejus ortus* 213, f.
Anno Abbas Magdeburg. 270, f. *fit Præſul Wormatienſ.* 271, i.
Annonæ charitas 32, m. 44, m. 58, i. 61, i. 64, f. 144, f. *per Weſtphaliam* 132, f *in Livonia* 19, m.
Annonæ vilitas 70, f.
Anſcharius Epiſcop. Brem. 25, i. *claret miraculis* ib. 95, i.
M. Anſelmus de Monte Falcono 178, m.
Anshelmus Epiſc. Cantuar. obit 47, m.
Anshelmus Epiſc. Havelb. 328, i
Anshelmus vir celebris 178, m
Anſverus Abbas à Slavis lapidatus 43, f.
Conr. Apenborg Doct. Decretor. 76, f.
Aquisgrani Carolus M. ſepultus 196, f. *adhæret Ludovico IV. excommunicato* 228, i.
ArchiEpiſcopi Colonienſes recenſentur. à pag. 4. *uſq, ad* 16. *accipiunt juriſdictionem* 5. f. *ungit Imper. Lotharium* 6, f.
ArchiEpiſcopus Magdeburgenſis in Alemannia primas 204, i. 273, f.
Ariſto Epiſcop. Raceburg 394, m.
Arckenow *ſolo æquatur ab Engelberto Epiſc. Oſnabr.* 216, i.
Arnaburg datur Eccleſ. Magdeb. 283, m. *donationis formula ubi legatur* 376, f.
Arnoldus Epiſc. Oſnabr. 212, i.
Arnoldus Epiſc. Cizenſ. 334, m.
Arnoldus Weſtphal. Epiſcop. Lubec. 402, m.
Arnoldus Abbas Raſted. bonus & prudens 106, f.
Arnoldus de Amerungen ProConſul Traject. capite truncatur 261, f.
Arnolphus Imper. coronatur 488, i. *Eccleſiam Oſnabrug. quinq, parochiis auget.* 202, i. *Comitatum Allonis confert* ibid. f. *phthiriaſi perit* 202, f. 489. i.
Articuls dat Verdrag *inter Capitul. Cler. & Conſules Oſnab.* 237, m.
Arxlebe caſtrum obſidetur 337, i. *in feudum datur Principi Anhaltino* 366, i.
Aurea Bulla à Carolo IV. editur 229, i.
Aſtringi à Ruſtringi magno horum damno pelluntur 97, i.
Auguſtinus de Eſculo vir celebris 158, f.
M. Auguſtinus de Iterano, vir celebris 149, f.
Auguſtinus de Roma, alter Auguſtinus 164, m.
Aurike poſſidet Ocko miles Friſia 165, m. *invadit contra fidem datam Focko* 166, f.

B.

BAdo de Obergen Abbas Monaſt. S. Mich. Hildeſ 122, i.
Balderamus Epiſc. Brandenb 329, m.
Baldevvinus I. Arch. Brem. 83, i.
Baldevvinus II. Arch. Brem. 74, f.
Bambergenſis Eccleſ. ab Henrico II. Imperatore fundata 35, f.
Bambergenſem Epiſcopatum Henr. IV. Imper. vendit 202, i.
Barchhuſen *ſ.* Bordinckhuſen *ab Henrico Comite Tekenenb. donatur Eccleſ. Oſnabr.* 212, i.
Bardevicum ab Henrico Leone deſtructum 55, i 99, i.
Barta I. Abbat Gandersheim 504, i.
Barta II. Abbatiſſ. Gandersh. 507, m.
Barto dus Epiſcopus Lubecenſ. 396, f.
Bartholemæus de Urbino vir celebris 163, i.
Barvvardus Epiſc. Hild. quando floruerit 28, f. 517, f.
Henr. Baſſeus Prior Ballenſted. 538, m. *ſcripſit Panegyricum Dominor. de Anhalt.* 470, i.
Bavenbergenſem Eccleſ. fundavit Ludovicus 27, i.
Beati Duc. Thebææ legion. corpus reperitur 285, i.
Beatrix Henr. III. Imper. fil. Abbatiſſ Gandersheimenſis 501, f. *apud Papam accuſata Romam proficiſcitur* 502, i.
Beatrix Gerhardi Epiſc. Oſnab. ſoror Abbat. in Barſen 213, i.
de Pederſa litigant ArchiEp. & civitas Bremenſ. 69, m.
Begardorum & Bekinarum ſecta ſuit de eta 387, m.
de Bederkes Barones 69, m.
Belitz ad Eccleſ. Magd. accedit 330, f.
Belegen *quid ſit* 25, f.
Belyn deſtruunt Huſitæ 353, m.
Bonckemolen caſtr. datur Eccleſ. Corvent. in Bucka 27, i.
Benedictus XII. ab Ottone M. Imp. Papatu pulſus 29, i *reſtituendus* 30, m. *Hamburgi obit* 29, i.
Benedict XII. Pap. variis bonis it gradus 340, m. *mors* 341, i.
Benedictus XIII. in Concilio Piſano deponitur 325, m.
Benno I. ſ. Werincherus, aut Bernhardus Epiſc. Oſnabr. obit 207, i.

Benno

Benno II. Epiſc. Oſnabr. monialibus in Harſebroke mutationem minitatur. 207, f. *ab Imperat. decimas Eccleſ. ſua recuperat* 208, i. *Papa fideliter adhæret* ib. m. *clauſtrum Iburg fundavit* ib. *plures ex diœceſi Oſnabr. excommunicavit* 208, i. 155, i. *moritur* 208, f.

Benno Epiſc. Miſn. 313. f.

Benno Epiſcop. Aldenb. 394, i.

Benno Abbas Monaſt. S. Mich. Hild. 526. m.

Berengario Ludovicum Arnolphi fil. ne M. oculis privat 489. i. *ab Otto Imp. victus* 493. f.

Bernarius Epiſcop. Verdenſ. litigavit cum Arch. Brem. de Eccleſ. Ramelag. 31, m.

Berneburg ex bono hæreditar. Principis Anhalt fit feudum ArchiEp. Magdeb. 366, i. *Bernhardo mortuo occupat Georg. Com. Anhalt.* ib. f.

Berchfrede propugnaculum conſtruxit Otto Arch. Brem. 69, m.

Bernhardus it. Benno ſ. Werincherus dictus, Epiſcop. Oſnabr. 207, i.

Bernhardus Epiſc. Havelb. 324, m.

Bernhardus Com. de Lippia Gerhardi Arch. Brem. frat. viduus, fit monachus, poſtea Abbas, demum Epiſcopus 56, f. *Advocatus Eccleſ. Oſnaburg.* 211, i.

Bernhardus Dux Sax. & Slavor. Imperat. hoſtis Eccleſias Saxon. infeſtat 31, m. *cum Imperat. per Arch. Brem. conciliatur* ib. *erga Eccleſ. Brem. beneficus* 32, f. *Hamburgi ædificat aulam ArchiEp.* 34, i. *obit* 42, i.

Bernhardus Com. Anhalt. ex variis bonis hæreditar. patitur fieri feuda ArchiEp. Magdeburg. 366, i. *obit* ib. f.

Bernhardus V. Princ. Anhalt. fit tutor Abbatiæ Gernrod. 442, m.

Bernhardus Nobil. Domin. de Lippia bona ad caſtrum Redekenborg a Gottfrido Epiſc. Oſnab. in feudum obtinet 226, m. *Henricum Duc. Brunſv. capit & ducit ad caſtr. Valkenb.* 110, m. 166, m 241, i.

Bernhardus Dominus de Lippia oppidum Lippe reſignat & iterum recipit 257, f. *oppidum Melle deſtruit* 263. i. *monaſterium Herſebrock invadit* ib.

Bernhardus Comes de Regenſtein Halberſtad. Eccleſ. hoſtis captus 384, f.

Bernhardus Com. in Benthen & Arnoldus Dominus in Stenforde Germans 144, i.

Bernhardus Com. de Wolpia amittit caſtr. Ottersberg 56, f. 213, f.

S. Bernhardus quando floruerit 47, m.

Bernt Prys Burgi Magiſt. Traject. interficitur 247, i.

Bertradis Abbatiſſ. Gernrodenſ. 499, *ſeq.*

Bertramus Cremon quando Epiſcop. Lubecenſ. fit electus 359. m. *variis villis Eccleſiam locupletavit* ib.

Jaſpar de Berwinckel Abbas Hujesburg 538, f.

Beſelinus ArchiEpiſc. Brem. dictus & Alabrandus 31, i. *muros urbis Brem. extruxit* 33, f.

Bibliotheca Gernrod. inſtructa 452, m.

Bilderbeke caſtr. Diœceſ. Monaſter. reſtauratur 262, i.

M. Andr. de Biliis de Mediolano vir celebris 164, f. *ſeq.*

Billing Obotritorum Regulus bona Eccleſ. Aldenb. invadit 393, f.

Blexen quando fit deſtructum 69, i.

Blomenberg. Eccleſia ſub poteſtatem Simonis de Lippia venit 530, i. *datur Monaſterio in Lucka*, ib. *oppidum deſtruit Theodorus de Morſa Arch. Colon.* 258, i. 532, i.

Stephan Bodeker fit Epiſc. Brandenb. 355, f.

Bohemia ex Ducatu fit regnum 120, m.

Bohemiæ Rex fidem Chriſtian amplectitur 130, i.

Bohemi bellum ordiuntur 354, m. *Lemethavv capiunt, it. Cadan, montem Cotnus & Monaſter. Sedelitz; opp. Belyn & Monaſt. Eſigk deſtruunt; Brux obſident & alia loca capiunt* 355. m. *ſeqq. habent tres exercitus* 356, i. *Miſnenſes vincunt* 355, f. *deficiunt* 357, m. *ArchiEpiſc. Colon. contra Suſatenſes aſſiſtunt* 258, i. 532. i.

In Bohovva colle Abbatia fundatur à Diderico Cizenſi Epiſcop. 325, f.

Boldevvinus ArchiEp. Brem. 74, f. *fundavit clauſtrum Riddageshuſenſe* 111, m. *egregius JCtus & Orator* 113, m.

Boldevvinus de Ruſſle Epiſc. Oſnab. Holzet in feudum accipit 220, i. *auget Eccleſiam S. Ægidii in Widenbrugge* 220, i.

Boldevvinus in Steinforde nobilis ab Epiſcop. Oſnabr. bona ſua in feudum recipit 220, m.

Boliſlaus Dux Polon. rebellis 285. i.

Bonaventura Cardinalis 148, i.

Bonifacius IV. Papa moritur 512, i.

Bonifacius IIX. ſextum Decretal promulgat 222, m. *in captivitate obit* 334, f.

Bonifacius qui & Bruno dicitur ArchiEp. Moguntin Martyr. 271, i. 513. i. *convertit gentes* ib. *ejus ſtemma recenſetur* 279, m.

Bordinkhuſen Eccleſ. Oſnab. hæreditar. cedit 112. m.

Borg caſtrum deſtructum 66, f.

Brabantiæ Dux cum Duce Juliacenſi dimicat & ab eo capitur 243, f.

Brack caſtrum traditur ArchiEp. Colon. 258. m.

Brandenburgenſis Epiſcopat erigitur 271, i. *ArchiEpiſcop Magdeb. ſubjicitur* 274, m. *infeſtatur* 278, f.

Bredefort caſtrum à Comite Geldriæ capitur 226, f.

Bremenſis Eccleſia fundatur 19, f. 21, f. *à Carolo privilegiis inſtructa* 22, f. *ArchiEpiſcopatui Colon. ſubjecta* 23, i. *cum Hamburgenſi unitur à Nicolao Papa* 25, i. *à Bernhardo Duc Sax. & Slavon. dotatur* 32, f. *ad eam accedit Friſia* 38, m. *Leſmona* 43, i. *Canonicatus introducitur* 49, m.

Bremenſis Antiſtes fit ArchiEpiſc. & Primas ſeptentrionis 19 f. *accipit juriſdictionem* 20, i *quæ confirmata per Ludovicum & Nicolaum Papam* 27. i. *quando ipſi demtus titul. ArchiEp. Hamburg.* 100, i.

Brema ab Hungaris vaſtatur. 27, f. *muro cingitur* 31, m. *bello turbatur* 42, f. 52, m. *incendium patitur,* 104, i. 61. i. *varia ejus jactura narrantur* 71. f.

Bremenſes & Duces Brunſvic, bella inter ſe gerunt 72. f.

Brigitta de Oſde Abbatiſſ. Gernrod. 436, m. *illam & Juttam pro una & eadem videtur habere Budæus* 469. i.

de Brockhuſen Comit. datur Eccleſia in Bucka, 27, i. *unde ortum trahant* 37. f. 39. m. 148, m, *inſignia* 40, i.

Brockmerlant & Aurike poſſedit Ocko miles Friſius 165, m. *contra fidem datam invadit Focko* 166. f.

Bruno Benedicto depoſito ab Ottone imper. conſtituitur Papa dictus Gregorius, 29. m.

Bruno ArchiEp. Martyr. vide Bonifacius.

Brunonis ArchiEp. Colon. res geſta 5. *fuit Henrici Aucup fil.* 130, i. 204, i. 490, f. *ab Ottone M. conſenſu Principum accipit Ducat. Lotharing.* 5, f. *civitat. Pariſienſ. ſpoliat.* 804. i.

Bruno II. Epiſc. Merſeburg. conſtituitur 284, i.
Bruno V. Epiſcop. Merſeb. 287, i.
Bruno Epiſc. Oſnab. 217, f. advocatiam in Weſtingen & Dylingſtorpe vendit Maj. Capit. 218, f. componit litem inter Epiſcop. & Capitulum de Eccleſ. Widenbrugge, Melle, Dyſſene & Brameſche agitatam ib. præſcribit Paſtoribus quomodo ſe gerere debeant in adminiſtratione Sacramentor. & ſepultura ib. Præpoſitum in Widenbrugge de Capitulo aſſumendum definit ib. Eccleſiam in Sledehuſen incorporat Eccleſ. ſuæ, ib.
Bruno Epiſcop. Mindenſ. ex Marchion. Brandenburg. ortus fundator Monaſter. S. Benedicti 207, i.
Bruno Abbas Hujesburg 538, m.
Bruno fil. Ludolphi Duc. Sax. 484, f. Brunſvicum condidit 487, i. ab hoſtibus occiſus. ib.
Brunoldus Dux Brunſv. & Lyneb. Ottoni Epiſcopo Monaſter. aſſiſtit 239, m.
Brunſvicum unde dicatur Tanquorde 487, i. à quo conditum ib. ab Henrico V. Imper. obſidetur 504, f. à Brunſvicenſibus Ducibus occupatur. 370, i. 186, m.
Brux obſident Huſſitæ 455, m.
in Bucka erigitur Eccl. Convent. 27, i. clauſtrum S. Reimberti 20, f. dantur reliquiæ S. Cyriaci ib.
Godfr. de Bullion terram Sanct. occupare ſvadet 47, f. cujus inſtinctu 136, m. Henrico IV. Imperat. aſſiſtit 135, m.
Burchardus electus, ſed non conſecratus ArchiEp. Magdeburg. 330, f.
Burchardus de Blanckenb. ArchiEp. Magdeburg 334, i.
Burchardus de Scrapelavve Arch. Magdeb. 335, i. interfuit Concilio Viennenſ. ib. f. à civitatis Magdeb. obſidione re infecta diſcedit 336, m.
Burchardus I. Epiſc. Halberſtad. 533, i.
Burchardus II. qui & Bucco Epiſc. Halb. 534, i.
Burchardus de Serken Epiſcop. Lubec. 397, f.
Burchardus Abbas Hujesburg 538, f.
Burchardus Abbas Monaſt. S. Mich. Hild. 510, m.
Burchardus Johannis I. Comit. Old. fil. in expeditione contra Stedingos ſuccumbit 148, 158, f.
Burchardus Com. de Mansfeld, Eccleſ. Halberſtad. perpetuus hoſtis 384, i. cæcitate percuſſus ib. f. perjurus ib.
Burchardus de Holte Epiſcopus Monaſter. expulſus, captus, Imperatori traditur 211, f. Eccleſiæ reſtituitur ib. conſtruit duas portas & Capellas S. Michael. & Georg. ib.
Burchardus Epiſc. de Lozana occiſus 47, i.
Burchardus de Stromberg 219, i.
Burchardus Harnebecke ob abuſum ſtolæ pœnam incurrit 244, f.
Butjaden à Bremenſibus & Oldenburg. capitur 69, i.
Butjadenſes à Johanne Archi Com. Oldenb. vincuntur 180, i.
Buxtehude ArchiEp. Brem. reſtaurat. 61, m. contra Ducet Brunſv. 105, i.
Bylſtein bello captum retinet ArchiEp. Colon. 261, i.

C.

S. CÆſarij reliquiæ ex Italia Bremam portantur 29, f.
Calbe ab Ottone II. Imper. datur Eccleſia Magdeburg. 276, f.
Calixtus IV. Papa Henricum V. Imper. excommunicatum recipit 323, i.
Cancianorum reliquiarum pars datur Eccleſ. Hildeſ. 29, f.
Canonici olim Fratres dicti 394, i.
Canonicus regularis I. Secularis antiqua ſed perverſa locutio eſt 166, i.
Canonicatus regularis Bremæ introducitur 49, m.
Cardinalis quidam ex diſpenſatione Pontificis fit Laicus & uxorem ducit 370.
Caro ſuilla tempore peſtis fugienda 182, f.
Caroli M. ortus 20, fabuloſus 84, f. Pipini & Theberga fil. 196, i. nominis impoſitio 21, i. res geſta 514, m. opem fert Romanæ Eccleſ. contra Aſthulfum Regem Longobardor. 160, i. obtinet Imper. Roman. à Stephano Papa ib. convertit Saxones 21, f. 169, i. ab Adriano Papa in ſubſidium defenſionis rerum Eccleſ. Rom. vocatur ib. obſedit Papiam & Deſiderium Regem capit ib. Synodum Lateran. cum Papa celebrat ib. potitur jure conſtituendi Pontifices, dignitate Patricia, inveſtitura ArchiEpiſcopor. & Epiſcopor. ib. conſtituit Gvibonem Epiſcopum Oſnab. ib. ab Alexandro III. Papa canoniſatur ib. f. conſtruit nemus in honorem Petri 197, m. Gviboni ejusq; ſucceſſorib. perpetuam tribuit libertatem, ib. f. erigit ſcholas ib. Ungariam vaſtat 23, f. Hiſpaniam devincit 24, i. Widekindum aliquoties vicit. 38, m. 480, m. ad fidem Chriſtianam convertit 130, i. Idolum Irmenſeule deſtruit 198, i. Weſtphalos vincit in Detmulde/ ib. m. Eccleſ. Cathedral. Monaſterienſ. fundat ib. f. Epiſcopatum Oſnaburg. 201, m. caſtra ponit ad Viſurgim 199, i. univerſam Saxoniam inter Viſurgim & Albim devaſtat, ib. Saxones Transalb. in Franciam abducit ib. Weſtphalos ſubigit 199, i. filio regnum committit ib. cum Godefrido R. Dan. bellum geſſit 24, i. obit ib. ſepultus Aquisgrani 196, f.
Carolus IV. quando obierit 348, m. eligitur Imperator contra Ludovic. 341, i. prius dictus Wenceslaus 348, m. coronatur 228 i. 341, i. ſucceſſionem fil Wenceslai ab Electoribus emit 348 m. contra illum ab una parte Electorum eligitur Gunth. Com. Svarzb. 341, i. pacem reddit Weſtphaliæ 235, f. viſitat Mindam & Paterborne 237, i. Auream Bullam edit 219, i.
Carolina conſtitutio edita à Carolo IV
Carolus V. Impor. Ratisbonæ Comitia celebrat 451, f.
Carolus IIX. R. Gall. captivat Maximilian. 370, f. cujus uxorem ex diſpenſatione Papæ ducit ib. m. regnum Neapolit. occupat, ib. f.
Carolus Dux Burgund. contra ArchiEp. Colon. inſurgit 184, i.
Carthago nunc Marochia dicta 128, f.
in Catharinæ honorem feſtum inſtituit Adolphus Epiſc. Oſnabr. 215, f.
Carthuſianorum Ordo incipit 47, i. Praga expulſi 315, m.
Carthuſianorum Monaſterium prope Hildeſiam à quo fundatum 238, i.
Celleraria Dignitas inſtituitur ab Epiſcop. Lubec. 398, m
Chriſtianus Com. Old. fit R. Daniæ 77, f. ſeq 114, m. 172, m. genuit tres filios unamq; filiam 175, f. accipit Stockholm 117, m. 179, i. Gerhardum fratrem captivat 182 m. Romam veniens à Pontifice Roſa aurea dotatur 184, f. moritur 404, m.
Chriſtianus ArchiEpiſc. Moguntinus fuit Imperat. Cancellarius & legat. Apoſtol. 53, f. Anconam, Ferrariam & Ravennam circumdat ib.
Chriſtianus Com. Old. & Henricus Leo bella gerunt 52, f. rebelles

ſuos opprimit 104, f. à Bremenſibus captus 70, i. 110, f. ejus vita & mors 110. f.
Chriſtiani & Conradi fratrum Oldenb. regimen & progenies 109, f.
Chriſtiano Com. in Delmenhorſt. 233, f.
Chriſtina Abbatiſſ. Gandersh. eligitur 488, f. moritur 489, i.
Chriſtophorus Dux Bavariæ Rex Dan. 172, f.
Chorea die Sabbati male ceſſit 32, f. quod eſt fabuloſum 85, i.
Chronicorum uſus 393. i.
Chronicon Montis Sereni ubi editum 322, m.
Chronici Lubecenſis Autor. 411,
Ciſtertienſis ordo quando cœperit 47, m.
Cixenſis Eccleſia deſolatur 278, f
S. Clara de Monte Falcone 148. f.
Clemens II. ab Henrico III. Imper. conſtituitur Papa 35, f. alias Suviderus 35, f. 46, f.
Clemens III. qui & Wipertus dicitur Gregorio VII. dejecto ab Imper. ſubſtituitur 317, i. 135, f. obiit 136, m.
Clemens V. 62, i. 63, i. celebrat Concil. Viennenſe 335, f. opponit ſe Imperatori Henrico VII ib. ubi electus ſit 345, i. obiit 336, i.
Clemens VI. creatur Papa 341, in quinquageſimū annum jubilaum rejicit 342, m. quando obierit ib.
Clementinæ Conſtitutiones promulgantur à Johanne XXII, Papa 226, i. 336, i.
Clericis denegatur aditus in civitatem Oſnaburg 237, m.
Clericos & Græcæ & Latinæ linguæ gnaros eſſe debere conſtituit Carolus M. 197. f.
Clericus quidam Lubecæ dormit ſeptem annos 221, m.
Cloppenburg caſtr. poſſidet Otto Comes Tekenenb, 235, m.
Cobbo Comes mutat decimas Eccleſ. Oſnabr. 200, f.
Cœleſtinus III, Papa obiit 55, m.
Colonienſes ArchiEpiſcopi recenſentur, à pag. 4. uſq. ad 16.
Colonienſis ArchiEp. ungit Imperator. Lotharium 6 f.
Colonia ob ſuſceptum Henricum IV. Imper. obſidetur 138, i.
Colonienſis Diœceſ. infeſtatur 228, i.
Cometa apparuit 44, m. 69, i. 367, f. 371, m.
Concilium Baſilienſe quando & à quibus indictum 357, m. in eo Imperator reſidet ib. Eugenium IV. Papam deponit 358, f. Amedæum ſ. Felicem V. eligit 260, f. Vaſtatores Abbatiæ Gernrodenſis excommunicat 442, i. Henricum de Morſa præficit Eccleſ. Oſnab. 355, f.
- - - Conſtantienſe deponit Johan. XXII. Papam 349, i. 353, i. damnat Joh. Huſſ. & Hieronym. Pragenſ. 353, i. & Joh. Wicleff. 243, m.
- - - Ferrarienſe celebratur 358, m.
- - - Lateranenſe 54, i.
- - - Piſanum Gregorium 12. & Benedictum 13. Papas deponit 352, m. 243, i.
- - - Rhemenſe celebratur 49, f.
- - - Romanum 56, f.
- - - Viennenſe 335, f.
Conjugium Clericorum probat Stephan. Mylius 450, i.
Conradus I. conſilio Otton Duc. Sax. eligitur Rex 489, f.
Conradus II. Imperat. obiit 287, f. 591, f.
Conradus III. Imper. obit 505, i.
Conradus I. ArchiEp. Magdeburg. quo ſtemmate ortus 328, m.
Conradus II. ArchiEp. Magdeb. 331, m.
Conradus de Hohnſteden Arch. Colon. Imperatores elegit 219, f. fugat Conradum Friderici Imperat. fil. ib.
Conradus de Deipholte Epiſcop. Oſnab. 191, f. Monialium reformationem inſtituit in Herſebrocke 213, i.
Conradus Comes de Rettberge Ep. Oſnab. 221, f. Collegium Canonicorum ex Quakenbrugge in Brameſche transfert 221, f. ad Eccleſiam in Loder confert Eccleſiam in Glandorpe ib. vendit plura bona in Melle 222, i. vendit quatuor domos in Leye ib. parochiam Diſſene ad Capitulum confert ib. caſtrum Tekenenberg. à Comite ipſi oppignoratur ibid. moritur ib. m.
Conradus I. Epiſc Lubec. 395, f.
Conradus II. Epiſc. Lubec. reſignat 396. m.
Conradus III. de Ghiſenheim Epiſc. Lub. 399. f.
Conradus de Monte Epiſc. Monaſt. compellit Everhardum Comit. de Marka ad feuda à ſe accipienda 223, m bella movet Epiſcop. Oſnab & vincitur ib.
Conradus Epiſcop. Mind. 224, m.
Conradus I. Abbas Hujesb. 538, m.
Conradus II Abbas Hujesb. ib.
Conradus III, de Minda Abbas Hujesb. 539, m.
Conradus I. Abbat Monaſt. S. Michael Hildeſ. 518, f.
Conradus II. Abbas monaſt. S. Michael, Hild. 519.
Conradus III, de Steinberg S. Mich. Hild. Abbas 521.
Conradus de Eſſeno Præcepter Johannis Epiſcop. Oſnab. 230, i. metra de laude Epiſc. Oſnaburg. compoſuit ib.
Conradus de Mollenbecke 250, f.
Conradum Præpoſit. Hildeſ. Epiſc. Oſnab. introducere nititur 209, f.
Conſtantinus matrem à regno excludit 199, f.
Conſtantinopolis quando à Turcis capta 362, f. ibidem lamina aurea cum inſcriptione reperitur 199, f.
Conſtantini Begardi hæretica dogmata quæ fuerint 340. f. eſt combuſtus 341, i.
Corbejenſe Monaſter. fundatur à Ludovico Imperat. 24, m. 200, i.
Corbejenſia nova monaſteria ſubjiciuntur ArchiEp. Brem. 43, i.
Corbejenſis Abbas adverſatur Egilmaro Antiſt. Oſnab. 201, m.
in Coſungen Monaſterium fundatur 491, i.
Cotnis montem Huſſitæ obſident 355, m.
Craſſt Epiſcopus Miſnenſis 313, f.
Cranzius quo Chronico MS. uſus 84, i.
Crito Dux invadit Nordalbing. 48, f.
Croſſevvig ad Eccleſ. Magdeburg. accedit 330, f.
Crottorp. expugnat. Epiſcop. Halb, 385, m.
Melch. Cruger JCtus Witteb. fit Cancellarius Abbatis Gernrod. 452, i. Licentiatus Juris 453, m.
Crux Chriſti Romam tranſlata 488, m.
Nicol. Cuſa Cardinal. Legatus Pontific. per Germaniam 361. m.

D.

DAgeno Abbat Hujesburg 503, f.
Dagino Arch. Magd. eligitur 282, i. à Willigiſo Arch. Mogunt. ungitur ib, f. ab Imper. ipſi donatur Tuchium 283, i. urbibus locupletat ArchiEpiſcopat ib, m.
S. Damiani reliquiæ Bremam portantur 29, f. 65, m
Daniæ Rex fidem Chriſtianam amplectitur 130, i.
Danorum R. cum Henric. IV. Imper. fœdus pangit 293, f.
Daniæ rex vincit Regem Angliæ 30, f.
Dani baptizantur 24, f. 25, m. 28. m.
Dania fidem acceptam abnegat 30, f.
de Daſſel Comes 503, f.

 Delmen-

Delmenhorſt fit feudum Eccleſiæ Brem. 73, m. 80, i. 102, i. 110, m. 111, f. 112, m. caſtrum ædificat Otto Com. Oldenb. 102, m. dominium ejus in Ottonem Comit. Hojenſ. transfertur 111, m. Didericus Chriſt. fil. recuperat 111, m. 168, m. vi poſſidet Gerhardus Com. Old. 80, i. Mauritius fruſtra obſidet 180, i. homagium præſtat Gerhardo 181, f. ab Henrico de Svvarzburg Eccleſiæ Monaſt. armis ſubjicitur 186, i.
Demmyn ſubject. Epiſc. Aldenb. 393, f.
Depenovv caſtrum exſtructum & iterum dirutum 237, f.
de Depholte Barones unde orti, 142, m.
Deſiderius R. à Carolo M. Papiæ captus 196, m.
Deterne capit Focko Uken 169, m. Didericus Com. Oldenb. combusrit ib.
Dethardus Epiſcop. Oſnab. 209, f. intrudere conatur Conradum Præpoſ. Hildeſ. ib. debellat inimicos Eccleſiæ ib.
Dethmarus Epiſc. Oſnab. 205, f.
Dethmari Epiſcopi Merſeb. teſtimonium de Gunthero Epiſcopo Oſn. 205, i.
Dethmarus Abbas Monaſt. S. Michael. Hild. 520, i.
Dethmarus Abbas Monaſt. Raſted. 93, f.
Dethmolde oppidum igne vaſtatur 258, f.
Didericus de Morſa Arch. Colon. 17', f. caſtrum Blomberg deſtruit 258, i. 532, i.
Didericus Cizenſis Epiſcopus in collo Bohovva Abbatiam fundat 325, f.
Didericus Chriſt. fil. Com. Old. ducit Albeidin 110, f. poſtea Heilvvigin Slesvvic. ex qua genuit tres filios 1?1, m. 168, i. Dominium in Delmenhorſt recuperat. ib. Friſones proſtravit 69, i. ArchiEp. Brem. captivum liberavit ib. obit 171, i. 110, f. 113, f.
Didericus Urigo 172, i.
Didericus Grove Rector Eccleſ. in Tvviſchena dolabra occiſus 173, i.
Diluvia particularia recenſentur 56, f. 67, f. 330, i. 341, i. 103, m.
Dincklage caſtrum deſtruit Florentius Epiſc. Monaſter. 159, f.
Dionyſius de Burgo Philologus 164, m.
Dithmarus Abbas Hujesburg 538, f.
Dodo I. Epiſc. Oſnab. 203, i.
Dodo II. - - - 204, m.
Dodo Comes 142, i.
Dominicanorum Ordo confirmatur 56, f.
Donatianus Abbas Raſtedenſis 97, i.
Drogo Epiſc. Oſnab. 203, m. ab Ottone M. privilegia impetrat, ib. jus moneta & mercatum publicum in Widenbrugge obtinet ib, f. obit ib.
Dudo Paderbornenſis Antiſtes 502, f.
de Danckeren dicti Præpoſitum Ruke interficiunt 235, f.

E.

Eaditha vel Edgith nubit Ottoni M. 130, m. 491, m. Magdeburgum fundat 130, m. 493, m.
Ebo ArchiEp. Remorum 24, m.
Ecbertus Abbas Hujesburg 537, f.
de Eckersdorf, civibus Magdeb. vendunt officium Sculteti 333, f.
Echardus Marchio Saxon. trucidatur 427, f.
de Eccleſia reformatione deliberat Papa 78, m.
Eccliſis Solis contigit 47, m.
Edonis conjux Armegard, obit, 187, m.
Effrata Epiſc. Colon. Arianus 4, m.
Egbertus Epiſc. Oſnab. 201, i. multum laborat pro recuperandis decimis ib. obit ib. m.
Egbertus de Herberen tradit caſtrum Iborg. 255, m.
Egbertus Com. de Holte obit 210, m.
Egbertus Abbas Hujesb. 538, f.
Eggehardus Comes profugus 36, i. redit in gratiam 37, m.
Eggehardus primus Abbas Hujesb. 537.
Egilmarus Epiſc. Oſnab. 201, m. obtinet decimas ib. f. moritur 203, i.
Egilmarus Hunonis Sororis filius 37, f. 49, i. 92, m. bonis Monaſter. Raſtedenſ. bene præſt. 92, m. 141, i. contra Principes Stadenſes conqueritur 49, i.
Egvvardus Epiſc. Aldenb. 393, f.
Eido Epiſc. Miſnenſ. 286, m.
Eilvvardus IV. Epiſc. Miſn. 287, i.
Elferus ſ. Alfridus Abbas Hujesb. 537, f.
Elica Comitiſſ. benefica 212, m.
Elica Egilmari conjux 92, m.
Eliſabetha I. Abbatiſſ. Gernrod. 448, f. Lutheri Doctrinam amplectitur 449, i.
Eliſabetha II. Abbat. Gernrod. 457, m.
Eliſabetha III. - - - 459, m.
Eliſabetha Landgrav. Haſſ. & Thur. obit 58, f.
Eliſabetha de Quedlinb. nubit Mauritio Comiti Oldenb. 156, obit. 111, i.
de Elmendorpe nobilium familia 96, i. nominis impoſiti ratio 143, m.
Elvericus ſ. Alvaricus Epiſc. Oſnab. 206, f.
Emersleve expugnatur 381, f.
S. Emina Ludgeri Comit. vidua dotat. Eccleſ. Brem. 32, f. Emma l. Emigundis m. dicitur 43, m. Imperatori dat bona in Leſmona 32, f. 34, f. ubi ſepulta ib.
in Emiſgao Comitia venditur 43, m.
Engelberti ArchiEp. Colon. laus, 217, f. 28 vulneribus confoſſus, ib.
Engelbertus de Marca Archiep. Colon. 231, m. primum fuit Monaſter. Epiſc. ibid f.
Engelbertus Epiſcop. Oſnab 215, f. impetrat brachium ſeculare 216, i. excommunicat fratrem Ottonem ib. cum eo confligit ib. oppidum Diſſeno deſtruit ib. obtinet Gogericht in Oſnabr. civitate ib. f. argenti fodinam in Oppenheim impetrat 217, m.
Engelbertus Epiſc. Oſnab. 225, f. permutat domum in Onhuſen prope Ravensb. 226, i. conſtruit fortalitium in Witlage ib. obit ib.
Engelbertus Comes de Marca diœceſin Mindenſem ingreditur 231, m. Mindam obſidet ib.
Engelbertus Baro moritur 211, m.
Engelhardus ArchiEpiſc. Magdeb. 287, f. obit 288, i.
Epiſc. quid deſignet 198, m.
Epiſc. conſtituendi jus à Papa accepit Carolus M. 196, m.
Epiſc. inſtituit Henricus Leo 505, m.
Epitaphium Alfridi Epiſc. Monaſter. 200, m.
- - - Bennonis 208.
- - - Caroli M. 199, m.
- - - Comitis de Marca 224.
- - - Gerfridi Ludgeri nepotis 199, f.
- - - Gottſchalki Epiſc. Mindenſ. 209.
- - - Henrici de Morſa Oſnab. Epiſc. 262.
- - - Johannis Epiſc. Oſnab. 230,
- - - Johannis Oſnab. Ep. 231.
- - - Johannis Oſnab. Epiſcop. 251.
- - - Ottonis de Monte Mind. Ep. 238.
- - - Ottonis Monaſt. Epiſcop. 246.
- - - Simonis de Retberge 227,

- - - Svederi 205, i.
- - - Theodorici Epiſc. Monaſt. 218, m.
- - - Theodorici Oſnab. Ep. 240.
Erdwvinus Erdman. Pro-Conſ. Oſnab. 195, f. ejus laus 265, f.
Erelinus Epiſc. Hildeſ. 207, m.
Erffexen 219, i.
Erfordia per Monachum igne vaſtatur 367, m. ibidem Comitia celebrantur ſub Friderico I. infelici ſucceſſu 54. 145, m ſeq.
Erfordienſis Academia quando inceperit 221. f.
Ericus ArchiEp. Magd. 332, f. Marchiam Luſatiæ abalienavit 333, m.
Ericus Com. de Hoja fit Epiſc. Oſnab. 251, f. tractatus illegitimos Canonicorum reſcindit, ib. citatur ad Capitulum 253, f. in auxilium vocat Duces Brunſvicenſ. 254, i. ſede expellitur, 169, i.
Ericus IV. Epiſcopus Haveberg. 284, i.
Ericus Comes de Hoja caſtrum Depenovv exſtruit 237, f.
Ericus Præpoſitus Colon. pro liberatione fratris laborat 256, i. queritur ap. Frideric. Imper. ib. m. à Comite de Hohnſtein capitur, ib. deſideratur Epiſcop. a civibus Monaſter 263, f.
Erneſtus Dux Sax. Archiep. Magd. 368, f. obit 371, m.
Erneſtus Abbas Monaſt. S. Mich. Hildeſ. 520, f.
Ervvinus de Benthem & Steinforde 244, i.
Eſigk Monaſterium Huſſitæ deſtruunt 355, m.
in Eſſen oppidum ſolo æquatur. 216, i.
Eudoxia nubit Thraſimundo R. Vandalor. 128, f.
Eugenius IV. Papa electus 357, i. in Concilio Baſileenſi deponitur & hæreticus declaratur 358. f. obit 260, f.
de Everſtein Comes 503, f.
de Everſtein Nobiles 515, i.
Excommunicati corpus incorruptum reperitur 40, m.
Exico Epiſc. Aldenb. 393.
Exo Epiſc. Aldenb. 394, m.
Ezzelus Epiſc. Merſep. 288, i.

F.

Falco Capitan. Magdeburgi occiditur 333, f.
Faldera al. Niemunſter, fundatur 49, m.
Felix V. ſ. Amedæus, depoſito Eugenio, Papa eligitur 260, f. reſignat Papatum Eugenio, ib. cedit Nicolao 360, i.
S. Feliciani reliquiæ dantur Epiſcopo Mind. 29, f.
S. Felicis reliquiæ 29, f.
Ferrariam premit Chriſtianus Archi Epiſc. Mogunt. 53, f.
Ferrarienſe Concilium quando habitum 358, m.
de Fivelgo Comitiam emit ArchiEp. Brem. 43, i.
Flagellatorum ſecta 10, f. territorio Magdeb. ejiciuntur 342, i. eorum multi igne pereunt 162, f.
Florens Comes Hollandiæ pater Comitiſſæ de Henneberg 217, f.
Florentinus de Schaumburg donationis Eccleſ. Oſnaburg confirmationem obtinet 210, f.
Florentinus de Brunckhorſt ArchiEp. Brem. 62, i.
Florentius Epiſc. Monaſt. Dinclage deſtruit 159, f. 234, f. invaſores caſtri Ravensberge capit 231, f. caſtrum Stromberg ſibi ſubjicit 234, f. caſtrum Rede obſidet 236, i. ad Eccleſ. Traject. transfertur 236, i.
Focka Uken contra Bremenſ. bella gerit 73, m. 249, f ſeq. ArchiEp. Bremenſ. captivum ducit 73, f. victus 74, m. 169, i. perfidus 166, f. & 167, m. 169, m. Fredeborg capit 73, f. 111, i.
Fœderis confirmandi gratia Okko & Fokko ſacra beſtia abutuntur. 166, f.
Folcardus Epiſcopus 107, m.
Formoſus Papa crucem Chriſti donat Arnolpho Imperat. 488, m.
Francia regnum complectitur Romanum 485, f.
Franciæ regnum ſubigit Rex Angliæ 243, f. Angli repelluntur 74, f.
S. Franciſcus quando floruerit 55, m.
Hildeſiæ Synodum celebrat 58, m. obit, ib.
Franco Abbas Monaſter. S. Michael. Hildeſ. 519, m.
Frauen Iden Gutt 49, i. 141, m.
Fredeburg conditur 69, f. a Conſule Brem. Fockoni traditur 73, f. 111, i. Didericus Com. Oldenb. Friſonibus vendit 179, i. ab Henrico Svvarzburg. fruſtra obſidetur 187, m. bello captum cedit ArchiEp. Colonienſ 261, i.
Frederuntha Abbatiſſ. Gandersheim. eligitur 502, f.
Fridericus I. Dux Suevor. fit Imperat. 505, i. Henrico Leoni infenſus & quam ob cauſam 505, f. eundem reſtituit, ib. i. 146, m. Erford. Comit. celebrat 54, f 145, f. cum Venetis bella gerit 53, m. Mediolanum capit & deſtruit 211, f.
Fridericus II. Romæ coronatur Imperator 57, m.
Fridericus III. Dux Auſtriæ Imperat. Rom. eligitur & coronatur. 262, f. 360, i. ſecunda corona coronatur 362, f. Leonoram fil. Reg. Portugal. ducit uxorem, 262, f. Maximilianum fil. coronandum curat 370, f. Johannem Comit. de Hoja liberum reſtituit & Oſnaburgenſ. preſcribit 256, m. f.
Fridericus ArchiEp. Mogunt. fit Monachus 492, i.
Fridericus ArchiEp. Colon. obit 241, m.
Fridericus Hunon. fil ArchiEp. Brem. 49, i. obit, ib.
Fridericus Arch. Magdeb. 349, f. obit, ib. caſtrum Plavve obſedit 350, i.
Fridericus de Bichlinge Arch. Magdeb. 359, i.
Fridericus & Wilhelmus fratres Duc. Sax bella gerunt 360, m.
Fridericus Erneſti Duc. Sax. ArchiEp. Magd. Patruus ex diſpenſatione Papæ eſt Laicus & Clericus 370, f.
Fridericus Chriſtian. R. Dan. fil. Dux Holſatiæ ducit filiam Marchion. Brand. 173, f.
Friderico Marchioni in Prentzlavv homagium præſtant Duces Stetinenſes 366, f.
Fridericus frater Marchion. Miſnenſ. præeſt Eccleſiæ Monaſt. 209, i. fundat Eccleſ. & Collegium extra muros civitatis Monaſter. ib. ſepelitur, ib.
Fridericus ArchiCom. Oldenb. vincit leonem 13, m.
Fridericus Marchio Stadenſis obit 50, m.
Fridericus Comes Ruſtringiæ cœlebs pius 91, i. Comitatum ampliat, ib. m. bona ſua Monaſterio Raſtedenſi donat 92, i.
Fridericus Comes de Iſenburg occidit Engelbertum ArchiEp. Colon. 58, m. 277, f. rotâ punitur, ibid.
Fridericus Comes Holland. contra Stedingos arma capit 58, f. in torneamento interfectus 59, m.
Friderico Norib. Burggrav. nomine Imperatoris Moravia homagium præſtat 352, f.
Fridericus de Horne unacum aliis capitur 240.

Fri-

Friderieus de Blanckenheim Præpoſitus Eccleſ. Traject. obis 246, m.

Friſonibus Spiritnales & ſeculares judices quinam à Karolo M. fine præfecti 19, f. 141, f. *convertuntur* 22, i. *Bremenſibus ſunt ſubjecti* 72, i. *à Karolo M. nobilitantur* 92, f. *in varia loca coloni mittuntur*, ib. *forma eorum regiminis tempore Caroli M.* 93, i. *contra illos bella gerit Joh. Comes Oldenb.* 102, f. *eorum 7000. à 15. ruſticis profligantur*, 117, m. 178, f. *eres ArchiComites Oldenburgenſes proſternuns* 159, m *eum Gerhurdo ArchiCom. Old. pacem ineune* 177, m.

Friſiæ Comisum origo 37, f.

Friſia datur Eccleſia Bremenſ. 38, m. *inundationem graviſſimam patitur* 103, m.

Froſa datur Eccleſia Magdeb. 283, m. *donuſionis formula* 376, f. *inundatione evertitur* 445, f.

Froſenſe ſtagnum lites excitat 445, f. *quæ componuntur* 448, i.

Fuldenſis Eccleſia à quo fundata, 513, f.

G.

GAlatæ dicuntur Ruſſi 128, i.

Gabriel de Spoleso vir celebris 167, i.

Galeatus Dominus Mediolan. creatur Dux 351, i.

M. Galfredus Habedi, vir celebris 178, i.

Gandersheimenſe Monaſterium à quo fundatum 480, m. *fundationis illius primordia* 482, i. *ſeqq. quando conſecratum* 487, f. *Henrici Aucup. & Mathilda donationes* 491, m. *Privilegia* 492, f. 494, f. 496, i. 499, m. 504, f. 507. *fuit exemtum à jurisdictione Epiſcoporum* 591, m.

Gangolphus Martyr miraculis clarus 199, m. *uxorem adulteram rejicit*, ibid.

Garburga nubit Giſelberto Duci Lotharing. 498, i.

Garburgis Abbatiſſ. Gandersh. 484, f. *obis* 488, f.

Garburgis II. Abbatiſſ. Gand. eligitur 492, 493, f. *obit* 497, f.

de Gasbeke Baro capitur 261, m. *reſignat caſtra & dominia Epiſc. Traject.* ib. f.

Gaterſleve recuperat Epiſcop. Halberſt. 381, f.

Gebhardus pater Lothar. Sax. ubi occubuerit 503, f.

Genſericus R. Vandalorum quamdiu regnaverit 128, f.

Georgius Com. Anhalt. poſſidet Berneburg 366, f.

Georgius Pyſtermaker Abbas Hujesb. 540, m.

Gerfridus Ludgeri nepos Epiſc. Monaſter. 100, f. *ubi ſepultus*, ib.

Gerfridus Abbas Hujesburg. 538, f.

Gerhurdus I. Archiep. Brem. 56, i.

Gerhardus II. Com. de Lippia Epiſc. Oſnab. 56, i. 212, f. *Monialibus in* Herſebrocke *nimiam libertatem præcludit* 213, i. *fit ArchiEp. Bremenſ.* 56, i. 213, f. *ſub illo titulus ArchiEpiſcopatus Hamburgenſ. à Bremenſi demitur* 100, i. *Legatos Papæ à Clericis ſuis pecuniam exigentes piſtrino injecis* 102, i. *capit caſtrum Ottersberg* 56, f. 213, m. *à Stedingis vincitur*, ib. *bello petitur ab Ottone Duc. Lyneb.* 213, f. *cum fratre Hermanno vindicat*, ib.

Gerhardus III. Comes de Hoja ArchiEp. Brem. 77, m.

Gerhardus, Philippi frater, Epiſcop. Oſnab. 211, m.

Gerhardus Epiſc. Mindenſ. cum Johanne Comite de Hoja & aliis invadit diœceſin Oſnab. 230, f. 231, i. *capit Theodoricum* 230, i

Gerhardus Epiſcop. Hildsfienſ. & Otto Com. Schaumb. caſtrum Depenovv & Haddenborg comburuns 237, f. *Carthuſianer. Monaſter. prope Hildeſ. fundat*, 238, i.

Gerhardus de Monte vincitur ab Epiſcopo Mindenſi 226, m.

Gerhardus de Monte Præpoſit. Colon. & Otto de Retberg lites agitant inter ſe 241, i.

Gerhardus, Wilhelmi de Monte filius, Ducat. Juliacenſ. Montenſ. & Ravensb. jure hereditario poſſides 242, f *Sophiam fil. Ducis Brunſv. & Lyneb. in matrimonium ducit*, ib.

Gerhardus, Gerhardi de Monte fil. obit 242, f.

Gerhardus Buck, Præpoſitus Oſnab. obit 241, f.

Gerhardus Vincke in aquis latitans expleras conſilia caſtrum Hunteborg obſidentium 256, i.

Gerhardus Kleyhorſt Conſul Monaſt. 257, m.

Gerhardus Dider. fil. Com. Oldenb. ob captum Præpoſitum Upſalienſem ab Archiep. Brem. excommunicatur 78, f. 172, f. *poſſidet Delmenhorſt* 80, i. 114, f 172, f. *uxorem ducit Albeidin Comitiſſ. Tekenenb.* 177. *inter ipſum & Mauritium fratrem diſcordia unde erta* 179, f. *adverſus hunc exſtruit caſtrum Weſterberg* 181, m. *Delmenhorſt ei homagium præſtat* 16, f. *à fratre Chriſtiano R. Dan. captivatur* 182, m. *intendis dominium Holſatia, ſed repellitur* 183, m. *exſtruit Altena* 184, f. *Bremenſes in Stedingiam irrumpentes, repellit* 185, i. *moritur* 189, m.

Gerhardus Comes de Hoja 527, f. *Bremenſes vincit* 154, f. *ſeq. accipit Tedinchuſen* 66, m. 154, f.

M. Gerhardus de Bergamo 153, i.

M. Gerhardus Grote Lullerdorum Fratrum domus primatum erigis 165, m.

M. Gerhardus de Senis 157, i.

Germaniæ Reges, Duces & Barones à C. Octaviano Auguſto originem ducuns 93, f. (186, f.

Germani ſuus egregii Mathematici

Gernrodenſis Abbatia quando fundata 421, f. *privilegia* 422, i. 426, f. 421, m. *donationes* 428, i. 430. *ejus conferenda jus ſibi rapit Papa* 433, f. *illius unnus Jubilæus celebratur* 443, f. *ejus Reformatio* 453, m. *elevatio Sanctiſſimi abrogatu* 455, f. *ejus fundatio Latina Germanicis literis ſcripta, non eſt genuina*, 468, i.

Gernrodenſis Schola inſtituta 452, i. *Bibliotheca inſtructa*, ib. m.

Gero Archiep. Colonienſ. eligitur, 271, f.

Gero Archiep. Magdeburg. 286, i. *Monaſterium B. Mariæ condidit* 286, f. *Muros urbis conſummavit*, ib.

Gero Dux Saxoniæ naſcitur 417, i. *vincit Uchros* 419, f. *fit Monachus* 467, i. *ſeq. moritur* 425, m. 467, m.

Geroldus Epiſcopus Aldenburg. electus à Papa confirmatur 395, i. *Lubecam Eccleſiam Cathedral. transfert* 395, m. *ubi mortuus & ſepultus*, ib.

Gerſico eligitur R. Bohem. 364, m. *à Paulo Papa depoſitus* 366, m.

Gertrudis Abbatiſſ. Gernrodenſ. 436, m.

Gertrudenberg *cœnobium conſtructum ab Udone Epiſcop.* 210, m. *reformatur* ib.

Geſmele caſtr. obſidetur 251, i.

Getulia ſive minor Gothia à Gothis ita dicta 127, m.

Gevshardus Archiep. Salzburg. Henrici III. Imp. reſtitutionem tentat 317, *ſeq.*

Gbermer Rujanorum Princeps bapizatur 53,m.
Gbiſcko de Holſatia fruſtra à Papa conſtituitur Epiſcopus Halberſt. contra Albertum Ducem Brunſv 381,m 337,f.
Gilimer R. Vandalor. quamdiu regnaverit 128.f.
Giſela Conradi Imperat. conjux 83, m. venit Bremam 347,i.
Giſelbertus Archiep. Brem. 60, f. ſubigit Kedingos, ib. Buxtehude reſtaurat 61,m. Ottersberg exſtruit, ib. ex Buxtehude Duces Brunſvic. premit 105,i. aulam epiſcopalem exſtruit 61, m. 105,i. Langvvedel ſplendidius ſtruit 61,m. obit, ib.f.
Giſelbertus Dux Lotharing. Garburgam uxorem ducit 492, i. Ottonem M. perſequitur, ib.
Giſelharius Archiep. Magdeb. 278, m. Epiſcopatum Merſeburg. in Abbatiam mutat, ib.f. Slavos vincit 279,m. à Saracenis vincitur, ib.f. de conceſſis immunitatibus novum privilegium accepit. 176,i.
Giſlerus de Holſatia fruſtra à Papa conſtituitur Epiſcop. Halberſtad. contra Albertum Duc. Brunſv. 337,f. 381,m.
Glires ex Diœceſi Oſnabrug. excommunicavit Benno Epiſc. Oſnab. 208, f.
Gliſmodis mater Lippoldi 49,i.
Gneus Princeps Slavon. venit Hamburgum 34,i.
Godeboldus Epiſc. Miſnenſ. 328,i.
Godefridus R. Dan. obit 24, i.
S. Godehardus Epiſc. Hildeſ. 205, f. canonizatur 49,f. et litem movet Aribo 500,m. perficit Monaſterium S. Michaelis Hildeſ. 515,i. moritur 500, f. ejus reliquia aſportantur in Monaſterium Raſtedenſ. 97,i.
S. Godehardi Monaſterium Hildeſia fundatur 49,f. reformatur 124, f.
Goderammus primus Abbas Monaſt. S. Michael. Hildeſ. 517,f.
Gogravii non uſurpant juriſdictionem in ſubditos Oſnab. 217,i.
Gograviatus in Damme ad Monaſt. pervenit 249,m.
S. Gorgonii Martyris brachium Henricus Leo donat Eccleſ. Mindenſi 210,f.
Gosbertus Epiſc. Oſnaburg. 200, f. moritur 201,i.
Goslaria à quo condita 30,f. 130, i. 490, f. ibidem vena argenti reperitur 271,f. à quo 405,f. Comitia ibi celebrantur ab Henrico IV. Imper. 132,m. 294, m.
Goſmarus Epiſcopus Oſnab. 206, f. obit, ib.
Goſvvinus Epiſc. Oſnab. 200,i. fugit ad cœnob. Fuldenſe, ib.
Gothi regnum Ægypti vaſtant, aliaque regna turbant 127,i.
Gothia regnum unde ita dictum, 127, m.
Gottfridus, Comes de Arensberg, Epiſc. Oſnab. 226,m 66,m. de bonis Eccleſia multa nova feuda inſtituit 226,m. bona ad caſtrum Redekenberg in feudum confert Bernhardo de Lippia, ib. caſtrum Witlage muris cingit, ib. f. litigat cum Ludovico Monaſt. Epiſcop. 227,i. à Papa contra Mauritium Com. Oldenb. Archiep. Bremenſ. eligitur 218, m. 66,m. 154,m. quomodo inter ipſum & Mauritium lis ſic compoſita 66,m. 154, f.
Gottfridus Com. de Waltegge Epiſc. Mindenſ caſtrum Reinenburg reſtituit Epiſcop. Oſnab. 224,m.
Gottſchalkus de Deipholte Epiſcop. Oſnaburg. 209,m. obit, ib.
Gottſchalcus Epiſcop. Mindenſ. 200, m.
Gottſchalcus Epiſc Havelberg. 287, i. à quo ordinatus, ib. m. ordinat ArchiEp. Magdeb. 314, i.
Gottſchalcus Princeps Slavor. interficitur 43, f.
Gottſchalcus Abbas Monaſt. S. Michael Hildeſ 520,m.
Gottſchalcus Abbas Raſtedenſ. 106, m.
Gottſcalci de Hovve lau & opera 185,m. ſeq.
Gracco Rex quibus & quando imperaverit 128,m.
Gratia Regum periculoſa 291,m.
Gregorius VI. Papa deponitur 205, m.
Gregor. VII. Imperat. Henric. reſiſtit 47,i. 200,i. Epiſcopi ad ipſum deponendum conveniunt, 208,i. ipſi dejecto ſubſtituitur Wipertus Ravennas 317,i. 135. f.
Gregorii XI. electio parit ſchiſma 352,i.
Gregorius XII. in Concil. Piſano deponitur 352,i. cedere non vult 243,i. tandem renunciat, ib.
Gregorius dictus Bruno ab Ottone Imper. conſtituitur Papa 29,f.
Gregorius de Alexandria vir celebris 167, i.
M. Gregorius de Arimino ſcripſit varia 151,i.
Grevenberg circumvallat Theodoricus de Morſa Epiſcop. Oſnabr. 255, f.
Groningen obſidet Epiſc. Halberſt. 382,i.
Groningenſis Eccleſia à quo inſtituta 467,m.
Guido Muſicus Italicus floret 206,f.
Guiho primus Epiſc. Oſnab. 196, m. à Carolo M. conſtituitur 197, f. ſubditos in fide inſtruit 198, m. ab eodem perpetuam libertatem unacum ſucceſſoribus accepit 197, i. 217, i.
Gudensberg caſtrum mœnibus communitur 288, f.
Guiltel. Budailaus 386,i.
Gumbertus Havelberg. Epiſc. 325,i.
Gundabundus R. Vandalor. quamdiu regnaverit 128, f.
Gundericus R. Vandalor. poſſidet Hiſpaniam 128, m.
Guntekenberg ab Epiſcopo Halberſt. expugnatur 341, f.
Guntherus Com. Svarzb. Caroli IV. Imper. æmulus 341,m. 157, m.
Guntherus Com. Svarzb. ArchiEp. Magdeb. 351,f. conciliat Canonicos & cives Magdeb. 350,f.
Guntherus Epiſc. Colon. à Papa excommunicatur 5,m.
Guntherus Epiſc. Oſnab. 204, m. obit, ib.
Guntherus I. Epiſc. Merſeb. à quo ordinatus 318,m.
Guntherus II. Epiſc. Merſeb. 321,m.
de Guterſvvick Domin. Comes in Benthem ducit fil. Henr. de Solmis 344, i.

H.

HAdeleria terra ab Imper. datur Eccl. Bremenſ. 43,i.
Hadvvich Ottonis M. ſoror 492,i.
Hadvvigis Abbatiſ. Gernrodenſ. 430, ſeq 467,m. non fuit filia Geronis 468, i.
Hajo Comes 92, m.
Hala Saxon. Congregatio in honorem Mariæ inſtituitur 324,i. quam ob cauſam ſub poteſtatem Archiep. Magdeb. pervenerit 368, m. ſeq.
Joh. Halle primus Decanus Oldenb. 108, i.
Halberſtadenſis & Magdeburg. Epiſcopi de limitibus dimicant 287, m.
Halberſtadium igne vaſtatur 53, f. Henricus V. deſtruit 504,f. Henricus Leo incendit 505,f.
in Halſevelde Frider. Com. Stad. inſtituit clauſtrum Clericorum 31,i.
Hamburgenſis Eccleſ. fundatur 33, f. à Vandalis & Bernhardo Duce

Duce Saxon. multa mala paſſa 32,i. *cum Bremenſi Eccleſ. unitur* 25,i. *diſſolvitur* 100,i. *ab Unvvano Archiep. Brem. Canonici in illa conſtituuntur*, 31,f.
Hamburgenſis Archiepiſc. fit Archiepiſc. Septentrionis 24, i.
Hamburgum à Vandalis deſtruitur 27, f. *reſtauratur* 32, i. *ædificia S. exſtruuntur* 34, i. *fruſtra à Rege Daniæ obſidetur* 55, m. *Adolpho Comiti datur* 58, i.
Hamelenſis Eccleſia à quo fundata 514, i. *eius donationes*, ib. *ſeq. eam unacum oppido emit Epiſcop. Mindenſ.* 516, f.
Hamelenſes vincuntur à Wilhelmo de Monte 242, i.
Hammanburg, Epiſcopat. vaſtatur 279, i.
Hammo oppidum 226, f.
Hankesbergo 248, f.
Haraldus R. Danor. regno pulſus Moguntiæ baptizatur 24, f.
Haraldus R. Dan. baptizatur 28, m.
Haraldus R. Dan. Tyrannus 42, i.
Harbeck ab Archiep. Magdeb. Illuſtribus de Veltheim ademtum, reſtituitur 366, i.
Harburgum deſtruitur 58, i.
Harligeberg expugnatur 333, m.
in Harsvvede Canonicatus fundatur 31, i.
Hartbertus Epiſc. Brandenb. 324, m.
Hartbertus Havelbergenſ. Epiſcop. 321, m.
Harsesburg conditur contra Saxones ab Henrico Imperat. 134, m. 292, m. 503, f. *occupatur à Saxonibus* 296, i. 503, f.
Hartmannus I. Abbas Monaſt. S. Michael. Hildeſ. 521, f.
Hartmannus II. Hake Abbas Monaſt. S. Mich. Hild. 522, m.
Hartmannus III Abbas Monaſt. S. Mich. Hild. 524, f.
Hartungus Com. Schaumb. in expeditione Bohem. occiditur 210, m.
Hartvvicus Præpoſitus Bremenſ. 50, f. *fit Archiep. Brem.* 51, m. *donat bona ſua Eccl. Brem.* 50, f.
Hartvvicus II. Archiep. Brem. 54, f. *vincit Stedingos* 55, f. *obit*, ib.
Hartvvicus Archiep. Magdeb. 313, f. *caſtrum in Francia emit* 320, i. *ſubitò obit*, ib.
Hartvvicus Com. Stad. ſua bona donat Eccleſiæ Brem. 50, f.
Haſelholt locus in diœceſi Mindenſ. 245, m.
Haſtebeke caſtrum deſtruitur, 236, i.
Hathumoda Abbatiſſ. Gandersheim. 483, f. *obit* 484, f.
Hatto Archiep. Moguntin. male audit 491, f.
Havelbergenſis Epiſcopatus erigitur 271, i. *Archiepiſc. Magdeburg. ſubjicitur* 274, m. *infeſtatur*, 278, f.
Heidenricus Wulff. Epiſc. Monaſt. Linge obſidet 236, f.
Heimo Epiſcop. Havelberg 324, m.
Heimo ab Archiep. Magd. conſtituitur Abbas Merſeburg. 278, f.
Heimo Epiſc. Merſeburg. 324, m.
Helicha Abbatiſſ. Gernrod. 429, m. *ſeq.*
Helmericus Abbas Raſted. 107, f. *oppignoravit bona Monaſter.* ib. *Abbatiâ ſe abdicat.* ib.
Helmſtadium incendit Archiepiſc. Magdeb. 329, m.
Henrico Aucupi Duci Sax. Conrad. I. Imper inſidiatur 490, m. *hujus conſilio eligitur Rex.* ib. m. 138, i. *unde Anceps dictus* 490, f. *Miſnam & Goslariam condit* 39, f. 130, i. 490, f. *Quedlinburg. Monaſter. exſtruit.* ibid *Mechildin uxorem ducit* 130, i. *inter Imperatores non numeratur* ib. *moritur* 417, m. *ubi ſepultus* 491, m.
Henricus II. Imper. Henrici Duc. Bavar. fil. 130, m. 281, i. 499, i. *comitatur funus Ottonis Imper.* 281, i. *vocatur Sanctus* 130, m. 503, m. *Claudus* 85, i. *votis Principum eligitur Imperator* 281, m. 499, i. 282, m. *ducit uxorem Kunigundam* 36, f. 37, m. *cum illa vivit in voto virginitatis* 499, i. 37, i. 206, f. *Sororem Stephano R. Hungar. matrimonio jungit* 499, i. 37, f. *in Gandesheimenſe monaſterium beneficus* 499, m. *Merſeburgenſ. Epiſc. reſtaurat* 281, m. *ei præficit Wipertum* 282, f. *Bambergenſem Epiſcopatum inſtituit* 205, f. *obit* 206, f. 287, f. *Bambergæ cum conjuge ſepultus* 35, f. 37, m. *quæ de hoc Henrico II. Hiſtorici prodiderunt per errorem ad Henricum III. refert Chronicon Bremenſe* 85, i. *conf. pag.* 503, m.
Henricus III. Imperat. ſuccedit Patri Conrado 287, f. *tres Antipapas deponit* 35, m. *quando & ubi obierit* 288, i. & f. *ubi ſepultus* 503, m. *ejus ortus & fata* 36, 37, 502. *ad hunc per errorem refert Chronicon Brem. ea, quæ de Henrico II. Hiſtorici prodiderunt* 85, i. *conf.* 503, m.
Henricus IV. Imper. adhuc puer ſuccedit Patri 288, i. f. 503, f. *libidinoſus* 289. *à conjuge mire deceptus* ib. f. *Regi Danor. regiones regno contiguas donat* 293, f. *Principes Sax. de illo conqueruntur* 295, f. *à quibus ei bellum infertur* 296, i. *fugit in Franciam* 296, f. *hinc inde auxilium quærit* 299, m. *de opprimenda Saxonia callidum capit conſilium* 134, m. 300, i. *cum Saxonibus confligit.* 302, i. *contra Hildebrandum Papam inſurgit* 47, i. 138, f. 305, f. *à quo excommunicatur* 306. *vincit Saxones* 312, m. *victus à Saxonibus* 313, i. *novum bellum contra illos machinatur* 314, i. *ſed vincitur* ib. *denuo vincitur* 315, m. *Goslariæ Comitia celebrat* 132, m. 294, m. *à filio regno expellitur* 137, f. *Coloniam venit* 138, i. *Leodinum fugit* ib. *in prælio cum filio victor abit* ib. *vincitur* ib. *diademate & purpura privatur* 136, f. *ſeq. ejus reſtitutionem tentat Gevehardus Epiſcop. Saltzburg.* 317, *ſeq. quâ re Saxones irritaverit* 303, f. *excuſatur* 138, f. *deſperat* 306, m. *ubi & quando obierit* 138, m. 323, f. *diu inſepultus jacet* 306, m.
Henricus V. Imper. Rom. 139, i. 323, f. *Patrem regno expellit* 48, m. 137, f. 209, i. 503, f. *cum inſecutus Coloniam obſidet* 138, i. *à patre vincitur*, ib. *patrem vincit*, ib. *Romæ honorificè à Papa excipitur* 139, i. *jurare recuſat*, ib. *magnam cladem Romæ excitat*, ib. m. *coronatur*, ib. f. *cum Paſchali de jure inveſtitur. litigat*, 209, i. m. *Paſchalem Pap. & Card. captos tenet.* 209, m. *cum eo reconciliatur*, ib. *in Concilio Romano à Papa accuſatur* 139, f. *excommunicatur* 140, i. *in Longobardiam ſe recipit* 140, f. *à Principibus Saxon. vincitur* 140, m. 324, f. *Goslariam venit* 209, m. *à Calixto IV Papa in Eccleſiam recipitur*, 325, i. *ejus obitus & ſepultura* 49, f. 145, f. 325, i. 504, f.
Henricus VI. Lutzenb. Imper. Francof. eligitur 335, f. *Aquisgrani coronatur*, ib. *à civitatibus Italiæ homagium exigit*, ib. *venenato calice perit*, ib. *quod adverſus contradicentes confirmatur* 185, *ſeqq.*
Henricus VII. Haſſ. & Thuring. Landgrav. ab Archiep. Colon. Imperator

perator eligitur 219, f. *cognominatus Thorapſe*, ib.
Henricus Friderici II. fil. Romæ in R. Germ. conſecratur 57, m.
Henricus R. Dan. a Papa excommunicatur 62, m. *vaſtat Epiſcopatum Lundenſ.* ib. *cum Archiep. Bremenſ. litigat*, ib f.
Henricus Rex Slavor. obit 49, f.
Henricus Archiep. Colon. Anteceſſoris mortis reos excommunicat 218, i. *Brunonem Oſnab. & Theodoric. Monaſt. Epiſc. removet*, ib m.
Henricus Svarzburg. Archiep. Bremenſ. 82, m. *quando electus* 180, f. *fit Epiſc. Monaſter. & Adminiſtrat. Bremenſ.* 182, m. *Gerhardo ArchiCom. Old. aufert Delmenhorſt.* 186, i. *Edoni & Okeken contra Ezard Comit. Friſia aſſiſtit* 187, m. *obit*, ib. f.
Henricus Archiep. Magdeb. 321, m. *obit* 323, f.
Henricus de Svalenberg Archiep. Magdeb. electus 331, f. *inter Archiepiſc. non connumeratur*, ib. *Ottonem March. Brandenb. in prælio capit* 332, i.
Henricus de Anhalt Archiep. Magd. 334, f. *ob ſummam ruditatem Papa ipſi Pallium denegat*, ib. *Schönbeck ſtratagemate capit*, 335, i.
Henricus Com. de Stolberg electus Archiep. Magdeb. ſponte reſignat 339, m.
Henricus Com. Holſat. Epiſc. Oſnab. eligitur 240, m. *in Iburg, Vorſtenovv & Vorden civibus immunitates & jura municipalia concedit* 240, f.
Henricus de Morſa Epiſc. Monaſter. eligitur Adminiſtr. Oſnab. 255, f. *Grevenberg circumvallat*, ibid *damnum infert Lubecæ* 287, i. *contra Epiſcopum Mindenſem Epiſcopat. defendit*, ib. *aſſiſtit fratri adverſus Suſatenſes* 532, i. *in obſidione Suſati graviter vulneratur* 160, i. *obit* 262, i.
Henricus Spigel Epiſc. Paderborn. pacem per Weſtphaliam procurat 235, f. *Rade obſidet* 236, i.
Henricus Julius Dux Brunſv. Epiſcop. Halberſtad. primam tonſuram accipit ab Abbate Hujesburgenſ. 140, m.
Henricus Epiſc. Lubecenſ. 396, i. *Rektor Schol. Brunſv.* ib *Abbas S. Ægid* ib. *cum Græcis de proceſſione Spirit. S. à Patre & filio diſputat*, ib.
Henricus de Borckholte Epiſc. Lubecenſ. 398, m. *ab Archiep. Brem. coram Papa accuſatur*, ib. *bona domanialia quæ conſtituerit* 399, i. *ubi ſepultus*, ib.
Henricus Henr. Aucup. fil fit Dux Bavariæ 130, i. 490, f. 492, i. f. *Ottoni fratri de regno litem movet*, ib. *Hungaros fundit*, ib.
Henricus Leo quibus parentibus prognatus, 504, f. *uxor* 505, m. *filii* 506, m. *ejus inſignia* 54, f. 146, i *fit Dux Saxoniæ* 50, m. *accipit Ducatum Auſtriæ* 505, m. *Slaviam ſubjugavit*, ibid. *Hieroſolyma adiit*, ib. *capit Stadæ* 53, i. *Wiburg deſtruit*, ib. *Bardevicum evertit* 55, i. 99, m. 505, f. *Lubecæ templum SS. Johan. & Nicol. ædificat* 396, i. *curiam & bona in Lothen Eccleſiæ Mindenſ. donat* 210, f. *Epiſcopos inſtituit* 501, m. *Imperatoris gratiâ excidit* 145, m. 505, f. 52, f. *Goslariæ proſcribitur* 144, f. 505, f. *Otto Friſingenſ. alumnum Henric. proſcriptum introducit* 506, m. *Titulum ducis Saxon. & Bavar. amittit* 54, f. 99, m. 146, i *Weſtphaliam & Angriam amittit* 508, i. *in gratiam recipitur* 54, f. 505, i 506, i. *obit* 58 m. 148, i. *Brunſvici ſepultus* 505, m.
Henricus fil. Henr. Leon. Brunſvici ſepultus 506, m.
Henricus Alberti Duc Brunſv. Ep. Halb. frater Hildeſiam occupat 331, i.
Henricus Dux Brunſv. à Comit. Lipp. captus 150, m. 166, m. 241, i.
Henricus Mirabilis Dux Brunſv. 387, f. 388, i.
Henricus & Frideric. Duc. Brunſv cum civibus Luneburg. litigant 237, f.
Henricus Dux Sleſvic. occiditur ante Flensberg 74, i.
Henricus Marchio & Com Magd. obit 328, f.
Henricus Com. de Hoja Securis dictus 527, i. *obit*, ib. f.
Henricus Comes de Hoja 25. *filior. parens obit* 61, f.
Henricus fil. Widekindi de Monte 527, m.
Henricus Com. de Brockhuſen capit Tedinghuſen 65, f.
Henricus Bogener *Com. Oldenburg. Burchardi Comit. Old. filius & Heres* 58, f. 148, m. *vincit Simonem Epiſcopum* 60, i.
Henricus Com. Stad. veneno interit 30. i.
Henricus Kale Com. Stadenſ. 31, i.
Henricus Com. Svvarzb. in Comit. Erford. in latrina ſuffocatur 54, f. 146, i.
Henricus Com. Teklenb. bona ſua Epiſcopo Oſnab relinquit 211, m.
Henricus Comes Aldenb. Stedinger debellat 213, i.
Henricus de Solmis cum Ep. Monaſt. bella gerit 241, m. Die Solmiſche Güter *recuperat* 244, m. *filia quibus deſponſata* ib. i.
Henricus *de Bovvendick unacum aliis capitur* 240, m.
Henricus de Burch Tyrannus 63, m.
Henricus fil. Uden. Marchion Stadenſ. 49, i.
Henricus de Itzendorp. miles creatur 66, f. 154, i.
Henricus & Everhardus de Horno ſubjiciunt ſe Epiſcopo Oſnab. 227, i.
Henricus de Leden Proconſ. Oſnab. ducitur in captivitatem. 250, f.
Henricus Incoles ſine capite truncatus 201, f.
Henricus Udenreth Abbat Harsfeld. 539. m.
Henricus I. de Wenthuſen Abbas Monaſt. S. Mich. Hildeſ. 521, i. *à ſucceſſore expulſus*, ib. *Brunſv. Monaſter. exſtruit*, ib *revocatus*, ib. f. *obit* ib.
Henricus II. Peperſack dictus Abbas Monaſt. S Mich Hild 523, i.
Henricus III. Abb Monaſt. S. Mich. Hildesh. 523, m. *depoſitus* ib.
Henrici IV. Waldorp Abb. Monaſt. S. Mich. Hild. electio controverſa 524, i. *linguæ latinæ ignarus*, ib. *depoſitus* ib
Henricus V. Abbas Monaſt. - - - 524, m. *fit Epiſc. Hildeſ.* ib. f.
Henricus Abbas Hujesb. 538, i.
Henricus II Abbas Hujesb. 538, i.
Henricus III. Dingelſt. Abbas Huj. ib. f.
Henricus IV. Abbas Hujesb. ibid.
Henricus de Nienborg Abbas Raſted. 166, f.
Henricus II. Abbat Raſted. largus & probus 110, i.
M. Henricus *de Urimania vir celebris* 149, m.
M. Henricus Zolter Reformator Monaſteriorum 170, f.
Henberg. in dotem accipit Wilhelm. Dux Juliacenſ. 242, f.
Henſevorde ex hæreditario bono Princip. Anhalt. fit feudum ArchiEpiſcopi Magd. 366. i.
Herbertus ArchiEp. Colon. excipit funus Ottonis III. Imp. 281. *conſecrat Dethmarum Epiſcopum Oſnab.* 205, f.
Herdiggus Abbas Magdeb 273, i.

Herevvigus Epiſcop. Miſnenſ. 321. i. ordinat ArchiEp. Magdeburg. 324. f.
Herfordienſis Abbatiſſ. adverſatur Egilmaro Epiſc. Oſnab. 201, m.
Herfordienſes pacem petunt ab Archiep. Colon. 258. f.
Herisborg caſtellum in conf. Saxon & Haſſor. 207, f.
Hermannus Cnuflock, Rex Roman. eligitur 136, i. 319, m regio nomine depoſito occiditur, ibid. f. 136. i.
Hermannus Archiep. Colon. 32, m.
Hermannus Dux Saxon obit 276, i.
Hermannus Bernhardi Duc. Sax. & Slavor. fil. ArchiEp. Brem. invadit 42, m.
Hermannus de Lippia in conflictu cum Stedingis ſuccumbit 213, f.
Hermannus de Katzenellenbogen Monaſt. Epiſc. ſibi & ſuis ſucceſſoribus titulum Ducis Weſtphaliæ acquirit 146, m. Nienborg & Landegge condit ib.
Hermannus de Eike Abbas Hujesb 539. f. Monaſter. in Harsfeldia reformavit ib. decimas in Ecſtorpe emit, ib.
Hermannus Borch Decanus Brem 64, f.
Hermannus Præpoſitus Tungrenſis 225, f.
M. Hermannus de Schildis primus Theolog. Doctor in Weſtphalia 158. f.
Hermannus de Melle Proconſ. Oſnab. Johannem Epiſcopum templo incluſum tenet 248. f.
Hermannus de Blanckena Advocatus Eccleſ. Oſnab. 215, i.
Hermannus de Riſvvick hæreticus 190, m.
Herrandus præeſt cœnobio Ilſenburgenſi 536, f.
Herſebrocke Monaſterium damnum patitur à Bernhardo de Lippia 263, i.
Herſtelle circa Viſurgim 199, i.
Hetelo Epiſc. Havelberg. Archiep. Magdeburg. ordinat 323, f.
Hezelo Epiſcop. Cizenſis 321. f.
Hiberni Sveciam vaſtant 95, m.
Hidda Gercnis ſoror ſeipſam mutilat 467, m.
Hieronymus Pragenſis combuſtus 352, i. 243, f.
M. Hieronymus de Neapoli Nicolai V. Præceptor 170, m.
Hieronymus Monachus Jacob. Florentiæ combuſtus 157, m.
Hieroſolyma urbs à Chriſtianis capitur 48, i. 319, f.
Hildeboldus Archiep. Brem. Romæ conſecratus 60, i. cum civibus bellum gerit 60, m Wildeshuſen acquirit, ib. Ducibus Brunſvic. reſiſtit, ib. obit, ib.
Hildeborg. Abbatiſſ Gernr. 436, m.
Hildebrandus Papa vid Gregor. VII.
Hildericus Rex Vandalor 128, m.
Hildeſienſis Eccleſia fundata à Ludovico Imper. 27, i.
Hildeſienſis Epiſcopus & Mogunt. de benedictione Abbatiſſæ Gandersheim. litigant 497, f. lis componitur 500, i. Epiſcopus & Abbas Monaſter. S. Michael. Hild. confligunt prope Dinckeler 182, m.
Hildeſienſes canonici eligunt ArchiEpiſcop Bremenſ. 28, f.
Hildeſia capitur à Duce Brunſvic. 338, i. ibidem Monaſter. S Michaelis exſtruitur 515, f. urbs incendium paſſa 520, i.
Hildevvardus Cizenſis Epiſc. 287, i.
Hilgeland Inſula 37, m.
Hillingenberg conditur 59, f.
Himbertus Archiep. Brem. obit 47, m.
Hiſpaniam devincit Carolus M 24, i. occupant Vandali 128, m.
Hodenberge donatur Eccleſ. Conventual. in Bucka 27, i.
Hogerius Archiep. Bremenſ. 27, m. obit ib.
Hogerus Com. de Falckenſtein capit Quedelburgum 330.
Hogerus de Mansfeld in Prælio cadit 140, m. 324, f.
Hojenſis Comitatus donatur Eccleſiæ in Bucka 27, i.
Hojenſes Comites feudum accipiunt ab Eccleſia Brem. 93, m. eorum ortus 142. m.
Holſatia 393, m. cedit Chriſtiano R. Dan. 402, m. ejus dominium intendit Gerhardus Com. Oldenb. ſed repellitur 183, m.
Holſatiæ Comites quomodo olim dicti, 93, i. eorum origo 142, m.
Holſati à Slavis infeſtantur 44, i.
Holte caſtrum diœceſis Oſnab. 210. i.
de Homborg Comites 503. f.
Hommingus R. Dan. ſubjicit ſe Carolo M. 24, i.
Honoricus R. Vandalor. quamdiu regnaverit 128, f.
Houvvarde à quo conſtructum & deſtructum 336, i.
Horicus Haraldi R. Dan. frater Moguntiæ baptizatur 24, f.
Hornburg. capit Archiepiſc. Brem. & deſtruit 63, m.
Horne obſidet Wilhelmus de Monte 242, i. 243, f.
Hoſtia conſecrata in incendio incorrupta ſervata 350. i.
Hroſuita Abbatiſſ. Gandersh. eligitur 491, f.
Hroſuita Monialis erudita, opera 494, i.
Hugo R. Galliæ 492, i.
Hugo Abbas Hujesburg. 538, m.
Hugo de Schagen Decan. Oſnab. Epiſcopum turbat 251, i. de dilapidatione bonorum Eccleſiaſt. ſuſpectus 252, i. in carcerem conjicitur 252, f.
Hugoldus Abbas Monaſt. S. Michael. Hildeſ. 519, f. obit 520, i.
Hujesburgenſis Monaſterii initia 533, ſeq. catalogus abbatum recenſetur à pag. 537, usque ad fin.
Humbertus Epiſcopus Tajectenſis 92, f.
Hungariam vaſtat Carolus M. 23, f. fidem Chriſtian. amplectitur 37. f. 206, f.
Hungari infelici ſucceſſu Bremam invadunt 27. f.
Humfridus Archiep. Magdeb. 287, i. obit ib. f.
Huno Comes Ruſtring. proſcribitur 38, i. iterum ad mortem damnatur 41. i. multa bona accipit, ib, m. ejus genealogia 89, i. Comitatus, ib. pietas 90, f. obit 41, m.
Hunoldus Epiſc. Mersburg, 287, i. à quo ordinatus, ib. m. ordinat ArchiEp. Magd. ib. f.
Huntesborg caſtrum 239, f. obſidetur 255, reſtituitur Eccleſ. Oſnab. 256, m.
Joh. Huſs combuſtus 243, f. 349, i. 353, i.
Huſſitarum origo 353, m. eorum dogmata 354, f. varia loca expugnant 355, m. ſæpe victi 357, m. contra eos ſcripſit M. Henr. Take 359, f.
Hyſſeus primus Rector ſcholæ Gernrod. 452, i. 454, f.

I.

Jacobus Abbas Monaſter. S. Michael Hildeſ. 522, f.
Jacobus Magnus vir celebris 163, f.
Japhat Japheti primogenitus 127, i.
Japheti poſteri Europam ingreſſi, 127, m.
Jaſpar de Bervvinckel Abbas Hujesburg 538, f.
Iburg caſtr. Epiſcopat. Oſnab. 207, f. Comiti Tekenben. venditur 130, m. Theodericus de Marcka recuperat ib. f. cives privilegia & jura municipalia ab Epiſc. Oſnab. accipiunt 240, f. deſolatur 255. i.
Ida de Elſtorpe ortus 49. i. 141, m.
Frauen Jden Gut 49, i. 141, m.

Ida

Ida mater Brunon. Epiſcopi 279, f.
Iſenburgenſi cœnobio præeſt Herrandus 536, f.
Imelo Præpoſit. in Emeda ab Hamburg. capitur 174, i.
Imperatori dat bona Emina 34, f.
ab Imperatore ad Concilium Baſileenſe appellant Oſnaburgenſ. 156, f.
Inangulare quid ſignificet 85, f.
Indulgentiarum venditor capitur 363, i.
Innocentius III. Papa quamdiu ſederit 55, m.
Innocentius IV. quamdiu ſederit 342, m. Bullam mittit Wilhelmo Colonienſ. Epiſc. ob diſſolutam Clericorum vitam 229, f. obit 344 m.
Innocentius VII Papa eligitur 352, i. obit ib.
Innocentius IIX, Papa 370, m.
Inveſtitura Eccleſiaſt. Imperatori adimitur 325, i. ob illam Henricus V. Imper. cum Papa litigat 209, i. m.
Joachimus Elector Brandenb. ducit filiam Johannis R. Dan. 173, f 371, m.
Joachimus Carolus Dux Brunſvic. primam tonſuram accipit ab Abbate Hujesb. 540, m.
Jodocus Marchio Moravia obit 352, m.
Jodocus Comes de Hoja 256, f.
Johannes fil. Chriſtiani I. Rex Dan. 401, i. ducit filiam Erneſti Duc. Saxon. 173, f. ejus filiam uxorem ducit Marchio Brand. ib.
Johannis R. Bohem. Inſtrumentum à Jacobitis Monachis allegatum, eſt adulterinum 157, i.
Johannes XXII, Papa Conſtitutiones Clementinas publicat 226, i. deponitur 349, i.
Johannes XXIII. Papa in Concil. Piſano electus 243, i. renunciat Papatui 243, m.
Johannes XXIV, Papa eligitur 352, m.
Johannes Papatu relicto fit Epiſcop. Beneventan. 54, i. ſchiſma ejus ejuratur ib.
Johannes ſ. Jonas ArchiEp. Brem. 62, m. à Rege Dan. in vincula conjicitur, ib. arbiter à Papa conſtituitur inter Rigenſes & Magiſtrum Teutonicorum 63, m. Langwedel oppignorat 64, i. Pariſiis obit, ib. m.
Johannes de Luneborg Adminiſtrator Eccleſ. Brem. 64, m.
Johannes Slamſtorp ArchiEp. Brem. 69, m. cum civitate litigat ob Bederſa, ib. Stintborg. exſtruit 70, m. obit 73, i.
Johannes Archiep. Magdeburg. 365, f. dat feuda Principi Anhaltino 366, i. Harbeck expugnatum reſtituit Illuſtrib. de Veltheim ib. cepit caſtr. Plate ib. m. obit 368, m.
Johannes Dux Brunſv. ArchiEpiſc. Magd. 387, m.
Johannes Epiſc. Oſnab, 209, i.
Johannes Hoet Epiſc. Oſnab. 228, f. Princeps Imperii declaratur 229 i obtinet immunitates ibid. Nicolao Comiti Suverin. & Teken. bona in feudum tradit 229, m. cum civitate Oſnab. prætermiſſo Capitulo fœdus init. 230, i. ad egeſtatem redigitur, ib. m. oppignorat aliquot caſtra ib. Vicarium accipit, ib. f. obit. 231. f.
Johannes de Diepholte Epiſc. Oſnab. eligitur 248, i. à Magiſtratu Oſnab. impetrat teloneum, ibid, m. fugat Epiſcopum Monaſter. 249, m. damna infert diœceſi Monaſt. 249, m. ſtrenuè reſiſtit Alberto Com. de Hoja 250, m. veneno perit 251, i.
Johannes de Werneberg Epiſcopus Monaſter. 232, i.
Johannes de Archele Epiſc. Traject. 232. i.
Johannes Epiſc. Meklenb. à Slavis trucidatur 394, m.
Johannes de Lubecke Epiſc. Lubec. 387, i.
Johannes de Deyſt. Epiſc. Lubec. 397, m. emit advocatiam in Utbin, ib. f. obit. ib.
Johannes de Tralovve Epiſc. Lubec. 397. f.
Johannes Muel Epiſc. Lubec. 399, i. curiam in Utbin foſſa munit, ib.
Johannes Clenedenſt Epiſc. Lubec. bis electus 399, f.
Johannes de Dulmen Epiſc. Lubec. 400, i.
Johannes Schele Epiſc. Lubec. 400, i. in Concilio Baſileenſi Imperator & Imperii Procurator, ib. f. ab Imperatore varia privilegia pro Eccleſia impetravit 401, i. obit ib.
Johannes Epiſcopus Pariſienſis 62, f.
Johannes Dux Bavar. eligitur Epiſcopus Leodienſ. 70, f. ejus electio graviſſimos tumultus excitat ib.
Johannes Dux Saxon. Sophiam fil. Magni, uxorem ducit 371, i.
Johannes de Meppis Laricenſ. Ep. obitus & opera 187, f.
Johannes frater Alberti Dux Brunſvicenſ. Eccleſiæ Bremenſ. bellum infert 60, m.
Johannes junior Dux Clivienſ. fil. Adolphi, impedit pacem inter Oſnab. civitat. & Johannem de Hoja 250, f.
Johannes Otton. fil. Comes Oldenb. 102, f. Friſones vincit, ib. uxorem ducit Rixedin. 103, m. 150, m.
Johannes Chriſtian. fil. Comes Oldenb. pellicem alit 106, i. ejus excommunicationem & bella vide ib. 153, f.
Johannes Chriſtianus fil. Mauritii frater Com. Old juvenis obit 165, i.
Johannis Gerhard. fil Comit. Oldenb. Conjux & filii 188, f cum Butjadenſibus bella gerit, ib.
Johannes Comes de Hoja capit Epiſc. Oſnab. 232, f.
Johannes Com. de Hoja à Fockone Uken capitur 250, i. prædam ex civitate Oſnab. abducit 254. i. capitur 171, f. 255, liberatur 259, f. ex ſanguine Ducum Brunſv. ortus 256, m. gignit Jodocum ib. f. civibus Monaſterienſ. contra Epiſcop. Walramum aſſiſtit 174, m. urget reſtitutionem Erici 262. f. Ericum Præpoſit Colon. vult eſſe Epiſcopum Monaſt. 263, f.
Johannes à Kitlitz Baro moritur 457, m.
Johannes Abbas Raſted. 107, i.
Johannes Fabri Abbas Raſted. 113, i.
Johannes de Gropelinge Abbas Raſt. 114, m.
Johannes I. Eilken Abbas Monaſt. S. Mich. Hild. 524, m.
Johannes II. dictus Loff. Abb. Monaſt. S. Mich. Hild. 525, m.
Johannes Henne Abbas Ballenſt, 539, m.
Johannes Oldenot Abbas Hujesb. 538, f. introduxit reformationem, ib.
Johannes Stoppel Abbas Hujesb. 539, m. factus Abbas Ilſenborg, ib. obit ib.
Johannes Eike Abbas Hujesb. 539, f. ſub illo multi ex ejus Monachis Lutherum ſecuti ib.
Johannes Kopius Abbas Huj. Muſicus egregius 540, i. quibusdam Ducib. Brunſv. primam tonſuram dedit, ib.
Johannes Præpoſitus Oſnab. 195, f.
Johannes Halle primus Decanus Oldenb. 108, i.
Johannes de Monte Archi Diaconus obit 138, i.
Johannes Buck ſ. Binck poſſidet caſtrum

ſtrum

ſtrum Roden 244. f. amittit 245. i. capitur, ib. m.
Johannes Freſe de Nienburg accipit Eccleſiam in Idenhuſen 245. m. ſubmergitur ib.
Johannes Eging defenſor Eccleſ. Oſnab. 246. i.
Johannes von der Neß Trajectenſes invadit 247 m.
Johannes de Wilking confligit cum Clero Oſnab. 288. i. capit Epiſc Oſnab. 249. i.
Johannes de Varendorpe Canon. Oſnab. capit Hugonem de Schagen 252. f.
Johannes de Luneburg Scholaſt. Bremenſi Archiep. ſe opponit 64. i. ſeq
Johannes de Asbeke capit Epiſcop. Oſnab. 249 m.
M. Johannes de Faberno vir celebris 158. f.
Johannes Clenoke 163. m.
Johannes de Immola, vir celebris 167. m.
M Johannes Zacharia Theolog. & JCtus 170. f.
M. Johannes de Huxaria 170. f.
Johannes Sporke vir doctiſſimus 173. m.
Johannes de Widenbrugge vir ſincerus & doctus 172. i.
Johannes Hus comburitur 243. f.
Johannes de Bockroden homo impius proſcribitur 235. f.
Johannes de Temperibus Caroli M. armiger quando obierit 210. m.
Johannes Sveinfurdenſ. informator Baronis à Kitliz 452. f.
Jordanus de Quedlinburg vir celebris 163. i.
Irene Imperat. vult nubere Carolo M. 199. f. in Monaſterium detruditur, ib.
Irmengardis Abbatiſſ. Gernrod. 435. f.
Irmengardis Comitiſſa civitatem Magdeburg. vendit Archiepiſc. Magdeb. 327. m.
Irmenſeul idolum deſtruit Carolus M. 198. i.
Iſenburg evertitur 218. i.
Itzeho ſubjicitur Adolfo 58. i.
Jubilaum a Papa inſtituitur 334. m. in quinquageſimum annum rejicitur 342. m 360. f.
Judai in Chriſtum blaſphemi occiduntur 334. m. in illos ob aquas veneno infectas ubique animadvertitur 341. m 234. f. territorio Magdeburg. expelluntur 370. i.
Juliacum obſidetur & capitur ab Archiep. Colon. 222. m.
Juliacenſis Dux capit Ducem Brabantia 234. f.
Julianus de Salen vir celebris 167. i.
Julius II. Papa 370. m. quando defunctus 371. m.
Juramenti præſtiti modus 384. f. ſeq.
Jurandi temeritas in Henrico Comite Svarzb punitur 146.
Juttam Abbatiſſam Gernrod & Brigittam Budaus pro una & eadem habet 469. i.

K.

KAnutus R. Dan. ſimul Angliam poſſidet 32. i. interficitur 50. i.
Kanutus R. Dan. Hamburgum & Stade fruſtra obſidet 55. m.
Katmarius Abbas Monaſter. S. Michael. Hild. 519. m.
Kedingos ſubigit Giſelbertus Archiep. Brem. 60. f.
Joh. à Kitliz Baro moritur 457 m.
Marc. à Kitliz informatus a Johan Sveinfurdenſi 452. f.
de Klencken fratres interſunt prælio Joh. de Wilking & Cleri Oſnab. 248. f.
Kloppenburg expugnatur 230. i.
Konigshoff acquirit ſibi Epiſc. Halberſt. 381. i.
Kunigundis Henrici II. Imper. conjux in matrimonio virgo 37. i. 206. f. 400. i. canoniſata 37. m. quando ejus feſtum celebretur, ib. f.

L.

LAer caſtrum Thuringiæ 256. m.
Lambertus Epiſcopus Martyr 152. i.
Lambertus Abbas Raſtedenſ. 102. f.
Lambertus de Beveſſen 105. f.
Landegge Herman. de Katzenellenbogen condit 146. m.
Langvvedel conditur 57. f. nominis ratio, ib. ab Archiep. Brem. redimitur 60. i. ſplendidius exſtruitur 61. m. oppigneratur 64. i.
M. Laurentius de Colonia vir celebris 170. m.
in Laureſſe Monaſteria Archiep. Brem. ſubjiciuntur 41. i.
Lavvenſtad ab Henrico Leone conditur 51. f. unde nomen, ib.
Lebuſ ad Eccleſ. Magdeb. accedit 330. f.
Leiffardus à Depenheim Curator Eccleſ. Oſnab. 211. m
Lemgoviam è Lotthen Monaſterium transfertur 519. f. 286. m. præſtat homagium Arch. Colon. 258. m
Leonis III Papæ miſeram ejectionem ulciſcitur Carolus M. 24. i.
Leo X. fit Papa 371. m.
Leodienſis civitas cum clero bella gerit, 70. f.
Leodienſes fruſtra obſident Trajectum 241. f.
Leſmona ab Emina donatur Imperatori 34. f. ab hoc Eccleſ. Bremenſi 41. i.
Lezeringen bona ad Monaſter. S. Peeri inſtaurandum impenduntur, 307. i.
Libentius I. Archiep. Brem. 30. f. Sveciæ & Norvvegiæ Reges conciliare nititur 31. i. ſub illo lis de Eccleſia Rameslagenſi fuit terminata. ib. m. obit. ib.
Libentius II. Archiep. Bremenſ. & Hamburg. 32. m. gentibus prædicavit Evangelium, ib. obit, ib. f.
Liborius tenet Wildeshuſen & Hagbene 65. f.
Licuiſo Bremenſ. Eccleſiæ Antiſtes 305. f.
de Liderſa Barones 47. f.
Liemarus Archiep. Bremenſ. 46. f. captus 47. m. obit, ib.
Lippoldus fil. Gliſmodis, Idæ maritus 49. i.
Lippoldo Comiti exuli filius naſcitur Henricus, qui poſtea factus imperator 102. i. conf. 36. 37.
Linge obſidet Epiſcopus Oſnaburg. 236. f.
Lipſienſis Academia fundatur, 352. i.
Livonia premitur annona caritate 59. m.
Lotharingiæ Dux vincitur ab Ottone Imp. & in vincula conjicitur 204. i.
Lotharingia Archiep. Colon. ab Ottone M. donatur 5. f.
Lotharius I. Imperator fit Monachus 5. m.
Lotharius ſive Luderus exſtruit caſtrum Vordis 40. i. ab Henr. V Imperat. nactus Ducatum Saxoniæ 504. f. Epiſcopum Monaſter. repulſum reſtituit 210. i. contra Henricum V. bella gerit 140. m. fit Imperator Romanus 47. m. 140. f. 326. i. in Bohemia magnam cladem patitur 210. m. Abbatiam Magdeb. donat Archiep. Magdeb. 327. m. fundavit Monaſter. Regio-Lotharium 504. f. locus ſepulturæ 503. i.
Lovvenberg expugnatur 383. i.
Lubbertus Went dignitatem Epiſcopal. diœceſis Oſnab. renuit 288. f.

Lubbertus Weſtphal. Canonicus Paderborn. affectat Præpoſituram Oſnab. 212, f.

Lubeca unde nomen 48, f. capitur à Rujanis 49, f. ejus incrementa 51, m. igne vaſtatur, ib. f. reſtauratur, ib. à Slavis fruſtra infeſtatur 52. i. à Rege Daniæ muro cingitur 57, i. igne vaſtata ex lignea fit lapidea 61, i. fundatur Eccleſia Cathedralis 395, m. Friderico I. Imperat. homagium præſtat 396, m. quis Eccleſiam fundarit 480, f. Königsſtrate unde 57, i. in lite cum Bremenſ. civitate de prioritate ſuccumbit 62, i. SS. Joh. & Nicolai templum à quo conditum 396, m.

Lubecenſes Epiſcopi accipiunt jus Patronatus Eccleſiæ in Lutkenburg. & Plone 398, f.

Lubecenſes renunciant caſtr. Reineb. 225, i.

Luciferanorum hæreſi infecti comburuntur 340, f.

Lucius III. Papa Rom. dat pallium Archiep. Brem. 54, f. in Lucka Monachi injuſte villas Wallehuſen & Achterſen poſſident 527, f.

in Lucka Monaſterio datur Eccleſia Blomberg 530, i.

Ludeke civitas contra Dominum ſuum bellum gerit 70, m.

Luderus vid. Lotharius

Ludgerus Eccleſ. Monaſt. Præpoſitus 198. f. gentes convertit ibid. obit ib.

Ludolphus Archiepiſc. Magdeburg. 329, m. Helmſtadium incendit ib. conſtituit die Schulder innunge/ ib.

Ludolphus Epiſc. Oſnaburg. 204, i. hæres Bernhardi Ducis ib. obit. ib.

Ludolphus Epiſcop. Monaſter. 216, Engelbertum Epiſc. Oſnaburg. & Ottonem Comit. reconciliat. ib.

Ludolphus de Boſtorpe Epiſcop. Mindenſ. fundat caſtr. Steigeberg. 226 m. proſternit Simonem de Lippia & Gerhardum de Monte ib.

Ludolphus Epiſc. Brandenburgenſ. 325, i.

Ludolphus Dux Sax. Monaſt. Gandersheim. fundat 480, m. ſeq. obit 483. m.

Ludolphus Otton. M. fil. Dux Suev. 492, i. contra patrem inſurgit ib.

Ludolphus de Quede Tekenburg. accipit in feudum 210, f.

Ludolphus Abbas Hujesburg. 538. m.

Ludovicus I. Imper. 24, i. 199. i. imperium partitur 484. f. coronatur à Stephano P. 199, f. Canonicis in Alemannia præſcribit regulas ib. condit Monaſt. Corbejenſe 200, i. in vincula conjicit Theodulphum Epiſcop. Aurel. ib. à filiis captivus ducitur, ib. à filio Ludovico liberatur, ibid.

Ludovicus IV. Bavarus electionem Imper. victo Friderico firmat 337. f. trium Pontificum banno fatigatur 228, i. 337. f. quo genere mortis obierit 337, f.

Ludovicus III. R. Gall. ducit Ludgarden 484. m. quas regiones tenuerit 485, f. obit 487. f.

Ludovicus XII. R. Gall. occupat ducatum Mediolanenſem 371, i. Maximilianum Imperat. captivum ducit, ib.

Ludovicus fruſtra à Papa conſtituitur Epiſc. Halberſt. 338, i. fit ArchiEp. Magdeb. 340, f. obit ib.

Ludovicus Epiſc. Oſnab. filius Com. in Ravensberg. 222, f. conſecrat Eccleſias, ib. Nobilibus de Lippia fortiter reſiſtit, ib. Simonem de Lippia vincit 223, i. deſtruit Engeren ib. Conradum de Monte vincit, ib. f. fundat Capellam S. Georgii, ib. recuperat partem caſtri in Reineberg. 224, m. inſignia, ib. in prælio cadit 154. m. 225. f.

Ludovicus Epiſc. Monaſter, 154, m. 226, f. 229, i. auxilio Epiſcopi Oſnab. fugat ducem Geldriæ 154. i. 227. i. cum Johanne Archi-Com. Oldenb. bella gerit 154, m. contra Epiſc. Oſnab. inimicitias fovet 227, i.

Ludovicus de Neyndorf Epiſc. Brandenb. 385, i.

Ludovicus Bavar. Dux uxorem decollari jubet 59, m.

in Lugdunenſ. Concilio de ſubſidiis terræ S. deliberant 66, f.

Lullerdorum fratrum primus M. Gerhardus Grote 165, m.

Lullus Archiep. Moguntinus 514, f.

Lundenſis Eccleſia fundatur 25, m.

Lundenſem Epiſcopatum vaſtat Henricus Rex Dan. 62, m.

Luneburgenſis Ducatus olim fuit Comitatus 38, i. cœnobium cœptum perficitur 76, m. Henricus IV. Imper. poſtulat 293, f.

Lunaburgenſes excommunicantur 362, i. cum Ducibus Brunſvic. bellum gerunt 232, i.

Luſatiam ab Eccleſ. abalienat Ericus Magdeb. Archiep. 333, f.

Luſſo Epiſcopus Brandenb. 287, i.

Lutgarde nubis Ludovico 484, m. obit 488, i.

Lutgardis I. Abbatiſſ. Gandersh. 491, f.

Lutgardis II. Abbatiſſ. Gandersh. 504, m.

Lutherus docet 448. f. ejus doctrinam amplectitur Abbatiſſ. Gerurod. 449, i.

M.

Magdeburgenſis Eccleſia à quo fundata 29, m. 30, f. 130, m. 493, m. accipit jus eligendi Archiepiſcopos 276. f. privilegium ipſum 372, f. ſeq. varia ejus privilegia recenſentur à pag. 372, uſq. ad 378.

Magdeburgenſis Archiepiſcopatus primordia 272, f. fit Archiepiſcopatus 273, f.

Magdeburgenſis Archiepiſc. ſecundus à Bremenſi 30, f. in Alemannia primas 204, i. 273, f. cum Halberſtadenſi Epiſcopo de limitibus pugnat 287, i. accipit jus eligendi Advocatum 373, f. 344. f. 376, m.

Magdeburgum dicitur Parthenopolis 269. f. ratio denominationis 130, m. 270, i. ubi fundatur Abbatia 270, f. transfertur in montem ſuburbii 273, m. illam ex donatione Lotharii obtinet Archiepiſc. 327, m. incendium patitur 329, m. 330, i. 214. i. cives emunt jus Burggravii 333, f. Scabinatus ceſſat, ib. peſtis graſſatur 367, f. urbem ab Irmingarde emit Archiepiſc. 327, m.

Magnatum gratia periculoſa 291. m.

Magni Olai fil. R. Dan. filiam pro Ordulfo ambit Archiep. Bremenſis 34, m. interficit Kanutum R. Dan. 50, i. Imperatori ſubjectus, ib. m. 328, m. occiſus, ib.

Magnus Epiſcopus Hildeſ. 77. f.

Magni Ducis Saxon. ortus & obitus 43, m. 48, m. capitur 293, m. dimittitur 294, m.

Magnus Torquatus Dux Brunſvic. 387, i.

Magog primogenitus Japheti filius 127, i.

Magorum corpora Mediolano Coloniam deportantur 7, f. 52, m. 211, f.

Mallermaſch nunc Nuwermaſch pratum 226, i.

Marchionum in Germania ortus 417, i.

Marco Epiſc. Aldenb. 393, m.

Mar-

Margareta de Marovitz Abbatiß. Gernrod. 442, f.
M. Marianus de S Geneſano Eremitarum S. Anguſt. princeps eligitur 188, f.
Marianus vendit Indulgentias, 303, i.
Marquardus Abbas Corbejenſis, 209, i.
Martinus V. Papa dictus alias Odo de Columna 243, m. Papa eligitur 353, i. improbat electionem Rudolphi Epiſc. Traject. 246, f. obit 357, i.
Martinus Magiſter Pariſienſ. Romæ Henrici R. Daniæ cauſſam agit 62, f.
Martinus de Huda fit Advocatus in Languvedel 63, f. miles creatur 66, f. 154, i.
S. Materniani Archiep. corpus deducitur ad Eccleſ. Conventual. in Bucka 22, i.
Maternus primus Epiſc. Colonienſ. 4, i. obit, ib.
Mathildis R. Angl fil Henrici V. Imper. conjux 140, f. 210, f. 505, m.
Mathildis Abbatiß. Quendlinb. heres Giſelharii Archiep. Magdeb. 379, f. 421, obit 428, m.
Mathildis Abbatiß. Gandersheim. 506, f.
Matthias Hungar. R. moritur Viennæ 370, f.
S. Matthiæ Corpus Treveris repertum 210, m.
Matthias Abbas Hujesburg. 538, i.
Mauritius Chriſtian. fil. Com. Oldenb. Adminiſtrator Eccleſ. Brem. eligitur 66, i. cum Gottfrido Archiep. Brem. bella gerit, ib. quomodo hæc lis ſit compoſita, ib. m. à Capitulo electus Archiep. Brem ib.
Mauritius Com. Old. ducit in matrimonium Eliſabetham de Quedlinb. 110, i. 165, i. dimidiam partem caſtri Oldenburg. accipit 165, i. obiit 110, f. 167, f.
Mauritius, Dider. fil. Com. Oldenb. Roſtochii & Erfordiæ ſtudiis operam dat 111, m. 168, i. in utroque jure Baccalaureus 103. m. 172, f. 172, cum Vechtenſibus bella gerit 177, f. fit miles & ducit Catharinam Ottonis Comit. Hojenſ. fil. 170, m. inter ipſum & Gerhardum fratrem diſcordia unde nata 179, f.
Maximilianus I. coronatur R. Rom. 370, f. fit potens, ib. à ſubditis capitur, ib. à Rege Galliæ captivus ducitur 371, i.
Mechelt Comitiſſa de Henneberg una vice parit 350 pueros 217, m
Mechelt fil. Henrici Duc. Brabant. 217, f.
Mechtildis Diderici Comit. Old fil. Henrici Aucup. conjux 130, m. fundat Abbatiam Quedlinb. 203, m. 276, i. Monaſterium in Northauſen 130, m.
Mechtildis Anhaltina Abbatiß. Gernrod. 442, m. unde orta 268, f.
Mechtildis Abbatiß. Gernrod. 435, i.
Mecklenburgenſis Epiſcopatus primordia 394, m
Mediolanenſis Dominus creatur Dux 351, i.
Mediolanenſem Ducatum occupat Fridericus I. Imper. 211, f. occupat Ludovicus R. Gall 371, i.
Meignorus Epiſc. Aldenb. 394, m.
Meingardus Epiſc. Oſnab. 199, f.
Meingotus Epiſc. Merſeb. 528, i.
Meinricus Abbas Raſted 99, i. obit 100, f.
S. Meinulphus Epiſc. Paderborn. fundat Monaſterium in Bodeke 192, i. miraculoſus, ib. ejus dies emortualis celebratur Paderbornæ ibid.
Meinvvardus Abbas Monaſt. S. Michael. Hildeſ. 518, f.
Meinvvercus Epiſcopus Paderborn 203, f.
Melchior Dux Brunſv. Epiſc. Oſnab. 232, i. oppignorat Vorden Hunteburg, Groneberg, Iburg 232, m. à Comite Hojenſi capitur 232, f vocatur ad Eccleſ. Swerinenſ. 234 m. obit, ib.
Mello oppidum invadit Bernhardus de Lippia 263, i.
Mencherus Epiſc. Oſnab 206, m.
Mendicantes fratres Bremam veniunt 98, m.
Mengerden recuperat Walram. Ep. Colon. 227, f.
Merſeburgenſis Eccleſ. fundatur 35, f. ex Epiſcopatu fit Abbatia 278, f. in priſtinum ſtatum redigitur ab Henrico II, Imper. 281, m. 282, f.
Meſia unde dicta 127, f.
Meteln clauſtr. transfert in Wolda 61, m.
Metrike von Scagenum poculum venenatum præbet Epiſc. Oſnab. 251, i.
M. Michael de Maſſa vir celebris 151, f.
in Middendorpe ſedem acquirit Com. Ravenberg 211, m.
Minda unde ita dicta 38, m. per ignem vaſtata 207, i. 227, m.
Minorum ordo quando cœperit 55, f.
Miſna à quo condita 130, i.
Miſnenſis Eccleſ. fundatur 36, f.
Miſnenſes contra Bohemos arma capiunt 355, i. à Bohemis vincuntur 355, i.
Miſtowi Dux Slaver, Hammanburg deſtruit 279, i.
Modi Martini qui ſint? 62, f.
Modogiſilis Wandalor. R. 128, m.
Moguntia à militibus Bamberg. incenditur 308, m. ab Ottone Imper. obſidetur 419, f ibi Comitia celebrantur à Friderico Imp. 54, f. 146, i.
Moguntinus Archiep. & Hildeſ. Epiſcop, de benedictione Abbatiſſ. Gandersheim, litigant 497, f. lis compoſita 500, i.
Molſeren illuſtrib. de Alvensleve adimit Archiep. Magd. 350.
Monachi multi cœnobii Hujesb. Lutheri doctrinam amplectuntur 530, f.
Monachi Benedictini in cœnobio ad Papiam Abbatem ſuum interficiunt 146, m.
Monachi voluptuoſi ab Angelo ſuffocantur 199, m.
Monachus incendit Erfordiam 367. m.
Monachus Jacobita venenum præbet Henrico VI, Imp. 159, m. 169.
Monachus Jacobita Latro 157, m.
Monachorum ignorantia carpitur 171, m.
Monaſterium S. Panthaleonis Colon. fundator 6, i.
- - - SS. Apoſtolor. Colon. ib. m.
- - - S Pauli Bremæ erigitur 25, m.
- - - in Heslinge 30, m.
- - - in Rehwoulde 54, f.
- - - S. Mariæ Magdeb. 286, f. 288. f.
- - - in Bruntesbuſen 481, m.
- - - Quedlinburg 490, i.
- - - Northuſ. monialium 491, i.
- - - in Coſungen 491, i.
- - - in Polde 491, i.
- - - S. Michael Hildeſ. 517, f.
- - - in Loben 526, i. quod Lemgoviam transfertur 226, m. 529, f.
- - - in Danckmariesfeld 467, m.
- - - Raſtedenſe 90, i.
- - - in Quernheim Monial. 211, i.
Monaſteriorum fit reformatio 170, f.
Monaſter. Eccleſ. à Carolo M. fundata 198, f. civitas & Eccleſ. incendio pereunt 210, i. ſolvit fœdus adverſus Dominum ſuum 259, i.
Monaſterienſes Epiſc. audiunt Duces &

tes & Principes Weſtphaliæ 146, m.
Monaſterienſes Ericum Præpoſit. Colon poſtulant Epiſcop. 263, f. Johannem de Hoja tutorem eligunt ib. caſtra diœceſis ſibi ſubjiciunt 264, i.
Monſevve deſtruunt Stedingi 56, i.
Montis caſtr. poſſidet Gerhardus de Monte 241. i. pro illo totam diœceſin dat Otto de Retberg ibid.
Moravia potitur Sigismundus Imp. 352. m
Mortis ſubitaneæ exempla 306, f. ſeq
Mulinge deſtruitur 336, i.
Mundſchatt 203, m.
Muſore flumen 374, i.

N.

Nabathæis incolunt poſteri Slavor. 128, m.
Nauenburgenſis Eccleſia fundatur 35, f.
Neapolis magna pars terræ motu evertitur 362, f.
Neapolitanum regnum occupat Carolus IIX. Rex Gall. 370, f.
Nettelnberg in feudum datur Epiſc. Mind. 306, f.
Nicaſii P. R. reliquiæ ubi conſervata 94, i.
Nicolai V. Papæ laus 80, f. de Eccleſiarum reformatione deliberat 78, m. ei ceſſit Felix 360, i. quando electus 260, f.
Nicolaus Com. de Delmenh. Archiep. Brem. 73, m. 166. m. 249. f. Eccleſ. Oldenb. Decanus 162, f. cum Comite Hojenſi bellum gerit 74, m. à Fockone Uken in prælio capitur 250, i. 73, f. 169, i. ex captivitate liberatur 169, i.
Nicolaus de Miſna Epiſcop. Lubec. 399, f.
Nicolaus Sachevv. Epiſcop. Lubec. 401, m.
Nicolaus Verdenſ. Epiſcop. 107, i.
Nicolaus Com. Tekenenb. cum patre pugnat contra Epiſcop. Oſnab. 235, i. Epiſcopo Oſnab. pacem jurat 239, m.
Nicolaus Com. Tekenenb. ab Epiſc. Oſnab. bona in feudum accipit 229, m.
Nicolaus Delmehorſt relinquit caſt. Kloppenburg. 239, i.
Nicolaus Gronhagen ProConſul Luneb. capitur 73, f.
M. Nicolaus de Aquapendente 170, m.
Niehus caſtr. quando & à quo exſtructum 69, i.
Niemunſter al. Faldera fundatur 49, m.
Nienburg ab Hermanno de Katzenellenb. conditur 146, m.
Nigroponto capiunt Turci 367, i.
in Nockmelslevo Principes Saxon. conveniunt 294, f.
Normanni infeliciter Saxoniam invadunt 26, m.
Nortbertus Archiep. Magdeb. 326, i. per 7. annos nudis pedibus Evangelium prædicavit ib. m. cœnobium erexit in Francia ib. invitus Archiep. officium ſuſcepit ib. f. cives Magdeb. infenſos habet 327, i. urbem ſibi comparat ib. Abbatiam ex donatione Lotharii obtinet ib, m. obit 328, i.
Northertus Epiſcop. Brandenb. 329, f.
Northoringia qua ſit 486, f.
in Northuſen Monaſter. Monialium conditur 491, i.

O.

Obotriti exercitum Ottonis delent 419, i.
Ocko miles Friſiæ poſſidet Aurike 110. m. 165, m. ducit filiam Eliſabethæ de Quedlinb. ib. moriens fœdus init cum Fockone Uken 166, f.
ab Octaviano Cæſare omnes Reges, Duces & Barones in Germania originem ducunt 93, f.
Octaviani PP. Schiſma ejuratur 54, i.
Oda ſ. Ida Monial. nubit R. Ruſſorum 49, i. theſaurum invenit & occultat, ib. 141, m.
Oda Ludolphi Ducis Saxon. conjux 480, i. moritur 489, f.
Odelricus Epiſcopus Halberſtadenſ. ab Henrico Leone captus 53, f.
Odingen oppigneratur à Domino de Gemen 236, m.
Odo de Columna ſ. Martinus V. PP. R. eligitur 243, m.
Odo fil. Dubmari Comit. 328, m.
Officiales male audiunt 174, f.
Offo Epiſcop. Merſeburg. 288, i.
Olaus à fratre Haraldo R. Norvveg occiſus 42, i.
Olaus Chriſt. Reg. Dan. filius 173.
Oldenbrockhuſen exuſtum 168, f.
Oldenburgum Ammirorum à quo & quam ob cauſam ſit exſtructum 47, f. 142, f. ab Henrico Leone capitur 52, f. 145, i. in Oldenburg. caſtrum exſtruitur 100, i. fruſtra obſidetur à Monaſterienſ. & Bremenſ. 129, m. f. 142, m. 183, f.
Oldenburgum Slavor. antiquius Oldenburgo Ammiror. 44, i.
Oldenburgenſ. Comitum proſapia 49, m. 89, m. 129, m. f. 142, m. Bremæ Curiam habent 107, m. totam diœceſin Brem. tenuerunt 131, m. ArchiEp. Bremenſi ſubjecti 47, m.
Oldenburgenſis Parochialis Eccleſ. jus Patronatus competit Principibus Holſatiæ 503, i.
Oldenburgenſes cum Ruſtringis bellagerunt 115, ſeq.
Oltmannus Abbas Raſtedenſis 107, f.
Omeke conjugem habuit Gerhardi Com. Old. filiam 187.
Omſtede deſtruitur 70, i.
M. Onufreus de Florentia vir celebris 167, m.
Ordulfus Bernhardi Duc. Sax. fil. ambit filiam Magni R. Dan. 34, m. Eccleſiam Bremenſ. invadit ſed ablata reſtituit 42, m.
Ortvvich Dux Normanner. 26, m.
Oſchersleve Epiſcop Halberſt. redimit 383, f.
Oſdagus Hildeſienſis Epiſcopus cum Archiep. Mogunt. de benedictione Abbat. Gandersh. litigat 497, f. ſeq.
Oſelienſis diœceſis fundatur 59, m.
Oſnaburgenſis Eccleſia habet primatum in Saxonia 195, i. diſſipatur 200, f. decimis & privilegiis dotatur 201, f. augetur quinq; aliis Eccleſiis 202, i. multa jura, bona & jurisdictiones amittit 202, i. patitur incendium 209, i. graviter affigitur à Comite Friderico 209, f. denuo incendium patitur 214.
Oſnaburgenſes Epiſcopi ſunt Principes Imperii 229, i. monetæ cudendæ & mercatum habendi libertatem accipiunt 203, m.
Oſnaburgenſes ab Imperatore ad Concil. Baſilienſe appellant 256, f.
Oſnaburgenſes cives Oſnab. Eccleſ. obſident 168, f. cingunt caſtr. Vorſtenovv 254, f. capiunt Comitem de Hoja 254, f.
Oſtphali qui ſint 513, f.
Oſtrau recipiunt Duces Saxon. 366, f.
Otbertus impoſtor 57, i.
Othradus Epiſcopus Merſeb. 278, f.
Othricus Archiep. Magdeb. 277, i. deponitur ib. f.
Othnimus Abbas Magdeb. 271, i.
Ottenſtein obſidetur 241, m. Henricus de Solmis recuperare nequit 244, i. reſtauratur 262, i.
Ottersberg conditur 61, m. ab Henrico Duc. Brunſv. & Ottone Comit. Hojenſ. obſidetur 68, f. à Gerhardo Arch. Magd. capitur 213, f.
Ottersleve datur Eccl. Magd. 272, f.

Otto I. Imp. appellatur Magnus 492, i. patri ſuccedit 130, i. 417 m. ſalutatur Imperator 422, m. 493, m. ducit in matrimonium Edditham 130, m. 491, m. Adelheidin 493, m. fundat Eccleſiam Magdeburg 29, m. 30, i. 130, m. 204, i. 393, m. de regno à fratre ei lis movetur 492, i. Hungares & Berengarium vicit 493, m. Romanos ad deditionem coegit ib. 495, m. immunitate donat Didonem Epiſcop. Oſnab. 203, i. m. Pariſios occupat 204, i. Ducem Lotharingiæ in vincula conjicit ib. caſtr. Thuſienſe evertit, ib. Ludolphum Epiſcop. Oſnab. multis prædiis ditat, ib. venas argenti circa Goſlariam invenit 495, f. cœnobio Gandersh. privilegia dedit 492, f. ſeq. obit 276, m. 495, f. Magdeburgi ſepultus, ib.

Otto II. Imp. Rufus dictus 276, m. 495, i. adhuc puer Rex declaratur 493, f. 495, m. 497, m. Romæ coronatus 497, m. in matrimonium ducit Theophaniam 495 f. conſtituit Papam 497, m. à Saracenis vincitur 279, f. obit ib. 28., m.

Otto III Imper. patri ſuccedit 280, i. 282, m. Mundi Mirabilia dictus 497, m. veneno interemtus 280, f. Romæ mortuus 499, i. Coloniæ ſepultus 281,

Otto IV. Henrici Leon. fil. 506, m. f. eligitur Imperator Roman. 330, i. 341, i. 506, f. ducit uxorem 506, f. ex ipſius electione bellum oritur ib.

Otto Com. Oldenb. 61, m. Præpoſitus Bremenſ. & Canonicus Colon 127, m. fit Archiep. Brem. 66, i. 154, m. obit 66, i.

Otto II. Dux Brunſv. eligitur Archiep. Brem. 68, f. obſidet Ottersberg. ib. quos habuerit fratres ib. 110, m. 166, m.

Otto Landgr Haſſ. Archiep. Magd. 339, m. Wolmerſted. armis recuperat ib. mulieres quaſdam hæreticas in vincula conjicit 340, m. Waldemare Marchioni Brand. redivivo aſſiſtit 342, i. accipit Jerchavv, Sandavv, Plane, Plate, ib. Flagellatorum ſectam e territorio ejicit ib. cepit Rideburg ib. m. Schöningam expugnat, ib. Warberg deſtruit, ib. it. Soltenhagen, ib. Alvenſleven & Unsb. recuperat, ib. Lindere evertit ib.

Otto Com. Tekenb. Epiſc. Oſnab. 215, f. bona Eccleſiaſtica invadit, ib. 146, m. à fratre excommunicatur 216, i. 146, m. in conflictu cum fratre captus ibid. Tecklenburgo relicto in Quakenbrugge ſedet 216, i. hujus reſtitutionem recuſ. 235, i.

Otto de Monte Epiſcop. Mindenſ. ſuccedit Widekindo 237, f. immiſcet ſe bello inter Duc. Brunſv. & cives Lyneburg ib. bona ſua dedit Eccleſiæ Mindenſi 238, i.

Otto de Retberg. Epiſcop Mindenſ. tenet Petershagen 241, i.

Otto Monaſter. cum Theoderico Oſn. Epiſc. Kloppenburg expugnat 239, i. Tekenenborg, Bevergen & Linge obſidet. ib.

Otto de Ratberg Epiſc. Monaſt. veneno perit 223, m.

Otto Com. Hojenſ. Epiſcop. Monaſt. & Adminiſtr. Oſnab. 168, f. 241, i. obſidet & expugnat Ottenſtein 241, m. f. à Dederico Comit. Oldenb captus 24, m. 111, i. 167, f. it. à Diderico Bardevviſche 168, f. obit in Bevergern 246, m.

Otto Epiſcopus Trajectenſis conſecrat Patrem Epiſcop in Aldenſee 58, m.

Otto Epiſc. Bamberg. Pomeranos convertit 48, f.

Otto Ludov. fil. Dux Saxon 481, i. ſuccedit fratri Brunoni 487, i. cœnobium Gandersheim perficit 487, m. oblatum imperium recuſat accipere 489, m. veneno perit, ib. f.

Ottonem Duc. Brunſv. vincit ibid. obit, ib.

Otto Dux Saxon. & Bavar. Nordheimus natus 293, m. ab Henrico IV. Imper. Ducatu Bavariæ privatur, ib. 503, f. cum Imperatore bellum gerit 293, m. à quo reſtitutio ipſi promittitur 297 m.

Otto Dux Brunſv. Henrici Leon. nepos Stedingis contra Gerhardum Archiep. Brem. aſſiſtit 213, f. Bremam oppugnat ib. 59, m. obtinet Comitatum Stadenſem ib.

Otto Dux Brunſv. tenet Wolmerſt. 339, f. amittit Schoningam 342, m. vincitur ab Archiep. Magdeburg. ib. f.

Otto Marchio Brandenburg. Archi-Ep. Magd. invadit 331, f. captivus ducitur 332, i. redimit ſe ib.

Otto Com. Teken. bona Eccleſ. Oſn occupat 235, i. capit Conſ. Oſn ib. Kloppenburg aliaque loca poſſidet ib. m. à Theodorico Epiſc. Oſnab victus ib. pacem violat 237, f.

Otto Com. Ballenſted. exigua manu Slavos proſternit 324, f.

Otto Gerhardi fil. Com. Oldenb. Canonicus Eccleſ. Colon. & Brem. 186, m.

Otto de Katzenellenbogen Philippi Epiſc. Oſnab. frater 211, m.

Otto Com. de Delmenhorſt deſtruit Blexen & Waddenſen 69, i.

Otto Com. de Woldegge ducit filiam Eliſabetha de Quedlinb. 165,

Otto Com. in Ravensb. cum conjuge fundat Eccleſiam S. Mariæ Bielfeldiæ 225, m.

Otto Com. Schaumburg ſe immiſcet bello inter Duces Brunſv. & Lyneburg. 237, f.

Otto de Bentheim ab Epiſc. Oſnab. feudum accipit 213, i.

Otto de Ryngele tradit caſtr. Verden 255, m

Otto fil Johannis Com. Old. fit Abbas Raſted. 103, m. 151, m. obit. ib.

Otto de Schepel Abbas Raſted. 109, f.

Otto nobilis de Kampe Abbas Monaſter. S. Mich. Hildeſ. 521, i. bona quadam oppigneravit ib. reſignavit ib.

Otto Abbas Huiesb. 538, i.

Otto de Line miles creatur 66, f. 154, f.

Otto de Hadmerſleve Archiepiſcop. Magd. vendit jus ſuum in Hamerſleve 348, i.

Oytam ſibi comparat Gotfridus Epiſc. Oſnab. 227, f. poſſidet Otto Com. Teklenb. 235, m.

Ozede multis augetur donationibus 212, m.

P.

PAgus quid ſit 150, f. Pagani qui ſint ib.

Paleſtinam Chriſtiani recuperant 48 i. cujus inſtinctu 136, m. Saraceni recipiunt 55, i.

Papam Henricus III. Imp. conſtituit 35, m. idem fecit Otto II. 497, m.

Papa affectat inveſtituras 403, f.

Papa Carolo M. concedit jus conſtituendi Pontificem R. 196, m.

Papalis ſedes per 64, annos pontifice deſtituitur 245, i.

Paranymphorum Pipini perfidia 20,

Parding judicium 334 i.

Pariſienſis urbs à ruſticis capta & ſpoliata 214, f.

Parmenſium immiſericordia tempore peſtis 182, f.

Patriarchatum Hamburgi inſtituere machinatur ArchiEp. Brem. 44, f.

Paſchali II. Papæ Henricus V. denegat juramentum 139, i. quem excommunicat 140, i. 325, i. cum illo in gratiam redit 200. m. Inveſtituram retinet reclamante Henrico ib. obit 140, f.

Paulus II. Papa Gerſiconem R. Bohem. deponit 366, m. ſubito obit 140, f.

M. Paulus de Roma vir celebris 178, m.

Peſtis graſſatur 47, m. 67, f. 78, m. 190, f. per totum orbem 188, m. 214, i, 341, m. Magdeburgi per annum 367, f. per Comitatus Oldenb. & Delmenhorſt. 115, m. per Italiam 158, m. 174, m. in Lombardia 172, f. in civitate Monaſt. uno anno ultra 8000, abſumit 163, f.

Peſtis Judæis imputatur 228, m. 341, m.

Peſtis tempore caro ſuilla fugienda 172, f.

Petershagen tenet Otto de Retberg. Epiſc. Mind. 241, i.

Perſidem incolunt poſteri Slavorum 128, m.

Petri baculus Coloniam delatus 6, i. ejus pars Trevirenſibus redditus, ib. Catena Hieroſolymis deferuntur 128, f.

Petrus de Brunna Archiep. Magd. 347, i. cum Ducibus Brunſvicenſibus conflixit 347, m. cum Hallenſibus litigavit ib. Sommerſcheburg oppigneravit ibid. f. Wanſleve ad Eccleſiam tranſtulit ib. Schonbeck emit ib.

Petrus de Bruniquello vir celebris 164, i.

M. Petrus de Rubeis 174, m.

Petrus Paſſart electionem Walrami in Epiſcop. Traject. urget 247, f.

Phardum fit Cathedra Epiſcopalis 23, i. Archiep. Moguntino ſubjicitur, ib.

Philippo Imperante Otto Dux Brunſvic. eligitur Imperator 330, i. obitus ejus 507, f.

Philippus Archiep. Colon. 8, i. 212, i. deponit pallium ab Antipapa acceptum 54, Henrico Leoni Angriam & Weſtphaliam adimit 8, i. 212, i, 506, i, Henricum Friderici Imperat. fil. ungit 8, i.

Philippus de Catzenellenbogen Epiſc. Oſnab. 210, f. auget cultum divinum ib. clauſtrum S. Benedicti exſtruit ib. in Quernheim Monaſterium Monialium inſtituit 211, f. caſt. Holte vaſtat, ib. curiam in Werſen obtinet ibid. m.

Philippus Sigismundus D. Brunſv. primam tonſuram accip. ab Abbate Hujesb. 540, m.

Pipinus à paranymphis deceptus 20, Major Domus Franciæ vocatur 513, i. in Regem Franciæ unctus ib.

Pius III. Papa 370, m.

Planeu accepit Archiepiſc. Magdeb. 342, i.

Pluſterman caſtrum Roden incendit 245,

Pœnitentibus Sororibus prope Hildeſiam locus erigendi Monaſterii conceditur 120. i.

in Polde Monaſterium fundatur 491, i.

Polonia quâ occaſione in X. Ducatus mutata 129, m.

Polonia Rex ingenti exercitu Prutenos adoritur 167, m.

Pomerania convertitur 48, f.

Poppenrodius rectius dicitur Hoppenrodius 466, m, 471, f.

Potho de Potenſtein à Papa Epiſcop. Monaſter. conſtituitur 236, m. capitur ib. Fit Epiſc. Sverinenſis ib.

Poznanienſis Parochia dividitur 280, m.

Praga fruſtra obſidetur à Sigismundo Imper. 353, f. ibidem aliquando fuit Curia Imperialis 229, i.

Premenſtratenſium Ordo cœpit 51, i. 210, i.

Prodenſtorpe eſt domanium Epiſcopi Lubec. 399, m.

Prodigia, quæ bellum Saxonicum cum Henrico IV. Imper. præceſſerunt 300, f.

Prutenos R. Polon. magno exercitu invadit 167, m.

Ptolemais à Chriſtianis capitur 55, i. dicitur Accaron. ib.

Ptolomæus Lucenſis ſcripſit Chronicon, 155, m.

Puella quædam 12. annorum multos ad Judaiſmum pertraxit 200, m. ſex menſes pane & aqua utitur & per triennium cibo abſtinet, ib.

Puerorum 20000, in Germania per Diabolum ſeducti & Saracenis venditi 214, m.

Q.

Quakenbrugge conditur 146, f. Tecklenburgo relicto ibi ſedet Otto Com. Tecklenb. 216, i. & reſtitutionem ejus denegat 135. i.

Quedelburgum capitur ab Hogero Comit. à Falkenſtein 330, i. Epiſcopo Halberſtad. ſubjicitur 381. f. ab obſidione liberatur 382, i. ibidem Monaſterium ab Henrico Aucupe erigitur 130, i. 490, f.

Qedelburgenſis Abbatia à quo fundata 203, m, 276, i.

R.

Rabadonus Ultimus R. Friſonum 513, m. contemtor religionis Chriſtianæ, ib.

Rade caſtr. Comit. Tecklenb. 235, i. deſtruitur 236, i.

Radegaſt Slavorum idolum 394, m.

Radegundis Regina canonizatur 37, f.

de Rameſlagenſi Eccleſia lis inter Archiep. Brem. & Verdens. Epiſcopum à Papa compoſita 31, m.

in Rameslo conveniunt Archiepiſc. Brem. & Dux. Sax. ob Comitiam Stadenſem,. 50, f.

Randolve deſtruitur à civibus Magdeburg. 334, i.

Raſtedenſe Monaſterium à quo fundatum 90, i. reditus 127. m. ejus dedicatio 95, m. ditatur ab Ottone Abbate 104, i. ejus Canonici fiunt Monachi 134, i. Nobiles quidam Magdeburgenſ. ſibi illud vendicant 94, m.

Ratibor Princeps Slavor. venit Hamburgum 34, i.

Ratisbona obſidetur 419, f.

Ratzenburgenſis Epiſcopat. initium 394, m.

Ratzeburg incolunt cives Lubecenſes 51, f.

Ravennam premit Chriſtianus Archiep. Mogunt. 53, f.

Ravensberg. Com. ſuccurrit Philippo Oſnab. Epiſc. in deſtructione caſtr. Holte 211, i. liberam ſedem ſibi acquirit in Middendorpe/ ib.

Raimundus Epiſcopus Gurcenſis 371, m.

Redekenberg oppigneratur ab Epiſcopo Oſnab. 230, m.

de Reformatione Eccleſiæ rumor eſt 78, m.

Reformatio Ordinis S. Benedicti per Cluneuſes facta 202, f.

S. Regina Corpus recond. in Eccleſia Oſnab. 255, i.

Regnerus Halberſt. Epiſcopus contra Henricum V. Imper. bellum gerit 140, m.

Regularium primum Monaſter. in Germania dictum Windenheim quis inſtituerit 165, m.

Regularium Monachorum varii ſunt ordines 165, f.

Regularis Canonicus male dicitur 166, i.

INDEX.

Reimbertus Archiep. Brem. 85, f. *Birkam venit* 28, m. *obit* 86, f.
Reimbertus Epiſcopus Aldenb, 304, i.
Reinberens Widekindi Duc. Saxon. filius 130, i.
Reimboldus Abbas Hujesb. 538, i.
Reinebach caſtr. pervenit ad Walramum Archiep. Colon. 227, f.
Reineburg ab Epiſcopo Mindenſ. obſidetur 244, m. *expugnatur* ib. *ab Oſnab. Mindenſ. Epiſcopo reſtituitur*. ib. f.
Reineke caſtr. exſtruit Archiep. Colon. 7, f.
Reinerus Epiſcopus Miſnenſ 288, i.
Reinerus Abbas Raſted. 110, m. *fecit allodium circa Delf.* ib. *uxoratus* 112, f. *laudatur ab hoc* 112, f. *culpatur ab illo* 169, f, *in Reinvelde Monaſterium fit domanium epiſcopi Lubec.* 403, f.
Reinvvardus Archiep. Brem. 27, f. *obit* 28, i.
Requinus de Carsſenbrock, Abbas Iburg 240, f.
Reumundus Cardinalis 370, m.
Andr. Reuthe Cancellar. Abbatisſ. Gernrod. 458, m.
Revelenſis Eccleſia fundata ab Anſchario Archiep. Brem. 25, m.
Reinoldus de Daſſele Prapoſit. Hildeſ. 7. m. 211, *fit Archiepiſcopus Colonienſ.* ib. 15, m. 211, f. *corpora Magorum Mediolano Coloniam tranſtulit* 5, m. 15, m. 211, f. *palatium Colonienſe exſtruxit* 7, f. *Romanos proſtravit* ib. *Reincke caſtr. condidit* ib. *obit* 8, i.
de Rhegenſtein Comites Eccleſ. Halberſt. invadunt 382, i. 384, i.
Richarda Comitisſ. Teckleuburg. Ottonis Comit. Oldenb. conjux obit 74, f.
Richardus Dux Corunbia ab Archiep. Colon. Rex Roman. eligitur 219, f.
Richardus R. Angliæ capitur 55, i.
Richardus Abbas Magdeb. 272, i.
Richſa Regina 49, f.
Riddagshnſanum Cænobium à quo fundatum 111, m,
Rideburg capit Archiep. Magdeb, 342, m.
Riga à quo condita 55, m.
Rigenſis Archiepiſcopus Lubecæ reſidet 397, i.
Rigenſes & Magiſter Teutonicorum litigant 63, m.
Ringelheimenſe Monaſter. Monial. incolunt Monachi Benedictini 519, m.
Rikinza Abbatisſ. *Gernrod. quo loco ponenda* 476, i.
Ripenſis Eccleſia ædificatur 25, m.
Rivvinus Cizenſis Epiſcopus 325, i.
Rixedis filia Ida de Elſtorpe 49, i. 141, m.
Rixedis filia Comit. Hojenſ. nubit Johanni Comiti Oldenb. 103, m.
Rocardus Archiep. Magdeb. 374, f. *obit* 325, i.
Roddardus Rector in Waldenſe interfectus 173, f.
Roden caſtr. ſe deſtructurum jurat Simon de Lippia 223, i. *oppigneratum poſſidet Johannes Binck.* 224, f. *vi abripit Epiſcop. Mindenſ* 245, i. *incenditur* ib. m.
Rolandus Dux Bavariæ interfectus 24, i.
Rolandus in Magdeburg quando exſtructus 363, f.
Romanum imperium non debere eſſe electitium confirmatur 310, f. *continetur in regno Franciæ* 485.
Roſchildenſis Eccleſia fundatur 25, m. *à Slavis deſtruitur* 50, m.
Roſenburg ab Ottone II. Imper. donatur Eccleſiæ Magdeburg. 276, f.
Rudolpus Habſpurg Imperator eligitur 9, f. *coronam non accepit* 331, f.
Rudolphus Archiep. Magdeb. 331, m. *Alvensleve ad Eccleſiam Magdeburg tranſtulit* ib. *obit* ib.
Rudolphus Epiſcop. Traject. 246, f. *abdicat ſe officio* ib. *iterum ſuſcipit* 247, f. *duo fortalitia deſtruit* ib. *contra Epiſcopum Mindenſem & Bohem. multa præclare geſſit* 248, i. *in conflictu vulneratur ſed victor abit* 261, m. *pro fratre laborat, ut ad Epiſcopat. Monaſt. evehatur* 263, f. *diœceſin. Monaſter. armata manu ingreſſus* 264, i.
Rudolphus Dux Suevor. contra Saxon. cum Henrico IV. fœdus init 301, m. *quod frangit* 303, m. *ejus vita inſidias ſtruit Imperator* 304, *à Saxonibus eligitur Rex* 310 135, i. m. *Saxonibus bellum ſuadet* 134, m. 311, f. *ex vulnere obit* 135, m. 316, m.
Rudolphus Dux Burgundiæ vocatur Rex 24, f.
Rudolphus Normannorum Epiſc. 32, f.
Rudolphus Dux Saxon. vincit Archiep. Magdeb. 351, i. *obſidet Soltzovv.* 352, f.
Rudolphus Com. Stadenſis interficitur 50, f.
Rujani proprie die Rügen 48, f. *capiunt Lubecam* 49, f. *baptizantur* 53, m. *doctrinam Evangelii contemnunt* 273, f.
Rujanorum Princeps baptizatur 5[illegible]
Rulle cænobium 226, f.
Rupertus Dux Bavar. & Com. Palat. fit Imper. 348, f. *Mediolanenſem Ducem invadit* ib. *obit* ib.
Ruperens Rex Siciliæ 335, f.
Rupertus Archiep. Colonienſ. 16, m. *deponitur* 367, m.
Rupertus de Querfurt Archiepiſc. Magdeb. 331, m. *Magdeburgi ſynodum celebrat* ib. *Judæos premit* ib.
Ruſſ. dicuntur Galatæ 128, i.
Ruſtria deſinit eſſe feudum 41, m.
Ruſtringiæ Comites à Warseslavo R. Ruſſor. nobilitantur 49, m.
Ruſtringiæ & Ambriæ Comites vocantur nunc Comites Oldenburg. 49, m. 165, m.
Ruſtringiæ Comit. inſigne ab Imperat. datur 40, i.
Ruſtringos ſibi ſubjicit Archiepiſc. Bremenſ. 65, f. *Aſtringos magno ſuo damno pellunt* 97, i. *cum iis conciliantur* 99, i. *cum Oldenburgenſibus bella gerunt* 115. *ſeq.*
Ruſtringiam vaſtat Chriſtianus Com. Oldenb. 108, m.
Rutgerus Epiſc. Brandenb. 330, f.

S.

SAbbati die chorea male ceſſit 32, f. *quod fabuloſum* 85, i.
Saez obſident Huſſitæ 355, m.
Salome de Wickenrade peperit Ottonem & Chriſtianum Comites Oldenb. 100, f.
Salomon R. Hungariæ deponitur 307, m. *reſtituitur* 42, f.
Saſſenberg exſtruit Eberhard de Deyſt Epiſc. Monaſt. 227, f. *ibi Epiſcopus Mindenſ. juramento ſe obſtringit de non offendendo Epiſcopum Monaſter. & Oſnab.* 257, i.
Saxonia ſecunda vice capta 24, i. *vaſtatur à Barbaris* 26, m. *liberatur*, ib. m. *olim fuit regnum* 38, m. *variæ in ea civitates igne evertuntur* 214, i.
Saxon. ad fidem Chriſtianam convertuntur 22, i. 198, m. *Francorum terminos devaſtant* 198, i. *in Franconiam tranſportantur* 199 i. *bellum contra Henricum IV. machinantur* 292, f. & *inferunt* 296, m. *cum eodem confligunt* 302, i. *Henrico excommunicato ad novum Regem eligendum conveniunt* 309, *Rudolphum Duc. Suevor eligunt* 310, f. *ab Henrico Imperatore vincuntur* 312, m. *victores abeunt* 316, m. *Rudolpho mortuo Hermannum Regem eligunt* 319 m.
Scabini à Conſil. civitatis Magdeb. excluduntur 313, f.

Scambonus

Scabonus Epiſcopus Miſnenſis 325.
Scapovve caſtr. expugnat Archiep Magdeb. 342, f.
Scedelitz Monaſt. Ciſtercienſ. destruunt Huſſitæ 355, m.
Schalecksberg ſ. tom Berge *caſtr. à Comitib Hojenſ. detentum ad Dominum redit* 227, m.
Schandersleve oppidum ex hæreditario bono Principis Anhaltini fit feudum Archiepiſc. Magdeburg. 366, i.
Schavvenburgum ab Adolpho Camerario Epiſc. Mind. fundatum 206.
de Schavvenburg Comitis datur Stormaria 49. i.
Schenkorum nobilis familia in Thuringia 441, i.
Schiſma in eccleſia oritur per Papas Johannem & Calixtum 54, i. *per Johannem XXII, & Gregorium* 243. i.
Schladen ejicitur Clamer de Veleheim 367, i.
Scholaſtica Abbatiſſ. Gernrod. 443, m. *ejus parentes & vita Curriculum* 270, i. *ſeq.*
in Scholis Græca & Latina ſemper eſſe inculcanda jubet Carolus M. 197, f.
Schoninga ab Archiep. Magdeburg expugnatur 342, m.
Schonbeck ſtratagemate capitur ab Archiep. Magdeb. 335, i. *emit Archiep. Magd.* 347, f.
Schrapelavv Comit. pervenit ad Eccleſiam Magdeb. 343, m.
de Scrapelavv Nobiles Archiep. Madeb. vendunt curiam in Croſigk 347, f.
Sculteti jus emunt cives Magdeb. ib.
Scytarum regnum à quo fundatum 127, i.
Segebodus à Kransborg Marſchallus 74, f.
Schardus Epiſc. Hildeſienſ. 491, f.
Sems filii occupant Aſiam 127, i.
Serveſta incuria pulveris pyrii damnum capit 367, f.
Sigebertus Epiſc. Mind. 206, f.
Sigebertus Abbas Monaſt. S. Mich. Hildeſ. obit, ib.
Sigeborg caſtellum 207, f.
Sigfridus Archiep. Mogunt. 203, i. *è captivitate liberatur* 313, m.
Sigfridus Archiep. Colon. 10, i. 15. f. *ab Adolpho Comite de Monte captus* 10, i. *Juliacum obſidet & expugnat* 222, m.
Sigfridus Archiep. Bremenſ. 54, i. *obit*, ib. f.
Sigfridus Epiſc. Brandenb. 339, m.
Sigfridus Comes de Homburg Ottonis Duc. Sax. fil. 303, f.
Sigfridus Henr. Calvi fil. Com. Stad. à piratis truncatus 51, f.
Sigfridus de Mandelslo à Bremenſ. in vincula conjicitur 173. m.
Sigfridus Abbas Hujesburg 518, i.
Sigismundus eligitur Imperator 348 f. *Rex Bohemiæ coronatur* 243, i. 353, f. *quando imperator coronatus* 357, i. *contra Turcos novem bella geſſit* 349, i. *accipit Moraviam* 352, m. *reconciliare nititur Regem Galliæ & Angliæ* 244, i. *Noribergam Principes vocat* 351. i. *Epiſcopum Oſnab. ut Principem Imperii infeudat* 244, m.
Simon Epiſcopus Paderborn. fit Adminiſtrator Eccleſ. Brem. 59, m. *in bello infelix*, ib. *fuit Adminiſt. Eccl. Colon.* ib. *eligitur Archiep Brem.* 60, i. *obtinet Langvvedel*. ib. *Bremenſes turbat*. ib. *fit Monachus* ib.
Simon de Lippia accipit eccleſiam in Blomenberg 530, i. *quam donat monaſterio in Lucka* ib. *Eccleſiam in Egeren firmat* 530, m. *capitur* 223, i, 530, m. *Patronus Eccleſ. Lemgov.* ib. *ſpoliat Epiſc. Oſnab.* 223, i. *caſtrum Rode ſe deſtructurum jurat* 223, i. *vincitur ab Epiſcopo Mindenſi* 226, m. *captivus ducitur ab Ottone Com. Tekenb.* 224, f.
Simon Com Teklenb. parentis donationem ratam habet 212, m.
Simon de Retberge Theſaurarius Eccleſ. Oſnab. 227. m.
Simon de Monte gratiam init cum Capitulo 238. i.
Simon Abbas Raſted. 94, f. *obit* 95, m.
Simon de Caſſia vir celebris 153, m.
Simonia Romæ frequens 278, i. *ob illam Johannes XXII Papa deponitur* 349, i.
Sivvardus Abbas Raſtedenſ. 95, f. *varia ſcripta reliquit*, ib, *obit* 96, i.
Slavi iidem ſunt qui Vandali 128, m. *variis vicibus ſunt converſi* 44, m 272, m. 393. f. *à fide deficiunt* 393, f. 394, m. *qui nam ex illis ad huc hodie ſint Chriſtiani* 129, i. m. *in Hamburgenſes Stormaros & Holſatos ſuruunt* 44, i. *denno Hamburgenſes invadunt* 48, m. *Selanaiam* 50, m. *fruſtra Lubekam infeſtant* 52, i. *ab Archiepiſc. Magd. devicti* 279, m. *eorum* 2080 *exigua manu ab Ottone Comit. Ballenſt. vincuntur* 324, f.
Slaviam ſubjugat Henricus Leo 505, m.
Slavica gens & Lingua ubi floruerit 128, i.
Sleſvicenſis eccleſia fundatur 25, m.
Sleſvicenſis Dux in Ditmarſia occiditur 241, i.
Sleſvicum deſtructum 44, i. *capitur a Rege Dan* 60, m. *ſubjicitur Epiſcopo Aldenb.* 393, f.
Sluttere deſtruunt Stedingi 56, i. *reſtauratum denuo ab iiſdem deſtruitur* 58, f. *tertia vice deſtruitur* ib.
Snetlinge acquirit ſibi Epiſcopus Halberſtad. 381, i.
Sommerſcheburg oppigneravit Archiep. Magd. 347. f.
Sophia Abbatiſſ. Quedlinb. expellitur 330, i.
Sophia Abbatiſſ. Gandersheim eligitur 487, f.
Sophia Abbatiſſa Gernrod. 434, *ſeq.*
de Spiegelberg Comitis officium 39, f *inſigne* 40, i.
de Spiegelberg Comites vincuntur à Wilhelmo de Monte 242, i.
Spirenſem Eccleſiam fundavit Ludovicus Imperator 27, i.
Stadam quis condiderit 51, m. *ab Henrico Leone capitur* 52, f. *fruſtra obſidetur à* R. *Dan* 55, m. *à Woldemaro Archiep. Brem capitur* 55, f. *Stadenſis Comit. accedit ad Eccleſiam Brem.* 51, m. 58, m. 112, f *fuit Marchionatus* 550, i. *obtinetur à Duce Brunſv.* 59, m.
Stadenſis Comitis Palat inſignia 50, i.
Stedingia à Bremenſibus deſtruitur 70, i. 110, f. 166, m.
Stedingi Sluttere tribus vicibus deſtruxerunt 56, i. 58, f. *Stotle evertunt* 56, i. *Diabolum coluerunt* 59, i. *à Comitibus Holland. & Clev. proſtrati* ib. 213. f. *abnegata fide Chriſtiana rebellant* 98, m 213, m. *quam diu hæc rebellio duraverit* 148, f. *Hoja & Oldenburgo expelluntur* 101, i. *illis contra Gerhard Archiepiſc. Brem. aſſiſtit Otto Dux Lyneburg.* 213, f.
Steigeberg caſtr. fundavit Epiſcop. Mindenſ. 226, m.
Stephanus R, *Hungar. matrimonio jungitur Henrici II. Imper. Sorori* 47, f. 206 f, 499, i.
Stephanus II. Papa imperium Rom. *a Græcis ad Germanos transfert* 196, i. *Ludovicum coronat* 199, f.
de Sterneberg Comes, Dux Bohemor. intereſt deſtructioni caſtr. Blomenb. 858, m.
Stetinenſes Duces homagium præ-

ſtant

ſtant Friderico Marchioni in Prenzlavv. 366, f.
Stokholmia ab Epiſc. Upſal expugnata traditur Regi Dan. 117, m. 179, i.
Stormaria datur Comiti Schanmb 48, m. accipit R. Dan. 402. m
Stormari à Slavis infeſtantur 44, i.
Strombergenſis Burggrav. è caſtr. Stromberg eiicitur 235, f. pacem Weſtphalicam violat, ib. exul recipitur à Comite Tecklenburg, ib.
Suſatenſes ab Archiep. Colon. deficientes ſubjiciunt ſe Duci Clivia 257, f. 531, f. Colonienſibus prædam abripinnt 258, i.
Suſatum ab Archiep. Colon. obſidetur 77, m, 171, f. 258, i. 360, i. capitur 259, f. bello captum retinet Dux Clivenſis 261, i.
Suturingia quæ ſit 486, f.
Sveciam Hiberni vaſtant 95, m.
Svederus Epiſc. Monaſt. 205, i. ejus innocentia mire apparet ib.
Svederus de Culenborg fit Epiſc Traject. 240, acquirit caſtrum toer Horſt & admittitur ad Civ. Amersforde & Rhene 247. i, duo facit fortalitia 247, m. ab officio removetur, ib. obit ib. f.
Svevi ex amicis Saxonum fiunt inimici 298, i. eorum Dux cum Henrico IV, Imp. contra Saxones fœdus pangit 301, m. cum Saxonibus in gratiam redeunt 308, f. 309, i.
Svingeborg conditur 56, f.
Svvederus Abbas Monaſter. Raſted. 94, m. confirmationem bonorum Monaſter, à Papa obtinet, ib.
Svverin dicitur quoque Magnopel. 44, m.
Svveno R. captus & reſtitutus 34 m. quatuor regnorum Dominus 39, m. inceſtuoſus, ib, 152, f.

T.

M. Henricus Take Theolog. Profeſſ. 76, f. contra Hutſitas ſcribit 359, f.
Tangermunde capitur 355, f.
Tanqnardus opponit ſe Geroni 417. m.
Tanquordus inter Ludolphi Duc. Saxon. filios non reperitur 487, i.
Techenenborg clauſtrum Monialium 210, f.
Tedinghuſen conditur 61, m. ejus gratia Archiep. Brem bellum gerit 63, f. capit Henricus Com. de Broekhuſen 65, f. Gerhardus Comes de Hoja accipit 66, m. cui oppigneratum 154, f. 155, i.
Tecklenburgenſ Com. feuda ab Epiſcopo Oſn. recipere recuſat 229, f.
Tecklenburg Ludolphus de Ozede in feudum accipit 210, f.
Templariorum Ordo per univerſum orbem deſtructus 221, i. bona illorum Ordini S. Johannis data 221, m.
Teutonicorum Ordo in Livonia incipit 52, i.
Theodoricus de Morſa Comes fit Archiep. Colon. 16. m, 242, m. 532, i. obtinet Eccleſiam Paderbornenſ. in Commend. 242, m, Elector imperii 257, f. amittit Suſatum ib. in Coadjutorem aſſumit Henricum Epiſc. Monaſter. ib. Suſatum vaſtat 258, i. Behemos, Miſnenſes & Thuringos adverſus Comit. Lipp. adjutores habet, ib. Blomenberg deſtruit ib. 532, i. caſtr. Brack & civit. Lemgo occupat 258, m, Uſelen pagum ſolo aquat. 258, f. Dethmolde igne perdit, ib. Ravensberg, territorium ſpoliat, ib. Lippe obſidet 259, i. Suſatum obſidet 77, m, 259, i. repellitur 260, i fratri ſubvenit 264, i.
Theodoricus Archiep. Magdeb. 342, f, variarum Eccleſiarum fuit Epiſcopus, ib. Jutenburg caſtr. redemit 343, i. it. Fredeborg, Alſleve, Lochſtede, Saltzmunde, Hoitensleve, Loborg. &c. Staſfurt, ib. Halæ præfecturam recuperat, ib. obit 346, i.
Theodoricus de Horne Epiſc. Oſnab. conſtituitur 234, f. bellum gerit cum Ottone Comite Tekenb. 235, i. eum vincit & plurima caſtra recuperat, ib. m. Florentio Epiſc. Monaſt. contra Burchgravium in Stromberg aſſiſtit. ib. f. Rede oppugnat 236, i, Walburg Harſebeke & Versmell deſtruit, ib. Weſthoven vaſtat 236, f. Epiſcopo Monaſt. adverſus Comit. de Marka auxilium fert, ib. captus Limburg ducitur 238, f. liberatur, ib, Kloppenburg cum Ottone Monaſt. Epiſc. dividit 239, i. reſignat hoc caſtrum, ib. erga Eccleſiam Oſnab. liberalis ib. 240, i. obit, ib.
Theodoricus de Marca fit Vicarius Eccleſ, Oſnab. 230, f. 233, i, recuperat caſtr. Iburg. 230. f. novum caſtrum fundat, ib. capitur ab Epiſcopo Mindenſi 231, i. liberatur per fratrem Engelbertum, ib. m.
Theodoricus Cizenſis Epiſc. literis claret 321, m.
Theodoricus Epiſc. Lubecenſ. 396, f invitus Epiſcopatum in ſe ſuſcepit ib.
Theodoricus Arndes Juris Civil. Doctor 407, m. Lubicenſ. Canonicus & Hildeſ. Decanus, ib. ſubito obit 401, m.
Theodoricus Mindenſis Epiſcopus ubi ſepultus 29, m.
Theodoricus de Winzenborg Epiſc. Monaſt. 210, i, à Capitularibus repulſus a Lothario Duc. Sax. reſtitutus, ib.
Theodoricus Monaſt. Præſul frater Brunon. Ep. Oſnab. 217, f.
Theodoricus frater Philippi Epiſcopi Oſnab. 211, m.
Theodoricus Com. Oldenb. 203, m.
Theodoricus Com Cliv. occupat caſtr. Bredevort 226, f.
Theodoricus Einem Abbas Hujesb. 539, i. curiam in Rode exſtruxit, ib.
Theodoricus I, Abbas Monaſter. S. Michael Hildeſ. 519, i.
Theodoricus II. Abbas Monaſter. S. Mich. Hildeſ. 519, f. abbatiam reſignavit, ib.
Theodoricus III. Abbas Monaſt. S. Mich. Hild homo rudis 523, m.
Theodoricus de Lovvenburg Dux. Saxon Decanus Brem. 106, m.
Theodoricus de Alvenſleve poſtulat bona Monaſt. Raſted. 94, m.
Theodulphus Epiſcopus Aurel. a Ludov. Imper in carcerem conjicitur 200, i.
Theophania nubit Ottoni II. 280, i. 495, f.
Theotmarus Bernhardi Duc. Sax. frater erga Eccleſ. Bremenſ. liberalis 32, f
Theotmarus Comes interficitur 38, f.
Thidericus Abbas Lyneburg S. Mich. 100, f,
Thietmarus Epiſc. Oſnab. 205, m. oculis privatur 206, m.
Thietmarus Epiſc. Hild Monaſterio S. Michael. Hild. multa bona aufert 518, f.
S. Thomas Archiep. Cantuar. Martyr 53, m.
Thomas Grote Epiſcopus Lubec. 406, i.
Thuſienſe caſtr. deſtruitur 204, i.
Tilemannus de Trotc Eccleſ. Magd. & Mersborg Præpoſitus 366, m.
Togorma Japheti filius 127, i.
Trajectum à Leodienſibus obſidetur, 241. f. Stratagemate occupat Epiſcopus 261, m.
Travemunde conditur 57, i.
Tuchtum donatur Archiep. Magd. 283, i.
Turci latine Teucri 48, i. à Chriſtianis magnam cladem paſſi 360. i. 362 m.
Typographica ars ubi inventa 171. i.

V.

Vandalia unde dicta 128, m.
Vandali iidem qui Slavi 24, i. 30, f. 118. m. unde ita dicti 128, m. eorum bella, ib. Hamburgum deſtruunt 27, f. Regem Suecia capiunt 31. i. Danubium trajiciunt 128, m. Hiſpaniam incolunt ib. Africam obtinent, ib. f. fiunt Muhamedani, ib.
Udo Epiſcopus Oſnab. 210, m. in Gertrudenberg condit cœnobium Monialium. ib. turribus ornat Eccleſ. Oſnab. ib.
Udo Epiſcopus Cizenſis 325, i.
Udo Epiſcopus Monaſterienſ. ubi ſepultus 29, m.
Udo Epiſcopus Olenſis ungit Archiep. Magdeb 326, f.
Udo Marchio Stadenſis 326, f.
Udo Comes de Freckenleve occiſus 328, m.
Udonis Comitis Oldenb. genealogia 131, m.
Vechtenſes cum Mauritio Comit. Oldenb bellum gerunt, 177, m.
Velteheimii caſtr. Harpke tenent 366, i.
Clauser de Velteheim ex Schladen expulſus 367, i.
Veneti cum Friderico I. Imper. bellum gerunt 53, m.
M. Venetus Dialecticus acutus, Franciſcum Percarium Senenſem in ignem diſputat 164, f.
Verdenſis Eccleſia fundatur 19, f. Epiſcopatus diviſus 44, f.
Verdenſem Eccleſiam premit Bernhardus Dux 31, f.
Ugolinus Patriarcha Conſtantinopol. egregius Diſputator 147, f.
Vicelinus prædicat Slavis Evangelium 49, f. fit Præpoſitus 50, m.
Vicelinus Epiſc. Ald. 394, f. obit 395, i.
Vinarienſe Gynaceum illuſtre 41, m.
Viſurgis diſtinxit Weſtphalos & Oſtphalos 513, f.
M. Jacob de Viterbio 147, f.
S. Viti Corpus defertur ad Monaſter. Corbejenſe 200. i.
Uladislaus R. Hungar. & Bohem. veneno perit 363, i.
Uladislaus R. Pol. in prælio occiſus 360
Uladislaus R Polon. fit R. Bohemia 367, i. ubi & quando coron. ib. m.
Ulricus Epiſc. Halberſt. quando floruerit 558, i.
Ulricus Abbas Huſesb. 538. f.
Unno Archiep. Brem. ab Imper. Conrado conſtituitur 28, i. in Birkam venit, ib. m. miraculoſus ib. convertit gentes, ib. à quo fit ordinatus 287, i.
Unsburg datur Eccleſ. Magdeburg. ab Ottone II. 272, f. 276, f. recuperat Otto Archiep. Magd. 342, f.
Unwanus Archiep. Brem. 31, m. adverſus Bernhardum Duc. bellum geſſit, ib. f. Gerhardum Duc. captivat 32, i. Hamburgenſem Eccleſ. à Vandalis vaſtatam reſtaurat. ib. obit, ib.
Volcmarus Epiſc. Brandenb. 278. f. 321, m.
Volgwardus Epiſc. Aldenb. pulſus & receptus 394, i.
Volo Archiep. Trev. ſubita morte interit 306, f.
Volquinus Epiſc. Mind. ex villa fecit oppidum Lubec. 224, m.
Verden extruitur à Ludero D. Sax. 49. i. à Bremenſibus aſtu occupatur 57, i. ejus cives ab Epiſcopo Oſnab. immunitates & jura municipalia accipiunt 240, f. ab Epiſc. Oſnab. munitur 245, f. obſidetur 255, f.
in Vorſtenow cives immunitates & jura municipalia ab Epiſcop. Oſnab accipiunt 240, f.
Joh. Vos Doctor Decretor. 76, f.
Upſalienſis Eccleſ. erigitur 25, m. Archiep. ab Hibernis pellitur 95, m. Præpoſitus a Gerhardo Comit. Old. capitur 78, f. 172, f.
Urbanus V. creatur PP. 304, m.
Urijade à Chriſtiano Com Old. extruitur 110, f. à Friſonibus vaſtatur 112, f. 169. m.
Urbis conditur 305. i. ibi advocatiam emit Epiſc. Lubec. 397. f. à Gerhardo Comite Holſat. vaſtatur. 398, m. ex Eccleſia parochiali fit collegiata, ib. curia foſſa munitur 399, i. de hoc oppido Epiſcopo Lubec. fruſtra controverſia movetur 399, f. abalienatur ab Epiſc. Lub. 405. recuperatur 408. m.

W.

Waddenſen quando ſit deſtructum 69, i. ibi confligunt Butjadenſes & Oldenb. 189.
Wago Epiſc. Aldenb. 393.
Walbertus Epiſc. Hildeſ 491, f.
de Waldeck Comites inveſtivit Gerhardus Epiſc. Oſnab. 213, m.
Waldemarus Marchio Brandenb. redivivus 341, f.
Waldislaus R. Polon. cum Magiſtro ordin. Teutonic. confligit 352, m. illos conciliare nititur Sigismundus Imper. 353, f.
Walramus Archiep. Colon. Anteceſſorem ſuum vivum ſepelivit 204, m. Monaſt. S. Martini ditavit & reſtauravit, ib. conſ. 6, m.
Walramus Juliacenſ. Præpoſitus Leodienſ 10, m. Archiep. Colon. ib. 16, i. Oſnab. & Monaſter. Epiſc. conciliat 227. m. Carolum IV. Regem Romanor. eligit & ungit 228, i. vincitur ib. obit 10, m. 228, m.
Walramum Epiſc. Monaſt. electum cives rejiciunt 263, f. cladem infert diœceſi Monaſter. 174, m. 264, i. Teglet capit & Warendorpe obſidet, ib.
Waltabonus Epiſc. Mersburg. à quo ordinatus 321, m.
Waltardus Archiep. Magdeb. 284, m. ejus parentes, ib. expeditioni contra Bolislaum Polon. Duc. intereſt 285, m.
Wanda Regina Slavor. 128, m.
Wanſleve donatur eccleſ. Magdeb. 272, f. pro certa pecuniæ ſumma emit Archiep. Magdeburg. 347, f. oppigneratum redimitur 364, i.
Warberg deſtruit Archiep. Magd. 342, m.
Wardenborg combuſſit Otto Comes Hojenſ. 111, i.
Warendorp obſidet Ep. Monaſt. 264, i.
Warmetkerke fundatur 221, m.
Warmeſtorp. deſtructum 382, i.
Warmsdorf ex hereditar. bono Princip. Anhaltini fit feudum Archiep. Magdeb, 364, m. 366, i.
Warteslavv fil. Oda R. Ruſſor. 49, m. 141, m.
Warinus Archiep. Colon. vivus ſepultus 6, m. conſ. 204, m.
Wede Comitat. cedit Ecc. Colon. 9, f.
Welphoni Suevo confertur Duc Bavaria Ottoni ademtus 503, f. is Wulphildem fil. Magni Duc Sax. uxorem ducit 504, f. gignit Henricum Leonem ib.
Wencetlaus R Roman. eligitur 348, m. coronatur 237, i. deponitur, ib.
Wenceslaus Dux Pomer. convertitur 48, f.
Jac. Chemn. de Werden hæreticus combuſtus 353, f. ejus dogmata recenſentur 354, i.
Werdinenſe Monaſt fundavit Ludgerus 198, f.
Werin Abbas Monaſt. Huxar. 200, f.
Werincherus ſ. Benno Epiſc. Oſnab. obiit 207, i.
Werle oppugnatur ab Archiep. Col. 218, m.
Wernerus Archiep. Magd. ab Henrico IV. Imper. conſtituetur 288, m. eum Henric. IV. veneno tollere tentat 300, m.
Wernerus Ep. Mersburg 288, i.
Wernerus Abbas Huſesb. 538, m.
Wernerus Lodoringk corruptus caſtrum VVitlage Capitulo Oſnab. tradit 255, m.

de Wer-

Digitized by Google

de Wernigerode comitis officium ap. Imper. Henric. 39, f. inſigne 40, i.
Weſelo Archiep. Magd. 535, i.
Weſſenach oppidum eſt combuſtum 356, i.
Weſterborch Gerhard. Com. Old. condit 81, m. à Monaſterienſibus deſtructum 183, i.
Weſterſtede combuſſit Otto Com. Hojenſ. 118, i.
Weſtphali à Carolo M. ſubacti 199, i.
Weſtphalia unde dicta 480, f. ei pax paratur 235, f. ab Archiep. Colon. Henrico Leoni aufertur 506, i. 212, i.
Wibboldus nobilis de Holte Albertum Regem coronat 225, m. compeſcit Comitem de Marka, ib. obit 225, m.
Wiburg deſtruitur 53, i.
Wicbertus Epiſcop. Hildeſ. Monaſt. Gandersh. conſecrat 487, f.
Wichbertus ſ. Wichbardus Abb. Monaſt. S. Michael. Hildeſ. 510, f.
Wichmannus Archiep Magd 329, m. Oldenhaldensleve cepit, ib. obit, ib.
Wichmannus Cizenſis Epiſc. 381
Widekindus R. Saxoniæ à Carolo M aliquoties victus 38, m. 480, m. vaſtat terminos Francor. usque ad Rhenum 198, i. ejus familia 130, i. à Carolo M. converſus 198, m. 130, i.
Widekindus Com. de Waltegge Epiſc. Oſnab. 219, i. curtam Oſthoff. ad Epiſc. transfert 219, m. obit ib. f.
Widekindus Epiſc. Mind. Hamelenſ. captivos ducit 515, f. obit 237, f.
Widekindus Widekindi Duc. Sax. fil. 130, i.
Widenbrugge oppignerat Epiſc. Oſnab. 230, m.
Wido Epiſ. Oſnab, 209, i.
Wiggerus Epiſc. Brandenb. 329,
Wilbrandus fil. Arch Magd. 330, f.
Wildeshuſen acquirit Archiepiſc. Bremenſ. 60, m.
Wilhelmus R. Angl. ſagitta petitur 319, f. magnam hominum cladem fecit 44, m.
Wilhelmus Com. Holl. ab Arch. Col. R. Rom. eligitur 219, f. in bello cum Friſonib. occiditur, ib
Wilhelmus Otton. M. fil. Archiep. Mogunt. 492, i.
Wilhelmus de Monte Epiſc. Paderbornenſ. vincit Arch. Col. & Adolphum Com. Cliv. 242, i. Adelheidin fil. Com. Tekenenb. uxorem ducit 242, f. cum ea gignit fil. Gerhardum 242, f.
Wilhelmus Vechius de Florentia Epiſc. Feſcul. 170, m.
Wilhelmus Dux Brunſv. vincit. Maurit. Com. Oldenb. 118, m.
Wilhelmus fil. Henr. Leon. 506, m.
Wilhelmus Dux Aquitan. & Pict. Monach. quando floruerit 148, f.
Wilhelmus Dux Saxon. Johannem Com. Hoj. Suſatum mittit ad exercitum 259, f.
Wilhelmus Gerhardi de Monte fil. Dux Juliac. in matrimonium ducit filiam Com. Naſſov. 242, f. ducis fil. Alberti Marchionis Brand. 242, f. vincit Comites de Spegelberg. & Hamelenſes 242, i.
Wilhelmus Cracht Decan. Lubec. removetur 398, f.
wilhelmus de Cremana vir celebris 162, f.
Wilkinus de Morſele Abb. Raſted. 103, m.
Willebrandus de Hallermont Ep. Mind. obſidet Reineborg 244, m. Roden occupat 245, i. oculo privatur, ib. Roden & Reineberg. oppignerat, ib. f.
willehadus Ep. Bremenſ. 19, f. 21. f 22, i. Saxones convertit 21. i.
Canonizatur 25, f.
Williberius Archiep. Colon. 201, m.
Willigiſus Archiep. Mogunt. 201, i. ungit Daginonem Arch. Magd. 282, f. obit 500, m.
Wilmarus Ep Brandenb. 329, m.
Windelgardis Abbat. Gand. 491, f.
Windenheim primum Monaſt. regular. in Aleman. quis inſtituerit 165, m.
Wipertus Ravenn. qui & Clemens Gregorio VII. dejecto ſubſtituitur 317, i. 135, f. obit 136, m.
wipertus Merſeb. Ep. ab Henrico II. Imp. conſtituitur 282, à Daginone Arch. Magd. conſecratus 284, i.
wisla fluvius olim wanda dictus 128, m.
wittenborg caſtrum deſtructum 57, m. f.
wiwelſtadenſis Ecc. fundatur 131, f.
in woldam transfertur clauſtr. Metteln 61, m. Monialibus ibidem Præpoſitus præficitur 106, f.
woldemarus II. R. Dan. Lubecam muro cingit 57, i.
woldemarus III. Sleſv. R. Dan. declaratur 17, i.
woldemarus Archiep. Brem. 55, f. deponitur 56, i. invito Papa reſtituitur 56, i.
wolffgangus Princeps Anhaltinus Abbatiæ Gernrod. tutor 451, m.
wolffgangus Ep Ratisbon. 282, m.
wolmerſted tenet Otto Dux Brunſv. 329, f. armis recuperat Archiep. Magd. ib. redimitur 364, m.
wotilolphus ſ. wacholphus Epiſc. Oſnab. 205, m.
wulfhildis fil. Magni Duc. Sax. nupſit welfoni 514, f.
wurzburg obſidetur 311. f.

Z.

in Zelſe duo Monaſteria Otto M. erexit 43, f.
Joh. Ziegeler Doctor Decretor 76, f.

LECTORI S.

OCcurrent fortaſſis non pauca in his Scriptoribus Saxonicis obſcura & mendoſa, verùm ipſorum potius codicum, ex quibus deſcripti ſunt, vitio, quàm Typothetarum incuriæ ea debentur; neque ego ex ingenio illa emendare, ſed potius judicio Lectoris ſubjicere volui: quædam tamen errata Typographica, à nobis animadverſa, ita corrigas, velim.

Pag. 12. l. 13. *non* dele. pag. 195. l. 42. pro *Cantere* lege *Cantoris*. p. 203. l. 35. pro *Diogenis* l. *Drogonis*. p. 213. l. 44. pro *domum* l. *demum*. p. 246. l. 3. XXX dele. p. 256. l. 43. pro *prudente* l. *pendente*. p. 258. l. 5. pro *confœdationibus* l. *confœderationibus* p. 265. l. 9. pro *conferre* l. *conferri*. Ibid. l. 15. pro *Saxonicorum & VVeſtphalicorum* l. *Saxonicarum & VVeſtphalicarum*. p. 266. l. 27. *narrat* dele. p. 279. l. 41. pro *tervo* l. *torvo* p. 280. l. 52. pro *ore* l. *uxore*. p. 282. l. 25. pro *beate* l. *beati*. p. 283. l. 9. pro *nivo* l. *nive*. p. 284. l. 56. pro *cutem* l. *curtem*. p. 330. l. 7. pro *caſtro* l. *clauſtro*. Ibid. l. 25. pro *Iſter* l. *iſtos*. p. 351. l. 38. pro *Metropolitari* l. *Metropolitani*. p. 353. l. 13. pro *Matthaeum* l. *Martinum*. p. 357. l. 18. pro *conſilium* l. *concilium*. p. 358. l. 32. pro *œconomicum* l. *œcumenicum*. p. 466. l. 10. pro *ubi* l. *uti*. p. 495. l. 35. pro *Theophanis* l. *Theophania*. p. 509. l. 41 pro *Fratri* l. *Fratris*.